Digitized by Google

Digitized by Google

31
3 F
7

VIII.

R XI.E

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIARIUM
HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICUM,
ILLUSTRIORA
PONTIFICUM ROMANORUM
GESTA.
CONCILIORUM GENERALIUM
ACTA.

Nec non complura cùm Sacrorum Rituum, tùm antiquæ Eccleſiæ Diſciplinæ Capita complectens;


Collecta & ordinata ſtudio & operâ R. P. FRANCISCI PAGI
Ord. Minorum Conventualium S. Franciſci S. T. D.

TOMUS TERTIUS,

Continens Geſta Pontificum XXX, à COELESTINO II, ad BENEDICTI XI Obitum, *ſeu* ab anno Chriſti MCXLIII ad annum MCCCIV.

Præmittuntur INDICES Alphabetici & Chronologici Pontificum Rom. Imperatorum tàm Orientis, quàm Occidentis, ac Scriptorum qui in hoc Tomo citantur per nomina & cognomina.

In fine ſubjiciuntur Tabula annorum Chriſti, ac in iis Litterarum Dominicalium, Paſchatum & Indictionum cuilibet anno convenientium, Kalendarium Romanum & Index rerum copioſus.



CONGREG. MISSI. SS. IO: ET PAULI

ANTVERPIÆ.
Apud JOANNEM VAN DER HART.
M. DCC. XVIII.

Digitized by Google

AD

LECTOREM

IN Præfatione Tomo primo hujus Operis præfixa profeſſus ſum, me alteri neutiquam numini quam veritati litaſſe, ac ſemper paratum eſſe ea retractare quæ ſcripſi, ſi novo adhibito ſtudio, vel alio ſuggerente cognoſcam, me ab ea deviaſſe; infallibilitatem enim in rebus Hiſtoricis, qua mortalis nemo gaudet, mihi arrogare nullatenus volo, certus hominem quantumvis exactiſſimum, & ab omni mendacio alienum, vel ab aliis decipi, vel in multis, ut humana fert conditio, errare. Quare hîc obteſtor omnes, qui hoc opus legerint, ut deprehenſa aliqua re falſa, me de errore monere non graventur; haud enim invitus parebo ſancto Cypriano toties monenti, veritatis potius quàm proprii nominis habendam eſſe rationem: immò non turpe eſſe errare, ſed in errore perſeverare: ***Non enim***, inquit in Epiſtola LXXI ad Quintum fratrem, ***vincimur quando offeruntur nobis meliora***, ***ſed inſtruimur.*** Licet etiam aliquando conjecturis res, vel incertas, vel dubias adſtruere conatus fuerim, nihil tamen me protuliſſe confido, niſi teſtibus idoneis compertum, vel comprobatum, vel ſaltem ex eorum principiis conſectaneum; in ea quippe cum Sancto Auguſtino Cap. 55. de Vera Religione ſententia me eſſe profiteor, ***melius eſſe qualecumque***

¶ 2 ***verum,***

Digitized by Google

verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt, melioremque eſſe ſtipulam quàm lucem inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formatam. Hujus animi mei candoris & minime fucatæ ſinceritatis probationes inveniet Lector in Additionibus calci hujus tertii Tomi ſubjunctis, quibus jam à me dicta vel confirmavi, vel illuſtravi, vel etiam emendavi.

Lectorem inſuper monendum cenſeo, me huic tertio Tomo duo addidiſſe, quæ deſunt in prioribus; nempe Indicem Alphabetico-Chronologicum Auctorum per cognomina, quia, cùm tam in hoc, quam in omnibus ferè aliis Operibus Auctores plerumque citentur per ſola cognomina, & eorum nomina à Lectoribus, præſertim tyronibus ignorentur, qui ideo priorem Indicem integrum percurrere coguntur, ut ſciant quibus temporibus floruerint, in eorum gratiam & uſum commodiorem, hîc alium Indicem cognominum adiicere viſum eſt.

Addidi præterea Kalendarium Romanum, ut Lectorem à cura liberarem memoriter addiſcendi regulas pro inveniendis Kalendis, Nonis & Idibus cuilibet menſi convenientibus, vel recurrendi ad alios libros, ut eo temporis characteres cum diebus menſium conjungere poſſit. Non rarò etiam Kalendarium conſulendum eſt, ut certò ſcire poſſimus, quem in menſis diem feſta mobilia inciderint, quod in Kalendario facile invenitur, cum ſcitur quo die Paſcha celebratum ſit; ab eo enim cetera feſta mobilia pendent.

Oratum denique volo Lectorem, ut erroribus typographicis, qui abſente Auctore vitari nequeunt, medicam manum admovere non dedignetur, ſi quos forsàn obſervet præter eos quos notavi; cum enim oculi mei non quidem ſenectute, ſed continua lectione caligaverint, relegendi, corrigendive moleſtiam vix ſuſtinere poſſunt.

Index

Index Alphabeticus.

PONTIFICUM ROMANORUM

Qui in hoc *Tertio* Tomo continentur, quatuor Columnis diſtinctus, in quarum *priori* eſt Ordo Seſſionis, in *ſecunda* nomen Pontificis, in *tertia* annus Ordinationis, & in *quarta* annus Obitus, ſeu Abdicationis.

	A.		
CLXX.	Alexander III.	1159.	1181.
CLXXXI.	Alexander IV.	1254.	1261.
CLXVIII.	Anaſtaſius IV.	1153.	1154.
	B.		
CXCIV.	Benedictus XI.	1303.	1304.
CXCIII.	Bonifacius VIII.	1294.	1303.
	C.		
CLXV.	Cœleſtinus II.	1143.	1143.
CLXXV.	Cœleſtinus III.	1191.	1198.
CLXXIX.	Cœleſtinus IV.	1241.	1241.
CXCII.	Cœleſtinus V.	1294.	1294.
CLXXIV.	Clemens III.	1187.	1191.
CLXXXIII.	Clemens IV.	1265.	1268.
	E.		
CLXVII.	Eugenius III.	1145.	1153.
	G.		
CLXXIII.	Gregorius VIII.	1187.	1187.
CLXXVIII.	Gregorius IX.	1227.	1241.
CLXXXIV.	Gregorius X.	1271.	1276.

¶ 3 CLXIX.

Digitized by Google

	H.		
CLXIX.	Hadrianus IV.	1154.	1159.
CLXXXVI.	Hadrianus V.	1276.	1276.
CLXXVII.	Honorius III.	1216.	1227.
CXC.	Honorius IV.	1285.	1287.
	I.		
CLXXVI.	Innocentius III.	1198.	1216.
CLXXX.	Innocentius IV.	1243.	1254.
CLXXXV.	Innocentius V.	1276.	1276.
CLXXXVII.	Ioannes XX dictus XXI.	1276.	1277.
	L.		
CLXVI	Lucius II.	1144.	1145.
CLXXI	Lucius III.	1181.	1185.
	M.		
CLXXXIX.	Martinus IV.	1281.	1285.
	N.		
CLXXXVIII.	Nicolaus III.	1277.	1280.
CXCI.	Nicolaus IV.	1288.	1292.
	U.		
CLXXII.	Urbanus III.	1185.	1187.
CLXXXII.	Urbanus IV.	1261.	1264.

Digitized by Google

Index Chronologicus

PONTIFICUM ROMANORUM

Qui in hoc Tertio Tomo continentur, quatuor Columnis ſicut prior diſtinctus.

CLXV.	Cœleſtinus II.	1143.	1143.
CLXVI.	Lucius II.	1144	1145.
CLXVII.	Eugenius III.	1145.	1153.
CLXVIII.	Anaſtaſius IV.	1153.	1154.
CLXIX.	Hadrianus IV.	1154.	1159.
CLXX.	Alexander III.	1159.	1181.
CLXXI.	Lucius III.	1181.	1185.
CLXXII.	Urbanus III.	1185.	1187.
CLXXIII.	Gregorius VIII.	1187.	1187.
CLXXIV.	Clemens III.	1187.	1191.
CLXXV.	Cœleſtinus III.	1191.	1198.
CLXXVI.	Innocentius III.	1198.	1216.
CLXXVII.	Honorius III.	1216.	1227.
CLXXVIII.	Gregorius IX.	1227.	1241.
CLXXIX.	Cœleſtinus IV.	1241.	1241.
CLXXX.	Innocentius IV.	1243.	1254.
CLXXXI.	Alexander IV.	1254.	1261.
CLXXXII.	Urbanus IV.	1261.	1264.
CLXXXIII.	Clemens IV.	1265.	1268.
CLXXXIV.	Gregorius X.	1271.	1276.
CLXXXV.	Innocentius V.	1276.	1276.
CLXXXVI.	Hadrianus V.	1276.	1276.
CLXXXVII.	Joannes XX. dictus XXI.	1276.	1277.
CLXXXVIII.	Nicolaus III.	1277.	1280.

CLXXXIX

Digitized by Google

CLXXXIX.	Martinus IV.	1281.	1285.
CXC.	Honorius IV.	1285.	1287.
CXCI.	Nicolaus IV.	1288.	1292.
CXCII.	S. Cœleſtinus V.	1294.	1294.
CXCIII.	Bonifacius VIII.	1294.	1303.
CXCIV.	Benedictus XI.	1303.	1304.

IMPERATORES

Digitized by Google

IMPERATORES ORIENTIS.

M*Anuel Comnenus* in menſe Aprili anni 1143. ad Septembrem anni 1180.

Alexius Comnenus à menſe Septembri anni 1180. uſque ad finem circiter Septembris anni 1183.

Andronicus Comnenus à Septembri anni 1183. ad initium circiter Septembris anni 1185.

Iſaacius Angelus à die XII Septembris anni 1185. ad medium circiter menſem Maium anni 1195.

Alexius Angelus, dictus *Comnenus* à medio circiter Maio anni 1195. ad annum 1203.

Alexius Angelus Junior eodem anno 1203. menſibus quinque, diebus aliquot.

Alexius Ducas dictus *Murtzuphus* anno 1204. menſibus duobus, diebus ſexdecim.

Conſtantinopoli anno 1204. menſe Aprili à Latinis capta.

Theodorus Laſcaris Nicææ in Bithynia Imperator dictus eſt, & regnavit uſque ad annum 1222.

Ioannes Ducas dictus *Batatzes* ab anno 1222. ad annum 1255.

Theodorus Junior *Laſcaris* ab anno 1255. ad 1258.

Ioannes Laſcaris exiguo tempore anno 1258.

Michaël Palæologus ab anno 1259. ad 1283. ſub quo anno 1261. capta eſt à Græcis Conſtantinopolis die XXV Julii.

Andronicus Junior ſolus ab anno 1283. ad 1328. quo ab Andronico nepote Imperio deturbatus eſt. Vixit uſque ad annum 1332.

FRANCI ORIENTIS IMPERATORES.

Capta, ut jam dictum eſt, à Latinis menſe Aprili anni 1204. Conſtantinopoli.

Balduinus Flandriæ Comes primus Francorum electus eſt Orientis Imperator, coronatus Dominica *Iubilate*, quæ eo anno concurrebat cum die decima ſexta Maii, quia Paſcha, rariſſimo exemplo, inciderat in diem vigeſimum quintum Aprilis. Captus eſt Balduinus à Bulgaris menſe Aprili anni 1205. & occiſus exeunte Julio anni 1206.

Henricus Balduini frater coronatus die 20. Auguſti anni 1206. imperavit uſque ad undecimum Junii anni 1216.

Petrus de Corteniaco Autiſſiodorenſis Comes coronatus Romæ die nona Aprilis anni 1217. paulò poſt à Theodoro Comneno Principe Dyrrachii occiſus eſt.

Iole, ſeu *Iolanta* Balduini & Henrici ſuperiorum Imperatorum ſorore, Petri de Corteniaco uxore anno 1220. mortua, & Philippo Comite Namurcenſi ejus filio majore natu Imperium detrectante.

Robertus Philippi frater regnavit uſque ad annum 1229. quo mortuus eſt.

Balduinus II frater Roberti ſucceſſit ei in Imperium, ſed cum junior eſſet, Joannes Brennenſis olim Jeroſolymorum Rex, Balduini tutor dictus, Imperii adminiſtrationem ſuſcepit, filiam Mariam, ſeu Martham Balduino deſpondit, Imperiumque rexit uſque ad obitum, ſeu uſque ad annum 1237. vel, ut alii volunt, uſque ad annum 1240. Cùmque Balduinus II ſolus imperaſſet uſque ad annum 1261. capta eo anno die 25. Julii à Græcis Conſtantinopoli, fugere coactus eſt, obiitque anno 1273.

Philippus Balduini II filius, ejuſque filia Catharina Correniaca uxor Caroli Comitis Valeſii, titulum Imperii Conſtantinopolitani geſſerunt per aliquot annos.

IMPERATORES
OCCIDENTIS.

Conradus III ab anno 1137. ad diem 15. Februarii anni 1152. Hic licet coronam Imperialem nunquam receperit, dictus eſt tamen Imperator, ſicut ſuperiores & ſequentes antequam coronarentur, quia eo ipſo quo electi erant Reges Germaniæ & Longobardiæ, dicebantur Romanorum Reges & deſignati Imperatores.

Fridericus I dictus *Aenobarbus* ab anno 1152. ad diem 10. Junii anni 1190. coronatus ab Hadriano IV die 18. Junii anni 1155.

Henricus VI à menſe Junio anni 1190. ad exeuntem Septembrem anni 1197. coronatus à Cœleſtino III die 15. Aprilis feria ſecunda Paſchatis anni 1191.

Philippus Sueviæ Dux Henrici VI frater ab anno 1198. ad 1208.

Otto IV poſt Philippi obitum duodecim annis.

Fridericus

IMPERATORES OCCIDENTIS.

Fridericus II anno 1220. die 22. Novembris ab Honorio III coronatus. Eo verò aut depoſito anno 1245. aut mortuo anno 1250. electi ſunt.

Henricus Landgravius Haſſiæ & Thuringiæ anno 1245.

Guillelmus Comes Hollandiæ anno 1247.

Conradus IV Friderici II filius anno 1250.

Richardus Comes Cornubiæ Angliæ Regis frater anno 1257. &

Alphonſus X Caſtellæ Rex qui creatus fuit eodem anno 1257.

Rodulphus I Habſpurgenſis electus anno 1273. imperavit uſque ad annum 1291. nunquam coronatus.

Adolphus Naſſovius ab anno 1292. ad 1298.

Albertus I Auſtriacus ab anno 1298. ad 1308.

¶¶ 2

Index

Digitized by Google

Index Alphabetico-Chronologicus.

PRÆCIPUORUM AUCTORUM,

Qui in hoc Tertio Tomo citantur, quique ante annum 1500. floruerunt.

A.

Clar. an.

Acerbus Morena. 1170.
Adematus. 1030.
Ægidius Aureæ Vallis Monachus. 1150.
Ægidius Romanus ſive Columna. 1296.
Æneas Sylvius. 1450.
Albericus. 1240.
Albertinus Muſſatus. 1320.
Albertus Argentinenſis. 1370.
Albertus Crantzius. 1490.
Albertus Stadenſis. 1260.
Altiſiodorenſis Monachus Chronici Auctor. 1230
Alvarus Pelagius. 1320.
Amalricus Augerii. 1360
S. Antoninus. 1450
Arnoldus Lubecenſis. 1209.
Arnulphus Luxovienſis. 1140.

B

Baptiſta Fulgoſius. 1490.
Bernardinus Corius. 149[illegible].

Clar. an.

Bernardus de Beſſa ſancti Bonaventuræ ſocius. 1276.
Bernardus Guido. 1320.
Bertoldus. 1100.

C

Cæſarius Heiſterbacenſis Auctor dialogorum de miraculis & viſionibus ſuo tempore factis. 1215.
Conradus Urſpergenſis Abbas. 1220.
Coſmas Pragenſis. 1120.

D

Dantes Aligerius poëta Florentinus. 1320.
Dodechinus. 1200.
Donatus Boſſius. 1289.

E

Eberardus Altahenſis ſeu Ratiſponenſis. 1300.

F

Flavius Blondus. 1440.
Florentius Virgornienſis. 1118.

Flori-

INDEX AUCTORUM.

Clar. an.

Florilegus. Vide Matthæus Weſtmonaſterienſis.
Franciſcus Petrarcha. 1340.

G

Galvancus Flamma ſeculo decimo quarto.
Gaufredus Prior Voſienſis. 1180.
Georgius Logotheta 1250.
Georgius Pachymeres. 1280.
Gervaſius Dorobernenſis. 1200.
Giraldus Cambrenſis. 1170.
Godefridus Monachus Colonienſis. 1237.
Gotfridus Viterbienſis. 1170.
Gregorius Decanus Bajocenſis. 1270.
Guillelmus Durandus ſeu Duranti. 1286.
Guillelmus Nangius. 1300.
Guillelmus Neubrigenſis. 1190.
Guillelmus de Podio Laurentii. 1250.
Guillelmus Tyrius. 1174.
Guntherus Poëta Ligurinus. 1190.

H

Haitonus. 1300.
Helmoldus. 1170.
Henricus de Gandavo. 1290.
Henricus Oſtienſis. 1270.
Henricus Rebdorfius. 1360.
Henricus Stero. 1300.
Hermannus Abbas Auctor Chronici Reiſcherſpergenſis. 1195.
Hildebertus. 1097.

Clar. an.

I

Jacobus Bergomas. 1500.
Jacobus de Vitriaco. 1240.
Joannes Andreas ſeu Andreæ. 1340.
Joannes Bocacius. 1340.
Joannes Bromptonus. 1190.
Joannes Ceccanus. 1160.
Joannes Diaconus Junior. 1170.
Joannes Diæſtemius. 1496.
Joannes Haguſtaldenſis. 1150.
Joannes Hocſemius. 1348.
Joannes à Leidis. 1390.
Joannes Longinus. 1480.
Joannes Nauclerus. 1500.
Joannes Saliſberienſis. 1170.
Joannes Thurocſius. 1342.
Joannes Trithemius. 1483.
Joannes Villanius. 1350.
Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana. 1320.
Ivo Carnotenſis. 1092.

K

Krantzius. Vide Albertus Crantzius.

L

Lambertus Schafnaburgenſis. 1077.
Laurentius S. Laurentii Leodienſis Monachus. 1160.
Leonardus Aretinus. 1440.

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM.

M

Clar. an.

Mauroſenſis Annaliſta. 1270.
Marianus Scotus. 1059.
Marinus Ebulus. 1270.
Marinus Sanutus. 1320.
Martinus Polonus. 1277.
Matthæus Paris. 1240.
Matthæus Weſtmonaſterienſis, dictus Florilegus. 1377.

N

Nicephorus Gregoras. 1361.
Nicetas Choniata. 1306

O

Odo de Diogilo. 1150.
Odoricus de Portu Naon ſeu Forojulienſis. 1330.
Otto à S. Blaſio. 1210.
Otto Friſingenſis. 1150.
Otto Morena. 1160.

P

Petrus de Alliaco. 1410.
Petrus Bleſenſis. 1160.
Petrus Paludanus. 1330.
Petrus Valliſernenſis. 1210.
Ptolomæus Lucenſis. 1340.

R

Rabanus Maurus. 847.
Radevicus Canonicus Friſingenſis. 1160.
Radulphus de Diceto. 1190.
Radulphus Tungrenſis. 1390.
Raphaël Volaterranus. 1500.
Ricardus à S. Germano. 1243.
Ricordanus Maleſpina. 1282.
Rigordus. 1220.

Clar. an.

Robertus Gaguinus. 1480.
Robertus de Monte. 1210.
Rodericus Toletanus. 1203.
Rogerius Hovedenus. 1200.
Romualdus Salernitanus. 1177.

S

Saxo Grammaticus. 1200.
Siffridus Petrus ſeu Miſnenſis.

T

1307.

Theodoricus Vallicolor. 1270.
Theodorus Balzamon. 1190.
Thomas Walſinghamus. 1440.

V

Vincentius Bellovacenſis. 1244.

W

Wernerus Rollevinc Auctor Faſciculi Temporum. 1480.

Anonymi.

Auctor Magni Chronici Belgici. 1474.
Auctor Faſciculi Temporum. Vide Wernerus Rollevinc.
Auctor Chronici Foſſæ novæ. 1215.
Auctor Chronici Mailroſenſis definit anno 1270.
Auctor Chronici Mauriniacenſis definit anno 1150.
Auctor Memorialis Hiſtoriarũ. 1320.
Auctor Anonymus Monachus Paduanus definit anno 1270.
Martini Poloni Continuator. 1285.
Auctor Chronici Reicherſpergenſis Vide Hermannus Abbas.

Index

Index Alphabetico-Chronologicus.

EORVNDEM AVCTORVM.

Per cognomina.

A

Aligerius Dantes Poëta. 1320.
de Alliaco Petrus. 1410.
Alrahenſis ſeu Ratiſponenſis Eberardus. 1300.
Andreas ſeu Andreæ Joannes. 1340.
Aretinus Leonardus. 1440.
Argentinenſis Albertus. 1370.
Augerius Amalricus. 1360.
Aureæ Vallis Monachus Ægidius. 1150.

B

Bajocenſis Decanus Gregorius. 1270.
Balzamon Theodorus. 1190.
Bellovacenſis Vincentius. 1244.
Bergomas Iacobus. 1500.
de Beſſa Bernardus. 1276.
de Sancto Blaſio Otto. 1210.
Bleſenſis Petrus. 1160.
Blondus Flavius. 1440.
Bocacius Joannes. 1340.
Boſſius Donatus. 1289.
Bromptonus Joannes. 1190.

C

Cambrenſis Giraldus. 1170.
Carnotenſis Ivo. 1092.
Ceccanus Joannes. 1160.
Choniata Nicetas. 1300.
Colonienſis Monachus Godefridus. 1237.
Corius Bernardinus. 1495.
Crantzius Albertus. 1490.

D

Diæſtemius Joannes. 1496.
de Diceto Radulphus. 1190.
de Diogilo Odo. 1150.
Dorobernenſis Gervaſius. 1200.
Durandus ſeu Duranti Guillelmus 1286.

E

Ebulus Marinus. 1270.

F

Flamma Galvancus ſeculo decimo quinto.
Florilegus, vide Weſtmonaſterienſis.
Friſingenſis Otto. 1150.
Fulgoſius Baptiſta. 1490.

G

Gaguinus Robertus. 1480.
de Gandavo Henricus. 1290.
à S. Germano Ricardus. 1243.
Grammaticus Saxo. 1200.
Gregoras Nicephorus. 1361.
Guido ſeu Guidonis Bernardus. 1320.

Haguſtal-

INDEX AUCTORUM.

H

Haguſtaldenſis Joannes. 1150.
Heiſterbatenſis Cæſarius. 1215.
Hocſemius Joannes. 1348.
Hovedenus Rogerius. 1200.

K

Krantzius, vide Crantzius.

L.

de Leidis Joannes. 1390.
Ligurinus Poëta Guntherus. 1190.
Legotheta Georgius. 1250.
Longinus Joannes. 1480.
Lubecenſis Arnoldus. 1209.
Lucenſis Ptolomæus. 1340.
Luxovienſis Arnulphus. 1140.

M.

Maleſpina Ricordanus. 1282
Maurus Rabanus. 847.
de Monte Robertus. 1210.
Morena Acerbus. 1170.
Morena Otto. 1160.
Muſſatus Albertinus. 1320.

N.

Nangius Guillelmus. 1300.
Nauclerus Joannes. 1500.
Neubrigenſis Guillelmus. 1190.

O.

Oſtienſis Henricus. 1270.

P.

Pachymeres Georgius. 1280.
Paludanus Petrus. 1330.
Paris Matthæus. 1240.
Pelagius Alvarus. 1320.
Petrarcha Franciſcus. 1340.
de Podio Laurentii Guillelmus. 1250.
Polonus Martinus. 1277.

Pragenſis Coſmas. 1120.

R.

Rebdorfius Henricus. 1360.
Reicherſpergenſis Chronici Auctor Hermannus Abbas. 1195.
Rollevvinc Wernerus Auctor faſciculi Temporum. 1480.

S.

Salernitanus Romualdus. 1177.
Salisberienſis Joannes. 1170.
Sanutus Marinus. 1320.
Schafnaburgenſis Lābertus. 1077.
Scotus Marianus. 1059.
Stadenſis Albertus. 1260.
Stero Henricus. 1300.
Sylvius Æneas. 1450.

T.

Thurocſius Joannes. 1342.
Toletanus Rodericus. 1203.
Trithemius Joannes. 1483.
Tungrenſis Radulphus. 1390.
Tyrius Guillelmus. 1174.

V.

Vallicolor Theodoricus. 1270.
Valliternenſis Petrus. 1210.
Vigornienſis Florentius. 1118.
Villanius Joannes. 1350.
Viterbienſis Gotfridus. 1170.
de Vitriaco Iacobus. 1240.
Volaterranus Raphaël. 1500.
Voſienſis Prior Gaufredus. 1180.
Urſpergenſis Conradus. 1220.

W.

Weſtmonaſterienſis Matthæus, dictus etiam Florilegus. 1377.
Walſinghamus Thomas. 1440.

BREVIA-

BREVIARIUM GESTORUM PONTIFICUM ROMANORVM.

COELESTINUS II *Pontif.* CLXV.

Anno Domini MCXLIII.

SEC. XII.

I. *Cœleſtinus II ſubrogatur Innocentio II.*

JUſtis Innocentio II perſolutis, Guido, natione Tuſcus, presbyter Cardinalis Sancti Marci, legitimis, pacificisque Cardinalium ſuffragiis, Clero ac populo Romano acclamante, tertia die electus eſt, ſcilicet die vigeſima ſexta Septembris, quæ cùm anno milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio dominicalis fuerit, eadem pariter die videtur ordinatus & inthronizatus, ac dictus Cœleſtinus hujus nominis II. Hæc conſtant ex Epiſtola quam ipſemet Cœleſtinus ſcripſit ad Cluniacenſes, qua ipſos certos facit de ſua electione, quæ data eſt Laterani VIII. Idus Novemb. quæque ex Tomo IV. ſpicilegii Dacheriani translata eſt in Tomum X. Conciliorum. In ea enim ait: *Notum facimus dilectioni veſtræ, quod Domino noſtro bonæ memoriæ Papa Innocentio VIII Kal. Octob. defuncto, & in Lateranenſi Eccleſia cum maxima Cleri ac populi Romani frequentia tumulato; Cardinales, presbyteri & Diaconi, unà cum fratribus noſtris Epiſcopis & ſubdiaconis, clero ac populo Romano acclamante, partim & expetente, tertia die in ipſa Eccleſia unanimi voto & pari conſenſu, me indignum & prorsùs tanti officii imparem, neſcio quo Dei judicio, in Romanum Pontificem concorditer elegerunt.*

II. *Ejus primordia, genus & virtutes.*

Cœleſtinus cùm literarum ſtudiis à pueritia vacaſſet, tantum profecit, ut *Magiſter de Caſtello* communiter appellaretur, ex quo plurimi, inter quos Onuphrius Panuinius, inferunt, eum fuiſſe nobilis familiæ de Caſtellis.

SEC. XII. COELESTINUS II. ſtellis. Certè eum nobili familia progenitum, diſertè aſſerit Chronographus Mauriniacenſis, qui narrata Innocentii II morte, ait: *Cujus honori ſubrogatus eſt Cæleſtinus, qui alio nomine Magiſter Guido de Caſtellis nominatus eſt. Hic verò prælatione illa digniſſimus erat, quoniam ei tria, quæ inter homines pene habentur præcipua, ſimul confluxerant, celebremque magiſtrum reddiderant. Nobilitas ſcilicet generis, mentis induſtria in omni ſtatu æqualis, literarum quoque, quarum doctrinæ intentiſſimus fuit, ſcientia multiformis.* Diſcipulus enim fuerat Petri Abaëlardi Philoſophorum ſui temporis facile principis. A Calliſto II ſecundum quoſdam, ab Honorio verò II ſecundum alios Cardinalis creatus, Rector Beneventanæ civitatis ab Innocentio II declaratus eſt, indeque revocatus, Legationis munere in Gallis functus, tandem Innocentio mortuo ſubrogatus eſt.

III. *Ejus electio fuit pacifica.* Cœleſtino electionem pacificam, quæ ab Alexandri II tempore viſa non fuerat, gratulatus eſt Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis Epiſtola 17. libri 5. In eo autem laudat, quod eum Pontificem *non humanus faſtus, non ſibi providens humana cupiditas, non Romanus turbo ſæpe auditus, orbemque terrarum ſuo impulſu ſæpe concutere ſolitus, effecit; ſed adverſa pacificans, diverſa uniens, diſciſſa redintegrans ſpiritus ille qui ubi vult ſpirat .... quis autem*, inquit, *hoc non miretur, à tempore Alexandri II Papæ, per Gregorium, Vrbanum, Paſchalem, Galaſium, Calliſtum, Honorium, Innocentium, ſummos Eccleſiæ Dei ac præclaros Pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, Eccleſiaſticam pacem pertranſiſſe, ſed in nullo eorum præter vos quieviſſe.* Eidem Cœleſtino de adepto Pontificatu gratulatus eſt Arnulphus Luxovienſis Epiſcopus Epiſtola, quæ ut ſuperius dictum eſt extat Tomo 2. Spicilegii Dacheriani.

IV. *Cœleſtinus Franciæ regnum interdicto abſolvit.* Franciæ regnum ab Innocentio II interdicto fuiſſe ſuppoſitum diximus in ejus Pontificatu, illudque interdictum uſque ad Cœleſtinum II perduraſſe; quo ad Apoſtolicam ſedem evecto, Ludovicus VII Francorum Rex Legatos ad pacem ineundam ad eum miſit, & inter eos pax eſt conſtituta, ut diſertè aſſerit Chronographus Mauriniacenſis, qui Cœleſtini II electione narrata, ait: *Ad hunc Rex noſter* (ſcilicet Ludovicus VII) *Legatos pro pace ineunda miſit, quam ita dulciſſima impetratione obtinuerunt, ut in conſpectu illorum, multorumque nobilium, quorum frequentia Romæ fremere ſolet, benignè adſurgeret, manuque elevata ſignum benedictionis contra regionem hanc faciens, ipſam à ſententia interdictionis abſolveret.* Accuratè itaque pſeudo-Robertus de Monte ad annum 1143. ſcribit: *Pax reformatur inter Papam & Regem Ludovicum*, & rectè etiam Radulphus de diceto in Abbreviat. Chron. pag. 509. ait, interdictum *per triennium duraſſe.*

V. *Concilium Londinenſe ad Innocentii II pontificatum retrahendum.* Conciliorum Collectores, Natalis Alexander Sec. XI & XII cap. 2. art. 6. Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, & Joannes Palatius ſcribunt, Cœleſtinum Apoſtolicæ Sedis Legatione ornaſſe Henricum Wintonienſem Epiſcopum, qui Synodum celebravit Londoniæ, præſente Ste-

Stephano Rege, in qua excommunicationis ſententia in eos lata eſt, qui Eccleſias aut cœmeteria violarent, aut manus violentas in clericos, vel Monachos mitterent, abſolutione veri Romano Pontifici reſervata, quam in rem citant Rogerium Hovedenum in Annalibus Anglicanis. Sed cum Rogerius diſerte ſcribat, hoc Concilium Londonienſe *anno milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio, qui erat annus octavus Regis Stephani in media quadrageſima* celebratum eſſe, referendum eſt ad pontificatum Innocentii II, qui, ipſis fatentibus, obiit die tantum vigeſima quarta menſis Septembris ejuſdem anni, ideoque Henricus Wintonienſis Epiſcopus non à Cœleſtino II, ſed ab Innocentio II Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus in Anglia conſtitutus, ſub eodem Pontifice Concilium illud Londinenſe celebravit, & quidem mediante Quadrageſima anni MCXLIII, quo currebat annus octavus Stephani Angliæ Regis, electus enim fuerat & conſecratus Rex menſe Decembri anni MCXXXV. *SEC. XII. COELESTINUS II.*

VI. *Cœleſtini II PP. obitus.*

Cum certum ſit Cœleſtinum II die vigeſima ſexta menſis Septembris anni MCXLIII Pontificem Romanum creatum, & ex codice Vaticano à Baronio laudato, ex Martino polono, Abbate Urſpergenſi in Chronico, ex Auctore Magni Chronici Belgici pag. 168. & tandem ex octavo ex catalogis Criticæ Baronianæ præfixis conſtet, eum ſediſſe *menſibus quinque & diebus decem & tribus*, certum pariter eſſe debet, eum mortuum eſſe, non VIII Idus Martii, ut per errorem legitur in laudato codice Vaticano, ſed VII Idus Martii, ſeu die nona Martii anni milleſimi centeſimi quadrageſimi quarti, ut legitur apud Onuphrium & Sigonium, quos veriſimile eſt codicem illum Vaticanum legiſſe. Ceccanus in Chronico & Catalogus ſeptimus Criticæ Baronianæ, qui habent, Cœleſtinum ſupra menſes quinque ſediſſe dies quatuordecim, diem ſepulturæ, ſeu diem decimum Martii in Summam conferunt. Sepultus eſt autem in Eccleſia Lateranenſi, ut in eodem codice Vaticano legitur.

LUCIUS II *Pontif. CLXVI.*

Anno Domini MCXLIV.

I. *Lucius II fit Pontif. Rom.*

COEleſtino II ad ſuperos tranſlato, poſt triduum Cardinales convocati Gerardum Caccianimicum, civem Bononienſem, quem Honorius II ex Canonico Regulari Cardinalem crearat, ſublegêre, eumque conſecratum Lucium ſecundum appellarunt, inquit Sigonius lib. XI de Regno Italiæ, quod & Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico etiam habet, aſſerens eum renunciatum Pontificem quarto Idus Martii, ſeu die XII Martii, & conſecratum proxima dominica; ſed cum dies XII Martii anno MCXLIV in dominicam inciderit, ejus electionem & conſecrationem eadem die peractas exiſtimat Annotator Baronii. Eum autem fuiſſe

SEC. XII. LUCIUS II Canonicum Regularem Sancti Auguſtini, & presbyterum Cardinalem, in ejus morte videbitur. Ab Innocentio autem II, poſt mortem Himerici dictus fuerat Sedis Apoſtolicæ Cancellarius.

II. *Legatos in Galliam & Angliam mittit.* De Lucio II hæc habet Chronographus Mauriniacenſis pag. 387. poſtquam de morte Cœleſtini II locutus eſt: *Quo ergaſtulo carnis exuto, ſubſtitutus eſt in Papam Lucius, Girardus de Sancta Cruce, qui & ipſe ſtrenuiſſimus erat; ſed & morte citius praoccupatus eſt. Hic diverſarum Eccleſiarum ſtatui conſulere volens, duos Legatos à latere ſuo mittere curavit, Albericum Oſtienſem in Franciam, Haimerum Tuſculanenſem in Angliam.* Haimerum tamen, ſeu Ymerum, ex Monach. Cluniacenſi Sancti Martini à Campis, priorem Caritatis ad Ligerim, ac dein Abbatem monaſterii novi apud Pictavos, Cardinalem ab Innocentio II creatum, & Tuſculanenſis Eccleſiæ titulo decoratum, poſt legationem anno MCXLIV obitam in Anglia, in qua ad ſubvertendum judicium nullis potuit pecuniis expugnari, ut legitur in Chronico Cluniacenſi, eodem anno è legatione Anglica ad Gallicanam cum Alberico Oſtienſi peragendam, à Lucio II translatum eſſe, eruit Annotator Baronii ex literis Lucii Papæ ad Sanctum Bernardum Claravallenſem Abbatem datis Laterani XIII Kalend. Decemb. in quibus ait, ſe accepiſſe Guillelmum Nivernenſem Comitem, contra ſedis Apoſtolicæ auctoritatem, à Pontio Vezeliacenſi Abbate exigere, ut de qualibet querimonia cum hominibus ſuis in Curia ſua reſpondeat, & ſubdit: *Ideoque per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatinus eumdem Comitem ex noſtra parte diligenter commoneas, ut pro B. Petri reverentia, cujus juris idem monaſterium eſſe dinoſcitur, ab hujuſmodi exactione deſiſtat, aut in præſentia venerabilium fratrum noſtrorum A. Hoſtienſis, & J. Tuſculanenſis Epiſcoporum, Apoſtolica Sedis Legatorum, juxta tenorem Sedis Apoſtolica privilegiorum, quod juſtitia dictaverit, ab eodem Abbate recipiat.* Ex quibus deducitur Ymarum, ſeu Imarum menſe Novembri anni MCXLIV Sanctæ Sedis Legatum in Francia extitiſſe. Hæc Epiſtola extat Tomo X Concil. eſtque ultima Lucii II.

III. *Willelmo Eboracenſi electo Pallium mittit.* Turſtino Archiepiſcopo Eboracenſi anno MCXL defuncto, factum eſt ſchiſma in Eccleſia Eboracenſi pro electione novi Archiepiſcopi; à quibuſdam enim electus eſt Willelmus ejuſdem Eccleſiæ Theſaurarius, & ab Henrico Wintonienſi Epiſcopo conſecratus; ceteri verò Canonicorum elegerunt Henricum Murdach Fontanenſem Abbatem. Willelmus pro petendo ſolemniter pallio Legatos Romam direxit, ſed, agente præcipuè Sancto Bernardo, qui falſa deceptus inſinuatione eorum, quorum exiſtimatio apud ſe haud dubiæ fidei eſſet, Willelmum in ſuis literis non ſemel *intruſum* vocavit, pallium neque ab Innocentio II, neque à Cœleſtino II ejus ſucceſſore obtinere potuit, Eccleſiæ tamen Eboracenſi ſemper præfuit. Sed Lucio II in ſede Apoſtolica conſtituto, ut ſcribit Joannes Prior Haguſtaldenſis in Hiſtoria, *Hincmarus*, vel rectius Yma-

rus,

rus, *Epiſcopus Cardinalis directus ab Apoſtolico Lucio Legatus venit in Angliam habens pallium Willelmo Archiepiſcopo deſtinatum. Moram autem fecit per negligentiam idem Willelmus occurrere ei, circa alia minus neceſſaria occupatus, ut conſuetudinem habuit.* Utrum revera Ymarus pallium non dederit Willelmo propter negligentiam ejus, quia ſcilicet ei occurrere neglexit, vel quia Sanctus Bernardus id impedivit, in obſcuro eſt; ſed illud certò conſtat, ſanctum illum Abbatem hæc ſcripſiſſe in Epiſtola 360. aliàs 380. ad Willelmum Abbatem de Rievallis: *Laboravimus quantum potuimus adversùs peſtem communem* (ideſt Willelmum electum Eboracenſem) *& ſi quominus impetravimus, quod optavimus, manet tamen fructus laboris noſtri apud Deum, apud quem nullum bonumirremuneratum eſt.* Poſt aliqua interpoſita ſubdit: *Nos tamen quod potuimus ſuggeſſimus domino Tuſculano Epiſcopo* (nempe Ymaro in Anglia Legato) *cui injunctum eſt, ut legatione fungatur in partibus illis: & omninò promiſit nobis, id ſaltem omnimodo obſervaturum, ne tradat ei pallium, quod portat, ſi non juraverit Decanus ille* (nempe Eboracenſis) *nunc verò Epiſcopus* nempe Dunelmenſis) *in cujus juramento cauſa pendebat: ſed cauſam referat ad Dominum Papam.* Tandem Willelmum ab Eugenio III dignitate motum, ſed ab Anaſtaſio IV, cognita ejus innocentia in eam reſtitutum ſuis locis videbitur. SEC. XII. Lucius II

IV. *Monaſterium Rom. S. Sabæ Cluniacenſibus concedit*

Cum in monaſterio Sancti Sabæ à Gregorio Magno fundato, religio lapſa eſſet, mores corrupti & poſſeſſiones diſtractæ, Lucius II ex monaſterio Cluniacenſi, quod tunc *Religionis Monaſticæ ſpeculum, & in Galliarum partibus documentum* erat, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ordine V, Monachos ad ſe mitti juſſit, & idem Sancti Sabæ monaſterium eiſdem & ſucceſſoribus in perpetuum ſubjecit Epiſtola ordine VI, cujus ſubſcriptio notatu digna, cum ex ea nobis innoteſcat Lucium uſum eſſe anno Incarnationis à die XXV Martii inchoato, quod & poſtea in uſu fuit: *Datum Romæ per manum Baronis S. R. E. Subdiaconi XVI Kal. Februarii, indict. VIII, Incarnat. dominicæ anno MCXLIV, Pontificatûs verò Domini Lucii II Papæ anno primo.* Character indictionis junctæ cum menſe Januario certò deſignat annum milleſimum centeſimum quadrageſimum quintum, & tamen Lucius vocat eum milleſimum centeſimum quadrageſimum quartum, quia ſcilicet annum MCXLV, die tantum XXV. menſis Martii inchoare debebat.

V. *Sub Lucio II Luſitania Eccleſiæ Rom. Vectigalis redditur.*

Alphonſum Portugalliæ Regem provinciam ſuam, ſedente Lucio II Romano Pontifici vectigalem conſtituiſſe annuo cenſu unciarum auri quatuor, Baronius ſcribit, teſtari Innocentium Papam tertium Epiſtola centeſima libri primi Epiſtolarum ejus. Sed Baluzius poſt Baronii mortem Alphonſi & Lucii II Epiſtolas edidit Tomo 2. Miſcellaneorum, ex quibus conſtat, Alphonſum ea conditione ducatum ſuum tributarium reddidiſſe, ut defenſionem ac ſolatium Apoſtolicæ Sedis haberet, &

SEC. XII. nullam poteſtatem alicujus Eccleſiaſtici, ſecularíſque domini, niſi tan-
Lucius II tum Apoſtolicæ Sedis, vel ipſius Legatorum in terra ſua reciperet. Lucius autem poſt acceptas *Alphonſi Regis*, ut ſe ipſum in iis appellat, literas, ad eum reſpondet, laudatque quod *hominium Papæ Innocentio* fecerit, & dein ſibi per literas promiſerit, & per J. Bracarenſem Archiepiſcopum, *ut tam tu*, inquit, *quam hæredes tui de terra ipſa quatuor uncias auri ſingulis annis Romano Pontifici perſolvatis.* Licet autem Alphonſus ſe Regem inſcribat, à Lucio tamen II *Dux* tantum ſalutatur. Regis verò titulum ſub Alexandro tantum III obtinuit, ut ibidem dicemus.

VI. *Lucius à Romanis vexatus Conradi Regis Rom. patrocinium implorat.*

Romani, qui ſub Innocentii II Pontificatu Senatum reſtituere conati erant, ſub Lucio II Senatoribus Patricium adjecerunt, cui tanquam Principi ſubjicerentur; & rebellantes in Lucium Papam, eumque adeuntes, omnia regalia ejus tam in Urbe, quam extra poſita, ad jus Patricii ſui repopoſcerunt; eumque more antiquorum Sacerdotum, de decimis tantum & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, continua eum afflictione vexarunt. Hæc refert Otto Friſingenſis lib. 7. cap. 31. Ab obitu enim Cœleſtini invaleſcere cœpit iſtiuſmodi rebellio, eademque hæreſis dicta *Politicorum*, ſeu *Arnaldiſtarum* ab Arnaldo de Brixia ſub Innocentio Papa vulgari cœpta. Sed omnes Romanos non eadem inſania percitos fuiſſe, at complures ex nobilibus familiis pro Pontifice ſtrenue rem egiſſe, conſtat ex literis Arnaldiſtarum ad Conradum Romanorum Regem ſcriptis, quæ extant apud eumdem Ottonem Friſingenſem de Geſtis Friderici lib. 1. cap. 27. quibus ſatagentes eum ad ſe allicere, ſignificarunt ſe iſta ipſius nomine, ac pro honore Imperii facere. Verùm Otto teſtatur, Conradum ejuſmodi illorum næniis aures præbere abnuiſſe; & contrà venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ Legatos, renovationem antiquorum privilegiorum poſtulantes honorificè ſuſcepiſſe, & honeſte dimiſiſſe. Lucius enim Pontifex contra Romanorum tumultus Conradi auxilium imploraverat, ut conſtat ex ejus Epiſtola ordine 2. qua ipſum ad Eccleſiæ Romanæ patrocinium invitat.

VII. *Vitam cum morte commutat.*

In Vaticano codice, quem Baronius laudat, legitur Lucium Papam, cum Romanos ad nova ſtudia concitatos conaretur depellere à Capitolio, incerto lapidis ictu percuſſum eſſe, atque non poſt multos dies ex eo vitam finiſſe. Sed Baronius de hoc ictu lapidis dubitare videtur, addit enim Ottonem Friſingenſem, hujus temporis Auctorem nihil de illo habere, ſed tantum Lucium quotidianis cruciatibus ob ejuſmodi Romanorum rebellionum, vexatum, ac tædio vitæ affectum, diem obiiſſe. Verùm Annotator Baronii obſervat, de illo ictu dubium non poſſe moveri, cum illum pariter referat Gotfridus Viterbienſis hujus etiam temporis Scriptor, qui in Chronico pag. 512. ait: *Lucius ſecundus intendens Senatum extinguere, cum ingenti militia capitolium Romæ conſcendit, ut ſedentes ibi tum Senatores cum dedecore removeret. Senatus autem populuſque Roma-*

Digitized by Google

Romanus ad arma converſus Papam cum ſuis omnibus à Capitolio in momento repellunt, ubi Papa (ſicut tunc audivimus) lapidibus magnis percuſſus, uſque ad obitûs ſui diem, qui proximè ſecutus eſt, non ſedit in ſede, obiit autem hic Pontifex *quinto Kalendas Martii*, ſeu die XXV Februarii anni MCXLV, poſtquam ſediſſet menſes undecim, dies quatuordecim, ut Sigonius, Onuphrius & Baronius ſcribunt. SEC. XII. Lucius II

VIII. *Fuerat Canonicus Regularis ord. S. Auguſtini.*

Joannes Diaconus Junior, Baſilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranenſis Canonicus in libro de Eccleſia Lateranenſi ſæpius laudato, apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici, verba faciens de Lucio II, ait: *Retro ſub abſida eſt altare ſanctorum Chryſanti & Dariæ, in quo recondita olim fuerant eorum pretioſa corpora, &c. In eadem parte ſunt ſepulturæ Apoſtolicorum, in quibus ſanctæ recordationis Lucius Papa II. Hic vixit in canonicali propoſito longo tempore in Eccleſia iſta, atque hinc aſſumptus presbyter Cardinalis ordinatus eſt in Eccleſia ſanctæ crucis in Jeruſalem, quam de ruinis à fundamento, præclaro & admirando opere renovavit, atque ad normam religionis ſecundum beati Auguſtini regulam informatam, ante Apoſtolatum multis poſſeſſionibus ditavit. Sed & iſtam Eccleſiam, aſſumptionis ſuæ memor & priſtinæ converſationis, per omnia dilexit, magniſque beneficiis honoravit,* quæ ibidem poſtea ſigillatim enumerantur. Fuerat itaque Lucius II Canonicus Regularis Ordinis Sancti Auguſtini.

EUGENIUS III *Pontif. CLXVII.*

Anno Domini MCXLV.

I. *Eugenius III. eligitur Papa.*

Cum Senatus, populuſque Romanus, poſt mortem Lucii II tumultuaretur, & ex eligendi mora Pontificis periculum Eccleſiæ immineret, Cardinales convenientes in proximam Eccleſiam monaſterii Sancti Cæſarii, illic Dei nutu, contra morem decreto Synodi ſub Stephano III anno DCCLXIX celebratæ inductum, de quo Tomo ſuperiori locuti ſumus, extra ſuum Collegium elegerunt Petrum Bernardum, natione Piſanum, Monachum Ciſtercienſem, Sancti Bernardi Claræ vallenſis Abbatis diſcipulum, Abbatem monaſterii SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias, Trium fontium dicti, quod ſecundo ab urbe lapide jacet inter Oſtienſem & viam Ardentinam, eidem pridem ſub Innocentio II Papa præfectum à S. Bernardo, virum probitate inſignem, & prudentia in negotiis abeundis locupletem; eumdemque ad Lateranenſe palatium deducentes collocarunt in Sede Apoſtolica, & Eugenium tertium nuncuparunt, tertio Kalendas Martii, ut rectè ſcripſêre Onuphrius Panuinius & Sigonius.

II. *Româ fugit & in monaſterio Farfenſi conſecratur.*

Cum Eugenius III proxima dominica, ſeu die quarta menſis Martii conſecrationem apud Sanctum Petrum ex more ſuſcipere pararet, præ-

cognito

Digitized by Google

SEC. XII. EUGENIUS III.

cognito Arnaldiſtarum Sanatorum perverſo conſilio, qui ejus electionem violenter retractare diſpoſuerant, niſi eis uſurpatum Senatum Apoſtolica auctoritate confirmaret, fugam cum Cardinalibus capeſſere coactus eſt, & nocte inter primum & ſecundum diem menſis Martii Româ exiit, ac ad monaſterium Farfenſe perrexit, ubi eadem die quarta Martii, quâ Romæ conſecrari debebat, ordinatus eſt. Anonymus enim Caſſinenſis, Lucii II Papæ morte, & Eugenii electione narratis, ait: *Qui tertio die ſua electionis nocte cum omnibus Cardinalibus & Epiſcopis Româ egreſſus fugit, & apud Farnenſem* (ſeu, farfenſem Abbatiam, quæ eſt monaſterium Ordinis Benedictini in territorio Sabinenſi ſitum, XXV tantum paſſuum millibus Româ diſtans) *Abbatiam Pontifex conſecratus*, & quidem die quarta Martii in Dominica, ut diſerte narrat Otto Friſingenſis lib. 7. chron. cap. 31. de Eugenio ſcribens: *Hic in principio dignitatis ſuſceptæ, eo quod auctore Arnaldo, populus ad tradenda Urbis regalia, ſicut anteceſſores ſuos, ita ipſum ſollicitare vellet, cum Epiſcopis & Cardinalibus Urbe cedit, ac proxima Dominica in monaſterio Farfenſi, conſecratione Pontificali ob perſecutionis immanitatem morem mutans, ſublimatur.* Annales itaque Monaſterii Waverleii Ordinis Ciſtercienſis, qui nuper in Anglia publicati ſunt Tomo 2. collectionis Oxonienſis, accurate tradunt, Eugenium fuiſſe ordinatum *prima hebdomada menſis Martii* anni MCXLV, quod idem legitur in Chronico Normanniæ à Ducheſnio in fine Hiſtoriæ Orderici edito.

III. *Majori monaſterio Turonenſi privilegium concedit.*

Eugenius Pontifex è Farfenſi monaſterio ad civitatem Caſtellanam venit, ibique quinto Idus Aprilis dedit privilegium pro libertate Eccleſiæ majoris monaſterii Turonenſis Sancti Martini, directum Garnerio Abbati, quod extat in ſecunda Appendice ad Hiſtoriam Gregorii Turonenſis editionis Pariſienſis anni 1610. *datum apud civitatem Caſtellanam per manum Roberti S. R. E. presbyteri Cardinalis & Cancellarii V Idus April. Indictione VIII Incarnationis dominicæ anno MCXLV Pontificatûs vero Domini Eugenii III anno primo.* Huic privilegio præter Eugenium Papam ſubſcripſerunt ſex presbyteri Cardinales, poſtea tres Epiſcopi Cardinales hoc modo: *Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus SS. Ego Theodevuinus :.. .... Sanctæ Rufinæ Epiſcopus. Ego Petrus Albanenſis Epiſcopus SS.* Tandemque ſubſcribunt decem Diaconi Cardinales. Odoricus Raynaldus ad annum 1307. num. 23. refert diploma Clementis V, cui primo loco ſubſcribunt ſeptem Presbyteri Cardinales, poſtea quinque Epiſcopi etiam Cardinales, & tandem tres Diaconi Cardinales. Quod hîc obſervare placuit, ut conſtaret, non immeritò in Præfatione hujus operis num. XII dictum eſſe, ex hac, primo, vel ſecundo loco ſubſcribendi conſuetudine, nullam inter ſe Cardinalium inter ſe ſuperioritatem inferri poſſe, nec conſequenter Epiſcoporum ſupra Cardinales; cum præſertim in utroque diplomate Epiſcopus Sabinenſis ſubſcribat ante Portuenſem, qui Sabinenſi erat anterior;

Digitized by Google

riot; imò in ultimo idem Sabinenſis ſubſcribat ante Oſtienſem, qui, omnibus fatentibus, erat primus inter Epiſcopos Cardinales. Hic porrò non omittendum in diplomate Eugenii legendum eſſe: *Ego Theodevuinus Portuenſis & S. Rufinæ Epiſcopus*, ſicut in diplomate Alexandri III apud Baronium anno 1127. cum alibi dixerimus Calliſtum II S. Rufinæ, ſeu Silvæ Candidæ Epiſcopatum, propter incolarum defectum, Epiſcopatui Portuenſi adjunxiſſe ſub Petro Epiſcopo Cardinali Portuenſi, cujus tamen unionis nec Baronius die 2. Junii in notis ad Martyrologium Romanum, nec Ciaconius in eodem Petro Portuenſi Cardinali à Paſchale II creato, aliquam probationem adducunt. SEC. XII. EUGENIUS III.

IV. *Suſcipit Legatos Armeniorum Catholici de ejus erga ſedem Rom. ſubjectione.*

Inde, nempe è civitate Caſtellana, Eugenius Papa Viterbium perrexir, ibi Paſcha celebravit, ibique ad finem circiter ejuſdem anni MCXLV demoratus eſt, quod conſtat ex eodem Anonymo Caſſinenſi, qui poſt verba mox laudata ſubdit de Eugenio: *Et apud Biteruum* (id eſt Viterbium) *Paſcha celebrans, ibique per octo menſes remoratus, demum eum Romanis paciſcens Romam reverſus eſt.* Dum Viterbii moraretur Pontifex, ad eum ex Armenia & Syria legationes directæ ſunt. Otto enim Friſingenſis lib. 7. cap. 31. & ſeqq. tradit, dum ipſe apud eumdem Pontificem Viterbii ageret, Legatos Armeniorum Epiſcoporum, eorumque Metropolitani, quem *Catholicum*, ideſt Univerſalem vocabant propter immenſum amplius mille Epiſcoporum numerum, quem ſub ſe haberet, adveniſſe ad Eugenium, eique ex parte illius Eccleſiæ ſubjectionem omnimodam offerentes, cauſas viæ has aperuiſſe; nimirum quod cum inter ipſos & Græcos, quædam in ſacris ritibus diſcrepantia eſſet, dum licet in conficienda Euchariſtia pane fermentato, ſicut illi, uterentur, tamen aquam vino non admiſcerent, ſicut nos & illi; ac prætcrea nativitatem Domini Epiphaniam continuantes, duas illas feſtivitates unam facerent: de his, & aliis, inter ſe diſſentientes, Romanam Eccleſiam judicem elegiſſent, à qua formam ſacrificii juxta conſuetudinem ejus ſibi tradi depoſcerent. Itemque quod eſſent in confinio Armeniæ quædam gentes, quæ fœtus ſuos, fœtentes generarent, ſed ad aquas Armeniorum lavandi transmiſſi, ſtatim ubi baptiſmatis unda tincti eſſent, innatum fœtorem amitterent, qui tamen mox ad cultum paganiſmi redirent. De his quoque quid agendum eſſet, Romanam Eccleſiam Legati conſuluerunt: iidemque à Summo Pontifice diligenter de omnibus inſtructi ſunt. Sed hic obſervandum venit, Combefiſium in Auctario Bibliothecæ Patrum Tomo 2. publicaſſe duas Invectivas *Iſaacii Catholici* contra Armenios, & in Notis ad utramque contendere, Ottonem Friſingenſem à Legatio Armeniæ deceptum quando ſcripſit: *Ponunt enim* (ſcilicet Armeni) *fermentatum panem, ſicut & illi* (nempe Græci): *aquam autem vino non admiſcent, ſicut nos & illi:* conſtantiſſimum enim eſt, inquit Combefiſius, ante

SEC. XII. Sanctum Niconem Armenia oriundum, azyma apud Armenios viguiſſe, EUGENIUS nec poſtmodum abjecta fuiſſe inducto fermento.

III. V. *Armenii divina viſione confirmantur.* Addit autem Otto Friſingenſis, qui aderat, unum ex Legatis Armeniorum, Epiſcopali dignitate inſignitum, in die dedicationis Eccleſiæ Sancti Petri, Eugenio Summo Pontifice divina myſteria ſolemniter celebrante, attentiorem ſacro altari adſtantem, ſicut poſtea cunctis retulit, ſplendido fulgore radium ſolis ſuper caput Pontificis coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes vidiſſe: cumque nullum aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniſſet, divinitus hoc eſſe factum cognoſcentem, ad obedientiam Romanæ ſedis amplius accenſum fuiſſe.

VI. *Eugenius PP. Legatos ex Syria ſuſcipit.* Suſcepit ibidem Eugenius legationem ex Syria; idem enim Otto ibidem ſubdit, ſe eodem tempore vidiſſe Viterbii Epiſcopum Gabulenſem in Syria, cujus præcipuè operâ ad plenum Antiochia Romanæ ſuberat ſedi, tam de Patriarcha ſuo Antiocheno, quam de matre Principis conquerentem, Sediſque Apoſtolicæ auctoritatem implorantem, pro obtinendis decimis ſpoliorum Saracenis ablatorum, exemplo Abrahæ, qui eas Melchiſedecho dedit, tandemque addit: *Audivimus eum* (nempe Syriæ Legatum) *periculum Transmarinæ Eccleſiæ poſt captam Edeſſam lachrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes tranſcendere ad Regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem.* Edeſſam autem, quæ Rohas dicitur, unicum Jeroſolymitanæ Eccleſiæ refugium, nocte Nativitatis Domini anni MCXLIV, à Saracenis captam eſſe, oſtendit Annotator Baronii ad eum Chriſti annum.

VII. *Expeditionem ſacram contra Turcas indicit.* Quare Eugenius, dum *Kalendis Decembris Vetralla*, quod oppidum eſt non longè à civitate Viterbienſi ſitum, ageret, literis ad Ludovicum VII Francorum Regem datis, ſollicitavit eum ad profectionem in Terram ſanctam ſuſcipiendam, omneſque Principes & univerſos fideles in Galliis conſtitutos, iiſdem literis ad illud bellum ſacrum hortatus eſt: Cruceſignatis plenariam indulgentiam conceſſit, eorum uxores, filios & bona ſub ſedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepit; eos qui ære premebantur alieno, ab uſuris de præterito ſolvendis abſolvit, licentiamque dedit, ut terras, ceteraſque poſſeſſiones ſuas, poſtquam commoniti propinqui aut Domini, ad quorum feudum pertinebant, commodare pecuniam recuſaſſent, Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel aliis quoque fidelibus oppignerare poſſent. Secundùm Eugenii vota de hac contra Turcas expeditione in Galliis actum eſt anno MCXLVI in Concilio apud Vezeliacum celebrato, cujus meminêre Anonymus in Geſtis Ludovici VII Tomo 4. Hiſtoriæ Francicæ, Chronicon Mauriniacenſe, & Odo de Diogilo lib. 1. de profectione Ludovici Regis in Orientem, ubi ait de Eugenio: *Optabat ipſe tam ſancto operi manum primam præſens imponere, ſed tyrannide Romanorum præpeditus non potuit; ſancto vero Claravallenſi Abbati Ber-*

Digitized by Google

Bernardo curam iſtam delegavit. Tandem dies adfuit Regi optatus. Abbas etiam Apoſtolica auctoritate, & propria ſanctitate munitus, & convocatorum maxima multitudo loco & termino pariter affuerunt, (ſcilicet Concilio Vezeliacenſi) *ſuſcepit ergo Rex à Summo Pontifice ſibi miſſum crucis inſigne, & proceres multi cum eo.* De Conventibus Bituricenſi & Carnotenſi pro ea expeditione celebratis legendus idem Odo de Diogilo, & alii Francorum Annaliſtæ.

VIII. *Romanos ad obedientiam reducit, & Romam redit.*

Dum Eugenius Pontifex Viterbii moraretur & pro liberatione Terræ ſanctæ laboraret, Deus expugnavit inimicos ejus, nempe Romanos, quos, ut ſcribit Otto Friſingenſis lib. 7. cap. 31. & 34. Pontifex, percuſſo anathemate Jordane ipſorum Patricio cum ejus fautoribus, adjunctaque Tiburtinis, Romanorum antiquis hoſtibus militia, coercuit, ac demum pacem petere coegit: quæ his conditionibus inita eſt, ut Patriciatûs dignitatem ab ipſis nuper introductam abolerent, & præfectum, quem Pontifices conſtituere conſueviſſent, ipſi verò expuliſſent, in priſtinam dignitatem reciperent, atque Senatores ex Pontificis auctoritate tenerent. Sicque in Urbem Eugenius rediens, ac ingenti omnium lætitia exceptus, Nativitatem Domini anni milleſimi centeſimi quadrageſimi quinti ibidem celebravit.

IX. *Iterum Româ fugere cogitur.*

Sed cum Romani anno ſequenti milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto ſeditionem redintegrantes, rurſum ab Eugenio poſtulaſſent, ut Tibur everteret, & ni quod petebant, impetrarent, vim adhibituros oſtenderent, Eugenius conſilio cum Cardinalibus habito, rursùs Urbe cum eis cedere ſtatuit, Tiburque contendit, indeque prædeceſſorum ſuorum exemplo in Franciam ire conſtituit. Durante hac ſecunda Romanæ urbis ſeditione Sanctus Bernardus Epiſtola 242. tunc 243. Romanos increpavit, & Epiſtola 243. nunc 244. Conradum Romanorum Regem hortatus eſt, ut ſi forte obſtinati perſeverarent, armis compeſcerentur. Quo præcisè tempore Eugenius Româ exierit, & à Lateranenſi Palatio in Tranſtiberinam munitionem ſancti Angeli, ad evitandum inſanum Romanorum furorem, indeque Tiburim ſe receperit, non conſtat, ſed certum eſt id contigiſſe poſt diem decimum menſis Martii; eo enim die Anſelmum Tornacenſem Epiſcopum eodem anno MCXLVI Romæ propriis manibus conſecravit, ut ſtatim oſtendo.

X. *Tornacenſem Epiſcopatum reſtituit.*

Sancto Eleutherio Tornacenſi Epiſcopo, anno circiter DXXXII demortuo, Sanctus Medardus jam Noviomenſis Epiſcopus, Tornacenſis etiam creatus eſt. Verùm Tornacenſes Noviomenſis Epiſcopi jugum excutere & proprium Epiſcopum adipiſci poſtea ſæpe tentarunt. Paſchali II, hoc ſeculo duodecimo ineunte, ſedente, cum de utriuſque Epiſcopatûs diviſione ageretur, Ivo Carnotenſis veritus, ne inde ſchiſma in regno Franciæ oriretur, ſcripſit ad Paſchalem Epiſtolam 238. eumque rogavit, ut ſtatum duarum illarum Eccleſiarum inconcuſſum manere

SEC. XII. EUGENIUS III. conccederet, tum propter rationem jam dictam, tum quia *cùm dignitas Epiſcopalis paupertatem his diebus honeſtè ferre non valeat, providendum eſt*, inquit, *ne iſta diviſione uterque Epiſcopus fiat pauper*. Poſtea Tornacenſes apud Calliſtum II majori ſtudio inſudarunt, ſed hic rogatu Ludovici VI Francorum Regis reſcriptum dedit pro confirmatione unionis utriuſque Epiſcopatûs, à Marloto lib. 2. Hiſt. Metropolis Remenſis cap. 31. relatum. Sed Eugenio III ad ſummum Pontificatum promoto, intermiſſum diu negotium Romæ totis viribus Tornacenſes redintegrarunt, à quo, interceſſore præſertim Sancto Bernardo, voti compotes effecti obtinuere, ut Anſelmus ab eis Epiſcopus electus, ſuis manibus Romæ conſecraretur, quod & factum eſt anno MCXLVI in dominica *Lætare Jeruſalem*, ſeu dominica quarta quadrageſimæ, quæ anno prædicto incidebat in diem decimam Martii. Herimannus enim in Narratione Reſtaurationis Abbatiæ Sancti Martini Tornacenſis num. 113. & ſeqq fusè diſſerit de reſtitutione Epiſcopatus Tornacenſis, aitque, Anſelmum Abbatem Sancti Vincentii Laudunenſis invitum Papæ conſecrandum præſentatum eſſe, *qui obedientia vinculo coactum Dominica Lætare Jeruſalem ſolemniter conſecrat.* Paulò poſt: *Acta eſt conſecratio domini Anſelmi Epiſcopi Romæ anno Incarnat. Verbi Dei MCXLVI, quo anno famès fuit graviſſima, ita ut Tornaci venderetur ſextarius tritici LVI ſolidis. Sicut ergo per Sanctum Medardum dignitatem proprii Epiſcopi perdidimus, dum ipſe curam Epiſcopii Tornacenſis ſibi iniunctam à Clero & Metropolitano tenuit; ita etiam per eumdem libertatem noſtram recepimus, dum Deus proprium nobis paſtorem reſtituens, Monachum Sancti Medardi in Epiſcopum dedit*, nempe Anſelmum. Ipſemet Eugenius in Epiſtola ad eumdem Anſelmum teſtatur, ſe ipſum propriis manibus conſecraſſe, ſeque illum Tornacum tranſmittere ad regendum populum Tornacenſem. In fine legitur: *datum Viterbii IX Kalend. Auguſti, Indict. IX, Incarnat. Dom. anno MCXLVI, Pontificatûs verò Domini Eugenii III Papæ anno* II. Quare falluntur, qui volunt eam conſecrationem peractum anno MCXLV, eò quod Hermannus Monachus de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis lib. 3. cap. 21. de eodem Anſelmo ſcribit: *à Domino Papa Eugenio invitus conſecratus anno MCXLV, Dominica Lætare* Jeruſalem; dicendum enim Hermannum annos Incarnationis à die XXV Martii, vel à Paſchate inchoare, cùm anno MCXLV Dominica Lætare Jeruſalem, quæ cum die XXV Martii concurrebat, Eugenius vel in Farfenſi monaſterio, vel Viterbii degeret, non Romæ, ubi tamen Anſelmum Tornacenſem Epiſcopum conſecravit.

XI. *Remenſem Archiep. pallio privat & quare.* Cum Ludovicus VII Franciæ Rex ante conventum Vezeliacenſem anno MCXLVI celebratum, alium egiſſet in die Natali Chriſti anni MCXLV, in urbe Bituricenſi pro expeditione in Terram Sanctam, in quo juxta morem horum temporum, qui ferebat, ut Franciæ Reges in præ-

SEC. XII. EUGENIUS III.

in præcipuis feſtis coronam ſolemni ritu acciperent, à Samſone Archie-piſcopo Remenſi, *temere* ſibi jus illud uſurpante, Petro Bituricenſi Archiepiſcopo Romæ exiſtente, coronatus fuit, ut legitur in Patriarchio Bituricenſi, Eugenius Papa ob hanc cauſam uſum pallii eidem Samſoni Remenſi interdixit, ut liquet ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad Samſonem data, & in eodem Patriarchio Bituricenſi recitata, ſub *datum Sutrii VII Kal. April.* ſeu die XXV Martii. Id valde diſplicuit S. Bernardo, Samſoni amiciſſimo, qui ſtatim Epiſtolam 247. ad Eugenium dedit, quæ graviter conqueſtus eſt, tam ſeverè animaduerſum ab eo, præſertim cum Samſon nihil præter jus & privilegii tenorem uſurparit, principumque conventus pro expeditione Jeroſolymitana id prorsùs ab eo extorquere videretur. *Quid in arcto illo*, inquit, *fieri oportebat! dies celebris, ſolemnis curia, juvenis Rex: & quod his majus eſt, Dei negotium, de Jeroſolymitana ſcilicet expeditione, propter quod omnes convenerant. Prorſus hæc omnia Miſſarum & corona Regiæ ſolemnis, debitique honoris fruſtrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipſi Bituricenſi Archiepiſcopo omninò expediebat, ut honor Regis per eum impediretur.* Ex his patet deceptum eſſe Baronium, quando ſcripſit, Samſonem pallii uſu privatum, quod Ludovicum Regem in Conventu Carnotenſi coronaſſet, conventus enim ille celebratus eſt anno MCXLVI, *XV die poſt octavas Paſcha*, ut legitur in Epiſtola Sugerii Abbatis Sancti Dionyſii Petro Venerabili data, quæ eſt 19. libri 6. Epiſtolarum ejuſdem Petri, & tamen Epiſtola Eugenii, qua Samſonem pallio privat, data eſt ex dictis die XXVI menſis Martii. Coronatio itaque illa facta fuerat in conventu Bituricenſi, non in Carnotenſi.

XII. *In Franciam pergit.*

Eugenius Pontifex, qui Sutrii erat die XXVI Martii anni MCXLVI, quo die uſum pallii Samſoni Remenſi Archiepiſcopo interdixit, die XXIV Julii Viterbii verſabatur, ut conſtat ex ejus literis ad Anſelmum Tornacenſem Epiſcopum eo die datis, de quibus numero ante ſuperiorem locuti ſumus. Inde Senas venit, ubi teſte Ottone Friſingenſi in Friderico lib. 1. cap. 46. & ſeq. duos Gilberti Porretani, Pictavienſis Epiſcopi Diaconos offendit, qui Epiſcopum ſuum de fide Trinitatis male ſentientem deferebant, quibus ſe in Francia dixit ex Concilii ſententia reſponſurum. Piſas inde, ac trajecto Apennino per menſem Auguſtum Brixiam venit, qua ex urbe X. Kalendas Septembris literas ad Gerardum Epiſcopum Bononiæ dedit, quibus eum docuit, ſe Regienſibus & Parmenſibus præcepiſſe, ne Mutinenſibus adverſùs Abbatem Nonantulanum adeſſent.

XIII. *Honorificè à Rege Ludovico Divione excipitur.*

Inde in Franciam progreſſus, à Ludovico Rege ingenti honore exceptus eſt anno MCXLVII. Anonymus enim Caſſinenſis ad annum MCXLVI, qui nobis eſt MCXLVII, ait: *Idem Papa Burgundiam ingreſſus à Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorificè ſuſceptus eſt.* Tempus ejus adventûs Divionem ſignantius exprimitur in Chronico Divionenſi Tomo

 1. Biblio-

SEC. XII. EUGENIUS III. 1. Bibliothecæ Labbei relato: *MCXLVII. Eugenius Papa & Ludovicus Rex Dominica media quadrageſima fuerunt pariter Divioni, & in craſtino, ſecunda videlicet feria, conſecrata eſt Eccleſia Divionenſis ab eodem Papa.* Ea conſecratio facta die trigeſima prima menſis Martii, quæ concurrebat cum feria ſecunda poſt Dominicam quartam quadrageſimæ, die enim vigeſima ſexta ejuſdem menſis Pontifex Cluniaci erat, ubi privilegium dedit Abbatiæ Bonævallis, quo eam ſub Patrocinio Sancti Petri poſuit, & exemptionem à decimis confirmavit ſub *datum Cluniaci per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii VII Kalend. April. Indict. X, Incarnat. Dom. MCXLVII, Pontificatûs verò Domini Eugenii III. Papæ, anno tertio.* Recitatur illud privilegium à Mantico in Annal. Ciſterc. cap. 15. Cluniaco itaque Divionem profectus eſt, ibique, uti jam diximus, à Ludovico Rege exceptus.

XIV. *Synodum Pariſiis celebrat in cauſa Gilberti Porretani.* Divione Autiſſiodorum venit, & Autiſſiodoro Pariſios, ubi Paſcha cum Rege celebravit. Nam Otto Friſingenſis lib. 1. cap. 50. loquens de Gilberto Porretano Epiſcopo Pictavienſi, à ſuis Diaconis apud Eugenium Papam accuſato, ait: *Is itaque primò Autiſiodorum, poſt Pariſios vocatus eſt.* Certum eſt autem Eugenium Pariſiis Paſcha cum Ludovico Rege celebraſſe; Anonymus quippe Caſſinenſis mox laudatus, poſtquam dixit, Eugenium apud Divionem honorificè à Ludovico Rege ſuſceptum, ſubdit: *Cum quo Paſcha apud Pariſios celebravit.* Tunc in conventu Pariſienſi, in feſtis Paſchalibus habito, auditus Gilbertus Porretanus, qui ex Canonico & Theologiæ Profeſſore clariſſimo creatus Epiſcopus Pictavienſis, ab Arnaldo & Calone Archidiaconis ad Romani Pontificis tribunal vocatus eſt, quod aliquando in Sermone quem habuit ad Clericos, in diæceſana Synodo congregatos, de fide Sanctæ Trinitatis diſſerens, propoſitiones quaſdam protuliſſet, quæ Catholicæ doctrinæ repugnare videbantur. Eos errores Gilberto objectos commemorat Otto Friſingenſis lib. 1. de geſtis Friderici cap. 50. *quod aſſereret divinam eſſentiam non eſſe Deum: quod proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ: quod Theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione: quod divina natura non eſſet incarnata: quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum: quod Eccleſiæ ſacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari, niſi ſalvandum.* Gilbertus itaque vocatus ad Synodum Pariſienſem, cui præfuit Eugenius Papa, ibique auditus, cum hinc inde multa ei objicerentur, pluriumque impulſationibus, ad reſponſionem de Divina Majeſtate cogeretur, inter cœtera dixiſſe traditur: *Audacter confiteor patrem alio eſſe patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc.* Cujus dicti obſcuritatem tanquam profanam verborum novitatem Ioſſelinus Sueſſionenſis Epiſcopus redarguit. Ipſi etiam vitio datum eſt, quod in proſa de Sancta Trinitate, tres perſonas *tria ſingularia* vocaviſſet. Qui reſpondit, ſe trium ſingularium nomine, non divinas perſonas, ſed, earum excel-

lentiam

SEC. XII. EUGENIUS III.

lentiam intellexiſſe, ſicut Deiparam dicere ſolemus virginem ſingularem. Tandem Eugenius perſpecta cauſæ difficultate, ejus diſcuſſionem ad pleniorem Synodum Remis celebrandam remiſit. Hæc conſtant ex Ottone Friſingenſi laudato à cap. 50. ad 53. de Remenſi Synodo mox ſermo erit.

XV. *In ea VVillelmum Eboracenſem præſulatu deponit.*

In eadem Synodo Pariſienſi Willelmum Eboracenſem Archiepiſcopum, de quo in Lucio II locuti ſumus, Epiſcopatu depoſitum fuiſſe ab Eugenio Papa oſtendit Annotator Baronii ex Auctoribus Anglicis. Gervaſius in Chronico, licet magno errore Concilium Remenſe in annum MCXLVI retrahat, & in eo actum eſſe de depoſitione Willelmi dicat, eam tamen factam eſſe in Synodo Pariſienſi diſertè aſſerit: *Aſtiterunt*, inquit, *in hoc Concilio Clerici Eboracenſis Eccleſiæ unà cum Henrico Murdac tunc temporis Abbate de Fontibus, accuſantes Willelmum Eboracenſem Archiepiſcopum, & dicentes, eum neque canonicè electum, neque legitimè conſecratum, ſed auctoritate Regia intruſum. Tandem præfatus Willelmus convictus & depoſitus eſt ab Alberico Hoſtienſi Epiſcopo pronunciante ſententiam & dicente: decernimus auctoritate Apoſtolica Willelmum Eboracenſem Archiep. à Pontificatu deponendum, eo quod Stephanus Rex Angliæ ante canonicam electionem eum nominavit. Cum igitur Dominus Papa Eugenius beatum Willelmum Eboracenſem Archiep. Pariſius minore parte Cardinalium ſibi conſentiente, propria voluntate, ut prædictum eſt, depoſuiſſet, Capitulum Eboracenſis Eccleſiæ ad ejus mandatum in unum conveniens elegerunt Archiepiſcopum, pars Capituli major Dominum Hilarium Ciceſtrienſem Epiſcopum, pars altera Henricum Murdac Abbatem de Fontibus. Prædictus autem Papa Eugenius, cum utraque electio ſequenti hieme ei fuiſſet Antiſiodori præſentata, electionem prædicti Henrici de Murdac confirmavit, & alteram cum plurima tamen electæ perſonæ commendatione caſſavit, & ipſum Henricum propriis manibus conſecravit*, & quidem Treviris die ſeptima menſis Decembris, quæ cum Dominica ſecunda Adventus anno MCXLVII concurrebat, ut ſtatim oſtendo.

XVI. *Henricum de Murdac in ejus locum conſecrat.*

Joannes Prior Haguſtaldenſis in Chronico ad annum 1147. eadem de Willelmo & de Henrico narrans, locum Concilii tacet, ſed conſecrationem Henrici de Murdac refert ad menſem Decembrem anni MCXLVII, & conſequenter eam factam ſupponit ante Concilium Remenſe, quod anno tantum MCXLVIII celebratum eſt: *Eugenius Papa*, inquit, *in Gallis* (legendum in Galliis) *Concilio præſidens Willelmum Eboracenſem Generali edicto ab Archiepiſcopatûs Eboracenſis officio & beneficio amovendum cenſuit.* Aliquibus interpoſitis, ſubdit: *Litem eorum diremit Apoſtolicus conſecrans Henricum Archiepiſcopum Eboracenſem apud civitatem Treveris in octavis Sancti Andreæ Dominica II Adventûs Domini.* Anno autem MCXLVII octava Sancti Andreæ Apoſtoli concurrit cum Dominica ſecunda Adventûs, qui incœptus eſt die trigeſima Novembris in feſto ejuſdem Sancti. Eumdem annum & diem conſecrationis Henrici de Murdac aſſignat Annaliſta Mailroſenſis: *Henricus Murdac*, inquit, *Abbas de Fontibus electus eſt*

SEC. XII. EUGENIUS III.

ctus eſt in Archiepiſcopum Eboracenſem, & conſecratus eſt à Papa Eugenio Treveris Dominica ſecunda Adventûs Domini. Depoſitionem denique S. Willelmi, & conſequenter Henrici conſecrationem ad annum MCXLVII pertinere, teſtantur Annales Wintonienſes parte I. Angliæ Sacræ pag. 300. Lapſus eſt itaque Alfordus, qui in Annalibus Anglo-Saxonicis Henrici de Murdac conſecrationem copulat cum anno MCXLV, qui tamen num. IX eam improbans, cum Baronio in Appendice ad Tomum XII, prudenter ait: „ Ita tamen, ut nihil derogatum velimus Sanctitati „ Bernardi; qui favit cauſæ, quam putavit eſſe juſtiſſimam: falſa deceptus „ inſinuatione eorum, quorum exiſtimatio apud eum, haud dubiæ „ fidei eſſet. Interdum enim contigiſſe ſe decipi, falſa relatione poten„ tium, ſuis ipſe teſtatur Epiſtolis.

XVII. *Eugenii itinerarium poſt Synodum Pariſienſem.*

Pariſiis Eugenius Pontifex Meldas profectus eſt, ubi verſabatur VI Kalendas Julii, ut diſcimus ex ejus Epiſtola ad Stephanum Angliæ Regem data, & Tomo X Concil. pag. 1070. relata, indeque nondum diſceſſerat III Kalendas ejuſdem menſis, quo die Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo feſtivitatem Sancti Lucæ anni ſequentis MCLXVIII præfixit, ut dirimeret controverſiam, quæ inter eum & Bernardum Epiſcopum Sancti Davidis de jure Metropolico erat; literæ ea de re ab Eugenio datæ referuntur eodem Tomo Concil. pag. 1048. Hæ porrò duæ Epiſtolæ referri non poſſunt ad menſem Junium anni MCXLVIII, quia eo anno, die decima ſexta menſis Junii, ex infra dicendis, Eugenius erat Vercellis in Italia. Meldis Autiſſiodorum iterum venit, ut demonſtrat charta ab eo emiſſa, & in Bibliotheca Cluniacenſi p. 1411. recitata, cujus hæc eſt clauſula: *Dat. Altiſiodori per manum Guidonis S. R. E. Diac. Card. & Cancell. VIII Kal. Septemb. Indict. X. Incarnat. Dom. anno MCXLVII, Pontific. Domni Eugenii III Papæ anno tertio.* Autiſſiodoro Ciſtercium perrexit, ut eruitur ex ejus diplomate, XV Kal. Octob. conceſſo monaſterio Yerguæ, poſtea Friterium tranſlato, in Navarræ & Caſtellæ confinio ſito, à Cardinalibus octo ſubſcripto, & ab Oihenarto in Notitia utriuſque Vaſconiæ lib. 1. cap. 3. recitato, quod dicitur *datum apud Ciſtercium per manum Hugonis Preſbyteri Cardinalis, agentis vices Domini Guidonis S. R. E. Diac. Cardin. & Cancellarii XV. Kal. Octob. indict. X, Incarnat. Domin. anno MCXLVII, Pontificatus verò Domini Eugenii Papæ III. anno* III. Sed loco, *indict. X*, quæ cum menſe Auguſto anno 1147. abſolvitur, legendum; *indict. XI*, ut tam annus Chriſti, quam annus Pontificatûs Eugenii manifeſtum faciunt; niſi quis dicat, hic uſurpari indictionem more Gallicano à Kalendis Januarii hoc ſeculo inchoatam. Ciſtercio Autiſſiodorum rediit, ibique ſcripſit Epiſtolam ordine XII Tomo X. Concil. pag. 1057. recitatam, & Sugerio Abbati inſcriptam, in qua ait, ſe locum *ad celebrandum Concilium* jam deſignaſſe, ubi loquitur de Concilio Remenſi, quod conſtat die XXII menſis Martii anni MCXLVIII habitum.

Hæc

Hæc Epiſtola ab Eugenio ſcripta *Autiſſiodori II Nonas Octob.* Autiſiodoro Catalaunum venit, ibique erat VII Kalendas Novembris, quo die ſol media ſui parte defectionem paſſus eſt die dominica, quam eclipſim illuſtrem fecit Baſilica Sancti Stephani Catalaunenſis cum primario altari, ea ipſa die & hora, ab Eugenio Papa, aliiſque tum Epiſcopis, tum Cardinalibus ritu ſolemni conſecrata, ut antiquæ ejuſdem Eccleſiæ tabulæ docent. Catalauno, antequam Virdunum pergeret, iterum Autiſiodorum perrexit; Anonymus enim Caſſinenſis, poſtquam dixit, Ludovicum Franciæ & Conradum Romanorum Reges Jeroſolymam cum exercitu profectos eſſe, ſubdit: *Sol obſcuratus eſt IV Kal Novemb.* (legendum VII Kal Novemb.) *Eugenius Papa Autiſiodorum veniens monaſterium Sancti Mauri ſub obedientia monaſterii Caſſinenſis manere confirmavit, Abbate prius ab obedientia Epiſcopi Andegavenſis ſoluto. Indeque Treverim veniens ab Archiepiſcopis & Proceribus Alemanniæ honorificè ſuſceptus eſt.* SEC. XII. EUGENIUS III.

Sed antequam Treviros adventaret Virdunum evocatus ab Alberone ejuſdem ſedis Epiſcopo, ut diſerte ſcribit Monachus Anonymus Sancti Vitoni Virdunenſis in continuatione Hiſtoriæ Virdunenſium Epiſcoporum ſcriptæ à Laurentio Leodienſi Tomo 12. Spicilegii Dacheriani: *Anno*, inquit, *Incarnat. Dom. MCXLVII, quo expeditio Chriſtianorum contra Paganos à toto Romano imperio proceſſit*, &c. *Dominus Papa Eugenius in Franciam venit, & ad conſecrandum B. Virginis principalem Eccleſiam, à domino Præſule Virdunenſi Alberone nomine multa prece evocatus.* Subdit poſtea Eugenium *Nonis Novembris* eam urbem ingreſſum eſſe, & *quinto Idus ejuſdem menſis* ſolemniter tranſtuliſſe corpus Sancti Vitoni. XVIII. *Eugenius PP. Virduni transfert corpus S. Vitoni.*

Eugenium Pontificem Treverim veniſſe mox ex Anonymo Caſſinenſi vidimus. Brouverus lib. 14. Annal. Trevir. num. 63. prodit, Baldricum è caſtello Florinenſi Leodienſis diœceſis ortum, conſtitutum fuiſſe magiſtrum ſcholarum civitatis Treverenſis ab Alberone Archiepiſcopo, & poſtea res ab inclyto iſto præſule geſtas memoriæ literiſque ſacraſſe. Præcipitabat annus, inquit Brouverus ex hoc Hiſtorico, cum Eugenius Virduno digreſſus, Belgicum adiit, & pridie ejus diei, quæ præcedit Dominicam Adventûs, Treverenſem urbem propius acceſſit, nempe die vigeſima nona Novembris, quæ anno MCXLVII concurrebat cum ſabbato ante primam Dominicam Adventûs. Nominat Baldricus Cardinales & Præſules, qui Papam Treverim ineuntem comitati ſunt, & inter alios Henricum Eboracenſem Archiepiſcopum, quem, ex dictis, Pontifex ibidem conſecravit die ſeptima menſis Decembris, Dominica ſecunda Adventûs. Cum autem feriæ Chriſti natales illuxêre, à Clero in urbem deductus eſt ad Paulinianam Baſilicam, quam ineunte anno MCXLVIII dedicavit. XIX. *Treverim pergit.*

SEC. XII. EUGENIUS III.

XX. *Templum S. Matthiæ ibidem dedicat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo in eadem civitate Trevirenſi Pontifex Eugenius Templum S. Matthiæ dedicavit; in Actis enim SS. Bollandianis ad diem XXIV menſis Februarii, quo S. Matthias Apoſtolus colitur, referuntur Acta Inventionis corporis ejuſdem ſancti & Miraculorum ex Lamberto Monacho Trevirenſi & cap. 4. legitur: *Anno Dom. Incarnat. milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo decennovali anno IX, Indict. XI, præſidente Apoſtolico Eugenio III, Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifice, anno Papatûs ſui III, imperii Conradi III Regis glorioſi ſecundo regni undecimo, venerabilis autem Adalberonis hujus civitatis Archiepiſcopi anno XVI dedicatum eſt hoc monaſterium ab eodem venerabili Apoſtolico, & ab Adalberone Archipræſule Idibus Januarii*, &c. memorantur poſtea ibidem Cardinales tredecim, qui præſentes fuère. Trithemius in Chronico Hirſangienſi ad annum MCL, loco ſcilicet non ſuo, adventum Pontificis Treverim collocat, eumque ibi per menſes tres permanſiſſe ſcribit, & dedicationem Eccleſiæ monaſterii Sancti Matthiæ Apoſtoli de novo reparatæ pridie Kalendas Februarii peregiſſe.

XXI. *Ibidem Concilium celebrat, in quo S. Hildegardis ſcripta examinantur.*

Aſſerit præterea Trithemius ibidem Eugenium in eadem civitate Concilium celebraſſe, in quo ſcripta Sanctę Hildegardis, quæ monaſterium apud Bingium ad Rhenum fluvium, quatuor leucis à Moguntia diſſitum, conſtruxerat, diſcuſſa ſunt. Hæc ſancta virgo raris animi dotibus prædita, & egregia erga Deum pietate, erga religionem zelo inſignis, viſionibus divinitus conceſſis & prophetiis inclareſcens, Libros Viſionum ſeu Revelationum ſcripſerat; ſed non deerant, qui mulierem illuſam, aut illudentem publicarent, variuſque ille rumor, diverſæque ſententiæ Eugenium Papam adegêre, ut rem Concilio examinaret, ut refert ibidem Trithemius: *Synodum*, inquit, *tam Epiſcoporum, quam Cardinalium & Abbatum ibidem* (nempe Treviris) *celebravit, ubi Henricus Archiep. Moguntinus, & Sanctus Abbas Claravallenſis Bernardus ipſi ſummo Pontifici mirabilia, quæ Deus operabatur in famula ſua Hildegarde montis Sancti Ruperti Confeſſoris Abbatiſſa retulerunt. Quibus auditis Papa attonitus, & rem diligentius inveſtigare volens, Virdunenſem Epiſcopum Aldebertum cum aliis viris fide dignis miſit ad Sanctam Hildegardem, ut cum humilitate & manſuetudine, ſine ſtrepitu, vel curioſitate, quid rerum eſſet, ab ipſa ſciſcitarentur. Qui cum ad monaſterium, in quo degebat Sancta Virgo, deveniſſent, & juxta commiſſionem Apoſtolicam, veritatem ab ipſa humiliter inquirerent, illa ſimpliciter, quæ de ſe erant, aperuit, & Legatos cum ſcriptis, & Libris revelatis ſibi divinitus, dimiſit.* Refert poſtea Trithemius Pontificem volumina Sanctæ Virginis coram Cardinalibus, Archiepiſcopis, Abbatibus & omni Clero publicè recitari præcepiſſe, & per ſe Lectoris officio functum partem non modicam legiſſe, per quæ omnium mentes in ſtuporem verſæ, ac voces in laudem creatoris omnium excitatæ ſunt. Quare *ſummus Pontifex benigno favore conſentiens, devotam Chriſti*

Chriſti virginem literis ſalutatoriis viſitavit, in quibus ei licentiam auctoritate Apoſtolica proferendi & ſcribendi quæcumque per Spiritum Sanctum cognoviſſet glorioſe conceſſit: eamque, ut ſine timore revelata ſibi conſcriberet, animavit. Literæ Eugenii ad Hildegardem referuntur Tomo X Concil. pag. 1128. Ipſa autem Hildegardis eadem refert in una ex ſuis Epiſtolis, in qua ait: *Scripta mea Eugenio Papæ, cum Treveri eſſet, allata ſunt, qui ea gratanter coram pluribus legi fecit, ac per ſe ipſum legit; multumque de gratia Dei confidens, benedictionemque cum literis mihi mittens, præcepit, ut ea quæ in viſione viderem, vel audirem, ſcriptis attentius commendarem.* Portò Sancta Hildegardis vixit poſtea uſque ad annum 1178. quo obiit die 17. Septembris in ſuo monaſterio prope Bingium in diœceſi Colonienſi, ejuſque vitam ſcripſit Theodoricus Abbas, qui ann. 1206. floruit, quę vita extat apud Surium ad eumdem diem. Aliqua ex Hildegardis operibus, licet non omnia, tranſlata ſunt in Tomum 23. Bibliothecæ Patrum pag. 535.

XXII. *In eo Fuldenſem Abbatem deponit.*

In eodem Concilio Trevirenſi Henricus Abbas Fuldenſis dignitate depoſitus eſt; nam Brouverus lib. 14. Annal. Trevirenſium num. 70. refert ex codice MS. Fuldenſi, & ex Conradi Imperatoris diplomate, in hoc Concilio monaſterii Fuldenſis Congregationem Henrici Abbatis ſui nomen detuliſſe, & apud Eugenium eum accuſaſſe, quod minus rectè & ſalubriter Eccleſiam illam adminiſtraret. Cauſa ab Eugenio cognita, placuit Henricum ſuo munere defungi, ſucceſſore obveniente Marquardo, qui ſumma gloria monaſterium illud rexit. Cumque per tres menſes, ab exeunte ſcilicet Novembri anni MCXLVII, ad finem circiter Februarii, Treviris moratus eſſet Eugenius Pontifex, ea ex urbe diſceſſit, & Remos venit, ubi menſe Martio Concilium celebravit.

XXIII. *Remis Concilium habet.*

Eugenium Papam anno tantum milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo, non verò antecedenti, Remenſe Concilium celebraſſe, teſtantur Otto Friſingenſis in Friderico lib 1. cap. 55. Robertus de Monte in continuatione Sigeberti, Chronographus S. Medardi Sueſſionenſis Tomo 2. Spicilegii Dacheriani, & Chronographi Catalaunenſis ac Remenſis Tomo 1 Biblioth. Labbei. Habitum illud *XI. Kalend. April.* ut ſcribunt Robertus de Monte & Chronographus Catalaunenſis laudati, à quibus non diſſentit Chronographus Mailroſenſis, qui annum à Paſchate incipiens ait, illud celebratum anno MCXLVII ad *Lætare Jeruſalem*, ſeu Dominica quarta quadrageſimæ, quæ anno MCXLVIII in diem *XII Kalend. Aprilis*, ſeu diem XXI Martii incidit, hic enim Concilium exorditur à die Dominica, qua mos erat preces Deo fundere, alii verò à feria ſecunda inſequenti, qua prima ſeſſio fieri ſolita erat. Ex die autem, quo illud inchoatum deſtruitur ſententia Gervaſii in Chronico, & Bulæi Tom. 2. Hiſt. Univerſitatis Pariſienſis, exiſtimantium Concilium habitum anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, eo enim anno die XXIII. Martii Eugenium non Remis, ſed Divione fuiſſe ſuperius oſtendimus.

C 2 Illud

SEC. XII. EUGENIUS III.

Illud Concilium, ut ex literis Eugenii Papæ liquet, non omninò Generale fuit, ſed Ciſalpinæ tantum Eccleſiæ, licet paſſim Generale appelletur, tam ab Ottone Friſingenſi laudato, quam à Willelmo Neubrigenſi, forsàn quia, ſi Continuatori Anſelmi Gemblacenſis fides ſit adhibenda, in eo *Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates, uſque ad mille centum reſediſſe dicuntur.* Exiſtimandum autem non eſt omnes illos Epiſcopos ex ſola Gallia profectos; plures enim Hiſpanos & quoſdam Anglos interfuiſſe conſtat. Sandovallius in Alphonſo VII pag. 196. docet, tunc Hiſpaniarum Imperatorem Concilium Palentinum cum Epiſcopis & proceribus ſuis celebraſſe, & imprimis lectum fuiſſe Eugenii III Papæ Edictum, quo præcipiebatur, ut ſe ſe in Gallias ad celebrandum Concilium generale Remis indictum, & examinandas ibidem quatuor theſes exoticas Gilberti Porretani Epiſcopi, conferrent, prolato de iis judicio, ut vel per ſeipſos, vel interventu gravium & doctorum hominum illud poſtea Remis aperirent. Ad hæc in Epiſtola 74. Eugenii ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem ſcripta, ſub *datum in territorio Lingonenſi V Kal. Maii* poſt Concilium Eugenius ait: *Quia Epiſcopos & Abbates regni tui ad vocationem noſtram, tanquam devotus & humilis filius, Remenſi intereſſe Concilio voluiſti: benevolentiæ tuæ gratiam exhibentes, precum tuarum conſideratione devicti, eos qui non venerunt, à ſuſpenſionis ſententia relaxamus.* Plures itaque Hiſpaniarum Epiſcopi & Abbates ad Concilium Remenſe venêre. Theobaldum quidem Cantuariæ Archiepiſcopum, cum ceteris Galliæ Epiſcopis ad illud vocaverat Eugenius, ſed miniſtri Regii impedierunt, ne Archiepiſcopus transfretaret, qui tamen *clanculò mare adiit, & vix tandem in cimba fracta tranſvectus terram tetigit, & Domino Papæ ſe præſentavit*, inquit Gervaſius in Chronico. Treſtantum ex Anglia, præter Theobaldum, à Rege ad Concilium miſſos, teſtatur Sanctus Thomas, Cantuarienſis poſtea Archiepiſcopus in Epiſtola 136. ad Boſonem Cardinalem: *Theobaldus*, inquit, ad Concilium Remenſe venit, *ceteris Epiſcopis domi contra obedientiam remanentibus, exceptis tribus, qui de mandato Regis venerunt, ut aliorum abſentiam excuſarent.*

XXIV. *Plures Hiſpani, pauci Anglici interfuêre.*

XXV. *Canones XVIII Concilio conditi.*

Canones decem & octo in hoc Concilio Sanciti ſunt, quibus de Clericorum continentia & modeſtia in tonſura & veſtibus ſtatutum eſt, & in contumaces beneficiorum Eccleſiaſticorum decreta privatio; imò ſuſpenſionis ſententia lata in Epiſcopos, qui hanc ipſis pœnam non infligerent. Omnes canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam in uſum priſtinum revocandam ſpectantes Tomo X. Concil. legendi, quorum ultimus his verbis conceptus eſt: *Præſentis decreti auctoritate præcipimus, ut nullus omninò hominum hæreſiarchas & eorum ſequaces, qui in partibus Gaſconiæ, aut Provinciæ, aut alibi commorantur, manuteneat, vel defendat; nec aliquis eis in terra ſua receptaculum præbeat.* Hæreſiarchas illos exiſtimo eſſe Henricum illum pſeudo-Eremitam, qui damnatus eſt ab Innocentio II anno

MCXXXIV

Digitized by Google

SÆC. XII. COELESTINUS II.

MCXXXIV in Concilio Piſano, ut ibidem diximus; ille enim hoc tempore in comitatu Toloſano errores ſuos diſſeminabat, ut conſtat ex Epiſtola S. Bernardi 241. ad Ildefonſum, ſeu Alphonſum hujus nominis primum, Comitem Toloſanum, quem hortatur, ut talem virum in ſua ditione impune graſſari non ſinat. Huic adjunctus eſt Petrus de Bruis, qui errores ſuos in provincia Arelatenſi, aliiſque finitimis diſſeminavit, quique, teſte Petro Venerabili, in villa Sancti Aegidii in diœceſi Nemauſenſi, igne damnatus & combuſtus eſt, de quo diximus in Concilio Oecumenico Lateranenſi ſecundo ſub eodem Innocentio.

XXVI. *Eon hæreticus in eodem damnatus.*

Quoad Eudonem, ſeu Eonem, hic damnatus eſt etiam in Concilio Remenſi. Guillelmus enim Neubrigenſis lib. 1. cap. 19. de eo ait: *Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de ſtella, homo illiteratus & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, ut cum ſermone Gallico Eon diceretur, ad ſuam perſonam pertinere crederet, quod in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, ſcilicet*, per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. *Ita plane fatuus, ut Eon, & eum neſciret diſtinguere, ſed ſuprà modum ſtupenda cæcitate crederet ſe eſſe dominatorem, & judicem vivorum & mortuorum.* Dementem illum hæreſiarcham ad ſe perductum Eugenius Pontifex & Synodi Remenſis patres irriſère, eumque mitti in carcerem, & diligenter cuſtodiri decrevère: ubi paulò poſt dæmonibus, quorum uſus fuerat famulatu miſeram animam conſignavit, ut non ex ſolo Neubrigenſi laudato, ſed ex Ottone Friſingenſi lib. 1. de geſtis Friderici cap. 54. & ex Roberto de Monte in Appendice ad Chronicon Sigeberti conſtat.

XXVII. *De Gilberto Porretano tractatur poſt Synodum.*

Introducta eſt etiam in Concilium cauſa Gilberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi, quæ, ex ſuperius dictis, à Pariſienſi, ad Remenſe Concilium remiſſa fuerat, in quo, ſicut & in Pariſienſi Sanctum Bernardum vehementiſſimum contradictorem expertus eſt. Qui cum adeo perſtringeret illum, ut omninò convinceretur hæreticum; Eugenius Papa tanti conſulens famæ Epiſcopi, id ſeorſum poſt dimiſſam Synodum, tractandum duxit. Quo tempore poſt habitam coram ipſo Pontifice, & delectis inſignioribus doctrinâ Epiſcopis & Abbatibus, cum eodem Gilberto de ipſius dogmatibus diſputationem, ſcripta ſunt, dictante Sancto Bernardo, capitula quatuor adversùs totidem erroneas aſſertiones Gilberti, quod dictum eſt Symbolum. Gilbertus, ut in Concilio Pariſienſi jam ſuperius diximus, aſſerebat, Divinam naturam, quæ Divinitas dicitur, Deum non eſſe, ſed formam qua Deus eſt, quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma qua eſt homo. Secundò, cùm Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum eſſe dicuntur, nonniſi una divinitate eſſe intelligi, nec converti poſſe, ut unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid, Pater, & Filius & Spiritus Sanctus eſſe dicatur. Tertiò, tres perſonas tribus unitatibus eſſe tria, & diſtinctas proprietatibus tribus,

C 3 quæ

SEC. XII. quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres res æternæ, & ab invicem à
EUGENIUS divina ſubſtantia in numero differentes. Quartò, Divinam naturam non
III. eſſe incarnatam. Cum hæc, ut jam dixi, Gilbertus aſſereret, e contra Sanctus Bernardus cum reliquis Antiſtitibus totidem capitulis Gilberti aſſertiones confixit. Talia autem ſunt.

XXVIII. *Symbolum fidei contra ejus errores à S. Bernardo editur.* *Credimus ſimpliciter naturam Divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin divinitas ſit Deus, & Deus Divinitas. Si verò dicatur ſapientiâ ſapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate Deum eſſe, & alia hujuſmodi, credimus nonniſi ea Sapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, nonniſi magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe; nonniſi æternitate, quæ eſt ipſe Deus æternum eſſe; nonniſi unitate, quæ ipſe eſt, unum eſſe: Nonniſi ea Divinitate Deum quæ ipſe eſt, ideſt ſe ipſo, ſapientem, magnum, æternum, unum Deum. 2°. Dum de tribus perſonis, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto loquimur, ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam fatemur eſſe. Et è converſo, cum de uno Deo, una Divina ſubſtantia loquimur: ipſum unum Deum, unam divinam ſubſtantiam, eſſe tres perſonas profitemur. 3°. Credimus ſolum Deum Patrem, & filium & Spiritum Sanctum æternum eſſe, nec aliquas omninò res ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, & hujuſmodi alia adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus. 4°. Credimus ipſam divinitatem, ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicas, incarnatam, ſed in filio eſſe.* Narrantur hæc breviter à Goſtido in Vita Sancti Bernardi lib. 3. cap. 5. locupletius autem ab Ottone Friſingenſi in Friderico lib. 1. cap. 56. & ſeq. Extat inſuper Tomo X Concil. Gaufredi Monachi Ciſtercienſis, qui Concilio interfuit, Epiſtola Hiſtorica ad Albericum Epiſcopum Albanenſem, poſt plura annorum curricula ſcripta, qua rogatus ab eo totam Gilberti cauſam, ejuſque diſcuſſionem in Synodo & extra factam, ordine commemorat: meminitque aliorum quorundam ejuſdem Gilberti errorum de Incarnatione & humanitate Chriſti, in quibus ſapere Neſtorium videretur: quos, æque ac Superiores, auctoritatibus Patrum & rationibus confutat.

XXIX. *Cardinales in S. Bernardum commoti quieſcunt.* Addit autem Otto Friſingenſis laudatus, Cardinales, qui tunc Remis erant, graviter conqueſtos eſſe apud Eugenium, quod Bernardus ſeorſum cum Gallicanis, ipſo abſente Pontifice, ipſiſque inconſultis Cardinalibus, in contemptum Romanæ Eccleſiæ, cujus ſolius eſſet de fide definire, præſumpſiſſet fidei Symbolum condere & credendum proponere: Pontificem autem rem geſtam à Bernardo ſciſcitantem, humile ab eo reſponſum accepiſſe, haud ipſum, vel Epiſcopos Gallicanos ea animo definiendi conſcripſiſſe, ſed ſimpliciter quid ſentiretur expoſuiſſe: eoque reſponſo indignationem Cardinalium quieviſſe; ita tamen, ut prædictum ſcriptum, tanquam inconſultâ Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in Eccleſia, ſicut in Conciliis contra hæ-

tra hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur, niſi ab Eccleſia Romana confirmaretur.

XXX. *Symbolum approbatur, eique aſſentitur Gilbertus.*

Quod quidem factum eſſe, ipſumque ſymbolum una omnium ſententia approbatum tradit etiam Gofridus laudatus. Sed ſignantius Otto Friſingenſis ait, de primo ſancti Bernardi capitulo Eugenium Pontificem definiiſſe, *ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & perſonam divideret; neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu Ablativi tantum, ſed etiam Nominativi.* Tam Gofridus autem, quam Otto aſſerunt, Gilbertum aſſertionum ſuarum damnationi humiliter acquieſcentem, eaſdemque ore proprio publicè refutantem, Archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine ad ſuam Eccleſiam pacifice reverſum eſſe. Siquidem jam ab initio diſceptationis profeſſus fuerat, ſine ulla ſe ſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem. Ex quibus deducitur Gilbertum, licet hæreticè ſenſerit, hæreticum tamen non fuiſſe; cum pertinacia caruerit, quæ ſecundum S. Auguſtinum lib. 18. de Civitate Dei cap. 51. facit quemque hæreticum.

XXXI. *Cauſa Principum Poloniæ ad Concilium Remenſe perlata.*

Dum Concilium celebraretur, venerunt ad illud *cum Bulla aurea Nuncii Junioris Romanorum Regis Henrici, tam de ſublimitate ſua ad imperium Romano Pontifici ſignificantes, quam de tribus fratribus Poloniæ, qui ejecto quarto & ſeniore ducatum inter ſe diviſerant, ac de Epiſcopis illius provinciæ, qui ſuper hoc patri ipſorum juramentum præſtiterant, querimoniam facientes,* inquit Otto laudatus cap. 55. Quid ea de re Concilium definierit, nullus Antiquorum literis mandavit. Henricus ille Junior erat filius Conradi Romanorum Regis, qui ante patrem mortuus eſt. Fratres autem illi Poloniæ erant filii *Boleſlai III* cognomento *Crivouſti* Poloniæ Ducis, poſt cujus mortem, quæ paulo ante Concilium acciderat, Poloniæ Principatus inter quatuor filios diviſus, bellis civilibus laceratus eſt, de quibus legendus Cromerus lib. 6. de Geſt. Polonorum.

XXXII. *In eo ſtatuitur ut Saviniacenſis ordo Ciſtercienſi ſubdatur.*

Beatus Vitalis, optimus verbi divini ſeminator, in confinio Normanniæ, & Minoris Britanniæ monaſterium ædificavit, quod dicebatur *Saviniacum*, quodque fuit caput Congregationis Saviniacenſis dictæ, fundatæ à dicto Vitali anno MCXII, ut legitur in Chronico Saviniacenſi apud Baluzium lib. 2. Miſcellaneorum pag. 310. in quo & dicitur, hunc beatum virum *modernas inſtitutiones in aliquibus Ciſtercienſibus ſimiles monachis ſuis* impoſuiſſe. Illi monaſterio in Abrincatenſi diœceſi conſtructo ſuberant triginta Abbatiæ, ejuſque Abbas erat Serlo. Remenſis autem Concilii Patres ſtatuerunt, ut omnes qui eſſent de ordine Saviniacenſi, habitum ordinis Ciſtercienſis, *ſine mora, accepto mandato, ſumerent, & conſervarent*, ut refert Serlo quartus Saviniacenſis Abbas in ſua charta recitata Tomo I. Monaſtici Anglicani pag. 871. & ſeq. Inſtabat tunc tempus Capituli Generalis Ordinis Ciſtercienſis, in quo Serlo Abbas ſe & triginta ſuas Abbatias Ciſtercio ſubdidit, ut refert Manricus in Annal.

Digitized by Google

SEC. XII. EUGENIUS III.

nal. Ciſterc. ad annum 1148. cap. 7. ubi illas Abbatias enumerat. Huic Capitulo interfuiſſe Eugenium Papam poſt ſolutum Concilium, aſſerit Godefridus, qui præſens fuit, in Vita S. Bernardi lib. 4. cap. 7. *Igitur eodem anno*, inquit, *apud Ciſtercium juxta morem, Abbatibus congregatis, prædictus Papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate Apoſtolica præſidens, quam fraterna charitate reſidens inter eos, quaſi unus ex eis.*

XXXIII. *Eugenius PP. Claramvallem viſitat.*

Abſoluto Concilio Remenſi Eugenius Papa adhuc per aliquot dies ea in urbe moratus eſt. Nam Marlotus lib. 2. Hiſt. Metropolis Remenſis cap. 52. recitat privilegium monaſterio Sancti Theoderici ea in urbe ſiti conceſſum, quod dicitur *Dat. Remis per manum Guidonis S. R. E. Diac. Cardin. & Cancellarii XIV Kal. Maji indict. II* (legendum XI) *Incarnat. Dom. anno MCXLVIII, Pontific. Eugenii anno III*, Legendum anno IV. Inde Catalaunum paucis leucis Remis diſſitum profectus eſt, ubi Odoni Abbati monaſterii Sancti Remigii Remis poſiti privilegium largitus eſt, *datum Catalauni per manum Guidonis* &c. *XII Kal. Maji, indict. II* (legendum XI) *Incarnat. dom. anno MCXLVIII Pontific. verò Domini Eugenii III Papæ anno quarto.* Exhibet etiam illud Marlotus cap. 53. Catalauno Claramvallem profectus eſt. *Interim*, inquit Ernaldus, Abbas Bonævallis lib. 2. Vitæ S. Bernardi cap. 8. *celebrato Remis Concilio Claramvallem humiliter viſitat, & gloriam pontificatûs Romani pauperum præſentat aſpectibus. Mirabantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propoſiti ſancti permanere virtutem; ut altitudine ſociata humilitas pro officio exterius ſplendeat, & pro virtute nequaquam interius inaneſcat. Adhærebat carni ejus lanea tunica, diebus & noctibus cucullo veſtitus: ſic ibat, ſic cubabat. Intus Monachi habitum retinens, extra ſe Pontificem & veſtibus & moribus exhibebat; rem difficilem agens, diverſarum in uno homine proprietates exprimens perſonarum, ſegmentata circumferebatur pulvinaria; lectus palliis opertus, cortina ambiebatur purpurea, ſed ſi revolveres operimenta invenires ſuperjectis laneis, comploſa ſtramina & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde: ipſe verò bona coram Deo & hominibus providebat. Alloquitur fratres non ſine lachrymis, miſcens ſermonibus avulſa à corde ſuſpiria; hortatur & conſolatur, & ſe inter eos fratrem & ſocium, non Dominum exhibet, vel magiſtrum. Cumque eum ibi diutius morari non pateretur magna eum proſequens comitantium multitudo, ſalutatis fratribus, iter in Italiam dirigens abſceſſit*, non poſt aliquot menſes, ut perperam ſcribit Manricus cap. 6. num. 3. ſed poſt aliquot dies, ut ex dicendis perſpicuum fiet.

XXXIV. *Roſam auream ad Alphonſum Hiſp. Regem mittit.*

Nam ex monaſterio Claravallenſi Lingonas perrexit Eugenius, ibique vel ſaltem ex eius territorio Epiſtolam 74. quinto Kalendas Maji ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem dedit, de qua mox locuti ſumus, in qua poſt confirmatum primatum Toletanum, ait ſe ad eum mittere roſam auream, quam Romanus Pontifex portare conſuevit in dominica, qua

canta-

cantatur, *Lætare Jeruſalem*, ſeu Dominica quarta Quadrageſimæ. *Ad indicium autem*, inquit, *bonæ voluntatis & gratiæ noſtræ circa te, roſam auream, quam in ſignum paſſionis & Reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri, Dominica, qua cantatur Lætare Jeruſalem, ſingulis annis Romanus portare Pontifex conſuevit, Serenitati tuæ per venerabilem fratrem noſtrum P. Segovienſem Epiſcopum providimus transmittendam: ut ejuſdem roſæ memoria incitatus, ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore tuo complere cum Domini auxilio ſatagas; & ipſius ſolatiante Clementia debeas ad reſurrectionis Gloriam pervenire.* De flo e aureo, vel roſa à Pontificibus Romanis ea die geſtata, vide dicta in Urbano II. Lingonis adhuc erat Eugenius *III. Kal. Maji*, quo die ſcripſit Epiſtolam ordine 14. Tomo X. Concil. ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii, & 13. ad Canonicos ſanctæ Genouefæ Pariſienſis, quæ ſunt de reformatione Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ ad finem perducenda.

SEC. XII. EUGENIUS III.

XXXV. *Romam redit.*

Lingonis Pontifex Ciſtercium viſitavit, Godefridus enim in Vita S. Bernardi lib. 4. cap. 7. ait: *Igitur eodem anno apud Ciſtercium* (paucis leucis Lingonis diſtans) *juxta morem Abbatibus congregatis*, & cetera num. XXXI recitata. Deinde ex Gallia diſceſſit, & in Italiam ſe contulit. Jam Vercellas pervenerat die decima ſexta Junii ejuſdem anni MCXLVIII, nam eo die ibidem Epiſtolam dedit ad Sugerium Abbatem, qua ei ſignificat, ſe mutato conſilio, non jam Monachos ad Sanctæ Genouefæ Pariſienſis Eccleſiam mitti velle, ſed Canonicos Regulares. Refertur hæc Tomo X Concil. pag. 1059. diciturque data *Vercellis XVI Kal. Julii.* Sed cum interim Arnaldus de Brixia hæreticus, qui Romæ populum in Clerum hactenus armarat, clerum adverſus ſe ipſum commoveret, & capellanos miniſtros Eccleſiarum, quæ Cardinalibus ceſſerant in titulum, ab eorum obedientia retraheret, eoſque inter ſe factioſè divideret, ut conſtat ex pluribus Epiſtolis Eugenii, quas refert Baronius, Eugenius Papa Romam non intravit ante annum MCXLIX, quo Anonymus Caſſinenſis ſcribit: *Eugenius Papa Tuſculanum ingreſſus, fultus auxilio Rogerii Regis Romanos ſibi rebelles expugnat. Ludovicus Rex à partibus Jeroſolymitanis reverſus, & à Rege Rogerio apud Polentiam cum honore ſuſceptus, quarto Nonas Octobris ad hoc monaſterium* (nempe Caſſinenſe) *venit, ſuſceptuſque honorificè, poſt diem recedens tertium, & apud Tuſculanum cum Apoſtolico colloquens, Franciam rediit. Eugenius Papa pacem cum Romanis reformans Romam reverſus eſt* circa finem anni MCXLIX; Ludovicus enim Rex die decima tertia Septembris, quæ in feriam tertiam incidebat, eodem ex Transmarinis partibus reverſus eſt, ut ait Joannes Ceccanus in Chronico. *Id Septemb. feria tertia Rex Franciæ revertitur à tranſmarinis partibus*, & poſtea, ut jam ex Anonymo Caſſinenſi diximus, apud Tuſculanum cum Eugenio Papa colloquium habuit, ideoque antequam Romam reverſus eſſet,

SEC. XII. EUGENIUS III. XXXVI. *Metropoles in Norvegia & Sueciа erigit.* Eugenius Papa anno MCXLVI in ſecunda Cardinalium creatione Nicolaum de Brekſpere, ſeu Breskpear Anglum, monaſterii Sancti Rufi prope muros Avenionis Abbatem, Epiſcopum Cardinalem Albanenſem renunciavit, ut habet Ciaconius. Hic eſt ille Nicolaus, qui poſtea ſub Hadriani IV nomine Romanus Pontifex dictus, de cujus varia fortuna ſuo loco ſermo erit. Hunc Cardinalem Eugenius Pontifex Legatum in Norvegiam miſit, ejuſque operâ primùm in ea provincia Archiepiſcopatum erexit anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo, Nidroſia ſede Archiepiſcopali, ſive Metropolitana conſtituta. Idem factum eſſe eodem anno in Suecia teſtatur Joannes Magnus *lib.* 18. Hiſtoriæ Gotthicæ cap. 18. Sanctum enim Henricum Epiſcopum Upſalenſem Metropolitanum conſtituit. Extat ejuſdem S. Henrici Martyris Epiſcopi Upſalenſis Vita in Actis SS. Bollandianis ad diem XIX menſis Januarii. Fuit hic ſanctus, ſeptimus Upſalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, totiuſque Finlandiæ Apoſtolus & patronus. Upſala Regum quondam ſedes, poſtea Stocholmium haud procul inde diſſitum tranſlata.

XXXVII. *Colonienſis & Moguntini Archiepp. munera reſpuit.* Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo Româ iterum exire coactus eſt Eugenius, ut ſcribit Anonymus Caſſinenſis ad annum 1149. res enim anno uno citius narrare ſolet: *Eugenius Papa*, inquit, *Urbe egreſſus Campania moratus eſt.* Dum ibidem moraretur, anno ſcilicet MCLI, duo primarii Germaniæ Epiſcopi, Moguntinus & Colonienſis, rei ad dicendam cauſam ab Eugenio vocati, comparuerunt auro & muneribus onuſti, ut ea donarent Eugenio, tunc ob multiplices expenſas, cauſa belli civilis cum Romanis effuſas egentiſſimo. At ipſe nihil penitus ex eis attingens, eadem in Germaniam reportare coegit, cauſâque utriuſque examinata, Colonienſem innocentem inventum abſolvit, Moguntinum autem pleniori judicio remiſit. Archiepiſcopos illos plurimùm argenti Eugenio detuliſſe, ſed illorum munera Sanctum Pontificem ſpreviſſe, aſſerit Sanctus Bernardus in lib. 3. de conſideratione. Certè Eugenium à capiendis muneribus ſe continuiſſe disertè habet Joannes Sareſberienſis lib. 5. de Nugis Curialium cap. 15. *Amplectenda memoria*, inquit, *& imitandæ ſanctitatis Summus Pontifex Eugenius quem vidiſti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Unde cum in adventu ſuo Prior quidam modicæ facultatis, cujus cauſam nondum audierat, ei marcam auri devotione multa offerret*, Nondum, *inquit*, domum ingreſſus es, & jam vis corrumpere Dominum? *Corruptionem namque vir ſanctus credidit, quidquid offerebatur Judici lite pendente.*

XXXVIII. *Eccleſiæ Colonienſis privilegia confirmat.* Anno ſequenti milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo Pontifex Eugenius eidem Arnoldo Colonienſi Archiepiſcopo dedit Epiſtolam ordine X Tomo X Conciliorum, qua ei ſucceſſoribuſque concedit, quod nulli primati, niſi ſoli Romano Pontifici ſubſit: quod ſolus Reges infra terminos ſuæ provinciæ coronet: quod primus in quocumque ejus Concilio

Digitized by Google

lio poſt Papam ſeu legatum ſedeat. Statuit prætereà *ut ſeptem idonei presbyteri Cardinales in prædicta Eccleſia* (ſcilicet Sancti Petri Colonienſis) *ordinentur*, *qui induti Dalmaticis & mitris ornati, ad principalia duo altaria ejuſdem Eccleſiæ cum totidem Diaconibus & Subdiaconibus, quibus ſandaliorum uſum* conceſſit, *Miſſarum ſolemnia in feſtivis diebus tantummodo adminiſtrent*. S. Leo IX, ex ſuperius dictis, jam conceſſerat, ut ſeptem presbyteri Cardinales quotidie divinum officium celebrarent in ſandaliis, ſed nihil de Dalmatica aut mitra ſtatuerat, ſicuti nec de Diaconis & Subdiaconis, quibus Eugenius III ſandaliorum uſum concedit. Tandem *pallii quoque uſum, & vivificæ crucis vexillum atque naccum, inſigne videlicet feſtivi equi, quæ prædeceſſoribus tuis à noſtris prædeceſſoribus conceſſa ſunt, ſuo tempore, ſuoque loco ferenda, nos tam tibi, quam tuis ſucceſſoribus confirmamus*, inquit Eugenius. Ubi loco *naccum*, legendum, *nactum*; nactus autem ab aliis *coopertorium*, ab aliis *udo* appellatur; ita ut nactus fuerit ſtragulum, quo totus equus inſternitur. Hinc Jacobus Stephaneſcus Cardinalis lib. 1. de Coronatione Bonifacii VIII cap. 9.

SEC. XII. EUGENIUS III.

Poſt ipſum quadratus equus, detextus ad ante,
Velatuſque rubro ſcarlati tergora nacto
Cygneus ad dextram vehitur.

Et infra:

Cornipedemque ſedens niveum ſub tegmine nacti.

Alia exempla in Gloſſario Ducangii, voce *nactum*, vel *nactus* legi poſſunt. In fine Epiſtolæ ab Eugenio & pluribus Cardinalibus ſubſcriptæ legitur: *Datum Signiæ per manus Boſonis S. R. E. Scriptoris VI Idus Januarii, indict. XV, Incarnato Dom. MCLI Pontificatûs verò Domini Eugenii III Papæ anno VII.* Quâ ex indictione & anno Pontificatûs, apparet hanc Epiſtolam anno MCLII datam, ideoque & Eugenium in ea Epiſtola annum prorogare uſque ad diem XXV Martii.

XXXIX. *Gradus Academicos Baccalaureatus &c. inſtituit.*

Gratianum, natione Etruſcum ex oppido Cluſio, Monachum in monaſterio Sancti Felicis in urbe Bononienſi, ſacros canones in unum corpus collegiſſe, & Canoniſtarum quaſi Magiſtrum fuiſſe aſſerit Miræus in Henrico Gandavenſi. Eugenius autem III primus omnium Pontificum Romanorum juſſit in tribunalibus Eccleſiaſticis judicari ſecundum ejuſdem Gratiani compilationem. De Gratiano Sigonius lib. 2. de Epiſcopis Bononienſibus ſcribit: *Anno MCLI Gratianus Monachus in monaſterio Sancti Felicis, Decretum, id eſt, Juris Pontificii volumen inſigne, quod extat, compoſuit: id quod lapis olim in clauſtro poſitus indicavit, his verbis, &c.* Eugenius autem veritus ne jus Canonicum vileſceret, quia omnes ſtudioſi ad Civile recens digeſtum ſe conferebant, ſuggerente Gratiano, gradus quoſdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quam profectûs, ſcilicet Baccalaureatûs, Licentiatûs & Doctoratus, ut hocce ſpecioſo titulo ſtudioſos ad Jus Canonicum amplectendum excitaret &

 privile-

SEC. XII. EUGENIUS III.

privilegiis accenderet. Hanc enim graduum Scholaſticorum inſtitutionem, omnes ferè qui de illis ſcripſerunt, ad Gratianum & Petrum Lombardum retulerunt. Neque ante Lombardum eorumdem graduum in Scriptoribus mentio, indeque communiter dicitur, eum illos, Gratiani imitatione, Pariſiis in Theologica diſciplina inſtituiſſe, qua de re legendus Bulæus Tomo 2. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 679. & ſeqq. Ceterum falluntur qui Gratianum, & Petrum Lombardum poſtea Epiſcopum Pariſienſem, imò & Petrum Comeſtorem germanos fratres fuiſſe aſſerunt; Gratianus enim Etruſcus erat, ex oppido Cluſio; Lombardus Inſuber, Novarienſis; Comeſtor verò Gallus, Trecenſis.

XL. *Inſtituit etiam Archiepiſcopatus quatuor in Hibernia*

Sanctus Malachias Archiepiſcopus Armachanus duo tantum pallia pro Hibernia concupierat, ſed poſt ejus mortem, quæ anno MCXLVIII contigit, Eugenius Papa Joannem Paparonem, Cardinalem Presbyterum, Legatum in Hiberniam miſit anno MCLI cum quatuor palliis, Hibernienſibus directis, ut aſſerit Joannes Prior Haguſtaldenſis in Continuatione Hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis. Loquuntur & de hac quatuor Archiepiſcoporum in Hibernia inſtitutione Rogerius Hovedenus & Chronographus Mailroſenſis. Joannes Paparo proſpere in Hiberniam trajecit, & Chriſtiano Leſmoricenſi Epiſcopo, qui Legatum agebat illius inſulæ, mandante Eugenio ſe conjunxit; ac ut maturius religionis negotiis conſulerent, Concilium provinciale anno MCLII indixêre, cui Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates; imò Reges Inſulæ, Duces, Baroneſque intereſſent; illi nimirum ut jura & leges darent, hi ut ſuſciperent: utrique ut convenientias rerum diſcuterent, & altius providerent, ac mutuis auxiliis expeditius exequerentur. Locus Concilii deſignatus *Mellifons* fuit, Ciſtercienſe cœnobium perilluſtre. De hoc Concilio in Anonymo Autiſiodorenſi antiquo ad hunc annum legitur, in collectione enim Labbeana omiſſum fuit: *Joannes Paparo Cardinalis ab Eugenio III Pontifice Romano miſſus, cum Chriſtiano Epiſcopo Liſmorienſi* (qui Ciſtercienſis fuerat) *totius Hiberniæ Legato, in Hiberniam venit. Idem Chriſtianus in Melli, ſeu Mellifontis monaſterio Ciſtercienſi Concilium celebravit, cui interfuerunt Epiſcopi, Abbates, Reges, Duces & majores natu Hiberniæ; quorum conſenſu Archiepiſcopatus conſtituti ſunt quatuor, Armachanus, Dublinenſis, Caſelienſis, Tuamenſis: quibus præfuerunt eo tempore Gelaſius, Gregorius, Donatus, Edanus.* Plura de eorum Metropolitanorum inſtitutione Manricus in Annal. Ciſterc. ad annum 1152. cap. 5. Antea Epiſcopi in Hibernia ſe ſe mutuo conſecrabant, ut refert Giraldus Cambrenſis in Topographia Hiberniæ cap. 17.

XLI. *Romam redit.*

Eugenius Pontifex, qui, ex mox dictis, anno MCL Româ iterum exire coactus fuerat, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo *cum Romanis pace facta Urbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitùs commoratur*, inquit Robertus de Monte vulgatus ad annum 1152. antea

enim

enim ſubinde illuc profectus fuerat, ſed poſtea diſceſſerat. De die tamen ejus Romam adventus non conſentiunt Chronologi. Anonymus Caſſinenſis ad annum 1151. qui nobis eſt 1152. *Eugenius Papa*, inquit, *cum Romanis paciſcens Romam reverſus eſt V Idus Octob.* Joannes verò de Ceccano in Chronico: *Eugenius Papa reverſus eſt Romam VIII Idus Septembris*, ſed quocumque ex illis diebus Romam redierit, completa eſt prophetia Sanctæ Hildegardis, quæ pacem Eugenio, ſed ſub finem Pontificatûs antea prædixerat. SEC. XII. EUGENIUS III.

XLII. *Concordiam init cum Friderico Rege.*

Conrado Germaniæ Rege, qui vulgò Imperator dictus fuit, licet Imperialem coronam non acceperit, Italia, ipſaque urbe Roma bellis civilibus ejus tempore turbatâ, XV Kalendas Martii anni MCLII, ut ſcribit Dodechinus Abbas, mortuo, Fridericus dictus *Ænobarbus*, ſive *Barbaroſſa* à barba rufa, in ejus locum electus eſt die quarta Martii, dieque nona ejuſdem menſis, in Dominica coronatus, *vocatis prudentioribus, ſeu majoribus ex numero Principum, de ſtatu Reipublica conſultans, Legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, Urbem ac totam Italiam deſtinandos diſponit, de promotione ſua in regnum ſignificaturos. Mittuntur itaque Hillinus Treverenſis Electus & Everhardus Bambergenſis Epiſcopus, viri prudentes & literati*, inquit Otto Friſingenſis, conradi Regis mortuí uterinus frater, lib. 2. de Geſtis Friderici cap. 4. Hi cum profecti fuiſſent ad Eugenium Papam, hic ſex viros deſignavit, qui concordiæ capitula ſancirent; quinque ſelecti ex collegio Cardinalium, Gregorius, Humbaldus, Bernardus, Octavianus, Rolandus, & unus ex Abbatibus Ciſtercii, nempe Bruno de Caravalle, vulgo Claravalle, quæ eſt inſignis Abbatia Ordinis Ciſtercienſis prope Mediolanum. Fridericus quinque tantum pro ſe deputavit, duos Epiſcopos, Hamburgenſem & Conſtancienſem, ac tres Comites. Extant in Bibliotheca Vaticana, in volumine quod *Cencius Cameralis* inſcribitur, antiqua documenta concordiæ inter Eugenium & Fridericum initæ, ex parte quidem Regis pro defenſione Eccleſiæ Romanæ, ejuſque bonorum ac jurium; ex parte verò ſummi Pontificis pro corona imperii Friderico impertienda.

XLIII. *Commovetur in Fridericum Regem & quare.*

Sed concordia illa paulo poſt turbata fuit, cum enim, ut refert idem Otto Friſingenſis lib 2. de geſtis Friderici cap. 6. Eccleſia Magdeburgenſis Paſtore ſuo viduata fuiſſet, & Electores inter ſe non convenirent, Fridericum Regem adiêre, qui ut partes in concordiam adduceret, eis propoſuit Guicmannum Ciccenſem Epiſcopum, eique regalia ejuſdem Eccleſiæ conceſſit. Verùm cum Eugenius, quidquid de jure Imperatoris eſſet, certum haberet, non eſſe in facultate alicujus Regis aut Imperatoris, à ſede ad ſedem abſque cauſa, ſede Apoſtolica inconſulta, Epiſcopum transferre, graviter commotus eſt, & tam literis, quam legationibus, Regiæ poteſtati reſtitit, ut Otto Friſingenſis laudatus cap. 8. refert. At cum interim Eugenius Pontifex obiiſſet eique Anaſtaſius IV ſucceſſiſſet, Fridericus

Digitized by Google

SEC. XII. Eugenius III.

miſſis ad eum anno MCLIV cum ipſomet Guicmanno Nunciis, non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine multorum ſcandalo, qui nunquam id factum iri, fixum apud Romanos fuiſſe ab ipſis audierant, ut tradit idem Otto cap. 10. qui addit exinde non ſolum in ſecularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis diſponendis auctoritatem Friderici plurimùm creviſſe.

XLIV. *S. Henricum Imp. Canonizat.*

Idem Otto Friſingenſis in Friderico lib. 1. cap. 63. loquens de ſepultura Conradi Regis, ait eum Regio cultu ſepultum fuiſſe *in Eccleſia Babenbergenſi juxta tumulum Imperatoris Henrici ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Eccleſiæ in loca Sancta levatus, pro Sancto habetur.* Quibus ex verbis colligitur, Sanctum Henricum non multo ante ab Eugenio Papa in Sanctorum numerum relatum eſſe; ex literis enim Canonizationis quæ ſuper ſunt, certus annus erui non poteſt, cum in fine illarum tantum legatur: *Datum trans Tiberim ſecundo Idus Martii.* Eas porrò literas hic integras referre abs re viſum non eſt, quia Synopſim vitæ hujus Sancti Imperatoris continent: *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili Fratri Egelberto Epiſcopo, & Dilectis filiis, Canonicis Bambergenſis Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Sicut per literas & nuncios veſtros Vobis mandaſſe meminimus, venerabiles Fratres noſtros N. Sanctæ Rufinæ Epiſcopum, & N. Presbyterum Cardinalem pro diverſis negotiis ad partes illas de noſtro latere delegavimus, eiſque viva voce injunximus, ut ad Eccleſiam veſtram accederent, atque de vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis ſuis nobis ſignificarent. Nunc autem eorundem Fratrum noſtrorum, & multorum religioſorum & diſcretorum virorum atteſtatione, de caſtitate ipſius, de fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarum, quarundam quoque Epiſcopalium ſedium reparatione, & multiplici eleemoſynarum largitione; de converſione Regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino cooperante per eum facta: de glorioſo etiam ipſius obitu, pluribuſque Miraculis poſt ejus obitum, ad ipſius præſentiam divinitus oſtenſis, multa cognovimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimum attendentes; quod cum Diadema ſceptrumque Imperii ſuſcepiſſet, non Imperialiter, ſed Spiritualiter vixit. In thoro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem caſtimoniæ uſque in finem vitæ conſervavit. Quæ quidem nos omnia ſimul perpendentes, atque devotionem veſtram & Eccleſiæ Bambergenſis, quæ Sancta Romanæ Eccleſiæ ſoli ſubeſſe dignoſcitur, diligenter conſiderantes: tametſi hujuſmodi petitio niſi in generalibus Conciliis admitti non ſoleat, auctoritate tamen S. R. E. quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, poſitionibus veſtris acquieſcimus, atque ejuſdem memorabilis viri, cujus exaltationem requiritis, Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato Conſilio, memoriam inter Sanctos de cetero fieri cenſemus, & anniverſarium ipſius diem ſolemniter celebrari conſtituimus. Veſtra itaque intereſt, ſic*

in S.

Digitized by Google

in S. R. E. Obedientia & fidelitate perſiſtere, & ei digna devotionis obſequiis reſpondere, ut ampliori Beati Petri & noſtra gratia digni inveniamini. Datum trans Tiberim ſecundo Idus Martii. SEC. XII. EUGENIUS III.

Diximus ſuperius Eugenium Papam, Henricum Moguntinum Archiepiſcopum Romam vocaſſe ad dicendam cauſam, ſed pleniori judicio remiſſum eſſe. Quare anno MCLIII ab Eugenio decreta eſt Legatio in Germaniam ad judicandum eumdem Henricum *virum pro diſtractione Eccleſiæ frequenter correptum, nec correctum*, inquit Otto Friſingenſis in Friderico lib. 2. cap. 9. qui ſubdit, Bernardum Presbyterum & Gregorium Diaconum, Cardinales Legatos eum depoſuiſſe, & Arnoldum Cancellarium Friderici Regis in ejus locum ſubrogatum eſſe. Juſte, an injuſte hæc depoſitio facta fuerit, diverſa eſt diverſorum aſſertio. Otto Friſingenſis noxium aſſerit, & Sanctus Bernardus ejus ſimplicitatem excuſandam cenſet; Conradus verò Epiſcopus Moguntinus, qui poſt annum centum Chronicon Moguntinum ſcripſit, omnem culpam rejicit in Arnoldum ejuſdem Archiepiſcopi proditorem, atque in Legatos Apoſtolicæ ſedis pecuniâ corruptos, quos etiam terribili Dei judicio punitos narrat: *Poſt annum fere & dimidium Venerabilis Henricus Præſul defunctus, Deo ad quem appellaverat, totum proceſſum lachrymabiliter aſſignavit.* Subdit idem Chronographus, qui ait, ſe referre rem omnibus illius ſeculi notiſſimam. Sed Baronius Conradi narrationem ſuſpectam falſamque habet, præcipuè quia iidem ipſi Cardinales, quos poſt annum & dimidium male periiſſe tradit, longe diutius ſupervixiſſe reperiantur. XLV. *Legatos mittit in Germaniam pro cauſa Henrici Archiep. Mogunt.*

Eodem anno milleſimo centeſimo quinquageſimo Tertio, die Octava menſis Julii defunctum eſſe Eugenium Papam, habemus ex veteri codice Bibliothecæ Vaticanæ, in quo, teſte Baronio, legitur: *Defunctus eſt apud Tibur die Octava Julii, & inde per ſtratam publicam, & mediam Urbem, atque in Vaticanum, cum totius Cleri & populi Romani frequentiſſima turba, maximo luctu, communique omnium immenſa triſtitia deportatus eſt, & in ipſa B. Petri Eccleſia coram majori altari tumulatus.* Eumdem diem Eugenii morti aſſignat Hugo Epiſcopus Oſtienſis in Epiſtola, qua eam Abbatibus & Capitulo Ciſtercienſi ſignificat, & quam Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium ex MS. Morimundenſis cœnobii in diœceſi Mediolanenſi deſcriptam exhibet. Sed cum Joannes de Ceccano in Chronico dicat, Eugenium mortuum Tiburi *Nonis Julii*, ſeu die ſeptima Julii, ex eo deduci debet, Eugenii obitum contigiſſe nocte inter diem ſeptimam & octavam Julii, indeque Ceccanum eam priori diei, alios verò poſteriori affixiſſe, dici enim non poteſt, priorem diem eſſe diem mortis, & poſteriorem Sepulturæ, quia ejus exequiæ *per biduum* ſunt celebratæ, ut idem Hugo aſſerit. Sedit itaque Eugenius annos VIII, menſes IV, dies X, ut rectè ſcribit Godefridus Viterbienſis. XLVI. *Ad Deum tranſit.*

Felicem Eugenii III obitum ita refert Hugo Oſtienſis Epiſcopus in

laudata

Digitized by Google

SEC. XII. EUGENIUS III.

laudata Epiſtola: *Decus Eccleſiæ, Pater juſtitiæ, amator Religionis & Patronus, qui ſuperborum & humilia corda propria virtute calcaverat, qui ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebat, ut Eccleſiam ſibi commiſſam, quam ad ſublimem ſtatum reduxerat, confirmarat, & corroborarat: Pater, inquam, noſter, ac defenſor, felicis memoriæ Papa Eugenius trabea carnis exutus, octavo Idus Julii carne immaculatus migravit ad Chriſtum; exivit Chriſto obviam in aera, & ſic ſemper cum Domino erit, agnum ſecutus quocumque ierit. Cujus exequiæ præter ſpem omnium (jam ferè enim Senatum annihilaverat) præter morem conſuetum, ita per biduum ſunt à Clero & populo celebratæ, ut jam crederetis regnantem in cœlis, qui mortuus colebatur in terris. O quantus erat luctus omnium, quanta præcipuè lamenta pupillorum, & viduarum; jam diceretis eſſe cum Deo, qui ita lamentabatur à populo; procul dubio ereptus eſt à laqueo venantium, contritus eſt laqueus & ipſe liberatus eſt.*

XLVII. *Luctus Romanorum de ejus morte.*

XLVIII. *Miracula ejus.*

Certè Eugenium ſtatim à morte Miraculis refulſiſſe, antiqui & graves Auctores affirmant. Godefridus Monachus Clarævallenſis, qui tunc vivebat, Divi Bernardi mortem lib. 5. cap. 2. ejus vitæ deſcribens, ait: *Facta ſunt hæc eodem anno, quo B. pater noſter Eugenius Tertius, ejuſdem patris ſancti in converſatione ſancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad Lucem, cujus merita in ipſa, cui inſigniter præfuit Urbe, miraculis pluribus illuſtrata coruſcant.* Idem ſcribunt Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali, Auctor faſciculi Temporum, Chronicon magnum Belgicum; quin & Chronicon Normanniæ ab Andrea Ducheſnio in fine Hiſtoriæ Orderici Vitalis publicatum; *menſe Julio*, ait, *viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt venerabilis memoriæ Eugenius III Papa, vir admodum religioſus, in eleemoſynis largus, in judiciis juſtus: Omnibus tam pauperibus, quam divitibus affabilis & jucundus, ad cujus tumulum, qui in Eccleſia Beati Petri venerabiliter factus eſt, miracula poſt tranſitum ejus ſtatim apparuerunt.* Chryſoſtomus Henriques in ſuo faſciculo parvum Tractatum vulgavit *de Miraculis Eugenii* ex codice MS. Dunenſis cœnobii, Auctore Anonymo, ſed oculari & Synchrono, qui miracula ſeptem ad Sepulturam ejus patrata notavit, præfixa ſemper ad Eugenii nomen appellatione *Beati.* Edidit etiam illum Papebrocius in Conatu Chronico Hiſtorico ex antiquo codice Monaſterii Urſicampi in Picardia, in præfatione Auctor indicat ſe eo tempore vixiſſe. Denique Continuator Chronici Sancti Petri Vivi, qui hoc etiam tempore vivebat, Eugenii morte narrata, ait: *Miraculis glorioſis illius Sepulchrum illuſtratum eſt.* Hinc Kalendariis Ciſtercienſibus nomen ejus inſcriptum ad diem Octavum menſis Julii.

XLIX. *Epitaphium ex Chronico Belgico.*

Nullum Epitaphium ejus Sepulchro fuiſſe inſculptum conjicit Papebrocius ex ſilentio Romani Canonici; Angelus tamen Manrique parte 2. Annalium Ciſtercienſium pag. 224. iſtud ex Auctore Chronici Belgici tranſcriptum refert: *Hic*

Hic jacet Eugenius defunctus cerne Sepulchrum SEC. XII. EUGENIUS III.
Cui pia cum Chriſto vivere vita fuit.
Piſa virum genuit, quem Clara vallis alumnum
Exhibuit, ſacra religionis opus.
Hinc ad Anaſtaſii translatus Martyris ædem,
Ex Abbate, Pater ſummus in orbe fuit.
Eripuit ſolemne jubar mundique decorem
Julius, octavum ſole ferente jubar.

ANASTASIUS IV *Pontif. CLXVIII.*

Anno Domini MCLIII.

EAdem die, quâ Eugenius III Sepulturæ mandatus eſt, ſcilicet nona menſis Julii anni Milleſimi centeſimi quinquageſimi tertii, Conradus Sabinenſis Epiſcopus, patria Romanus, de Regione Suburræ, ex patre Benedicto, electus eſt Romanus Pontifex, ut ex ejus ſedis duratione conſtabit: *Succeſſit ei* (nempe Eugenio) *Conradus Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis in Urbe duntaxat in agendis Epiſcopalibus, dum Papa deeſt, ex antiqua conſuetudine, pro dignitate loci ſui Vicarius, qui erat natione Romanus, vir grandævus & apud Romanos auctoritate præclarus, exinde vocatus Anaſtaſius IV*, inquit Auctor anonymus antiqui Chronici Normanniæ pag. 988. in fine Hiſtoriæ Orderici Vitalis editi: quod Chronographus iſte exſcripſit ex Germano Roberto de Monte in Chronico, à Dacherio publicato, qui cum hoc ipſo tempore vixerit, manifeſtum eſt erraſſe Ciaconium, qui ſcribit, Anaſtaſium IV fuiſſe Abbatem Sancti Rufi, & Aurelianenſis diœceſis in Galliis. — I. *Anaſtaſius IV fit Papa.*

Platina de Vitis Pontificum ait, Anaſtaſium IV ante Pontificatum fuiſſe Abbatem Sancti Rufi Veliternenſis diœceſis, quod & legitur in Trithemio lib. 4. cap. 16. in Hieronymo de Plata de Bono ſtatu Religionis lib. 2. cap. 28. & in prima editione Chronici Eccleſiaſtici Onuphrii Venetiis anno 1557. curata in fol. quod deſinit in Paulo IV, & in quo ſcribit de Anaſtaſio: *Natione Italus, patria Romanus, de regione Suburra, ex Patre Benedicto, Monachus Sancti Benedicti Congregationis...... Abbas Sancti Rufi Veliternæ diœceſeos.* In altera verò editione ejuſdem Chronici, quæ deſinit in Pio V, anno 1566. Pontifice electo, quæ ſubjuncta eſt editioni Platinæ anni 1568. nulla mutatæ ſententiæ ratione adducta, ait: *Anaſtaſius IV, Romanus, Chunradus de Suburra, Benedicti filius, Canonicus Regularis & Abbas Sancti Rufi Valentinæ diœceſeos in Galliis.* Sed Anaſtaſium IV non fuiſſe Abbatem S. Rufi prope Valentiam, ex eo convincitur, quod Abbatia S. Rufi, caput Canonicorum Regularium, ſita eſſet in Provincia prope Avenionem, indeque nonniſi poſt hujus Ponti- — II. *Non fuit Benedictinus, neque Abbas S. Rufi in Gallia.*

SEC. XII. ANASTASIUS IV. ficis mortem Valentiam tranſlata fuerit, ut dicetur in Hadriano IV, ideoque Anaſtaſius IV nec Canonicus Regularis Monaſterii S. Rufi in Gallia, nec ejuſdem Abbas fuit. An autem Monachus fuerit S. Benedicti valde dubium eſt, nullus enim ante Trithemium, qui anno 1516. è vivis exceſſit, id in literas miſit, quod etiam aſſerit de Hadriano IV, quem tamen conſtat, non fuiſſe Benedictinum, ſed Abbatem S. Rufi in Provincia. Nihil ergo veriſimilius dici poteſt, niſi eum fuiſſe Canonicum Regularem monaſterii cujuſdam in Veliterna diœceſi ſiti, quod dictum eſt poſtea Abbatia S. Rufi, quia erat Prioratus Canonicorum Regularium ab Abbatia S. Rufi prope Avenionem dependens.

III. *Nimia facilitatis reprehenditur.* Eugenium III literis & legationibus reſtitiſſe Friderico Imperatori, qui, inconſulta ſede Apoſtolica Guicmannum Siccenſem Epiſcopum ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem tranſtulerat, ſuperius diximus. Sed Eugenio mortuo miſſus ab Anaſtaſio Gerardus Cardinalis ad terminandam illam cauſam, quam Eugenius bene inchoatam reliquerat. Verùm cum Gerardus quædam ſecus nutum Friderici tractare vellet, indignationem ejus incurrens, infecto negotio dimiſſus cum dedecore, in via mortuus eſt. Fridericus autem anno 1154. miſſis ad Anaſtaſium cum ipſo Guicmanno Nunciis, non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere Guicmanno fecit, non ſine multorum ſcandalo, ut ait Otto Friſingenſis in Friderico lib. 2. cap. 10. Ob idque Anaſtaſius Papa nimiæ facilitatis reprehenſus eſt.

IV. *S. Villelmum in Epiſcopatum Eborac. reſtituit, & pallio donat.* Sed ſi Anaſtaſius hac in cauſa multorum reprehenſionem incurrit, in eo maxime laudandus, quod, mortuo Henrico de Murdac Archiepiſcopo Eboracenſi, Willelmum antea ejuſdem ſedis Archiepiſcopum conſecratum, & ab Eugenio III depoſitum, in ſedem ſuam reſtituerit, eique pallium miſerit. Hæc refert Guillelmus Neubrigenſis Auctor æqualis lib. 1. cap 26. ubi poſtquam retulit Eugenii Papæ mortem & S. Bernardi Claræyallenſis Abbatis, ſubdit: *Vulgato autem duorum tranſitu* (ſc. Eugenii & Bernardi) *tertio adhuc ſuperſtite* (ſc. Henrico de Murdac) *Guillelmus olim Eboracenſis, qui Vintonia morabatur, ſpe recuperationis concepta (nam prior eum depoſuerat, ſecundus, ut deponeretur, egerat, tertius depoſito ſucceſſerat) ſedem Apoſtolicam celeriter adiit, judicium non accenſans, miſericordiam humiliter poſtulavit. Et ecce certus de tranſitu, ex Anglia Eboracenſis Epiſcopi* (nempe Henrici de Murdac) *nuntius ſuperveniens, ejus* (nempe Guillelmi) *preces multum adjuvit. Et quidem Dunelmenſis Electus, qui prior illuc venerat, à Domino Papa* (Anaſtaſio IV) *ſolemniter conſecratus, illius* (ſc. Guillelmi) *qui poſterior advenerat, pendente adhuc fortuna diſceſſit. Sed tandem prioris judicii rigore ſublato, Apoſtolicæ manſuetudinis Clementiam expertus, miſerante ejus canos Papa cum Cardinalibus, & ſatagente circa ejus negotium maxime quodam Gregorio magni nominis Cardinali, homine facundiſſimo & profundiſſima aſtutia*

atque

Digitized by Google

atque animi verè Romani. Itaque in integrum reſtitutus, & pallio, quod SEC. XII.
nunquam eatenus impetrare potuerat, inſignitus, Sabbato Sancto Wintoniam rediit ANASTA-
anno 1154. ſed, ut pergit idem Neubrigenſis, *receptam non multò poſt Al-* SIUS IV.
bas Paſchales Eccleſiam decenti moderamine regens, & ingenita lenitate,
nulli oneroſus exiſtens: Paucis poſt Pentecoſten evolutis diebus, febre corripi-
tur, & rapitur ex hac vita, ingenti tam Clericis, quàm laicis ex mitiſſi-
mi Paſtoris occaſu luctu relicto. De ejuſdem Sancti Willelmi Eboracenſis
Canonizatione agetur in Honorio III.

Eodem anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto Anaſtaſius Pontifex Raymundo de Podio Magiſtro Hoſpitalis Jeroſolymitani, & Fratribus ſeu Equitibus ejus Apoſtolicum reſcriptum direxit, quo ſtatuit, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona ad ſuſtentandam peregrinorum & pauperum neceſſitatem offerri contingeret, vel jam conceſſa eſſent, quieta ſemper & integra poſſiderent: *Quia verò*, ſubdit, *omnia veſtra ſuſtentationibus peregrinorum & pauperum debent cedere, ac per hoc nullatenus aliis uſibus ea convenit applicari, conſtituimus, ut de laboribus, quos veſtris ſumptibus colitis, nullus omninò Clericus vel laicus decimas à Vobis exigere præſumat; Statuimus, ut nulli Epiſcopo in Eccleſiis Vobis ſubditis interdicti, vel ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam liceat promulgare.* Concedit & aliqua alia privilegia, ibidem expreſſa, & jam à præcedentibus Romanis Pontificibus data confirmat. In fine legitur: *Datum Lateran. XII Kal. Novemb. Indict. IV* (legendum, indict. III mense Septembri anni 1154. inchoata) *Incarnat. Dom. anno MCLIV Pontificatûs Domini Anaſtaſii IV Papæ ann. Secundo.* Referuntur eæ literæ inter privilegia Equitum Jeroſolymitanorum & Tomo X Concil. Earum receſſionem ab Hadriano IV fruſtrà petiiſſe Fulcherium Patriarcham Jeroſolymitanum in ejus Vita videbimus.

V. *Privilegium concedit Equitibus Jeroſolymitanis.*

Anaſtaſii IV Pontificatus brevis fuit; ſedit enim tantum annum unum, menſes quatuor, dies viginti quatuor, ut tradunt Bromptonus in Chronico pag. 1040. Auctor faſciculi Temporum, Matthæus Paris, Martinus Polonus & Auctor Magni Chronici Belgici pag. 174. Quare cum ex codice Vaticano à Baronio relato, ex Onuphrio in Chronico, & ex Sigonio in Hiſtoria de Regno Italiæ obierit quarto Nonas Decembris, ſeu die ſecunda illius menſis, obiit anno 1154. ex quo & evincitur, rectè à nobis dictum, ejus aſſumptionem in Pontificem contigiſſe die nona Julii anni 1153. In Necrologio quidem Caſſinenſi à Caraciolo edito, & in Chronico Joannis Ceccani Anaſtaſii IV obitus jungitur cum die III Nonas Decembris, ſeu cum die tertia ejuſdem menſis, at ibi non notatur dies mortis, ſed dies Sepulturæ. Et hæc videntur eſſe ſine controverſia. De Anaſtaſio hæc habet Continuator Ottonis Friſingenſis: *Eugenius Papa, vir juſtus & Religione inſignis, ab hac luce tranſiens, Anaſtaſio, homini veterano, & in conſuetudine illius curiæ exercitato, ſedem reliquit.*

VI. *Moritur.*

 Joan-

SEC. XII. ANASTASIUS IV. Joannes Diaconus Junior in libello de Eccleſia Lateranenſi, cujus erat Canonicus, de Anaſtaſio IV ſcribit: *a ſiniſtro latere Baſilicæ eſt altare beatæ Mariæ de Repoſo. Ibi juxta jacet Anaſtaſius Papa IV, qui fuit Sabinus Epiſcopus, in mauſoleo porphyretico præclaro opere ſculpto, in quo olim*

VII. *Sepelitur in Eccleſia Lateran.* *jacuit Helena mater Conſtantini Imperatoris: quod videlicet mauſoleum de Eccleſia, quam idem Imperator ad honorem ipſius matris extra Urbem fabricaverat, idem Papa deportari fecerat.* Cæſar Raſponus in deſcriptione Baſilicæ Lateranenſis pag. 77. de eodem ſepulchro ita loquitur: *Ad lævam, prope portam ſanctam juxta altare, quod erat Sancti Antonini Martyris, in tumulo porphyretico præclari admodum operis jacebat Anaſtaſius quartus Pontifex, qui eum tumulum, tempore Innocentii II à latronibus violatum expilatumque, & cineribus divæ Helenæ Auguſtæ, quibus aſſervandis initio extructus eſt, orbatum; ex ejus antiqua extra Urbem Baſilica huc tranſtulerat, ſibique paraverat .... ſed hoc ejus ſepulchrum incendio depravatum, illud eſt, quod jam poſt abſidem & Chorum Canonicorum ſpectatur.* Tumulus itaque ille, qui tempore Joannis Diaconi Junioris erat à ſiniſtro latere Baſilicæ juxta altare B. Mariæ de Repoſo inde ante Raſponi tempora tranſlatus fuerat ad lævam ejuſdem Baſilicæ juxta altare S. Antonini indeque poſt incendium poſitus eſt poſt abſidem & Chorum Canonicorum. Exuviæ autem Divæ Helenæ in alia elegantiſſima porphyretica arca apud Franciſcanos ad Aram cœli creduntur ſervari.

VIII. *Ejus in eamdem Baſilicam beneficentia.* Pergit autem Joannes Diaconus: *Hic unicè ac devotiſſimè dilexit præ omnibus iſtam Eccleſiam* (nempe Lateranenſem) *antea dum eſſet Epiſcopus, atque in Apoſtolatu ſublimatus, poſtea plurimis beneficiis honoravit. Nam duo privilegia Canonicis præfatæ Baſilicæ ſolemniter condidit; in quibus, & quæ tunc poſſidebant, confirmavit, & de benegnitate & gratia ſua plurima ſuper erogavit*, multaque alia in ejuſdem Baſilicæ gratiam fecit ibidem ſigillatim enumerata.

HADRIANUS IV *Pontif.* CLXIX.

Anno Domini MCLIV.

I. *Hadrianus IV Succedit Anaſtaſio IV.* POſtridie mortis Anaſtaſii IV, die ſcilicet tertia menſis Decembris anni milleſimi centeſimi quinquageſimi quarti, Nicolaus de Brekſpere, ſeu de Brekſpear, natione Anglus, jam ab anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto ab Eugenio III Cardinalis Albanenſis creatus, Anaſtaſio IV ſucceſſor datus eſt. In codice enim Vaticano à Baronio laudato ita legitur: *Obiit Anaſtaſius Papa. In ſecundo die convenientibus in unum pro eligendo ſibi paſtore Epiſcopis & Cardinalibus apud Eccleſiam Beati Petri, non ſine divini diſpenſatione conſilii factum eſt, ut in ejus perſonam unanimiter concordarent; & Papam Hadrianum à Deo electum, tam Clerici,*

quàm

quàm laici pariter conclamantes, eum invitum & renitentem in Sedem beati Petri inthronizarent, Deo auctore, quarto Nonas Decembris (legendum cum Baronio tertio Nonas Decembris) *Dominica Incarnationis anno MCLIV, indictione tertia* à menſe Septembri cœpta. Hæc correctio non ſolum ex eo confirmatur, quod idem Auctor anonymus jam ſcripſerat Anaſtaſium IV obiiſſe quarto nonas Decembris, ſed etiam ex Gaufredo Voſienſi Tomo 1. Biblioth. Labbei pag. 308. ſcribente: *Huic* (nempe Anaſtaſio IV) *ſucceſſit Hadrianus Papa, qui extitit Canonicus de Sancto Ruſo, & coronatur feria ſexta*, quæ anno 1154. concurrebat cum die tertia Decembris. SEC. XII. HADRIANUS IV.

Verùm Hadrianus non Canonicus tantum Regularis monaſterii Sancti Rufi, ſed etiam Abbas ejuſdem monaſterii, tunc prope Avenionem fundati extitit, ut refert idem Anonymus Vaticanus. At de varia ejus fortuna diſertius loquitur Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. de Rebus Anglicis, ubi cap. 6. ſcribit: *Is natione Anglicus patrem habuit Clericum quemdam non multa facultatis, qui relicto cum ſeculo filio impubere apud Sanctum Albanum factus eſt Monachus. Ille verò* (Nicolaus) *adoleſcentiam ingreſſus, cum propter inopiam ſcholis vacare non poſſet, idem monaſterium quotidiana ſtipis gratia frequentabat. Unde pater erubuit, verbiſque mordacibus ſocordiam ejus increpitans, omni ſolatio deſtitutum cum gravi indignatione abegit.* Tum de Nicolao ſubdit: *Ille verò ſibi relictus, & forte neceſſitate aliquid audere coactus Gallicanas adiit regiones, ingenuè erubeſcens in Anglia vel fodere vel mendicare. Cumque in Francia minus proſperaretur, ad remotiora progrediens, trans Rhodanum peregrinatus eſt in regione quæ Provincia dicitur. Eſt autem in regione illa monaſterium nobile Clericorum Regularium, quod dicitur Sancti Rufi, ad quem locum ille veniens, & ſubſiſtendi occaſionem ibidem inveniens, quibus potuit obſequiis iiſdem ſe fratribus commendare curavit.* Tunc enim monaſterium S. Rufi extra civitatem Avenionenſem poſitum erat, & poſtea ſub ejuſdem Hadriani IV Pontificatu tranſlatum eſt Valentiam in Delphinatu. Hic autem obiter notandum Clericos ſeu Canonicos Regulares modo *Fratres*, modo *Monachos* appellatos fuiſſe. II. *Adhuc adoleſcens in Provinciam venit.*

Et quoniam, ſubdit Neubrigenſis, *erat corpore elegans, vultu jucundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger, placuit omnibus, rogatuſque Canonici Ordinis ſuſcipere habitum, annis plurimis ibidem reſedit, regularis imprimis diſciplinæ æmulator. Cumque eſſet acris ingenii, & lingua expedita, frequenti & ſtudioſa lectione ad ſcientiam atque eloquentiam multum profecit. Unde factum eſt, ut Abbate defuncto, fratres eum concorditer atque ſolemniter in patrem eligerent,* (poſt annum MCXXXVII, quo Willelmus ejus deceſſor adhuc Abbas erat Sancti Rufi, ut legere eſt ad eum annum in Critica Baronii num. 13.) *quibus cum aliquandiu præfuiſſet, pœnitentia ducti, atque indignati, quod hominem peregrinum levaſſent ſuper capita ſua, facti ſunt de cetero infidi atque infeſti. Odiis itaque paulatim crudeſcen-* III. *Fit Abbas Monaſterii S. Rufi.*

SEC. XII. HADRIANUS IV.

tibus; ut jam graviter aſpicerent, in quo paulo ante bene complacuerat; tandem confictis & propoſitis contra eum capitulis ad Sedem Apoſtolicam provocarunt. Pia autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Pontificii tenebat, cum rebellium filiorum contra patrem querelas audiſſet, & ejus pro ſe allegantis prudentiam modeſtiamque animadverteret, paci inter eos reformandæ efficacem operam dedit, multumque imperans & ſæpius inculcans utrique parti, ut partes eſſe deſinerent, & unitatem Spiritus in vinculo pacis ſervarent, reconciliatos ad propria remiſit.

IV. *Poſtea Cardinalis.*

At non diu quievit neſcia quietis malitia, graviuſque intonuit rediviva tempeſtas. Interpellatus eſt iterum idem venerabilis Pontifex, cujus jam aures fratrum illorum querelis & ſuſurris tinniebant. Utrique ergo parti piè & prudenter proſpiciens, Scio, *inquit*, Fratres, ubi ſedes ſit Sathanæ, ſcio „ quid in vobis ſuſcitet procellam iſtam: ite, colligite vobis cum quo „ pacem habere poſſitis, vel potius velitis: iſte non erit vobis ulterius oneri: *Itaque dimiſſis fratribus Abbatem in Beati Petri obſequio retinens, Albanenſem ordinavit Epiſcopum.* Ita Neubrigenſis Anglus ipſe & hoc tempore vivens. Idem refert Matthæus Paris in Vitis Abbatum San-Albanenſium in Roberto Abbate. Nicolaum poſtea anno 1148 Legatum ab eodem Eugenio in Norvegiam & Succiam miſſum, Metropoles ibidem erexiſſe, ſuperius in Eugenii Vita oſtendimus.

V. *Sub Hadriano IV Abbatia S. Rufi Avenione Valentiam transfertur.*

Quod attinet ad monaſterium Sancti Rufi prope muros Avenionis, quod ſub Hadriano IV Valentiam tranſlatum diximus, id conſtat ex Epiſtola ejuſdem Hadriani Tuſculi data, quâ confirmat venditionem inſulæ Eſparveriæ prope Valentiam, Raimundo Abbati factam ab Odone Epiſcopo Valentino, in qua Raimundus Abbas, ad quem directa eſt hæc Epiſtola anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo data, magnificum monaſterium conſtruxit, & poſtea Canonicis Regularibus prope Avenionem habitantibus perſuaſit, ut in eam inſulam ſedem Abbatialem transferrent. Hujus inſulæ venditionis meminêre San-Marthani in Abbatibus Sancti Rufi, Columbius in Epiſcopis Valentinis, & Chorierus in Hiſtoria Delphinatus lib. 2. §. 11. San-Marthani quidem eam Abbatiæ San-Rufenſis tranſlationem anno 1210. factam ſcribunt; ſed præterquam quod id gratis aſſerunt, longe veriſimilius eſt quod habet Chorierus citatus, Raimundum ſcilicet, qui Eſparveriam inſulam emit, primum Ordinis Abbatem fuiſſe, ex quo ſedes Abbatialis in diœceſim Valentinam tranſlata fuit. In ea inſula permanſit ſedes Abbatum uſque ad annum 1562. quo, ardentibus bellis civilibus, omnia ædificia everſa, & ſedes Ordinis tranſlata in Prioratum ejuſdem Ordinis intra urbem Valentinam longe antea ædificatum. Porrò Eſperveria ideo dicitur inſula, quia per fontanos rivos à reliquo agro diſtinguitur, quâ Rhodanus non alluit.

VI. *Hadrianus Equitum Ieroſolymitanorum privilegia reſcindere recuſat.*

Privilegium quod Anaſtaſium IV Equitibus Jeroſolymitanis conceſſiſſe vidimus in ejus Pontificatu, cauſa fuit diſſidii inter eoſdem Equites & Clerum Je-

rum Jeroſolymitanum. Guillelmus Tyrius lib. 18. cap. 3. queritur, Equites tam Fulcherio Patriarchæ, quàm ceteris Eccleſiarum Orientalium Prælatis *multas tam ſuper parochiali jure, quàm ſuper jure decimationum* cœpiſſe inferre moleſtias, quas ibidem & capitibus ſequentibus refert, hinc, inquit, Fulcherius Patriarcha, variique Prælati, quos memorat, venerunt cum eo in Italiam ad Pontificem Romanum, ut ab eo peterent reciſionem literarum ab Anaſtaſio IV Equitibus conceſſarum; ſed Hadrianum IV, qui ei ſucceſſerat, nihil in eis innovare voluiſſe. Quare cap. 8. ſubdit, quoſdam dixiſſe, Hadrianum Papam *muneribus infinitis* corruptum *in partem Hoſpitalariorum* ſe dediſſe proclivem, *qui jam ad eum multò ante prævenerant*. Poſt aliqua interpoſita ſubjungit: *de tanta autem Cardinalium turba, vix reperti ſunt duo vel tres, Dominus ſcilicet Octavianus, & Dominus Joannes de Sancto Martino, qui ejuſdem Domini Patriarcha, dum eſſet Tyrenſis Archiepiſcopus, Archidiaconus fuerat, qui Chriſtum ſequentes, ejus miniſtrum in cauſa ſua piè vellent fovere. Alii omnes abeuntes poſt munera, ſecuti ſunt Balaham, filii Boſor.*

VII. *Hadrianus PP. & Cardinales à calumnia vindicantur.*

Sed hac in re Guillelmus Tyrius nullam fidem meretur, illud enim privilegium Equitibus Jeroſolymitanis conceſſum, ejus animum adverſus eos ita commovit, ut ipſum etiam Hadrianum Pontificem & meliores Cardinales vituperare non erubuerit. Verùm hæc ejus calumnia ruit, non ex eo ſolùm quod conſtat Hadrianum Papam à muneribus fuiſſe alieniſſimum, ſummaque integritate præditum; ſed & ex eo, quod duo illi Cardinales, quos ſolos avaritiæ non inſimulat Tyrius, ſchiſma in Eccleſia fecerint; Octavianus quidem Presbyter Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, cùm anno 1159. contrà Alexandrum III, à duobus tantum Cardinalibus, Joanne videlicet de Sancto Martino, & Guidone Cremenſi electus eſt Antipapa, ſub nomine Victoris IV, de quo Petrus Bleſenſis in Epiſtola 48. ſcribit: *Octavianus ille auctor ſchiſmatis toto tempore vitæ ſuæ congregaverat opes & divitias, ut quietem Eccleſiæ perturbaret. Suis igitur largitionibus ita infuſcaverat ſapientes hujus ſeculi*, & cetera infra in Alexandro III num. L. referenda. Joannes verò de Mercone Piſanus, ſeu, ut vocatur à Tyrio de Sancto Martino, Octaviano ſchiſmatico Papâ electo, ejus nomine legationem obiit ad Concilia Gallicana, & mortuo Antipapa ab incœpto non deſtitit, ſed cum aliis ſchiſmaticis Guidonem Cremenſem in Pontificem contra Alexandrum III anno 1164. elegit, ſub nomine Anacleti III, & tandem par meritis conſecutus eſt præmium, ut ex actis Vaticani codicis haberi ſcribit Ciaconius; nam cum extra urbem ad animi oblectationem equitaret, ſubitò corruit, & confractis cervicibus miſerè periit. Ubi vides quos Cardinales laudibus ad cœlum efferat Guillelmus Tyrius, cum e contra alios vituperet, quos Joannes Sareſberienſis lib. 6. cap. 24. de Nugis Curialium maximis laudibus extollit, & quacumque avaritiæ ſuſpicione purgat: *Unum*, inquit, *audacter, conſcientia teſte, profiteor,*

quia

Digitized by Google

SEC. XII. HADRIANUS IV. *quia nuſquam honeſtiores Clericos vidi quam in Eccleſia Romana, aut qui magis avaritiam deteſtentur. Quis Bernardi Redonenſis, Sanctorum Coſmæ & Damiani Diaconi Cardinalis continentiam, contemptumque pecuniæ non miretur? Nondum natus eſt à quo munus acceperit. Quod tamen à communione fratrum ſinceriore jure proveniebat, interdum accipere perſuaſus eſt. Quis non ſtupeat Epiſcopum Preneſtinum, qui ſcrupulum conſcientiæ metuens, & à participatione bonorum communium abſtinebat? Plurium tanta modeſtia, tanta gravitas eſt, ut Fabricio non inveniantur inferiores, quem agnitâ ſalutis via, modis omnibus antecedunt.* Ex quibus concludendum eſt, Guillelmo Tyrio adversùs Hadrianum Papam, Cardinales & Equites Jeroſolymitanos loquenti nullam fidem adhiberi debere.

VIII. *Romam interdicto ſubjicit & quare.* Ipſo Pontificatûs Hadriani IV exordio Arnaldus Brixienſis, Hæreſiarcha, de quo jam ſuperiùs dictum eſt, rurſum quorundam perverſorum civium & Senatorum favore in Urbem ſe intruſit, atque ipſi Hadriano, ceteriſque Patribus inſidiari, & publicè procaciter ita adverſari cœpit; ut Gerardum Cardinalem Sanctæ Pudentianæ, dum iret ad Pontificem, quidam ex hæreticis aggredientes ad interitum vulnerarent. Quare Hadrianus civitatem Romanam interdicto ſuppoſuit, & uſque ad quartam feriam Majoris hebdomadæ, quæ anno 1155. in diem 23. Martii incidebat, univerſa civitas ceſſavit à divinis. Tunc verò Senatores compulſi à Clero, & populo Romano, accedentes ad Pontificem, ſupra Sancta Evangelia jurarunt, quòd Arnaldum & ipſius ſectatores ab Urbe & ejus finibus expellerent, niſi obedientes ſe Pontifici exhiberent. Sicque, ipſis ejectis, civitas abſoluta eſt, & ingenti gaudio repleta. Hæc refert Baronius ex Auctore anonymo de Geſtis Romanorum Pontificum, qui præſens eis fuit.

IX. *Arnaldi de Brixia Hæreſiarchæ finis.* Interea Fridericus Romanorum Rex tanta celeritate cum exercitu Romam properabat, ut meritò credi poſſet magis hoſtis accedere, quam patronus. Quare Hadrianus Papa apud Viterbium tunc exiſtens, miſit ei obviam Jacobum & Gerardum Presbyteros, ac Gregorium Diaconum, Cardinales, unà cum capitulis de quibus deberent cum eo pro Eccleſia tractare. Qui ab eo apud Sanctum Quiricum honorificè ſuſcepti, imprimis popoſcerunt reddi ſibi dictum Arnaldum Brixienſem, Hæreſiarcham, qui in ejus exercitu erat; quod ipſe confeſtim præſtitit. Quid autem poſt de eo factum fuerit, Otto Friſingenſis in Friderico lib. 2. cap. 20. & Guntherus Vates Ligurinus in eodem Friderico lib. 3. docent, nempe illum traditum fuiſſe in manus Urbis Præfecti, ejuſque juſſu ligno adactum, & igne combuſtum, cineresque in Tiberim ſparſos, ne ſtolidæ plebi corpus ejus venerationi eſſet.

Unde etiam tandem (neque enim reor eſſe ſilendum)
Ne de funeſto repetatur poſtea ſermo,
Judicio Cleri, noſtro ſub Principe victus,

Appen-

Digitized by Google

Appenſuſque Cruci, flammaque cremante ſolutus
In cineres, Tiberine, tuas eſt ſparſus in undas,
Ne ſtolidæ plebis, quem fecerat improbus error,
Martyris oſſa novo cinereſve foveret honore.

Hæc Guntherus, ex quo, & ex Ottone Friſingenſi laudato habemus, hunc tandem digniſſimum exitum conſecutum eſſe nefandiſſimum Hæreſiarcham Urbis & Orbis perturbatorem.

X. *Congreſſus Hadriani PP. cum Friderico Rege.*

Anonymus Vaticanus laudatus aſſerit etiam Fridericum Regem Cardinalibus reddi juſſiſſe Arnaldum, & poſtea addit, poſt multa hinc inde inter Hadriani Pontificis & Friderici Legatos tractata, præſtitumque à Rege ſolemne juramentum de conſervandis ac defendendis omnibus debitis Pontifici juribus; ipſum Hadrianum è munitiſſimo civitatis Caſtellanæ præſidio, in quod ſe, timore Friderici receperat, ad eumdem Regem apud Sutrium deſcendiſſe. Cum autem Rex ei de more officium ſtratoris non exhiberet, Cardinales perterriti iterum ad civitatem Caſtellanam confugerunt; Pontifex verò in præparata ſibi ſede conſidens, cum Rex ad ejus veſtigia procidiſſet, & deoſculatis pedibus ad pacis oſculum accedere voluiſſet, Pontifex illud ei denegavit, ob non impenſum ſibi ab eo conſuetum ab orthodoxis Imperatoribus, pro Apoſtolorum Petri & Pauli reverentia, reddi Romanis Pontificibus ſtratoris obſequium. Sed reſpondente Rege, ſe ad hoc non teneri, ſequenti die inveſtigata diligenter antiqua conſuetudine & veteribus monumentis, judicio Principum, qui aderant, decretum eſt, totiuſque regalis Curiæ conſenſu confirmatum, Regem debere Pontifici ſtreguam ſeu ſuppedaneum tenere, dum conſcenderet equum, aut deſcenderet, & ſtratoris officium exhibere, idque Fridericus in conſpectu univerſi exercitûs alacriter præſtitit, & poſtea ad pacis oſculum admiſſus eſt. Hæc Auctor ille in codice Vaticano.

XI. *Hadrianus PP. Fridericum Imp. coronat.*

Venêre poſtea Romanorum Legati magno faſtu, Imperium offerentes Friderico Regi, & ſuperbi, ultra privilegia juramento confirmanda, quinque mille librarum expenſam poſtulantes pro Officialibus Romanis. Sed ab eodem Rege prudenter ſimul & acriter de inepto faſtu objurgati, ad Urbem redierunt. Quorum technas & dolum malum Fridericus præſentiens, ac Pontificem conſulens, ab eo conſilium accepit, mittendi confeſtim milites, qui Baſilicam Sancti Petri & civitatem Leoninam occuparent. Quo facto Rex cum Pontifice eò ſecurè perveniens, ab illo in eadem Baſilica coronam, aliaque Imperii inſignia ſuſcepit decimo quarto Kalendas Julii, ut diſertè ſcribit Otto Friſingenſis in Friderico lib. 1. cap. 22. *Cum benedictione debita*, inquit, *Imperii coronam accepit anno regni ſui quarto, menſe Junio, decimo quarto Kalendas Julii, cunctis qui aderant acclamantibus, Deumque ſuper tam glorioſo facto glorificantibus.* Ipſe etiam Fridericus in Epiſtola ad Ottonem de rebus à ſe geſtis hæc habet de die ſuæ coronationis: *Miſſa celebrata ad altare Sanctorum Apoſtolorum Pe-*

SEC. XII. HADRIANUS IV. *tri & Pauli in honore Sanctæ Mariæ Virginis, quia ſabbatum erat, benedictione corona Romani Imperii largiter ſuper caput noſtrum effudit*; anno autem 1155. quo hæc coronatio peracta, dies decimus octavus Junii in ſabbatum incidebat. Guntherus Poëta Ligurinus lib. 4. de hac coronatione ait:

Hos Regi titulos, hoc clari nomen honoris
Quartus ab ingreſſu regnorum contulit annus,
Pluſque fere medio juvenum ſe menſis agebat
Ut quarto decimo prodiret Julius ortu
Poſtea gemmiferam læta cervice coronam
Ipſe ferens, inſedit equo, &c.

XII. *Romanorum rebellium veniam à Friderico Imp. obtinet.* Anonymus Caſſinenſis à Caraciolo editus, & à Camillo Peregrinio notis illuſtratus ait, Fridericum clàm coronatum eſſe; *Imperator Teutonicus*, inquit, *Romam venit, & clàm coronatus receſſit*, quia ſcilicet hæc coronatio facta fuit inſciis Romanis, qui ſe intra Urbem inſidiosè continebant. Unde Auctor anonymus Vaticanus jam ſæpe laudatus pergit: *His igitur ante horam nonam in pace & tranquillitate peractis: populus Romanus, qui clauſis portis apud caſtrum Creſcentii reſidebat armatus, ignorans quæ facta fuerant, ſine conſilio & deliberatione majorum, ad civitatem Leoninam paulatim aſcendit, & eorum, qui remanſerant in porticu, ſpoliis violenter detractis; omnes quos reperit uſque ad Imperatoris caſtra fugavit.* Tum Teutonicis ad arma velociter convolantibus, ab utraque parte dimicatur, multiſque utrimque cæſis, nihilominus Imperator interceſſione Pontificis abſtinuit à vindicta: Urbeque abſcedens, Tiburtinos ſe ipſi dedentes, legitimo ipſorum Domino Romano Pontifici obedire compulit. Poſt quæ ob æſtivos calores ad propria redire feſtinans, multa in itinere feliciter adverſus hoſtes geſſit, quæ ſingillatim recenſentur, tam ab Anonymo Vaticano laudato, quàm ab Ottone Friſingenſi in Vita ejuſdem Friderici lib. 1. cap. 21. & ſeq ac denique ab ipſo Friderico in Epiſtola ad eumdem Ottonem Friſingenſem de rebus à ſe geſtis, ab eodem Ottone ante librum primum relata.

XIII. *Willelmum Siciliæ Regem excommunicat.* Mortuo, anno 1154. Rogerio Siciliæ Rege, Willelmus filius patri multùm diſſimilis ei ſucceſſit. Hadrianus Papa ipſo ſui Pontificatûs exordio *audito adventu Salernum Willelmi Regis Siciliæ*, inquit Romualdus Salernitanus in Chronico, *Henricum Cardinalem SS Nerei & Achillei ad eum miſit, quem Rex recipere noluit, ſed Romam redire præcepit, eò quòd in literis Apoſtolicis, quas Regi portabat, Papa eum non Regem, ſed Willelmum Dominum Siciliæ nominabat. De quo facto Hadrianus Papa & tota Romana Curia contra Regem turbata eſt & commota.* Tum Willelmus Beneventana palatia populatus eſt, & aliqua oppida Eccleſiæ occupavit in Hernicis. Indignatus propterea Pontifex ſolemni ritu ipſum excommunicavit, ejuſque imperio ſubjectos fidelitatis ſacramento abſolvit, ut conſtat ex eodem Anonymo Vaticano. Poſt

Poſt Friderici Imperatoris diſceſſum Hadrianus Pontifex vocatus in Campaniam ab Optimatibus Willelmi Regis, qui eum, poſtquam excommunicatus eſt, deſeruerant, collecto fidelium ſuorum exercitu, Beneventum circa principium menſis Octobris acceſſit, eique majorem regni partem vi abſtulit. Ad Pontificem Palæologus Princeps Græcus, Manuelis Græcorum Imperatoris orator acceſſit, eique Imperatoris nomine auri libras quinque mille obtulit, promittens fugaturum ſe ex Italia Willelmum, ſi tres maritimæ in Apulia Urbes ei ex fœdere, rebus bene geſtis, dederentur. Quod ubi Willelmus Rex reſcivit, timore perterritus pacem à Pontifice conditionibus, quas ipſe vellet, petiit; poſtulabat enim tantum Rex, ut anathemate ſolutus regios titulos beneficiario jure ſuſciperet, & in Pontificis verba juraret; atque non modo quæ Eccleſiæ Romanæ abſtulerat, pro damnis illatis ſe reſtituturum, ſed Padulam, Montem Fuſcum & Mcronem ultrò donaturum, Romanoſque Hadriano rebelles ſuis armis in officio ſe contenturum promiſit. His conditionibus Pontifex inclinabat, ſed ob contradictionem majoris partis Cardinalium hæ conditiones valde proficuæ minime ſuſceptæ ſunt. Baronius ait repugnaſſe Cardinales illos, qui addicti erant Friderico Imperatori, ne ſcilicet ea pace Romanus Pontifex nactus videretur eſſe præſidium, ad quod confugeret, cum quid moleſtum in eum, univerſamque Eccleſiam idem ſtatueret Imperator, qui nihil magis in animo habuit, quàm eandem Eccleſiam, ſuæ ipſius, ſucceſſorumque ſuorum ſubjicere ſervituti, licet aliquandiu contrarium ſimulaverit.

SEC. XII. HADRIANUS IV.

XIV. *Adverſus eum in Apuliam pergit.*

Hanc ob rem Willelmus indignatus Apuliam anno MCLVI hoſtili animo ingreſſus, cuncta, quæ Eccleſiæ Romanæ parebant, vel ſibi obſiſtentia ferro ac flamma conſumpſit. In Græcos & Apulos movens, eos penitus vicit, fugavit & ſpoliavit: ipſumque Hadrianum Papam Beneventi obſedit. Tum Pontifex iis Cardinalibus infenſus, qui pacis fœdera rejeciſſent, Legatos de pace ad Willelmum Regem, Hubaldum titulo ſanctæ Praxedis, Julium Sancti Marcelli & Rolandum titulo Sancti Marci, ac Cancellarium, Presbyteros Cardinales miſit: à quibus pax his conditionibus confecta eſt, ut in Eccleſia Sancti Martini Pontifex Regem Willelmum in gratiam ſuſcipiens, eidem utriuſque regni legitimos, & certos titulos, tribus vexillis traditis utriuſque regni & principatûs Capuæ conceſſerit, Regemque, Romanæ Eccleſiæ vectigalem conſtituerit, adhibito prius ab ipſo Rege juramento, ſe nihil deinceps moliturum, quo Eccleſiam Romanam offenderet. Hæc à Baronio ex Actis Hadriani Papæ relata contigerunt menſe Junio Indictionis quartæ, ideoque anno MCLVI.

XV. *Cum eo pacem facit.*

Cum hæc pax, inſcio & inconſulto Friderico Imperatore inita fuiſſet, origo fuit diſſidii quod inter eum & Hadrianum Papam exortum eſt, quodque ex Radevico Friſingenſi Canonico, & ex Ottone à Sancto

XVI. *Cauſa diſſidii inter Hadrianum PP. & Fridericum Imp.*

Digitized by Google

SEC. XII. HADRIANUS IV. Blaſio in Appendice ad Ottonem Friſingenſem ſummariè referemus. Cum accepiſſet Imperator pacem illam ſancitam, graviter offenſus inhibuit, ne ullus Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut quivis Sacerdos ullam à Pontifice Romano beneficiorum collationem expeteret, aut ulla de cauſa Curiam Romanam adiret. Huic edicto paruêre multi, & inter alios Albertus de Marcy, qui eodem anno 1156. renunciatus Epiſcopus Virdunenſis, impetravit à Friderico Imperatore confirmationem Comitatus Virdunenſis Eccleſiæ ſuæ, codicillis die decimo ſexto Kalendas Septembris datis, & ab eo ſolo ſui Epiſcopatûs inveſtituram petiit. Hæc jam non occulta ſimultas Pontificem commovit, qui ad Fridericum Cardinales duos, Rolandum Cancellarium, & Bernardum Sancti Clementis Presbyterum miſit cum literis acrimoniæ plenis, in quibus hæc verba inter cetera continebantur: *Debes, glorioſiſſime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter, & quam jucundè alio anno mater tua ſacroſancta Romana Eccleſia te ſuſceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris, & qualiter Imperialis inſigne corona libentiſſime conferens, benigniſſimo gremio ſuo tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confovere, nihil prorſus efficiens quod Regia voluntati vel in minimo cognoſceret obviare. Neque tamen pœnitet, nos deſideria tuæ voluntatis in omnibus impleviſſe; ſed ſi majora beneficia Excellentia tua de manu noſtra ſuſcepiſſet, ſi fieri poſſet conſiderantes quanta Eccleſia Dei & nobis per te incrementa poſſint & commoda provenire, non immeritò gauderemus.*

XVII. *Alia cauſa ejuſdem diſſidii.* Hadrianus Pontifex in iiſdem literis, inter cauſas quibus motus fuerat, ad duos illos Cardinales ad Imperatorem mittendos, numerat captionem *E. Londonenſis Archiep* qui cum à ſede Apoſtolica remearet, in Teutonicis partibus captus fuerat, & adhuc in cuſtodia tenebatur, ad cujus facinoris ultionem Fridericus Imp. exurgere debuerat: *Tu verò*, inquit Hadrianus, *id ipſum ita diſſimulaſſe diceris, ſævitiam neglexiſſe, quod eoſdem non eſt quare pœniteat commiſiſſe reatum, quia impunitatem ſacrilegii quod geſſerunt, jam jam ſentiunt inveniſſe.* Ubi obſervandum eſt, loco *E Londonenſis Archiep.* legendum, *E Lundenſis Archiep.* id eſt, Eskilus qui Romam adierat, & ab Hadriano Papa Legatus in Dania conſtitutus fuerat, *ut quicumque maximi Sueonum Pontifices creandi eſſent, pallio à Curia dato per Lundenſem inſignirentur Antiſtitem, eamque ſedem pro patrio venerarentur obſequio*, ut ait Saxo Grammaticus lib. 14. quæ conjectura debetur Sirmondo in Notis ad Epiſtolam 23. lib. 1. Petri Cellenſis, ubi obſervat in Radevico lib. 1. de geſtis Friderici cap. 8. & ſeqq. vitiosè ſcriptum eſſe *Londonenſis* pro Lundenſi, & fœdius etiam apud Innocentium III Epiſt. 321. *Lugdunenſis* pro Lundenſi. Quam conjecturam eò certiorem credit Annotator Baronii; quo nullus hoc ſeculo duodecimo E Londinenſi Eccleſiæ præfuerit, & prætærea Londinenſis ſedes ſit tantum Epiſcopalis non Archiepiſcopalis.

Illis

XVIII. *Ex Hadriani PP. literis commovetur Fridericus Imp.*

Illis literis Hadriani Papæ ſupra modum commotus eſt Imperator, quod videretur diadema debere Pontifici, commoti quoque proceres Germanici, parumque abfuit, quin manus in Legatos injicerent. Sed Fridericus præſentia ſua tumultum quidem compeſcuit, verùm ipſos Legatos primò mane abire præcepit, jubens, ut recta via regrederentur ad Urbem, & nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinarent ad aliquem Epiſcopum vel Abbatem. Poſtquam ii diſceſſerunt, Imperator literis circularibus ad omnes Principes & Epiſcopos ſcriptis, vehementer in eoſdem Legatos invectus, ipſum quoque Pontificem acriter de præſumptuoſa electione accuſavit, omneſque ad hanc Imperio illatam, ut ajebat, injuriam ulciſcendam excitare conatus eſt, declarans ſe per electionem Principum à ſolo Deo Regnum & Imperium tenere. Legatis verò Apoſtolicis Romam revertentibus, & quæ peracta erant, nunciantibus, diſſenſio inter Cardinales facta eſt, quod nonnulli Pontifici pro ultione injuriarum acceptarum adhærerent, reliqui verò Imperatori faventes, Legatorum incuriam, ſeu imperitiam accuſarent. Quare Hadrianus mediam viam ſectatus, literas ſcripſit ad Epiſcopos Germaniæ, qui erant apud Imperatorem, ut hunc monitionibus ſuis conarentur ad rectam ſemitam reducere. Verum ii, literis ſuis ad Hadrianum redditis, quà approbarunt, quà excuſarunt, quæ ab Imperatore geſta eſſent, rogaruntque ut Pontifex aliis mellitis literis edulcans fel priorum conaretur Imperatoris iram lenire. Acta hæc anno MCLVII.

XIX. *Hadrianus PP. conatur Imperatorem mitigare.*

Poſtero anno MCLVIII Hadrianus Pontifex tolerans patienter quæ Germani Epiſcopi ad ipſum reſcripſerant, & ex eorum monitu benignè ſtudens placare Fridericum Imperatorem, Legatos ad eum miſit Henricum Presbyterum, & Hyacinthum Diaconum S. R. E. Cardinales, viros prudentiſſimos cum literis mitioribus, quibus ſanctiſſimus Pontifex dans ex commonitione Apoſtolica locum iræ, ita voces *Beneficium*, & *conferre coronam*, quibus in prioribus ſuis ipſum eſſe uſum, iiſdemque Fridericum graviſſime commotum vidimus, ita interpretatus eſt, ut non *Beneficium* pro *Feudo*, ſed ſimpliciori acceptione prò *Bono facto*; nec *conferre* pro *dare* pleno jure, ſed ſimpliciter pro *imponere* acciperetur; ita concitatam diſcordiam ſopire ſatagens, non augere. Quare & his Fridericus Imp. iram depoſuiſſe videri volens, pacem & amicitiam, tàm Summo Pontifici, quàm omni Clero Romano ſpopondit. Quæ pluribus narrantur à Radevico lib. 1. cap. 21. & ſeqq.

XX. *Diſcordiæ inter Papam & Imperatorem renovantur.*

Sed novis obortis occaſionibus diſcordiæ inter eumdem Pontificem & Imperatorem renovatæ ſunt, tum ob regalia ab Imperatore de Epiſcopis & Abbatibus, atque ab aliis in Longobardia exacta, & ob denegatam à Pontifice cuidam Guidoni S. R. E. Subdiacono promotionem ad ſedem Ravennatem tunc vacantem, ad quam Imperator illum evehere ſatagebat: tum etiam quod idem Fridericus in contemptum ac contumeliam ipſius Ponti-

SEC. XII. HADRIANUS IV. ficis, in literarum ſuarum inſcriptionibus; cœpit contra morem ab antiquo uſitatum, nomen ſuum præponere nomini Pontificis, & dictionibus ſingularis numeri eum alloqui: ac demum quod ab Epiſcopis non ſolum fidelitatem, ſed etiam homagium exigeret, & Cardinalibus à latere Legatis, non tantum Eccleſias, verum etiam civitates regni ſui clauderet. Quibus de rebus, aliiſque nonnullis diſcordiarum fomentis, cum multæ ex utraque parte ſcriptæ eſſent ſatis amaro animo Epiſtolæ, aliæque rurſum pro pace concilianda; miſſa eſt denuò ab Hadriano Papa anno MCLIX ad Fridericum Imp. honorificentiſſima Legatio quatuor Cardinalium, cum quibuſdam capitulis de juribus & regalibus beati Petri, tàm in urbe Româ, quàm in reliquis terris & Dominiis ad eum pertinentibus, ab Imperatore illæſis conſervandis, deque hominio per eum non exigendo ab Epiſcopis; & ut concordia inita inter Eugenium Papam & ipſum Imperatorem ſervaretur. Verùm cum alia ex adverſo proponerentur ab Imperatore contra Pontificem pro juribus Imperii, Urbiſque Dominii; idemque recuſaret ſtare paci cum Eugenio initæ, res prorſus infecta remanſit, & interim, ut infra videbitur, Hadrianus Papa Kalendis Septembris ejuſdem anni MCLIX vitam cum morte commutavit.

XXI. *Hadrianus PP. Legatos Cpolim mittit pro pace inter Eccleſiam Orient. & Occident.* Verum, ut ad geſta ab Hadriano prioribus ſui Pontificatûs annis redeamus, ipſo ſuo ingreſſu in Pontificium thronum, ut Græcos ſæpe ſciſſura diviſos ſolidæ unitati compaginaret, Legatos miſit ad Manuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem, quibus inter alia pro eadem ſancienda firma concordia literas dedit ad Baſilium Acridanum Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, hujus temporis in Orientali Eccleſia magni nominis virum, de pace inter utramque Eccleſiam concilianda. Reſpondit Baſilius, facile coaleſcere poſſe unitatem, ſiquidem nulla erat de ſumma fidei diſſenſio: *Neque enim, inquit, aliud novimus fundamentum, quam quod ſubſtructum eſt, eademque tecum prædicamus & docemus ego, iique omnes, qui ad magnam Apoſtolicamque ſedem Conſtantinopolitanam pertinemus. Et unus, qui in utriſque Eccleſiis perſonat, ſermo fidei, idemque ſacrificatur Agnus, qui tollit peccata mundi, Chriſtus, inter Occidentales Antiſtites, qui ſub eum principale culmen agunt, & nos qui ab oriente ſole ſublimi Conſtantinopolitana ſede ſacerdotii accepimus ſplendorem: quamvis parva quædam offendicula in medio interjecta nos ſepararint, quæ tollere è medio, & velut lapides juxta propheticum ſermonem è via projicere, unitatemque Eccleſiarum ſine offendiculo conſtituere, tuæ Sanctitatis erit, quæ Chriſti exemplo velut e cœlo proſpiciens, diſtantia in unum congregare vult & poteſt.* Extant hæ literæ apud Baronium ex codice Vaticano Occidentalis. Quibus ex verbis conſtat, Baſilium ſe minime abſciſſum ab Eccleſiæ Catholicæ unione profiteri, licèt quibuſdam ritibus diſcreparet Orientalis ab Occidentali.

XXII. *Patriarchatum Gradenſem ampliat.* Idem Pontifex Hadrianus literis Romæ *VIII Kal. Maji*, Pontificatûs ſui anno primo, ideoque anno MCLV datis, ut dignitatem Gradenſis

Eccleſiæ ampliaret, utque Jadertinis magis conſuleret, Henricum Gradenſem Patriarcham primatem eis præpoſuit. Anno autem MCLVII literis datis *Laterani*, *Idibus Junii*, *Indictione V Incarnat. Dominicæ anno MCLVII*, Pontificatus ſui anno tertio, confirmavit conſtitutiones Pelagii, Alexandri II & Urbani II Pontificum Romanorum, quibus Patriarchalis dignitas Gradenſi Archiepiſcopo conceditur. Tum eodem die eidem Henrico Gradenſi permittit, ut Conſtantinopoli, & in aliis urbibus Imperii Conſtantinopolitani, in quibus Veneti plures habent Eccleſias, Epiſcopos ordinare & conſecrare poſſit: *Tibi & ſucceſſoribus tuis*, inquit, *auctoritate Apoſtolica duximus concedendum, ut in Conſtantinopolitana urbe, & in aliis civitatibus, in Conſtantinopolitano duntaxat Imperio conſtitutis, in quibus Veneti plures habent Eccleſias, ubi videlicet eorum multitudo conſuevit aſſiduè convenire, liceat vobis Epiſcopum ordinare, & abſque alicujus contradictione munus ei conſecrationis impendere.* Referuntur eæ Hadriani IV literæ Tomo X Concil. pag. 1170. ex iiſque liquet, hoc tempore, imperante ſcilicet Manuele Comneno, inter Latinos & Græcos aliquam concordiam viguiſſe.

XXIII. *Hiberniam Angliæ Regi concedit ſub cenſu Apoſtolicæ ſedi ſolvendo.*

Reperitur etiam diploma ejuſdem Hadriani Pontificis ad Henricum II Angliæ Regem, de conceſſa illi, quam petiiſſet, licentia intrandi in inſulam Hiberniam, ad corrigendos barbaros illius populi mores, extirpanda vitia, & virtutes inſerendas, eamdemque pro Chriſtianæ religionis augmento, tanquam dominum poſſidendi: Salvo tamen Eccleſiaſtico jure, & ſub conditione penſionis unius denarii de ſingulis domibus annuatim ſolvendæ beato Petro & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ; ad cujus, ut ait, jus eam inſulam, aliaſque omnes quæ documenta fidei Chriſtianæ cepiſſent, pertinere nemini dubium eſſet. Hanc Epiſtolam refert Baronius ex codice Vaticano, aitque incertum eſſe, quo anno Pontificatûs Hadriani data ſit. Eamdem recitat Radulphus de Diceto in Imaginibus Hiſtoriarum pag. 529. & eam cum anno 1154. copulat, ſed male, cum Henricus II exeunte tantum Decembri illius anni coronatûs ſit Angliæ Rex, ideoque non potuerit eo anno literas Hadriani recipere. Accuratè itaque Matthæus Pariſius eas cum anno 1155. connectit. Vide dicenda in Alexandro III num. LXXVIII de hoc diplomate.

XXIV. *Vitam cum morte commutat.*

Tandem Hadrianus IV Pontifex, poſtquam annos quatuor, menſes octo, & dies novem ſupra viginti ſediſſet, obiit die prima Septembris anni milleſimi centeſimi quinquageſimi noni, & quidem Anagniæ, ut produnt Auctor Chronici Reicherſpergenſis, & Joannes de Ceccano in Chronico: *Anno MCLIX*, inquit prior Chronographus, *dum eſſet Imperator in obſidione Cremæ, Dominus Papa Hadrianus defunctus eſt apud Anagniam.* Joannes verò de Ceccano diem & feriam quibus ſublatus eſt notavit: *Indictione VIII. Hoc anno Hadrianus Papa venit Anagniam, & ibi defunctus eſt Kalendis Septembris feria tertia.* Eum Kalendis Septembris

defunctum

SEC. XII. HADRIANUS IV. defunctum eſſe, aſſerunt etiam Fridericus Imperator in Epiſtola Herimanno Brixienſi Epiſcopo miſſa, quæ extat apud Baronium anno 1159. num. 52. & Alexander III ejus ſucceſſor in Epiſtola ad Bononienſes data, quæ extat etiam apud Baronium ibidem num. 35. in quâ & ait, eum poſt mortem Romam adductum, & *pridie nonas Septembris*, die ſcilicet quarta ejuſdem menſis *in Eccleſia B. Petri* tumulatum eſſe. Mortuus eſt autem morbo anginæ (vulgus ſquilenriam vocat) ut tradit Guillelmus Tyrius lib. 18. cap. 26. quod dedit occaſionem ejus inimicis ridiculæ fabulæ fingendæ, quæ legitur apud Conradum Urſpergenſem, nimirum factum eſſe, ut cum denunciaret excommunicationem contra Fridericum Imperatorem, paucis diebus evolutis, cum procederet refrigerandi gratia ad quemdam fontem, hauriretque de potu illius, continuò muſca os ejus intraverit, & ita gutturi adhæſerit, ut nullo medicorum artificio evelli potuerit, quoad uſque ſpiritum exhalaret. Quæ falſa eſſe ex eo eruitur, quod nunquam poſſit quis aſſerere Imperatorem ab Hadriano excommunicatum eſſe, ceteris omnibus ejus temporis Scriptoribus repugnantibus, inter quos Dodechinus diſerte ait, Hadrianum quidem diſpoſuiſſe Imperatorem excommunicare pro conjugii diſſidio, ſed morte præventum eſſe. Ejus corpus poſitum in marmoreo ſarcophago, prope Eugenium III in navi Baſilicæ, quæ Veroniana nuncupatur, poſteaque translatum ad dexteram, ac anno 1607. in demolitione veteris Baſilicæ, iterum arca reſerata expoſitum, omni ex parte integrum repertum, caſula ſerica nigri coloris, aliiſque Pontificalibus exornatum, tandem unà cum ipſa arca marmorea ſubtus pavimentum novi templi delatum eſſe ſcribit Joannes Palatius.

XXV. *Ejus Opera.* Hadrianum IV ſcripſiſſe cathecheſes ad populos Norvegiæ & Sueviæ, homilias quaſdam, librum de legatione ſua & alterum de Conceptione Beatiſſimæ Virginis ad Petrum Pontiniaci Abbatem, Nomenclator Cardinalium, Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo in Bibliotheca Pontificia, Hippolytus Marracius in Bibliotheca, ac in Pontificibus Marianis & Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium, referunt. Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo addit, ejus Vitam aſſervari MS. in Bibliotheca Vaticana.

XXVI. *Matrem commendavit eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ.* Illud, inquit Baronius, Hadrianus Pontifex reliquit poſteris admirandum exemplum, quod nec obolum quidem erogavit in ſuos propinquos, adeo ut nec matri ipſi aliquid voluerit impendiſſe, quam alendam reliquit eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ. Teſtatur id Joannes Saresberienſis ex verbis Alexandri Papæ III ejus ſucceſſoris ita in Epiſtola ad ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum: *Quid fecit*, inquit, *pro nobis Cantuarienſis Eccleſia amator Hadrianus, cujus mater apud vos algore torquetur & inedia?*

ALE-

ALEXANDER III *Pontifex CLXX.*

Anno Domini MCLIX.

I. Alexander III eligitur Pontifex.

HAdriano IV Papa ſepulto, Epiſcopi & Cardinales pridie Nonas Septembris anni MCLIX convenerunt, & per trium dierum ſpatium ad invicem de ipſa electione pertractantes, tandem omnes, præter Octavianum tituli S. Cæciliæ, Joannem tituli S. Martini, & Guidonem tituli S. Calliſti Presbyteros Cardinales, convenerunt in perſonam Rolandi Cancellarii, natione Tuſci, Patria Soanenſis, ex patre Rainutio, Presbyteri Cardinalis tituli Sancti Marci, de quo ſuperius dictum eſt, quem electum Alexandrum III nominarunt die ſeptima Septembris ejuſdem anni MCLIX, ideoque ſedes vacavit tantum dies ſex, & Joannes Bromptonus in Chronico, qui ſcribit *dies viginti* computat vacationem ſedis à die mortis Hadriani IV, ad diem conſecrationis Alexandri III, quæ die tantum vigeſima Septembris peracta eſt, ut mox videbitur. Erat porrò Alexander III vir prudentiſſimus, & omnibus virtutibus ornatiſſimus, atque in omnibus beneficentiſſimus, ſed & divinis humaniſque literis inſtructiſſimus pariter & eloquentiſſimus: quem Sanctus Bernardus Claræ vallenſis Abbas egregiè laudaſſe reperitur, cum ab Eugenio III Papa electus eſſet Cancellarius, eidemque Pontificatum prædixiſſe.

II. Octavianus Antipapa contra eum eligitur.

Alexandrum III die ſeptima Septembris electum, inſinuant Auctor anonymus hujus temporis in codice Vaticano, & ipſemet Alexander in Epiſtola Gerardo Bononienſi Epiſcopo ſcripta, & à Baronio relata; utrobique enim legitur, ſepulto Hadriano, pridie Nonas Septembris Epiſcopos & Cardinales in B. Petri Eccleſia conveniſſe, & per triduum de electione pertractaſſe, tandemque omnes, tribus exceptis, in Rolandum Cancellarium conveniſſe, eumque elegiſſe die ſeptima Septembris, cum die quarta ejuſdem menſis ſimul conveniſſent. Duo autem, quos diximus, Joannes S. Martini & Guido S. Calliſti, Presbyteri Cardinales, cùm in Octavianum S. Cæciliæ Presbyterum pariter Cardinalem, natione Romanum intenderent, ipſum poſt electionem Alexandri procaciter nominarunt. Octavianus ſtatim conductos milites introduxit operâ quorundam Senatorum, quos pecuniâ corruperat, & favore illorum, qui Friderico adhærerent Papale mantum à collo Alexandri violenter abſtulit, ſed cum ab aliis ei ereptum eſſet, ipſe aliud per capellanum ſuum paratum ſumpſit. Horum metu Epiſcopi & Cardinales in munitionem Eccleſiæ cum Alexandro Electo ſe recipientes, ibi novem diebus, ne poſſent exire, ab Octaviani ſatellitibus ſunt obſeſſi.

SEC. XII. ALEXANDER III. Sed inſurgente pro ipſis univerſo populo, & in Octavianum conclamante, inde educti, ruſum per eoſdem Senatores in arctiorem custodiam triduo incluſi ſunt; at ex ea pariter à nobilibus & populo erepti, cum magna hominum frequentia in vigilia Sancti Matthæi Nymphas non longe ab Urbe pervenerunt: ubi ſimul congregatis Oſtienſi, Sabinenſi, Portuenſi, Albanenſi, aliiſque Epiſcopis, nec non *Cardinalibus Presbyteris & Diaconibus, ſimulque Abbatibus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis & primicerio cum Schola Cantorum, nobilibus quoque & plurima parte populi Romani, Dominus Alexander per manus Oſtienſis Epiſcopi, ad quem ſolum conſecratio Romani Pontificis pertinet, praeunte Spiritûs Sancti gratia, conſecratus eſt in Summum Pontificem, & ſecundum ſolitum Eccleſiæ morem, Regno de more inſignitus, mitra turbinata ſcilicet cum corona*, inquit Auctor anonymus hujus temporis in codice Vaticano à Baronio laudatus, ex quo ſuperiora deſumta, & ex quo etiam habemus Alexandrum III *in vigilia B. Matthæi Apoſtoli proſpere ad Nymphas perveniſſe, ubi ipſa Dominica die*, in quam vigilia illa incidebat, conſecratus eſt. Ipſemet Alexander in Epiſtola laudata Gerardo Epiſcopo Bononienſi data, teſtatur ſe *die Dominico* apud Numphas munus conſecrationis accepiſſe, *& ſicut in Roma a Eccleſia moris eſt, ibidem Pontificali Regno magnifice* fuiſſe & ſolemniter coronatum.

III. *Alexander III conſecratur.*

IV. *Coronatur.*

Mos ille coronandi Romanos Pontifices antiquiſſimus erat, licet ante Nicolaum primum nullum ejuſmodi coronationis exemplum nobis occurrerit, ſicuti nec ante hæc tempora *mitræ turbinatæ* cujus meminit Auctor ille Anonymus, quam mitram, veriſimile eſt fuiſſe mitram Pontificalem hodiernam, cum eo tamen diſcrimine, quod recentes Scriptores Nicolaus Alemannus in diſſertatione Hiſtorica de parietinis Lateranenſibus pag. 129. & ex eo alii adducunt, quod tunc mitra illa ſeu tiara eſſet cum unico coronamento, cui Bonifacius VIII ſecundum addiderit, Urbanus vero V. tertium, qua de re mox. Sed antea obſervandum, Romanum Pontificem non ſolum poſt ſuam electionem & conſecrationem, ſed etiam pluribus aliis diebus in anno, etiam ante hæc tempora fuiſſe coronatum, ut conſtat ex Benedicto Vaticanæ beati Petri Baſilicæ Canonico, cujus libellum de Ordine Romano publicavit Mabillonius Tomo 2. Muſei Italici pag. 118. ſub nomine *Polliciti*, qui Auctor ſub Innocentii II Pontificatu vixit; in eo enim libello recenſet plures ſolemnitates, quibus coronari mos erat Romanum Pontificem; quas ſimul refert Petrus Manlius ſeu Mallius Sancti Petri itidem Canonicus in libro quem Alexandro III dicavit, cujus Excerpta refert idem Mabillonius pag. 158. *Hæ ſunt feſtivitates*, inquit, *in quibus Dominus Papa ſolebat coronari. In feſto videlicet Sanctorum quatuor Coronatorum; in feſtivitate Sancti Martini Papæ, qui dicitur titulus Aequitii; in feſto Sancti Clementis; in Dominica de Adventu ad Sanctam Mariam in preſepe; in Dominica de Jeruſalem* ſeu

(ſeu ſecunda Adventus) *ad Sanctam Crucem*; *in Dominica de Gaudete* (ſeu tertia Adventus) *ad Sanctum Petrum*; *in Nativitate Domini*; *in feſto Sancti Stephani*; *in Epiphania Domini ad Sanctum Petrum*; *in Dominica Ego ſum paſtor bonus* (ſeu ſecunda poſt Paſcha;) *in Aſcenſione Domini*; *in Pentecoſte*; *in feſtivitate Sancti Petri*; *in feſtivitate Sancti Silveſtri*; *in anniverſario ſuo*. Ibi tamen deſiderantur aliquot dies à Pollicito memorati; ſcilicet Dominica *Lætare Jeruſalem*, ſeu quarta Quadrageſimæ; dies Reſurrectionis, ac feria ſecunda Paſchatis.

V. *Et quidem cum mitra turbinata.*

Alexander itaque III poſt ſuam conſecrationem coronatus eſt *Pontificali Regno*, vel *Regno de more inſignitus*, *mitra turbinata ſcilicet cum corona*, ut ait Anonymus Vaticanus laudatus. Romanus porrò Pontifex tres mitras diverſas habebat, de quibus loquuntur Ceremoniale Romanum juſſu Gregorii X editum, & Ordinarium S. R. E. Auctore, ut videtur, Jacobo Cajetano; Cardinali Diacono S. Georgii ad Velum aureum à Bonifacio VIII creato, quæ extant apud eumdem Mabillonium pag. 221. & ſeqq. In Ceremoniali juſſu Gregorii X exarato num. XII legitur: *Primò notandum eſt, quod Dominus Papa tres mitras diverſas habet, quibus diverſis temporibus utitur, ſcilicet unam albam totam; unam cum aurifriſio in titulo ſine circulo, & mitram aurifriſiatam in circulo & in titulo. Mitra aurifriſiata in circulo & in titulo utitur in Officiis feſtivis & aliis, excepto à Septuageſima uſque ad Paſcha, & ab Adventu uſque ad natale & quando cantat pro defunctis. Et eſt illa ratio, quia coronam repræſentat, & activa & contemplativa vita diſcurſum. Mitra verò cum aurifriſio in titulo ſine circulo utitur, cum ſedet in Conſiſtorio & judicat: unde coronam regalem repræſentat. Alba utitur diebus dominicis & aliis non feſtivis ab Adventu Domini ad Vigiliam Nativitatis Domini in veſperis, præterquam in tertia Dominica de Adventu, quæ dicitur Dominica de gaudete, in quo die in laudibus eſt quinta antiphona Juſte, quia tunc Dominus Papa facit quandam ſolemnitatem qua talis eſt.* Refert poſtea eam ſolemnitatem, & ait, tunc Papam equitare ad Sanctum Petrum, & portare *mitram aurifriſiatam in eundo & redeundo.* Tres eaſdem mitras memorat Jacobus Cajetanus laudatus num. 78.

VI. *Quæ parum diverſa erat à thiara Pontificali hodierna.*

Sed licet Pontifex his tribus tantum mitris per annum uteretur, in die tamen coronationis ſuæ utebatur Phrygio, quod à Sugerio Abbate San-Dionyſiano in Vita Ludovici VI Francorum Regis pag. 318. dicitur *ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum*, & ab Auctore Actorum Alexandri III, *Regnum*, ſeu *mitra turbinata cum corona*. Mitram quidem cum Regno ſeu Phrygio confundunt aliqui, ſed phrygium, ſeu Regnum diverſum fuiſſe à mitra, conſtat ex Jacobo Cajetano S. Georgii ad Velum aureum Cardinali, qui lib. 2. de Coronatione Bonifacii VIII apud Bollandianos ad diem XIX Maii in Vita S. Petri Cœleſtini, poſtquam verſu 150. ex fabuloſa ut videtur, Conſtantini Magni dona-

SEC. XII. *ALEXANDER III.*

tione retulit, Conſtantinum *proprium ſibi phrygium ſeu Regnum* Silveſtri *in vertice* preſſiſſe, poſtea verſu 310. canit:

Progredienſque princeps Lateranum ſummus in orbe
Appulit; haud frigium, mitram ſed vertice geſtans
Pondere confectus nimio.

Idem Cardinalis in Ordine Romano XIV apud Mabillonium loco laudato pag. 258. *Papa omnia pretioſa ornamenta habebit, & pallium & mitram optimam, & chirotecas & anulum paſtoralem: & ſic cum omnibus venit ad portam, vel ad gradus Eccleſiæ: & ibi prior Diaconorum Cardinalium extrahit ſibi mitram, & ponit ei coronam quæ vocatur Regnum...... Papa equitans equum faleratum, &c.* Poſtea fit proceſſio, à Sancto Petro ad Lateranum, ut ibidem pag. 259. habetur: *Sic venit proceſſionaliter uſque ad Lateranum ad ſedem ſtercorariam, ubi cum deſcendit de equo, deponit Regnum & aſſumit mitram.* Idem legitur in Ordine Romano XIII Gregorii X juſſu edito apud eumdem Mabillonium pag. 228. & alibi. Mitra itaque diverſa erat à Phrygio ſeu Regno, quod, ut ex dictis patet, erat corona, ſeu, ut loquitur Auctor Actorum Alexandri III, *mitra turbinata cum corona.* Cum ergo Pontifex ante coronationem haberet *mitram optimam*, vel, ut ait idem Cajetanus pag. 267. *mitram pretioſam*, vel, ut pag. 254. *mitram pretioſiſſimam*, eaque depoſita, ut coronaretur, acciperet *coronam quæ vocatur regnum*, aut *mitram turbinatam cum corona*, quis non videt Phrygium, ſeu Regnum, ſeu coronam, ſeu mitram turbinatam cum corona, eſſe tiaram Pontificalem hodiernam, quæ tunc erat cum corona, ſeu cum unico coronamento, cui Bonifacium VIII ſecundum, Urbanum vero V tertium addidiſſe ex eo deducitur, quòd à Sancto Silveſtro ad Bonifacium VIII in effigiebus antiquis Pontificum tiaræ unico, à Bonifacio VIII ad Urbanum V duplici, & ab Urbano V triplici coronamento amiciantur. Denique Innocentius III in Sermone de Sancto Silveſtro, *Romanus Pontifex*, inquit, *in ſignum Imperii utitur Regno, & in ſignum Pontificii utitur mitra.* Regnum itaque diverſum erat à mitra, ſed non differebat à mitra turbinata.

VII. *Sæpius in anno eâ Pontifex utebatur.*

Hac mitrâ turbinatâ utebatur Pontifex non ſolum in die ſuæ coronationis, ſed etiam in die ſuæ inthronizationis, ut conſtat ex Actis Vaticanis, quorum verba retulimus in electione Gregorii VII: *Indutus rubea chlamyde (ſicut moris eſt) & Papali mitra inſignitus.* Ibi enim per mitram Papalem, intelligenda videtur mitra turbinata, quæ à Pandulpho Auctore Vitæ Paſchalis II diſerte vocatur *Thiara* ipſique impoſita dicitur in ſua inthronizatione: *Chlamyde coccinea*, inquit, *induitur à patribus, & thiara capiti ejus impoſita, comitante turba cum cantu Lateranum vectus*, &c. Eadem mitra turbinata, ſeu thiara, ſeu phrygio, ſeu regno utebatur Pontifex in multis aliis magnis feſtivitatibus, ut nos docet Chronographus Mauriniacenſis, qui deſcribens pompam inaugurationis

Ludovici

SEC. XII. ALEXANDER III.

Ludovici Regis Francorum hujus nominis VII ab Innocentio II factæ in Concilio Remenſi, ait: Innocentius *Romani Pontificis omnibus inſignibus indutus, ac ut ſibi conſuetudinis eſt in ſacris magniſque feſtivitatibus, phrygio coronatus*, &c. Sugerius loco laudato loquens de eodem Innocentio II Paſchalem ſolemnitatem in monaſterio Sancti Dionyſii celebrante, *more Romano*, inquit, *ſe ipſos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes capiti ejus frigium, ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt, albo & palliato equo inſedentem educunt.* Denique idem Sugerius in Vita Ludovici VI cap. 9. loquens de Paſchali II in Francia exiſtente: *Cumque Turonis*, inquit, *apud Sanctum Martinum, ut mos eſt Romanus frigium ferens Lætare Jeruſalem celebraſſet*, ſeu Dominicam quartam Quadrageſimæ. In multis aliis feſtivitatibus anni Pontificem Romanum phrygio coronatum fuiſſe, legitur in Ordinibus Romanis à Mabillonio Tomo 2. Muſei Italici publicatis.

VIII. *Diverſa erat à mitra aurifriſiata in circulo & in titulo.*

Verum quidem eſt mitram illam turbinatam ſeu thiaram, non videri differre à mitra illa aurifriſiata in circulo & in titulo, qua juxta laudatum Ceremoniale Romanum Gregorii X juſſu editum, Pontifex utebatur *in officiis feſtivis & aliis*; ſed Jacobus Cajetanus Cardinalis in eodem Ordine Romano XIV apud Mabillonium laudatum, non obſcurè indicar, eam mitram aurifriſiatam, diverſam fuiſſe à regno, ſeu phrygio, & conſequenter à mitra turbinata ſeu thiara, nam pag. 254. ubi agit de Epiſcopo in Papam electo, ait: *Electus in Papam induitur omnibus paramentis pretioſis & ſolemnibus aptis tempori & diei, & ponitur pretioſiſſima mitra in capite*, quæ alia non videtur à mitra aurifriſiata in circulo & in titulo; illam tamen poſtea diſtinguit à phrygio, ſeu regno; pag. enim 258. loquens de coronatione Papæ, quæ fiebat in Eccleſia S. Petri poſt conſecrationem: *Poſt miſſam*, inquit, *idem Summus Pontifex*, &c. *cum omnibus venit ad portam, vel ad gradus Eccleſiæ: & ibi prior Diaconorum extrahit ſibi mitram, & ponit ei coronam, quæ vocatur Regnum in capite.* Diſtinguit igitur Cajetanus Cardinalis pretioſiſſimam illam mitram aurifriſiatam in circulo & in titulo, à phrygio ſeu regno, ideoque & à mitra turbinata, ſeu thiara Pontificali. Quod ſpectat ad mitram *cum aurifriſio in circulo ſine titulo*, qua juxta Ceremoniale laudatum utebatur Pontifex in Conſiſtorio, cùm hæc coronam regalem repræſentaret, ut ibidem habetur, & ex alia parte Innocentius III mox laudatus dicat Pontificem, in ſignum Imperii uſum eſſe Regno; Sugerius verò, phrygium fuiſſe ornamentum Imperiale circulo aureo concinnatum; forsàn hæc mitra diverſa non erat à mitra turbinata, ſeu à Regno & Phrygio.

IX. *Pontificalis hujus mitræ, ſeu thiaræ antiquitas.*

Sed quidquid hac de re ſit, licet hujus mitræ turbinatæ, ſive Papalis, ſeu thiaræ, ante Gregorium VII, Paſchalem II & Alexandrum III nulla nobis occurrat mentio, non inde tamen ſequitur, eam non fuiſſe anti-

SEC. XII. ALEXANDER III.

quiorem, quod ſatis indicant tum Acta Vaticana ſub Gregorio VII, tum Pandulphus ſub Paſchali II, tum Auctor Actorum Alexandri III, dum ſcribunt eos Pontifices mitra Papali, vel, thiara, vel mitra turbinata fuiſſe inſignitos, *Sicut moris eſt*, vel, *de more*, quem valde antiquum fuiſſe, eruitur, ut jam cum Annotatore Baronii diximus in Gregorio VII, ex Auctore fabuloſæ donationis Conſtantini, qui ſcribit, S. Silveſtrum ab eodem Imperatore proprio Regno ſuo phrygio fuiſſe ornatum, ex quo id ſaltem evincitur, eo tempore, quo illa donatio ſuppoſita eſt, Romanos Pontifices phrygio, ſeu regno, ſeu thiara Pontificali fuiſſe coronatos, alioquin ejus mentionem fabuloſæ ſuæ donationi non inſeruiſſet impoſtor, ne ſe impoſtorem proderet. Cum autem hæc ſuppoſitio antiqua ſit, & quàm tardius facta ſub finem ſeculi octavi, vel ipſo ſeculi noni initio, quo Riculphus Archiepiſcopus Moguntinus, ex alibi dictis, collectionem decretalium Pontificum ex Hiſpania in Galliam detulit, cui hæc falſa donatio inſerta erat, evidenter patet, jam ante finem ſeculi octavi, Pontifices Romanos phrygio, ſeu Regno, ſeu thiara Pontificali fuiſſe coronatos, ex quo & ſequitur eorum coronationem eſſe valde antiquam, quamvis ante Nicolaum primum, ſeu ante medium ſeculum nonum ejuſdem veſtigia non invenerimus. Ex his porrò patet, Aegidium Viterbienſem, Cardinalem à Leone X creatum, deceptum eſſe, quando de Paulo II, anno 1464. Pontifice electo ſcripſit: *Incredibili pretio emit, ſacravitque mitram maximam inſolito pretioſiſſimarum gemmarum pondere opplevit; qua ornatus cum prodiret, oculos omnium luce radiiſque feriebat. Vocari cœpta eſt maxima illa mitra Regnum mundi, quam Paulus ſublimi faſtigio ſurgentem regna...... pretio ſuperantem primus reddidit, primus lectiſſimarum gemmarum toto orbe quæſitarum luce exornavit ambitum trium coronarum, quarum uſus ex arcanis agnoſci ſolum poteſt*; ex ſuperius enim dictis, liquet mitram illam ſeculo octavo jam fuiſſe vocatam Regnum, & poſt Urbanum V. fuiſſe cum triplici coronamento. Corruit ut quod Cardinalis Papienſis, licet tempore Pauli II vixerit, de eo ſcribit lib. 2. Comment. *Porrò autem gemmis lapilliſque admodum delectatus...... conquiſitis undique pretioſiſſimis mitram, quæ tribus educta coronis, Regnum appellatur, atque à Pontificibus, multis ante ſeculis, deſita erat geſtari, novam confecit, atque adhibuit*; Regnum enim non multò ante Paulum II à Romanis Pontificibus geſtatum conſtat ex Ordine Romano XV à Mabillonio laudato edito, & à Petro Amelio Senogallienſi Epiſcopo, qui adhuc anno 1391. adhuc in vivis erat, compoſito, in quo cap. 12. loquens de ſecundis veſperis Nativitatis Domini, ait: *Ibi Dominus Papa deſcendit, & depoſito Regno accipit mitram.* Et cap. ſequenti loquens de die Sancti Stephani: *Aſcendens equum, & de manu Diaconi qui ſtat à dextris, Regnum accipiens, induit ipſum*, &c. Pontificia itaque triplicis coronamenti corona antiquior eſt quàm putavit Aegidius

Viter-

Viterbienſis, & à Romanis Pontificibus ſeculo ante Paulum II geſtata.

SEC. XII.

ALEXANDER III.

His de coronatione Romanorum Pontificum occaſione *mitræ turbinatæ*, cujus mentionem facit Auctor Actorum Alexandri III, explicatis, redeundum eſt ad ea, quæ Romæ acta ſunt poſt ejus ex ea diſceſſum. Ipſe enim quoque Octavianus, qui, ut diximus, à duobus tantum Cardinalibus, Joanne ſcilicet de Sancto Martino, & Guidone Cremenſi electus fuerat, cum per totum menſem Septembrem ejuſdem anni MCLIX, tàm per ſe, quàm per milites & Tuſculanos Comites conſanguineos ſuos, laboraſſet pro alliciendis ad ſe aliquot Epiſcopis, à quibus conſecraretur, tandem reperto Melphitano quodam Epiſcopo fugitivo in finibus Anconæ latitante, & Epiſcopo Farantinate, ſcilicet Ubaldo, qui aliàs fuerat Vicarius Hadriani IV, atque Imaro Tuſculano Epiſcopo, qui cum priùs conſenſiſſet in electionem Alexandri, poſtea ab eo defecit, ab his conſecratus eſt & Victor IV nuncupatus, ut habet Anonymus Vaticanus laudatus. Diem, quo conſecratus eſt, docet nos Chronographus Reicherſpergenſis, qui ſcribit: *Octavianus Preſbyter Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, qui à duobus tantum Cardinalibus fuit electus, Joanne videlicet de Sancto Martino & Guidone Cremenſi, in prima Dominica menſis Octobris* (die ſcilicet quarta ejuſdem menſis) *eſt conſecratus à Tuſculano Epiſcopo Imaro Cardinale, non legitimo tamen ordinatore, qui & dictus eſt Victor.* Locum verò in quo conſecratus, habemus ex Anonymo Caſſinenſi, qui ait: *Omnes Cardinales elegerunt Cancellarium in Papam Alexandrum. Guido de Crema & Reimundus, & Epiſcopus Tuſculanus elegerunt Octavianum Cardinalem* (fallitur in hoc Anonymus, Imarus enim Tuſculanus Epiſcopus non fuit unus ex electoribus, ſed poſtea acceſſit ad ejuſdem Octaviani electionem, licet antea conſenſiſſet in electionem Alexandri) *in Papam Victorium, & ſacratus Pharphum* (ideſt in Abbatia Farfenſi, non longe ab urbe Roma ſita) *& Alexander prius ſacratus eſt Nymphæ*, ſcilicet die vigeſima Septembris, cum Octavianus die tantum quarta Octobris ordinatus fuerit.

X. *Octavianus Antipapa conſecratur ſub Victoris IV nomine.*

Eodem menſe Septembri exeunte, die vigeſima ſeptima ejuſdem menſis Alexander Pontifex, octava die à ſua conſecratione, Octavianum, cui eum terminum ad unitatem Eccleſiæ redeundi præfixerat, tanquam inobedientem & contumacem, ſimulque illos qui ei manus præſumerent imponere, ſolemniter in Eccleſia excommunicavit, ut legitur in ejus literis datis *Gerardo Epiſcopo & Canonicis Bononienſis Eccleſiæ, & Legis Doctoribus, cæteriſque Magiſtris Bononiæ commorantibus*, quæ extant apud Baronium, in iis enim ait: *Nos ſupra memoratum Octavianum apoſtaticum & ſchiſmaticum in Octavo die à conſecratione noſtra* (*hunc enim terminum ei reſipiſcendi, & ad unitatem matris Eccleſiæ redeundi præfiximus*) *tanquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus præſumerent, non dicimus conſecrationis, ſed execrationis imponere: & de communi Fra-*

XI. *Ab Alexandro. PP. excommunicatur, & viciſſim Alexandrum præſumit excomnicare.*

trum.

Digitized by Google

SEC. XII. ALEXANDER III. *trum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium voluntate atque conſilio, accenſis candelis, & cœtu Clericorum in Eccleſia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis aſtrinximus, & eos cum ſuo auctore Diabolo condemnavimus.* Id ipſum contra Alexandrum & qui ei adhærerent præſumpſiſſe Octavianum Antipapam tradit Radevicus lib. 2. cap. 54. quod confirmat Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. cap. 9. *Et quidem pars major, ſaniorque*, inquit, *in Rolandum ejuſdem Eccleſiæ Cancellarium, virum religioſum & literatum concordans, eumdem ritu canonico conſecravit. Pars verò nonnulla & fere nulla in Octavianum nobilem virum conveniens, eumdem, divinum non verita judicium, execrationis elogio maculavit. Uterque in alterum excommunicationis & damnationis ſententiam promulgavit. Uterque partem ſuam Eccleſiarum & nobilium perſonarum favoribus munire curavit: ille Alexander dictus, juxta cauſæ meritum victor futurus; iſte nudo nomine & fallaci omine Victor dictus eſt, victi dedecus habiturus.*

XII. *Fridericus Imp. Conciliabulum Papiam indicit.* Fridericus Imperator ſpecie quidem ſchiſmatis impediendi, ſed revera ut Octavianum Antipapam ſibi addictiſſimum foveret, & veteri odio in Alexandrum, Conciliabulum apud Papiam indixit anno milleſſimo centeſimo ſexageſimo celebrandum, in quo utriuſque cauſa diſcuteretur. Ad illud omnes Imperii, aliorumque regnorum Antiſtites invitavit, ipſumque Alexandrum & Octavianum per Epiſcopos Pragenſem & Verdenſem citavit. Epiſcopi illi Alexandrum Anagniæ exiſtentem convenerunt, eique in præſentia Cardinalium, aliorumque plurimorum ex Clero & populo, nulla ei exhibita reverentiâ retulerant quæ Imperator ipſis mandaverat, literaſque ejus protulerunt, quibus ei & Cardinalibus præcipiebat, ut Papiam convenirent ad ejus præſentiam, audituri & recepturi quod in ea Curia dictaretur. Quo mandato eò magis commoti ſunt Cardinales, quod Imperator literis ſuis Octavianum appellaret Romanum Pontificem, Alexandrum verò tantummodo, Rolandum Cancellarium. Reſpondit Legatis Alexander, non eſſe Imperatoris, ſine conſenſu Romani Pontificis Concilium convocare, aut ipſum Pontificem ad Curiam ſuam, tanquam in eum poteſtatem haberet, evocare: cum ab ipſo Chriſto Domino hoc privilegium Sancto Petro & per eum Romanæ Eccleſiæ ſit datum, ut univerſarum Eccleſiarum cauſas diſcuteret ac definiret, ipſa verò nullius unquam judicio ſubjaceret. Quare cum pro ejus libertate tuenda Patres proprium ſanguinem effudiſſent, ipſum quoque Alexandrum pro eadem cauſa extrema quæque ſubiturum. Quo reſponſo indignati Legati Signiam ad Octavianum accedentes, ad pedes ejus prociderunt, & ut legitimum Pontificem adoraverunt. Hæc conſtant ex Radevico laudato, & ex Actis Alexandri III, ſeu ex Anonymo Vaticano ſæpius citato.

XIII. *Numerus Epiſcoporum Conciliabuli.* Anno itaque milleſimo centeſimo ſexageſimo indictum ab Imperatore Friderico Papienſe Conciliabulum in Octava Epiphaniæ celebrandum, dilatum

dilatum fuit uſque ad menſem Februarium: *Poterat ſane*, inquit Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. cap. 9. loquens de ſchiſmate Octaviani, *ſciſſura illa cito reſarciri, poterat multitudini paucitas cedere, niſi Fridericus Imperator veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octaviani tuendam, fovendamque modis omnibus ſuſcepiſſet: Denique ſua ditionis Epiſcopos, ſcilicet Italicos & Teutonicos pracepit Papiam convenire, tanquam ad diſcuſſionem & examen, cujuſnam partis merita praeponderarent, re autem vera, ut Alexandri parte depreſſa, partem alteram approbantes, dicti Victoris praematuram victoriam celebrarent. Partibus quoque mandavit, ut adeſſent, Concilii ſuſceptura decretum. Dictus Victor tanquam ſubiturus judicium affuit: Alexander verò prajudicium, quod ei ſub nomine judicii parabatur, non ſolum cautè, ſed etiam libere recuſavit. Itaque ex Teutonico ſimul & Italico regno Epiſcopi Imperiali juſſione cum ingenti multitudine Prælatorum inferioris ordinis Papia congregati in gratiam Imperatoris, qui cum ſuis Ducibus terribilis aderat, quacumque cauſam Alexandri juvare poterant, cum pro eo nemo allegaret, vel ſilentio ſupprimentes, quod pro parte altera minus de veritate ſuppetebat, arte ſuppleverunt.* Quod ſpectat ad numerum Epiſcoporum, qui prædicto interfuerunt Conciliabulo, quinquaginta tantummodo conveniſſe aſſerit Radevicus, qui aderat, licet in Imperatorem propenſior videatur, præter ingentem numerum Abbatum & Præpoſitorum. Ex quibus intelligitur, etſi Fridericus literis ſuis invitaſſet Epiſcopos totius Imperii & regni ſui, necnon Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Daciæ, ut in literis indictionis videre eſt; tamen reliquos omnes non veniſſe, ſive quod ſcirent non eſſe Imperatoris Concilium indicere, ſive quod audiſſent eum, ſuſceptione Octaviani judicium Epiſcoporum antevertiſſe.

SEC. XII. ALEXANDER III

XIV. *In eo, damnato Alexandro, Octavianus ſuſcipitur.*

Geſta in eo Conciliabulo pluribus refert Baronius ex Radevico, quæ paucis perſtringuntur ab Hermanno Abbate Reicherſpergenſis monaſterii in ſuo Chronico ad annum 1160. *Crema capta*, inquit, *deſtructa & cremata eſt. Quo facto Imperator ſtatim Papiam venit cum Epiſcopis & Principibus qui congregati erant, & in Nonis Februarii Curia & colloquii initium habetur, & per ſex dies in hoc demorantur, fuitque diſſenſio aliqua inter ipſos, quibuſdam hunc, quibuſdam illum Papam confirmare volentibus. Tertio itaque Idus Februarii, quia nec Alexander venerat, nec Legati ejus, nec aliquis pro parte ejus firmiter ſtabat, Imperator omnes Epiſcopos convocans, in hunc eos conſenſum deduxit, ut omnes Victorem Papam ſuſciperet, & ſtatim ſequenti die II Kal. Febr.* (legendum II. Idus Febr. ut ex jam ab ipſo narratis deducitur) *ab ipſo Imperatore & Epiſcopis ſuſcipitur & inthronizatur in monaſterio Sancti Syri, Imperatore franum equi & ſtivam ſella illius tenente, & eum de equo ſuſcipiente, & ad altare unà cum Patriarcha Aquilegienſi Pilegrino inter manus eum deducente.* Id actum eſt die II Idus Februarii, ſeu die duodecima ejuſdem menſis, quæ concurrebat cum feria ſexta. *Proxima autem*

Digitized by Google

SEC. XII. ALEXANDER III

die ſequenti, id eſt in ſabbato, habito generali Concilio, Dominus Papa & nos cum illo, Rolandum Cancellarium ſchiſmaticum & ejus principales fautores, accenſis candelis anathematizavimus, & tradidimus eum Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini, inquiunt ſchiſmatici illi Præſules in Reſcripto à Præſidentibus pſeudo-Synodo per partes mundi directo, apud Baronium.

XV. *S. Ailredus declamat in Octavianum Antipapam.*

Sed electionem Octaviani fuiſſe nullam & ſchiſmaticam diſertè aſſerit Sanctus Ailredus monaſterii Rievellenſis, vulgò *Reveſby*, in agro Lincolnienſi, & provincia Cantuarienſi ſiti, Abbas hoc tempore vivens, qui in Sermone 231. hæc inter alia de hoc Conciliabulo in rem noſtram habet: *Papiæ aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Alexandrum Chriſtum ejus, ubi circumdederunt eum canes multi, Concilium malignantium obſedit eum: ibi inſurrexerunt in eum teſtes iniqui Joannes & Guido; ſed mentita eſt iniquitas ſibi. Infelices & miſeri qui deſcendentes ab Jeruſalem in Jericho inciderunt in latrones; ipſe eſt ſceleſtiſſimus Octavianus, qui inſtar latronis multo tempore in inſidiis latitans; Papatum, prædam, ſpolia Eccleſiam æſtimavit. Infelix qui aſcendit cubile patris ſui & maculavit ſtratum ejus.* Inferius utriuſque electionis proceſſum fusè enarrat, & juſtitiam Alexandri Pontificatûs ex ipſa narratione deducit: *Ecce defuncto*, inquit, *Hadriano legitimo Petri ſucceſſore, ſtat in Cardinalibus ceterorum Apoſtolorum legitima ſucceſſio. Cogitate nunc conſtitutos in medio eorum Rolandum & Octavianum, ſic interim nominamus eos, quaſi in utero matris ſuæ Eccleſiæ Romanæ jam laborantis in partu. Rogo, fratres mei, nonne partus iſte ſimilis eſt partui Rebeccæ? Ecce, ecce infelix Eſau rufus & hiſpidus quomodo ipſa viſcera materna contorquet; & ſimplicem illum Jacob, quem totus ille interaneorum omni effectu concentus complectitur, manibus furibundus invadit.*

XVI. *Electionem ejus vitioſam eſſe oſtendit.*

Audiſtis enim quomodo de collo Sanctiſſimi viri (nempe Alexandri) *infelix ille* (ſcilicet Octavianus) *mantum dæmono plenus extraxit. Et cum ei non pro voto ceſſiſſet, cum ſummo matris dolore egreſſus de utero, cupiditatis & ambitionis ſuæ pilis, ſummum cernentibus horrorem incuſſit. Secuti ſunt eum duo, qui, ut ipſe, alienati ſunt à vulva, erraverunt à ventre, ceteris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adhærentibus, Alexandrum ſequentibus. Cernite nunc Joannem, nunc Guidonem in parte una, & inter eos Octavianum; cernite & reliquam Curiam ex parte altera, & Alexandrum inter eos. Rogo, cujus vox iſta eſt? Exierunt à nobis, ſed non fuerunt ex nobis? Certe aut in illis tribus Curia Romana eſt, aut in his omnibus? Aut periit de terra, & inaniter fuſa eſt illa Salvatoris oratio, de qua dicit: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quod dementis eſt opinari. Quis enim ita deſipiat, ut tot Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus Cardinalibus excluſis, Romanæ vim Curiæ in his duobus æſtimet reſediſſe?*

Sic

Digitized by Google

XVII. *Alexandri verò omni ex parte legitimam.*

Sic nunc, fratres, ſic loquor de iſtis, quaſi adhuc in Eccleſia beati Petri, ubi electionem fecerant, conſtitutis & ab invicem ſeparatis. Certè Eccleſia Romana non periit, certè ceteris reprobatis, ut in illis tribus remanſerit, nulla ratio, nullus ſenſus humanus admittit. Reſtat proinde, ut in illa multitudine, quæ Alexandrum elegit, vim Apoſtolicæ dignitatis reſervaverit. Abſit enim, ut dicamus quinque Cardinales Epiſcopos, & quindecim, vel eo amplius Cardinales Presbyteros, ſive Diaconos, à tribus illis exiiſſe, & non potius illos ab iſtis, quorum fama celebratur, vita ſanctior, ſenſus profundior, multitudo numeroſior, auctoritas ſublimior. Cum igitur conſtet Eccleſiam eſſe Romanam, quæ Alexandrum elegit, de qua certum eſt illos exiiſſe, quicumque poſtea illis adhæſit, ſive ipſiſſimus Imarus, ſive alius; non ad Chriſtianos, ſed ad hæreticos; non ad Catholicos, ſed ad ſchiſmaticos; non ad Eccleſiam, ſed ad Synagogam Sathanæ, & ipſe hæreticus, ſchismaticusque acceſſit. Dicant inimici quidquid volunt, mentiantur quantum volunt, fingant quæcumque volunt, ubi Eccleſia eſſe Romana oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate, ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. Ab ejus fide, quæ Chriſto orante non deficiet; ab ejus unitate, quam ſchiſmaticorum pravitas, Chriſto conſervante non dividet; ab ejus ſubjectione, cujus mihi princeps cœlum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adjuvante gratia ſeparabit. Præter Sanctum Ailredum, ſeu Aelredum, Sanctos etiam Eberhardum Archiepiſcopum Saltzburgenſem, & Hartmannum Brixinenſem Antiſtitem, ſtetiſſe muros firmiſſimos pro domo Domini adversùs Antipapam oſtendit Baronius in Appendice ad annum 1160.

XVIII. *Electio Alexandri à Cardinalibus magni nominis facta.*

Plures etiam præter Alexandrum fuiſſe Cardinales Pontificatu digniſſimos, qui tamen hunc elegerunt, nos docet Petrus Bleſenſis in Epiſtola 48, in qua, poſtquam dixit, Octavianum toto tempore vitæ ſuæ opes & divitias congregaſſe, ut quietem Eccleſiæ perturbaret, de ejus electione ſubdit: *O quam cæcus & turbidus eſt invidiæ oculus! Ubi quæſo erant Cardinalium corda quando filium ſuperbiæ & idolum abominationis in Apoſtolatûs apicem erigebant; ut de vobis taceam, ne videar adulari, quomodo clauſis oculis tranſierunt D. Bernardum Portuenſem, Henricum Piſanum, D. Hiacynthum, D. Ubaldum Epiſcopum Oſtienſem? Reſpuerunt homines pacis, & hominem diſſenſionis & ſcandali erexerunt.* Ex Cardinalibus itaque, qui Alexandri III electioni interfuère, à Petro Bleſenſi hi quatuor Pontificatu digniſſimi fuiſſe cenſentur; Bernardus ex Canonico Regulari Congregationis Sancti Frigidiani Lucenſis, Presbyter Cardinalis ab Eugenio III, & poſtea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis ab Hadriano IV creatus, qui multas legationes obierat: Henricus Piſanus, Ordinis Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis ab Eugenio III renunciatus, ad quem extat Epiſtola 295. Sancti Bernardi, & cujus Tomo 3. Bibliothecæ Ciſtercienſis pag. 239. refertur Epiſtola de legitima Alexandri III electione: Hiacynthus Bobo, qui dein Pontifex Romanus fuit ſub Cœleſtini III nomine: denique Ubal-

dus Tuſcus ex Canonico Eccleſiæ Lucenſis Presbyter Cardinalis, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, ac tandem Papa Lucius III dictus.

XIX. *Fridericus Imp. ſævit in ſectatores Alexandri PP.*

Iis non obſtantibus Fridericus Imperator in Conciliabulo Papienſi, voti compos effectus, & ſede Sancti Petri tandem ſubjugata, in atrocia edicta prorupit, multoſque Præſules Eccleſiis ſuis expulit. Helmoldus enim, hoc tempore vivens, in Chronico Slavorum cap 91. hæc ſcribit: *Cum Cæſar expugnaret Mediolanum, venit ad eum Victor in caſtra, quæ erant apud Papiam, & recepit eum. Adunatoque Concilio* (in urbe Papienſi) *receperunt eum Rainaldus Colonienſis, & Conradus Moguntinus Electi, & omnes quos Imperialis aut timor, aut favor agebat. Porrò Alexandrum recepit Jeroſolymitana Eccleſia & Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hiſpania, Dania & omnia regna, quæ ſunt ubique terrarum. Inſuper Ciſtercienſis Ordo eidem univerſus acceſſerat, in quo ſunt Archiepiſcopi & Epiſcopi complures, & Abbates amplius quam ſeptingenti, & Monachorum ineſtimabilis numerus. Hi ſingulis annis celebrant Concilium apud Ciſtercium & decernunt ea quæ utilia ſunt. Horum invincibilis ſententia vel maximas vires addidit Alexandro. Quam ob rem iratus Cæſar propoſuit Edictum, ut omnes Monachi Ciſtercienſis Ordinis, qui conſiſtebant in regno ſuo, aut Victori ſubſcriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu eſt, quot patres, quanti Monachorum greges, relictis ſedibus ſuis, transfugère in Franciam. Pontifices etiam quamplures ſanctitate inſignes in Longobardia, & in univerſo regno, Principis violentia ſedibus ſuis pulſi, & alii ſuperpoſiti ſunt in locum illorum.* Porrò quod ſcribit Helmoldus Jeroſolymitanam & Antiochenam Eccleſiam Alexandro adhæſiſſe, id factum eſt in Concilio Nazareno anno 1160. congregato, ut refert Baronius ex Guillelmo Tyrio lib. 18. cap. 29. Illius Concilii Synodicam Epiſtolam, quam Baronius non viderat, referunt Conciliorum Collectores Tomo X pag. 1404.

XX. *Ab Alexandro PP. excommunicatur.*

Alexander autem Pontifex, cùm Fridericum Imperatorem benignè ac frequenter admonuiſſet, nec tamen eum à ſua perfidia revocare ullatenus poſſet; ipſum unà cum Epiſcopis & Cardinalibus in die cœnæ Domini, ſeu die vigeſima quarta menſis Martii ejuſdem anni 1160. tanquam principalem Eccleſiæ perſecutorem excommunicationis vinculo ſolemniter innodavit, & omnes ejus ſubditos, ſecundum prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem à juramento fidelitatis ei præſtito abſolvit; atque in Octavianum & ejus complices jamdiu prolatam excommunicationis ſententiam innovavit.

XXI. *Alexander ab omnibus Regibus in Papam ſuſcipitur.*

Hæc conſtant ex Actis Alexandri, quæ addunt, eumdem Pontificem intelligentem multos Prælatos & Principes à ſchiſmaticis circumventos eſſe multis mendaciorum figmentis, utile judicaſſe nonnullos Cardinales in diverſas orbis provincias ex latere ſuo deſtinare, per quos univerſi fideles cognita veritate, in unitate Catholica ſolidarentur. Nominantur autem ibidem ii, qui tunc in partes Galliarum & Hiſpaniarum, nec non ad Hun-

Hungaros, atque etiam ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, & in Palæſtinam ac Syriam miſſi ſunt: quorum operâ factum traditur, ut non ſolum Ludovicus Rex Francorum, cujus regnum, ut ibi dicitur, nunquam ſchiſmate pollutum recoleretur, unà cum Henrico Anglorum Rege Alexandrum recepcrint; ſed & Reges Hiſpaniarum, Siciliæ, Jeruſalem, Hungariæ & Græcorum Imperator Conſtantinopolitanus, cum Patriarchis, Epiſcopis, & univerſo Clero, principibus & populo eis ſubjecto ad eumdem Pontificem pari modo convenerint: ſoluſque Fridericus Imperator cum ſuis complicibus in erroris ſui pertinacia perſtiterit, acriter perſequens Alexandrum & alios Eccleſiarum Prælatos, qui pro eo viriliter ſtabant. SEC. XII. ALEXANDER III

XXII. *Imp. fruſtrà tentat Reges Franc. & Angl. adversùs Alexandrum.*

Plurimùm laboravit Fridericus Imp. ut alios Reges unà ſecum in errorem adduceret. Siquidem eum pertentaſſe Reges Francorum & Anglorum diſertè aſſerit Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. cap. 9. *Illuſtres*, inquit, *Francorum & Anglorum Reges modis omnibus ſollicitare curavit Fridericus Imperator, ut ad perpetuandam amicitiam, ſibi hac in parte concordes exiſterent, in acceptando videlicet Octaviano in Romanum Pontificem, exploſo penitus Alexandro. Illi verò inflexi ſententia cauſa ſuſpenſa, donec rei tam ſcrupuloſæ penitus veritatem agnoſcerent: celebrem & ipſi ex utroque regno Epiſcoporum & nobilium, loco & tempore congruo Conventum fecerunt*, ſcilicet Toloſæ, ut mox videbitur. Cum enim ex Epiſtola Philippi Abbatis Bonæ Spei ad Alexandrum III, quæ refertur Tomo 2. Spicilegii Dacheriani pag. 458. & ex alia Arnulphi Luxovienſis Epiſcopi ad eumdem Pontificem, quam anno 1159. recitat Baronius, conſtet, Angliæ Regem in partes quidem propendiſſe Alexandri III, ſed noluiſſe edicto publico eum verum Pontificem agnoſcere, ne Imperatoris ſibi aliàs amici animum offenderet, hoc præſertim tempore, quo cum Ludovico Francorum Rege bellum ardebat; ex iiſdem tamen Epiſtolis etiam conſtat, eum non vetuiſſe, ne ſubditi ſui ad eum ſcriberent, aut literas ab eo acciperent. Sed tandem Philippus Abbas Bonæ Spei, & Arnulphus Luxovienſis Epiſcopus fluctuantem Henrici Angliæ Regis animum ad partes Alexandri adduxêre, & pace *menſe Maio* anni 1161. ut ſcribit Robertus de Monte, inter Ludovicum Franciæ, & Henricum Angliæ Reges conciliata, *menſe Julio Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Epiſcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud Novum Mercatum.* (Gallicè *le neuf marché* oppidum Normanniæ ſex leucis à Bellovaco diſſitum) *Et Ludovicus Rex Francorum adunavit ſuos Bellovaci; & ibi tractatum eſt de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris: & conſenſerunt Alexandro, reprobato Victore*, inquit Robertus de Monte.

XXIII. *Alexander in Concilio Toloſano ſuſcipitur.*

Sed cùm hi duo Conventus Bellovaci & apud Novum Mercatum coacti, fuerint tantum privata colloquia, quibus pauci Epiſcopi adfuerunt ex Galliis, & ex regno Angliæ ſoli Epiſcopi, Barones & Abbates Normanniæ,

H 3 coactum

Digitized by Google

SEC. XII. ALEXANDER III

coactum eſt Concilium Toloſanum, ut utriuſque regni Epiſcopi congregati, unanimi conſenſu, quid agendum eſſet, determinarent. De hoc Concilio loquitur Gerhohus Reicherspergenſis in Bavaria Præpoſitus, qui hoc tempore vivebat & ſcribebat, lib. 1. de Inveſtigatione Antichriſti: *Interim*, inquit, *dum hæc ſcribimus; & ad præferendam partem Victoris, pro reverentia maxime Concilii Papiæ celebrati, articulum jam jam ferè inclinamus . . . . ecce alii ac novi rumores per certos internuntios advolitant, in Occiduis partibus, regno videlicet Franciæ, civitate Toloſa, celebratum eſſe Concilium, cui centum Patres inter Epiſcopos & Abbates interfuerunt, unà cum Regibus Franciæ & Angliæ, quorum ſtudio iidem Patres convocati convenerunt. Ubi & Octaviani, quem Victorem dicunt, ſimul & Alexandri Papæ, atque Imperatoris Auguſti Friderici, necnon & Regis Hiſpaniæ Legati aderant. Illic ſane utriuſque partis defenſoribus ſufficienter auditis, eidem Concilio tandem in Alexandrum complacuit. Octavianus verò, qui & Victor, ab univerſo Concilio cum ſuis Principalibus defenſoribus excommunicatus eſt.* De eodem Concilio loquitur Guillelmus Neubrigenſis numero ſuperiori laudatus, licet Concilii locum non nominet; poſt verba enim ibidem relata, ſubdit; in Conventu illo ſeu Concilio, adfuiſſe pro ipſo Victore duos ipſius electores, Guidonem Cremenſem, & Joannem de Sancto Martino; pro Alexandro verò Henricum Piſanum, Presbyterum Cardinalem SS. Nerei & Achillei, Joannem Neapolitanum, & Willelmum Papienſem, Cardinales. Cum autem primò Guido Cremenſis pro Victore egiſſet, Willelmuſque Papienſis, quæ ille protuliſſet in medium, ita retorſiſſet, ut propriis irretitus ſermonibus videretur, in eo mutuæ altercationis quaſi duello, totius ita negotii veritatem claruiſſe, ut quamvis iidem Principes valdè à Friderico Imperatore ſollicitarentur, ut ad perpetuandam mutuam amicitiam, ſibi in recipiendo Victore concordes exiſterent; tamen neuter ulterius cunctari voluerit, repudiato Victore Alexandrum recipere, & cum regnis ſibi ſubditis ei tanquam patri parere: ſicque ſchiſmaticis cum dedecore diſcedentibus, Principes & Pontifices latâ ſolemniter in Victorem, ejuſque fautores excommunicationis ſententiâ conventum ſolviſſe. Hæc Neubrigenſis.

XXIV. *Octavianus in Conciliabulo Laudenſi confirmatur.*

Eodem ferme tempore quo Concilium Toloſanum celebrabatur, Octavianus Antipapa, unà cum Imperatore, aliiſque Epiſcopis & Principibus ſuæ partis Laudæ Conciliabulum habuit, in quo fuere confirmata, quæ in Conciliabulo Papienſi anno 1160. ſtatuta fuerant de electione ipſius Octaviani, ut narrat Otto Morena in Chronico Laudenſi. Sed, veritate cognita, reſilierunt plurimi ex Præſulibus & Principibus, qui ab eodem Morena, & ipſo inhærente Victori contra Alexandrum recenſentur. Illud Conciliabulum quod à principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri diſpoſitum fuerat, poſtremò tamen ex voluntate Imperatoris Laudæ celebratum, *die in qua fuit tunc feſtum ſanctorum Gervaſii & Protaſii,* ſeu die vigeſima menſis Junii *inceptum* eſſe ſcribit Auctor. Ludo-

Ludovicus VII Franciæ Rex, qui *inter primos orbis terrarum Reges & Principes* ***PRIMUS*** *audito nomine Domini Papæ Alexandri, verè beati Petri ſucceſſoris & Vicarii, eum in patrem ſummum & univerſalem Pontificem* elegit, ut ad ipſum ſcripsêre Rectores Romanæ Fraternitatis Epiſtolâ ordine 431. inter eas quas refert Ducheſnius de Rebus Francicis Tomo IV, ſcripſit ſtatim ad Manuelem Orientis Imperatorem, ut eumdem Alexandrum tanquam legitimum S. Petri ſucceſſorem veneraretur, quod & ab eo obtinuit. Id conſtat ex Epiſtola 48. ab eodem Ducheſnio ibidem pag. 579. inter Epiſtolas diverſorum relata, ab eodem Imperatore ad Ludovicum Regem ſcripta, in qua ait: *Quoniam divina providentiæ placuit, tam longinquam atque vetuſtam affectam parentelam noſtram & amicitiam per aliam propinquiorem conſanguinitatem renovare, & veluti quodammodo repubeſcentem reddere, in eo quod de nobiliſſima prole veſtra Imperium noſtrum conſortem ducere decrevit, filiam videlicet R. nobiliſſimi Principis Antiocheni, unius quippe ex honoratiſſimis Imperii noſtri Principibus, quam Imperiali diademate inſignivimus, juſtum eſt deinceps nos & ſcriptis & internunciis invicem frequentius viſitari. Quamobrem literas nobilitatis veſtræ ſuſcipientes, in quibus continebatur, quoniam coadunatione Eccleſiarum, ceterarumque nobilium perſonarum à vobis tractatum, confirmatumque eſt, quaſi juſtum Papam ſanctiſſimum Alexandrum ſuſcipiendum eſſe, quem vos utique quaſi patrem, ſummumque Pontificem ſuſcepiſtis, & ideo noſtro Imperio ſcripſiſtis, quatenus ei condecentem honorem & amorem, utpote tali tantoque viro exhiberet, hoc noſtrum Vobis Imperium reſcribit. Antea quidem addiſcebat Imperium noſtrum de ſtatu ſapientiæ, ſobrietatiſque ipſius; nunc verò tale de ſanctitate ejuſdem teſtimonium ſuſcipiens ſcripto tanti viri, qualis Vos eſtis, cùm præclara corona inſigniti, tum fide & veritate decorati, & conſanguinitatis propinquitate & amicitia Imperio noſtro obligati, credibile & receptibile teſtimonium veſtrum decernimus, & condignam reverentiam ipſius ſanctitati exhibemus, & orationum ejus participes fieri optamus.*

XXV. *Manuel Imp. Alexandrum ut verum Pontificem agnoſcit.*

Porrò ex his eruitur, Manuelem Imperatorem optaſſe revocare Græcos ad inſtituta & ſubjectionem Eccleſiæ Romanæ, uti ante eum jam in votis habuerat Joannes ejus deceſſor, ut oſtendit Baronius anno 1119. num. 18. & ſeqq. ex Epiſtolis 39. & 40. libri ſecundi Epiſtolarum Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis, quarum prior Joanni Imperatori, poſterior Patriarchæ Conſtantinopolitano ſcripta, pro reſtitutione cœnobii Cluniacenſium, quod erat Conſtantinopoli, in quarum priori Cluniacenſis Abbas Joannem Imperatorem ſuſcipit in confratrem & conparticipem omnium ſpiritualium beneficiorum congregationis Cluniacenſis, quemadmodum & alii Catholici Principes jam ſuſcepti erant. Conſtantinopoli etenim, quemadmodum & in reliqua Græcia Baſilicæ erant & varia Latinorum Religioſorum monaſteria, quibus Romanis moribus & ritu Latino vivere, reliquaque ſacra ad Pontificum normam celebrare permittebatur.

XXVII. *In Eccleſiam Rom. propenſus erat.*

Digitized by Google

SEC. XII. ALEXANDER III tur, quod neutiquam conceſſum fuiſſet, ſi eorum mores & dogmata, velut hæretica improbaſſent, ut inquit Leo Allatius lib. 2. de Conſenſ. Eccleſ. Occident. & Orient. cap. 11. num. 2. Sicut autem Joannes Imperator à Petro Venerabili ſuſceptus eſt, ut conparticeps omnium ſpiritualium beneficiorum congregationis Cluniacenſis, ita nunc Manuel Imperator Alexandri Papæ III *orationum particeps fieri* optat.

XXVII. *Alexander PP. navigat in Gallias.* Alexander interea Pontifex eodem anno 1161. ſecundo ſui Pontificatûs, à menſe Septembri anni ſuperioris inchoato, ut tradunt ejus Vitæ Acta, Romam reverſus, cum propter ſchiſmaticorum ſeditiones, haud ibi quiete valeret permanere, in Campaniam rediit: & quoniam ſchiſmatici armis Imperatoris, cuncta ferè Eccleſiæ Romanæ loca occuparant; conſilio cum ſuis habito, ad ſolitum Romanorum Pontificum azylum in Galliam tranſire deliberavit, ordinatoque in Urbe Vicario Julio Prænestino Epiſcopo, & aliis rebus diſpoſitis, intraturus mare cum reliquis Cardinalibus Terracinam perrexit. Ubi inventis triremibus Willelmi Regis Siciliæ optime inſtructis, quas ille ad ipſum miſerat, vix eas conſcendit, cum ventus validus ſubitò irruens, ipſas inter procellas conquaſſatas ad ſaxa littoris impulit, ubi abſque ulla jactura hominum vel ſarcinarum ſunt diſſolutæ. Ipſe autem Pontifex modico tempore reparatis omnibus, infra octavas Nativitatis Dominicæ rurſum mare intravit. Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. cap. 14. habet; ideo Alexandrum ſuſcepiſſe profectionem in Gallias, quia licet eum totus orbis veneraretur Latinus, præter terras Imperatoris ſubditas poteſtati; vias tamen obſidentibus hoſtibus, periculoſiſſimus ad ipſum eſſet acceſſus pro neceſſitatibus Eccleſiaſticis.

XXVIII. *Ante diſceſſum S. Eduardum Angliæ Regem canonizat.* Antequam ad adventum Alexandri in Gallias, & ad geſta anni 1162. tranſeamus, hic non omittendum, Pontificem initio anni 1161. cum accepiſſet legationem ex Anglia pro canonizatione S. Eduardi Anglorum Regis, annis jam fermè centum ab ejus obitu, qui contigit anno 1066. elapſis, exactiſſime indagatis, quæ ad ſolemnem ſpectarent ritum inter ſanctos receptionis, permotum ejus vitæ ſanctitate, accedentibus multiplicibus ab eo vivente, & poſt mortem editis miraculis, ſecundùm Romanæ Eccleſiæ uſum, ipſum retuliſſe in Sanctorum album, eaque de re dediſſe literas Apoſtolicas, quas refert Baronius ex Appendice ad Vitam Sancti Eduardi apud Surium Tomo 3. quæ datæ ſunt Anagniæ ſeptimo Idus Februarii, ideoque anno 1161.

XXIX. *Montem peſſulanum accedit.* Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, in feſto ſanctæ Agnetis, ſeu die vigeſima prima Januarii Alexander Pontifex apud Genuam applicuit, ubi contra prohibitionem Friderici Imperatoris, ab univerſo Clero & populo cum honore & gloria ſuſceptus eſt. Genuâ exivit in Dominica de Paſſione, ſeu die vigeſima quinta Martii, & navigans venit ad inſulam de Liguriis in ſabbato Palmarum: ubi præ nimia tempeſtate maris coactus eſt Reſurrectionem Domini, quæ cum die octava Aprilis concurrebat, celebrare,

lebrare. Sequenti verò quarta feria, die nempe undecima ejuſdem menſis SEC. XII.
pervenit ad Eccleſiam Magalonam, in qua majus altare ſolemniter dedica- ALEXAN-
vit. Et quoniam locus pro ſuſcipiendis hoſpitibus nimium erat arctus, DER III
& multitudo maxima Prælatorum adventum ipſius Pontificis præſtolabatur, ad Montem Peſſulanum aſcendit, ubi ingenti gaudio & reverentia ſuſceptus eſt à maxima multitudine Prælatorum, & infinita populi copia. Hæc ex Actis ejus ſæpius laudatis.

Dum apud Montem Peſſulanum moraretur Pontifex, ibidem in die XXX.
Aſcenſionis Dominicæ, ſeu die decima ſeptima Maji Concilium celebra- *Concilium*
vit, in quo Octavianum Antipapam excommunicavit. Id conſtat ex ejuſ- *ibidem cele-*
dem Pontificis Epiſtola quinta Appendicis tertiæ Tomo X. Conciliorum, *brat.*
eodem die XVI Kalend. Junii data ad Omnibonum Viennenſem Epiſcopum, in qua ait: *Noverit tua diſcretionis prudentia, quod tam nos, quam fratres noſtri, apud Montem Peſſulanum per Dei gratiam ſani & incolumes commoramur....... & ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Regibus & Principibus, & ab univerſali Occidentali Eccleſia, tam per ſe, quam per alios & ſuos nuncios honoramur propenſius & devotiſſime veneramur. Specialiter autem fratrem noſtrum Senonenſem, Turonenſem, Aquenſem & Narbonenſem Archiepiſcopos, de quibus unum, ſcilicet Narbonenſem, inibi conſecravimus, & Antiſidiorenſem, Maelovienſem, Nivernenſem, Morinenſem, Magalonenſem & Toloni Epiſcopos recenſuimus: cum quibus in die Aſcenſionis Dominica, publicè excommunicationis ſententiam in Octavianum ſchiſmaticum, atque in omnes ſuos complices promulgavimus.* Id autem factum fuiſſe in Concilio ibidem celebrato, habemus ex capitibus XIV & XV Concilii Monſpelienſis anno MCXCV celebrati, in quibus diſerta mentio eſt hujus concilii, ſub Alexandro Papa congregati, & quorundam in eo ſtatutorum.

Iiſdem diebus Alexander Papa Ludovicum Regem per duos Cardinales XXXI.
viſitavit, quatenus ejus adventu præcognito certificaretur ad quas regiones *Clarum*
ſui regni, de ipſius conſilio accederet moraturus, quos Rex gratanter ſuſ- *montem per-*
cepit, & eos cum læto reſponſo remiſit. *Exivit ergo Pontifex*, inquiunt *git.*
Acta Alexandri, *à Monte peſſulano in proximo menſis Junii, & per Alexiacum* (legendum, Aleſtum) *atque Miniacum* (legendum, Mimatum, ubi IX Kal. Aug. ſcripſit Epiſtolam Hugoni Sueſſionenſi Epiſcopo, quam refert Ducheſnius Tomo IV pag. 595.) *& Anicanoum* (legendum, Anicium) *tranſitum faciens, Alvernia partes intravit, & in vigilia Aſſumptionis B. Maria apud Claromontem cum omni proſperitate, Deo auctore pervenit.* Ducheſnius eodem Tomo IV pag. 424. fusè refert ex Hugone Pictavino, ſcriptore Hiſtoriæ Vezeliacenſis Ludovicum Regem miſiſſe in occurſum Alexandri Papæ *Legatos ſuos, Theobaldum Abbatem Sancti Germani de Pratis, & Cadurcum Clericum ſuum, quorum legationem cum minus optato Alexander ſuſcepiſſet, reverſi Vezeliacum venerunt. Et decidit in lectum*

SEC. XII. ALEXANDER III. *ægritudinis Theobaldus Abbas, & mortuus eſt IX Kalendas Auguſti*, ideoque hæc legatio obita antequam Alexander Clarummontem perveniſſet. Jam enim inaudierat Ludovicum aures præbere ſuggeſtis incantationibus de colloquio cum Friderico Imperatore ad Soanam habendo, quod valde eum perturbabat.

XXXII. *Imperator dolo è circumvenit Regem Franc.* Nam Fridericus videns Orthodoxos Principes Alexandro tanquam Romano Pontifici reverentiam exhibere, cogitavit, tàm ipſum Alexandrum, quàm Octavianum Antipapam, ſeu Victorem, ſub prætextu ingentium malorum, quæ ex diſcordia ipſorum orirentur, judicio univerſalis Eccleſiæ in ordinem redigere, & tertium quemdam in Romanum Pontificem evehere. Quod ut poſſet perficere, Regi Francorum doli inſcio, pacis autem Eccleſiæ cupido, per Henricum Comitem Trecenſem ſuggeſſit, ut ambo convenirent in confinio Imperii & regni, & ipſe quidem ſecùm eò deduceret Octavianum, Rex autem Alexandrum, & per congregatam ibidem in unum Eccleſiam Gallicanam, Italicam & Teutonicam, de utroque decerneretur, quod rectius & utilius eſſe exiſtimaretur. Statuta igitur die, Friderico, unà cum Octaviano, & magna Principum ſuorum multitudine, ac ingenti exercitu, ad locum accedente; Rex quoque unà cum Primatibus, Epiſcopis, ac Baronibus ſuis ad eumdem locum feſtinans, collocutus in itinere cum Alexandro, ut & ipſe eò proficiſceretur, reſponſum accepit, indignum eſſe, & Sanctorum Patrum ſtatutis contrarium, ut Romanus Pontifex & prima ſedes aliquod humanum ſubiret judicium; ac ſatis ſuperque eſſe, ſi nonnulli Cardinales mitterentur, ad electionem Alexandri canonicam, & Octaviani illegitimam demonſtrandam, miſſique ad hoc ſunt quinque Cardinales cum Rege.

XXXIII. *Alexander PP. in magna anguſtia poſitus ex ea liberatur.* Sed antequam Ludovicus Rex ad locum pro colloquio deſtinatum acceſſiſſet, videntes Fridericus & Octavianus, Eccleſiam Gallicanam unà cum Romana contra ſe ſtare, diffidentes conſiliis ac cauſæ ſuæ, rem rursùs in maximum diſcrimen adduxerunt; cum Imperatore per nuncios Regem inſimulante perfidiæ, quod abſque Alexandro veniret; Rex ut jurejurando ſuo ſatisfaceret; & quia maxima videbatur Imperatoris potentia, qui cum ingenti exercitu ad deſtinatum colloquio locum acceſſerat, Alexandro ſignificavit, ut ſine mora cum ſuis accederet; niſi vellet, ipſum Regem ſe cuſtodiæ Imperatoris dedere, prout fuiſſet inter eos juramento conventum. Sed cum in his anguſtiis Henricus Angliæ Rex, in auxilium Domini ſui Regi Francorum, quem audierat periclitari, cum exercitu acceſſiſſet; & ingens fames in exercitum Imperatoris immiſſa eſſet, hic occaſionem recedendi quæſivit, & Regi per Cancellarium ſuum arroganter ſignificavit, cum nullis Eccleſiarum Prælatis judicium electionis Romani Pontificis competeret, niſi eis qui ſub Romano Imperio exiſterent, ipſum Regem cum Epiſcopis ſuis ad Imperatorem accedere debere, non ut judicarent, ſed ut ſententiam Imperatoris

rotis audirent. Rex verò hunc faſtum irridens, cum ſcitè reſpondiſſet, ſe quoque ac ſuos eſſe de ovibus, quas Dominus B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus commendaſſet, dimiſſis cum contemptu nunciis ad ſedem ſuam reverſus eſt. Alexander autem Pontifex tanto periculo liberatus, viſitatuſque apud Dolenſe monaſterium, & pretioſis muneribus donatus ab Henrico Angliæ Rege, qui poſt pedum oſcula, præparatam ſibi ſedem humiliter recuſans, ad pedes Pontificis in terra voluit cum ſuis Baronibus conſidere: in civitatem Turonenſem, in feſto S. Michaelis Archangeli pervenit, ibique diuturniorem moram fecit. Hæc pluribus in Actis Alexandri laudatis, in quibus tamen perperàm legitur Conventum illum indictum fuiſſe apud Avenionem; conſtat enim ex Radulpho de Diceto in Imaginibus Hiſt. pag. 533. & ex Chronographo Affligemenſi, convocatum fuiſſe illum Conventum in territorio Chryſopolis, ſeu Veſontionis in Dola villa ſuper Saonam fluvium, in decollatione S. Joannis Baptiſtæ. Idem legitur in Epiſtola ipſius Friderici ad quemdam Archiepiſcopum, quæ extat Tomo IV Ducheſnii pag. 589. & in Hugone Pictavino loco laudato. Mendosè etiam apud Baronium ex iiſdem Actis legitur, Alexandrum ab Angliæ Rege fuiſſe viſitatum in monaſterio Bobienſi, illud enim eſt in Italia; ſed legendum, in Dolenſi monaſterio Bituricenſis provinciæ, quod erat proximum caſtro Radulphi, & revera ita ſcripſiſſe Auctorem illorum Actorum, ex eo conſtat, quod antea ſcripſerat, Alexandrum Papam ante colloquium ſeceſſiſſe ad monaſterium Dolenſe.

XXXIV. *Ludovicus à laqueis ſibi ab Imperatore paratis liberatur.*

Ludovicum autem Regem jusjurandum ſuum non violaſſe diſerte docet Hugo Pictavinus, Notarius Guillelmi Abbatis Vezeliacenſis, qui hoc tempore vivebat, loco laudato, ubi poſtquam retulit, Henricum Trecenſem Comitem promiſiſſe Imperatori, Ludovicum Regem ad colloquium venturum, & Alexandrum adducturum, aut certè ſe ipſum traditurum vinctum Imperatori *apud Chryſopolim, quæ eſt urbs nobilis Biſuntinorum*, ſubdit: *Et acquievit Rex, & defecit ſpiritus ejus, & tædiatus eſt animo: pactuſque eſt illa ſe facturum datis obſidibus*, &c. *Abiit ergo Rex ad prædictum locum Lovigenna* (vulgò Saine Jean de Laone) *ubi Regi debebat occurrere Imperator. Sed feſellit Imperator Henricum, miſſuque præcipuum fautorem ſchiſmatis Rainaldum Cancellarium ſuum, Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Cumque coram eo replicarentur pactiones, quas Comes Henricus ex ore Imperatoris propoſuerat Regi: ſubito divina virtus aſtitit Eccleſiæ ſuæ, & piæ ſimplicitati Regiæ majeſtatis. Reſpondit enim Rainaldus profani erroris fautor nequaquam Imperatorem talia dixiſſe: ſcilicet quod cuiquam permitteret conſortium judicandi Romanam Eccleſiam, quæ propriè ſui juris exiſtebat. Tunc repletus gaudio Rex quæſivit ab Henrico Comite, utrum ſe haberent pactiones ſecundum formam ab eo propoſitam. Et ille; Habent. Et Rex, Ecce, ait, quod Imperator, qui juxta verbum*

I 2 *tuum*

SEC. XII. ALEXANDER III. *tuum adeſſe debuit, abeſt. Ecce etiam, quod miſſi illius formam pacti, te præſente, & teſte commutant. Verum eſt, inquit Comes Henricus. Et ait Rex: Nonne ego abſolutus ſum ab omni pacto? Abſolutus, ait Henricus. Et dixit Rex Ludovicus cunctis Optimatibus ſuis, & Epiſcopis atque Abbatibus, qui præſentes aderant, audiſtis & vidiſtis, qualiter ego ipſe gratis perfecerim omnia, quæ ad me pertinent. Edicite utrum liber ab his pactionibus videar. Dicunt omnes, Liberaſti verbum tuum. Statimque Rex velociſſimum equum, cui inſidebat, reducens, protinus ire perrexit. Teutonici autem valde confuſi, inſecuti ſunt eum; rogantes, ut rediret ad Imperatorem paratum exequi omnia, quæ Henricus Comes propoſuerat. At ille parvipendens quæ dicebantur, decipulam, quam evaſerat, exhorruit, dicens: Feci quod meum fuit. Sic ſoluto Conventu Rex in regnum ſuum rediit.* Ex quibus patet, Fridericum Imp. promiſſis non ſtetiſſe, ideoque ipſum, non Ludovicum Regem fidem fregiſſe. Hæc narratio confirmatur ex Epiſtola Alexandri Papæ ad Ludovicum Regem data *apud Dolam XV Kal. Octobris* apud eumdem Ducheſnium pag. 620.

XXXV. *Alexander III hyemat in Aquitania.* Hugo Pictavinus mox laudatus, poſtquam dixit, Ludovicum Regem ſoluto Conventu in regnum ſuum rediiſſe, ſubdit: *Alexander autem Catholicus Papa veritus indignationem Regis Ludovici* (forſàn quia ad illud colloquium ire recuſaverat) *tranſiit in Aquitania Metropolim urbem Bituricorum, & in Dolenſe monaſterium, quod eſt apud caſtrum Radulphi, ibique hyemavit.* Caſtrum Radulphi ſeu Radulfi, dicitur etiam caſtrum Rufum, eique proximum erat Dolenſe monaſterium, Andria interfluente. Acta tamen Alexandri Papæ ſuperius citata habent, Alexandrum facta dedicatione majoris altaris monaſterii Dolenſis, Turonum perrexiſſe, & *ad ipſam civitatem in feſto Beati Michalis Archangeli* perveniſſe, *ubi cum fratribus ſuis moram diutius fecit, & Nativitatem Domini ſolemniter celebravit.* Sed major fides habenda videtur Hugoni Pictavino, qui tunc vivebat, ex quo & colligitur urbem Bituricenſem tunc fuiſſe in Aquitania, quæ præterea eo tempore complectebatur *provincias Burdegalenſem, Auſcienſem & Turonicam, & quidquid à collibus Iberorum uſque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus*, ut ſcribit Ernaldus Abbas Bonævallis in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 6. Aquitania porrò hoc tempore Henrico II Angliæ Regi parebat, quia in uxorem duxerat Eleonoram Guillelmi IX ultimi Aquitaniæ Ducis anno 1137. defuncti filiam.

XXXVI. *Pariſiis honorificè excipitur à Ludovico Rege, ad quem Roſam auream mittit.* Poſtero anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio, adveniente Quadrageſima, ideoque circa initium menſis Februarii, Alexander Pontifex, colloquium habiturus cum Ludovico Rege Pariſios perrexit, quam civitatem *cum ingreſſus eſſet, Ludovicus tanquam pius & mitis Rex cum Baronibus & militibus ſuis per duas leucas illi occurrit: quo viſo ſtatim deſcendit, ad ſtreguam ejus feſtinanter occurrens, humiliter deoſculatus eſt*

pedes

Digitized by Google

pedes ipſius, & ſtatim ad ejus oſcula cum devotione fuit receptus. Deinde SEC. XII.
ſingulariter procedentes intraverunt prædictam civitatem. Cui Clerus cum ALEXAN-
maxima & decora proceſſione obviam venit, & Pontificem ac ejus fratres DER III.
Cardinales deduxit in gaudio & exultatione ad majorem Eccleſiam. Manſit autem in dicta civitate per ipſam Quadrageſimam, & Paſchale in ea feſtum celebravit, ut legitur in Actis Alexandri apud Baronium. Scriptor Hiſtoriæ Vezeliacenſis pag. 582. hanc in rem de Alexandro habet: *Tempore Quadrageſimæ acceſſit ad Ludovicum Regem in urbe Pariſiorum. A quo ſuſceptus honorificè, ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ portavit ipſe Roſam auream Dominica qua cantatur*, Lætare Jeruſalem. *Peractiſque Paſchalibus ſolemniis conſecravit Baſilicam monaſterii B. Germani de Pratis, cui Hugo de Moncellis monachus Eccleſiæ Vizeliacenſis præerat.* Alexander ipſe in Epiſtola 108. ſecundæ Appendicis Tom. X. Concil. ad Ludovicum VII Regem, hanc Roſam ad eum mittit, aitque: *Romanorum Pontificum inſtitutione noſcitur proceſſiſſe, quod media Quadrageſima, ea Dominica, qua cantatur*, Lætare Jeruſalem, *conſueverunt ipſi florem aureum non gratia temporalis elationis, propriis manibus annua ſemper revolutione geſtare: ea utique in facto hujuſmodi deſignantes, quæ tam ad decorem Eccleſiæ, quam ad fidelium noſcitur inſtructionem ſpectare. Unde & cum nos eorundem anteceſſorum noſtrorum veſtigia ſubſequentes, ſimilem florem eo die, in quo conſtitutum eſt, nuper in manibus geſtaremus: non invenimus cui tam dignè, ſicut Excellentiæ tuæ florem hujuſmodi deberemus offerre; quem & devotione circa Eccleſiam Dei, & nos ipſos, & dignitatis honore cognoſcimus præeminere.*

In eadem Epiſtola quid flos ille aureus myſticè denotet, his verbis XXXVII.
poſtea exponit Pontifex: *Quia verò floris hujus ſignificantiam, tuam Cel-* *Quid flos il-*
ſitudinem credimus tantò libentius noſtra velle expoſitione cognoſcere, quanto *le aureus*
te conſtat corde & opere, divinis obſequiis, & piis actibus ferventius inhæ- *myſticè de-*
rere: prudentia Regia Serenitatis agnoſcat, quod flos iſte Chriſtum Regem *notet, expo-*
exprimit, ac deſignat, qui de ſe ipſo loquitur, dicens: Ego flos campi *nit.*
& lilium convallium. *Aurum namque Regem non immeritò dicitur denotare, cum ad hoc deſignandum à Magis figuraliter oblatum fuerit Salvatori: ut per hoc Rex Regum & dominus dominantium monſtraretur. Rubor autem quo aurum coloratum eſt, & ſuffuſum, paſſionem ſignificat Redemptoris, de quo utique ſcriptum legitur:* Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? *Et iterum:* Quare rubrum eſt indumentum tuum & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? *Odor autem hujus floris, Reſurrectionis ejus gloriam præfigurat, ut ſicut ipſe primogenitus mortuorum ex multis fratribus, & reſurgens à mortuis, jam non poſſit mortis vinculo detineri: qua & noctem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo in immortalitatis gloriam reparavit. Sane hujuſmodi anfractus & climata omnium ſcelerum fœditate concreta, tantus odor Dominicæ Reſurrec-*

SEC. XII. ALEXANDER III. *tionis aſperſit, ut nulla pars orbis alienam ſe ab odore ſentiat vel expertem: ſed omnes ſe gaudeant honore hoc ſuaviſſimo Spirituales nequitias in cœleſtibus jam viciſſe. Porrò ſi ad ipſius Chriſti Reſurrectionem figuraliter denotandam ſanctæ illa mulieres ad ſepulcrum aromata detulerunt, ſuavitate redolentium unguentorum gloriam præſignantes: quæ utique terrorem inferis, cœlis gaudium, terris intulit ſanctitatem. Hæc ſunt, fili in Chriſto cariſſime, quæ in flore iſto noveris figurari*, &c. Eumdem Pontificem anno 1177. florem aureum quem detulerat, Duci Venetiarum in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ contuliſſe, ſuo loco dicetur. Vide dicta de ea Roſa, in Urbano II.

XXXVIII. *Turonis Concilium celebrat.* Meminit & hujus commorationis Pariſienſis ipſemet Alexander Papa in diplomate canonizationis Sancti Bernardi Abbatis Clarævallenſis anno 1174. dato, in quo ait, magnos quoſdam & venerabiles viros piis precibus ſibi ſuggeſſiſſe, ut in Concilio quod Turonis in proximo celebrandum erat, dictum ſanctum canonizaret, ſed ſuperveniſſe multitudinem & frequentiam petitorum, qui in diverſis provinciis rem ſimilem poſtulabant, quod in cauſa fuit, cur eam canonizationem diſtulerit. *Et quoniam*, pergunt Acta laudata, *tempus Concilii celebrandi imminebat, quod in octavis Pentecoſtes Turonum convocaverat, exivit de Pariſiis & tranſiens per Carnotum ad Turonis civitatem celeriter remeavit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCLXIII, Indictione XI, anno quarto ſui Pontificatus, IV Kalendas Junii* (legendum XIV Kalendas Junii, ut mox dicetur) *Alexander Papa in Eccleſia Sancti Martini Turonis Concilium celebravit, in quo ſecum interfuerunt Cardinales numero decem & ſeptem, Epiſcopi centum & viginti quatuor, Abbates quatuor centum & quatuordecim, & aliorum tam Clericorum quàm laicorum maxima multitudo*, ut legitur Tomo X. Concil. in præfatione ejuſdem Concilii. His ſimilia ſcribit Hugo Pictavinus lib. 4. Hiſt. Vizeliacenſis; *omnes Epiſcopi*, inquit, *Lugdunenſes, Narbonenſes, Bituricenſes, Senonenſes, Remenſes, Rotomagenſes, Turonenſes, Burdigalenſes, Auſcitanenſes, Alpenſes, Apennini, & maritimi centum quinque numero interfuerunt. Item Cantuarienſes, Eboracenſes, Scoti quoque & Hiberni, ſed & Abbates & diverſæ profeſſionis perſonæ gratanter undique advenientes.* Germanos quoque plures occultè obedientiam Alexandro Papæ per literas exhibuiſſe: Italiæ verò non minimam partem, partim ſcripto, partim ſua præſentia affuiſſe: ſed & Sardiniam & Siciliam cum omni Calabria & omni Orientali Eccleſia ac Hiſpania devotum obedientiæ caput Alexandro Papæ ſubdidiſſe, ſcribit idem Auctor.

XXXIX. *Ejus Concilii epocha.* Continuator Sigeberti, ſeu Robertus de Monte, qui Concilio adfuit, & Continuator Chronici Sancti Petri Vivi ſcribunt, Concilium habitum *in Octavis Pentecoſtes*, ideoque decimo quarto Kalendas Junii, ſeu die decima nona Maii, quæ anno 1163. concurrebat cum Octava Pentecoſtes

tecoſtes. Errarunt itaque & Matthæus Paris & Radulphus de Diceto, qui volunt illud celebratum *duodecimo Kalendas Junii*, niſi dicatur Concilium inchoatum XIV Kalendas Junii, ac ſequentibus diebus continuatum; & prædictos Auctores ita intelligi debere, ut loquantur de ſeſſione facta duodecimo Kalendas Junii & verba præfationis intelligantur de fine Concilii, quod quarto Kalendas Junii finitum fuerit; ſed Acta Alexandri III apud Baronium rectè etiam habent *decimo quarto Kalendas Junii*. Quoad annum celebrati Concilii verum quidem eſt, in Roberto de Monte illud memorari ſub anno 1164. Sed errore forsàn librarii, illud ab anno 1163. dimotum nos dubitare non ſinunt, tum præfatio Concilii, tum Acta Alexandri III, in quibus ejus celebratio jungitur cum indictione undecima, & cum anno quarto Pontificatus Alexandri.

XL. *Alexander PP. S. Thomam Epiſc. Cantuar. magno cum honore ſuſcipit ad Concilium venientem.*

Ad Concilium Turonenſe, permittente Henrico Angliæ Rege veniſſe Archiepiſcopos, Cantuarienſem Sanctum Thomam, qui anno antecedenti ad eam regendam Cathedram ex munere Cancellariæ aſſumptus fuerat, Eboracenſem etiam, plures Epiſcopos & alios Eccleſiarum Prælatos, habemus tùm ex Matthæo Paris, tùm ex Vita Sancti Thomæ, tùm ex Radulpho de Diceto in Imaginibus Hiſt. ubi pag. 535. ſcribit: *Ad cujus* (nempe Concilii) *vocationem per Theodinum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum factam, per manum Regis Anglorum venerunt Archiepiſcopi, venerunt Epiſcopi, venerunt Abbates & Priores. Infirmitas tres Epiſcopos excuſavit, ſcilicet Wintonienſem, Lincolnienſem & Batonenſem. Thomas autem Cantuarienſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis ſedit ad dexteram in Concilio cum Dunelmenſi, quem unicum habet ſuffraganeum. Eboracenſis Archiepiſcopus ſedere juſſus eſt ad ſiniſtram.* In Vita autem Sancti Thomæ cap 14. legitur de ejus acceſſu ad Concilium: *Turonis jam appropinquans, tertio ni fallor die ante celebrandum Concilium, civitatem ingreſſurus, audito ejus adventu, mox univerſa civitas commovetur, & obviam exeunt univerſi, non ſolum cives & indigenæ, ſed & perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ ad Concilium jam ferè omnes convenerant, diverſarum nationum Archipræſules & Pontifices, & quod minime tacendum, præter Romanæ Eccleſiæ morem, Domini Patres & Rectores Eccleſiæ Cardinales univerſi, longe prius quam civitatem ingrederetur, occurrerunt, præterquam duo tantum, qui Domino Papæ, ne in tam celebri frequentia ſine lateribus eſſet, conſidebant.* Sic Alexander Papa Sanctum Thomam inſolita honorificentia excipi voluit in Concilio Turonenſi.

XLI. *Acta in Concilio Turonenſi.*

Hujus Concilii pauca quædam fragmenta ſuperſunt. *In Octavis Pentecoſtes*, inquit Robertus de Monte, *Alexander Papa tenuit Concilium Turonis, in quo excommunicavit Octavianum cum aliis ſchiſmaticis & complicibus ſuis.* Joannes Tilius primò Briocenſium in Aremoricis, dein Meldenſis Epiſcopus, qui floruit tempore Concilii Tridentini, cui interfuit,

SEC. XII. ALEXANDER III.

tertuit, in Chronico de Regibus Francorum ad annum 1164. ait: *Concilium Turonenſe ab Alexandro Papa habitum eſt, quo Acta Papienſis Concilii, in quo Victor & Fridericus præfuerant, damnata fuerunt.* Hæc ſola, præter canones ſuperſunt hujus Concilii Acta; nam quod ait Baronius, & poſt eum Conciliorum Collectores, Conradum fratrem Palatini Comitis, Electum Moguntinenſem Epiſcopum, cum nollet conſentire Imperatori, ad hoc Concilium veniſſe, & à Papa poſtmodùm Romam ductum, ac Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem creatum, ſubſiſtere non poteſt, cum Chronographus Reicherſpergenſis, qui hoc ipſo tempore in Germania vixit, diſertè ſcribat, Conradum Moguntinenſem electum, anno tantum 1165. in Franciam ad Alexandrum Papam veniſſe. Unde Joannes Sareſberienſis in Epiſtola 33. lib. I. ad Sanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, paulò ante Papæ è Gallia diſceſſum anno 1165. datâ, ait, famâ vulgatum eſſe, Imperatorem *in Eccleſiam Moguntinam* velle *intrudere* Chriſtianum Cancellarium ſuum, quia ſcilicet Conradus recèns ad Alexandrum Papam venerat, ex quo & patet, Romvaldum Archiepiſcopum Salernitanum, à quo Baronius hæc deſumſit, de rebus extra Italiam geſtis malè edoctum fuiſſe. Tandem in Actis Vitæ Alexandri III ita legitur: *In eo nimirum* (ſcilicet Concilio) *Apoſtolica conſtituta ſunt probata, & hæc capitula roborata denuò, & promulgata*, canones nempe decem, quibus Apoſtolica conſtituta roborata ſunt.

XLII. *Albigenſium hæreticorum dogmata in eo Concilio damnata.*

Quarto canone præcipitur, ut cuncti Albigenſium hæreticorum conſortium fugiant; his verbis: *In partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca ſe diffundens, per Guaſconiam & alias provincias quam plurimos jam infecit. Quæ dum in modum ſerpentis intra ſuas evolutiones abſconditur, quantò ſerpit occultius, tantò gravius dominicam vineam in ſimplicibus demolitur. Unde contra eos, Epiſcopos & omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, & ſub interminatione anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, ne receptaculum quiſpiam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumant. Sed nec in venditione aut emptione, aliqua cum eis communio habeatur, ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore vitæ ſuæ reſipiſcere compellantur*, & cetera Tomo X Conciliorum legenda. Hi hæretici dicti ſunt etiam Waldenſes, à Petro Waldo, Lugdunenſi cive eorum auctore; *Pauperes de Lugduno* ab urbe ex qua eruperant, aliiſque nominibus appellati ſunt: imò non videntur fuiſſe diverſi ab Apoſtolicis, quorum hæreſis, licet maxime vigeret circa Coloniam Agrippinam, ut conſtat ex Epiſtola Evervini Steinteldenſis Præpoſiti ad S. Bernardum, in Petragorica tamen, regione Gaſconiæ vicina hæreſim ſuam diſſeminabant, de quibus hæc leguntur in Annalibus Abbatiæ de Margan, nuper inter Scriptores quinque Anglicanæ

canæ Hiſtoriæ editis : *MCLXIII anni hujus in tempore fama vulgante percrebuit, quod quidam pſeudo-propheta ſurrexerunt, terramque Petragoricæ regionis adierunt, qui vitam Apoſtolicam ducere, moreſque imitari mentiebantur. Erant autem hujuſmodi ſectæ cultores; ſine intermiſſione prædicabant, nudi pedes incedebant, ſepties in die* (legendum, *centies in die*, ut legitur in Epiſtola Heriberti Monachi, de qua mox) *genua flectebant, & toties in nocte, pecuniam à nullo accipiebant, carnem non comedebant, vinum non bibebant, cibos datos ſobrie accipiebant, eleemoſynam nihil valere dicebant, quia unde fieri poſſit à nemine debet poſſideri; communionem ſacram accipere renuebant; Miſſam nihil eſſe dicebant, parati erant mori & cruciari pro lege ſua; prodigia quædam facere videbantur; aquam enim in vinum mutabant, vas vacuum ſuo vino parumper infuſo plenum inveniebatur; coram eis cæci viſum, ſurdi recipiebant auditum. Si illiterati ad eos veniebant, infra VIII dies tam prudentes fiebant, ut nec literis, nec exemplis ſuperari poſſent; nullo compedum genere vinciri poterant. Duodecim fuêre magiſtri, excepto principe eorum, qui Poncius vocabatur.* Mabillonius Tomo 3. Analectorum pag. 467. refert Heriberti Monachi Epiſtolam *de Hæreticis Petragoricenſibus*, in qua præfata iiſdem ferè verbis recitantur, ſed ubi in Annalibus de Margan habetur, *ſepties in die genua flectebant*, in ea legitur, *centies in die genua flectebant.* Hæretici illi dicti Apoſtolici, numerum enim duodenarium affectabant, ut magis vitam Apoſtolicam ſimularent.

SEC. XII. ALEXANDER III.

XLIII. *Albigenſes variis nominibus appellati.*

Porrò Albigenſes Waldenſium eſſe progeniem obſervavit Natalis Alexander Seculi XI & XII cap. 3. Albigenſes autem appellati ſunt, quòd Albigenſium præſertim, totamque Toloſanam provinciam ſuis infecerint erroribus. Unde Concilium Turonenſe de iis loquitur, cum dicat: *In partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca ſe diffundens, per Guaſconiam & alias provincias quam plurimos jam infecit*, inter quas provincias numerari debet *Petragoricenſis*, Guaſconiæ vicina, quam inficiebant Albigenſes, quos Annaliſta de Margan vocat Apoſtolicos. Variis enim nominibus appellati ſunt Albigenſes, ut conſtat ex canone 27. Concilii generalis Lateranenſis tertii, in quo vocantur Cathari, Patarini, Publicani, & *aliis nominibus* vocati dicuntur, & ex Concilio Lumbarienſi anno 1176. in quo dicuntur *Boni homines.* Hugo Autiſſiodorenſis in Chronico ad annum 118. vocat eos *Publicanos*, vel *Catharos*, vel *Paterinos Populicanos*; & primus quem inveniamus eos vocaſſe Albigenſes, eſt Gaufredus Prior Voſienſis, qui pag. 326. Chronici ſui, quod abſolvit anno 1184. ſcribit, Alexandrum III Papam, paulò ante mortem Henricum Albanenſem Epiſcopum miſiſſe *contra hæreticos Albigenſes.* Robertus de Monte in Chronico ad annum 1178. appellat eos hæreticos *Agennenſes.* De Waldenſibus &

SEC. XII. ALEXANDER III. Apoſtolicis legendus Natalis Alexander loco laudato, de Apoſtolicis verò Alphonſus à Caſtro.

XLIV. *Alexander PP. Senonis longam moram facit.*

Sed ut ad Alexandrum III Papam redeam, hic poſt Concilium Turonenſe aliquo tempore manſit in monaſterio Dolenſi; Scriptor enim Hiſtoriæ Vizeliacenſis lib. 4. pag. 584. de eo ait: *Regreſſus à Concilio Turonico in Dolenſi monaſterio degebat.* Ad illud monaſterium jam pervenerat *VIII Kalendas Julii, Indictione XI*, ut videre eſt Tomo 3. Conciliorum Hiſpaniæ ab Em. Cardinali de Aguierre editorum. Idibus Julii ex eo monaſterio ſcripſit ad Ludovicum Regem Epiſtolam ordine 126. apud Ducheſnium Tomo IV, quæ data eſt *apud Dolenſe monaſterium Idibus Julii*; & XV Kalendas Octobris ad eumdem Regem dedit Epiſtolam 150. ibidem relatam, datam *apud Dolum XV Kalendas Octobris.* E monaſterio Dolenſi Senonas perrexit, quam civitatem valde formoſam & fertilem, ex oblatione Ludovici Franciæ Regis elegit, ut in ea univerſalis Eccleſiæ negotia pertractaret, ut ſcribit Neubrigenſis lib. 2. cap. 15. Ad eam pervenit die trigeſima menſis Septembris, in eaque longam moram fecit. Continuator ſiquidem Chronici Sancti Petri Vivi, poſtquam narravit, eum anno 1163. Concilium Turonenſe celebraſſe, nulla facta ejus in monaſterio Dolenſi moræ mentione, ait: *In ipſo verò anno venit idem venerabilis Papa Senonis cum multa caterva Epiſcoporum & Cardinalium S. Rom. Eccleſiæ in feſto Sancti Hieronymi, quod eſt II Kal. Octob. ubi à prudentiſſimo Hugone ejuſdem urbis Archiepiſcopo, & multis Epiſcopis, Abbatibus, & omnibus vicinarum Eccleſiarum Conventibus, in Eccleſia B. protomartyris Stephani honorificè eſt receptus. In ea ſiquidem urbe per annum & dimidium in ſede Archiepiſcopali commoratus, in ſequenti anno à præfato Hugone Archiepiſcopo, & Clericis ejuſdem Eccleſiæ rogatus, conſecravit altare in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Eccleſia nova XII Kal. Maii, in qua die fuerunt tunc temporis Octava Dominicæ Reſurrectionis* (qui characteres certò deſignant annum 1164. quo Paſcha celebratum eſt die XII Aprilis, ideoque & ejus Octava die XIX ejuſdem menſis.) *Poſtea verò dedicavit Eccleſiam B. Virginis & Martyris Columbæ VI. Kal. Maii, &c. In Eccleſia verò B. Petri Vivi à Girardo venerabili Abbate & fratribus ejuſdem Eccleſiæ, ſæpiſſimè cum honeſtiſſimis & jocundis proceſſionibus, & maxima exultatione ſuſceptus, multotiens ibi ſolemniter miſſæ officium celebravit, ipſumque locum, & ejus habitatores, ſicut bonus & pius pater benedictionum ſuarum conſecratione ſæpius munivit.* Alexander itaque Pontifex civitatem Senonenſem elegit, in qua aſſiduam moram agens, univerſalis Eccleſiæ negotiis vacaret, ubi & manſit uſque ad reditum in Italiam, qui contigit anno 1165.

XLV. *Pariſios iterum pergit.*

Dum Senonis Alexander Papa moraretur, anno 1164. ante feſta Paſchalia Pariſios, urbem 24. tantum leucis inde diſſitam perrexit; San-Marthani enim in Epiſcopis Pariſienſibus, & Bulæus Tomo 2. Hiſtoriæ Univerſita-

Univerſitatis Pariſienſis pag. 326. hæc iiſdem ferè verbis ex quadam membrana archivii Pariſienſis referunt, anno 1164. menſe Aprili in palatio Pariſienſi, Quadrageſimali tempore agitatam eſſe cauſam, quæ intercedebat inter Mauricium Epiſcopum, & Odonem Abbatem ſancti Dionyſii, præſente Alexandro Pontifice, ob Eccleſiam Argentolii, in qua Epiſcopus contendebat Abbatiſſam, cum virginum collegio, juxta veterem conſuetudinem, à Sugerio Abbate S. Dionyſii interruptam, collocari debere; cum contra Odo Abbas aſſereret, Monachos ibi rectè à Sugerio prædeceſſore ſuo conſtitutos, quòd non fuiſſent Moniales illæ ſatis caſtigatæ vitæ. Certè Alexandrum III anno 1164. Pariſios adiiſſe confirmatur ex Auctore Exordii Magni Ciſtercienſis, ut vocant, in quo lib. 1. cap. 38 hæc leguntur de Faſtrado, ſeu Fauſtrado ſeptimo Abbate generali Ciſtercii: *Cum Pariſiis pro negotiis monaſterii, atque totius Ordinis ſui, Domino Papa Alexandro III adſiſteret, & correptus ægritudine lecto decubuiſſet, infra quintum diem ſancto fine quievit. Huic autem decedenti tota Romana Curiæ dignitas adſtitit; ita ut ipſe quoque Dominus Papa propriis manibus eum ungens, atque Apoſtolica benedictione communiens, magno pietatis affectu morienti compateretur, & mortuo congratularetur.* Ita Synchronus Auctor, qui cunctis adfuit, & ſanctæ vitæ ac mortis teſtis fuit, quæ certò contigit anno 1164. ut ad eum annum diſertè ſcribit Chronographus Clarævallenſis, Auctor etiam coævus à Petro Franciſco Chiffletio in lucem editus, qui ait: *Anno Domini MCLXIV obiit Pariſiis in præſentia Papæ Sanctus Abbas Faſtrandus Ciſtercienſis.* Obiit autem ante diem duodecimum menſis Aprilis, quia, ut obſervavit Annotator Baronii, eo die anno 1164. Alexander Papa Senonis verſabatur, ut mox ex Chronico S. Petri Vivi dictum eſt. Fallitur itaque Manricus qui hanc mortem conjungit cum anno 1163.

XLVI. *Remis Concilium celebrat.*

Eodem anno 1164. Alexander Pontifex, qua anni tempeſtate, incertum, Remis Concilium celebravit, cujus quidem nulla mentio in Conciliorum Collectione, ſed cujus diſertè meminit Monachus anonymus Sancti Vitoni Virdunenſis, Auctor æqualis, qui continuavit Hiſtoriam Virdunenſium Epiſcoporum à Laurentio Leodienſi ad Sanctum Laurentium Monacho ſcriptam, Tomo XII Spicilegii Dacheriani recitatam, ibi enim pag. 347. de Conone Abbate Sancti Vitoni Virdunenſis dicitur: *Nec ſilendum arbitror, quantum honoris Domnus Papa ei impenderit, quantumque gratiæ ipſi accreverit; quia cum idem Domnus Papa* (ſcilicet Alexander) *Concilii gratia de more celebrandi Remos adveniſſet, & omnes tam Abbates, quàm Epiſcopi in ſuis ſedibus & ſubſelliis reſediſſent, contigit tandem venerabilem patrem noſtrum Abbatem Cononem illo tardius adventare; qui cum indutus ſacris veſtibus Concilium introiſſet, nec haberet ſedem in qua potuiſſet reſidere, humi reſedit. Ad quem cum Domnus Papa oculos inclinaſſet: Hic eſt, inquit, qui gratia majoris honorem & reverentiæ potioris*

SEC. XII. ALEXANDER III. *favorem omnibus, ex quo ciſalpinavi, nobis exhibuit: & eveſtigio miſit ei in argumentum dilectionis curulem, in qua ſolitus erat reſidere, quæ ille humiliter & cum gratiarum actione recepta, deſuper reſedit.* Qua de cauſa Concilium illud congregatum fuerit nos latet; Richardus tamen Vaſſeburgius in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ ſcribit, Chriſtianorum rebus in Palæſtina in arctum redactis, in eo actum eſſe de ſuppetiis ferendis, & collecta per totam Europam facienda, vectigali à Rege Franciæ ob id impoſito, quo quilibet tam nobilis, quàm Clericus per quatuor annos ex viginti ſolidis annui reditûs unum pendere tenebatur. Sed Vaſſeburgius eſt Auctor recens, utpote qui vixit ſeculo decimo ſexto. Mentionem ibidem facit Vaſſeburgius Concilii ab eodem Pontifice apud Clarummontem ante Turonenſe celebrati, quod Sigonius lib. 13. Hiſt. de Regno Italię conjungit cum anno 1162. alii cum anno 1163. ſed utrique gratis & ſine probatione. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi illud magno errore connectit cum anno 1160. Alexander enim Papa anno tantum 1162. in Gallias adventavit. In Claromontano porrò Concilio Fridericum Imperatorem, & Octavianum pſeudo-Pontificem fuiſſe excommunicatos aſſerit Vaſſeburgius.

XLVII. *Theologiæ puritati proſpicit.* Exeunte eodem anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto idem Pontifex convocavit ingentem numerum Scholaſticorum & Literatorum, ut Theologiæ puritati proſpiceret: *ipſo anno* MCLXIV, inquit Auctor Chronici Reicherſpergenſis, *cum per totam Franciam multæ & variæ ſententiæ haberentur de fide inter magiſtros Francigenas, Alexander Papa, convocatis in unum Scholaſticis, & quibuſque literatis, in ipſa vigilia Nativitatis Domini, uſque ad tria, ut fertur, millia, vel ultra, cum aſſentientibus ſibi Dominis Cardinalibus condemnavit, & omninò interdixit omnes tropos & indiſciplinatas quæſtiones in Theologia, Pariſienſique Epiſcopo ſub obedientia præcepit, ut per totam Franciam eas compeſceret. Sententia autem de gloria hominis in Deum aſſumpti, & in Deum nati approbata eſt ibi coram Papa ac roborata, conſcriptis inde centum quinquaginta & amplius auctoritatibus.* Erat tunc Epiſcopus Pariſienſis Mauricius ejuſdem Eccleſiæ antea Archidiaconus, Petri Lombardi ſucceſſor; licet enim hic eodem anno 1164. mortuus ſit, ut conſtat ex ejus epitaphio, quod legitur in ſuburbana S. Marcelli Eccleſia Pariſiis ſita, aliquot tamen ante mortem annis Epiſcopatum abdicarat; Annotator quippe Baronii ad annum 1164 num. 18. ex variis inſtrumentis eruit, Mauricium anno 1161. jam fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem.

XLVIII. *S. Helenam Suevam canonizat.* Antequam Alexander Papa è Galliis diſcederet, ſi fides ſit penes vetus Chronicon manuſcriptum, quod extabat apud Baronium, Sanctam Helenam Suevam, viduam miræ ſanctitatis, à ſepulchro Domini, quod petierat, revertentem, de nece generi ſui per calumniam accuſatam, eaque de cauſa à cognatis innocentem occiſam, anno milleſimo centeſi-

Digitized by Google

centeſimo ſexageſimo quarto, inſtante Carolo Rege Sueonum atque Gothorum, ob vitam ſanctiſſime ductam, mortemque violentam injuſtè acceptam, additis miraculis multiplicibus, inter ſanctos retulit, ut ex eodem Chronico legitur apud Baronium in Addendis ad annum 1164. *SEC. XII. ALEXANDER III.*

XLIX. *Interitus Octaviani Antipapæ.*

Inter hæc Octavianus Pſeudo-Papa, à Schiſmaticis Victor IV. appellatus, *quarta feria poſt Octavas Paſchæ* obiit in urbe Lucenſi, ſeu potius ea die ſepultus eſt, ut legitur in Epiſtola ad S. Thomam Cantuarienſem Epiſcopum apud Baronium anno 1164. num 30. & ſeq. *Noverit veſtra Paternitas Octavianum ſchiſmaticum, quem ſibi in caput erexerant, & Schiſmaticis principem Belial, quarta feria poſt octavas Paſchæ obiiſſe in urbe Lucenſi, & ſepultum eſſe in monaſterio extra civitatem. Cum enim Canonici Majoris Eccleſiæ & Regulares Canonici Sancti Fridiani ei ſepulturam negaſſent, praeligentes à ſuis migrare ſedibus, quam admittere corpus ſchiſmatici, quem credunt in inferno eſſe ſepultum, à ſatellitibus Imperatoris & familia propria ad miſeros Monachos cadaver illud perlatum eſt.* Obiit itaque Octavianus Antipapa die vigeſima Aprilis, in quam feria ſecunda poſt Octavas Paſchæ incidebat, ſed ejus ſepultura dilata eſt uſque ad feriam quartam, ſeu diem vigeſimum ſecundum, ob ſepulturam ei à Canonicis Lucenſibus negatam, ut habetur in laudata Epiſtola à Nuntio S. Thomæ ſcripta, in qua & dicitur, Octavianum *quindecim diebus antequam moreretur*, phreneticum effectum eſſe continuè, & in tantam verſum inſaniam, ut nec Dei, nec ſui memor eſſet. Unde in ſæpe laudatis Actis Alexandri III legitur: *Eodem tempore infelicis memoriæ Octavianus hæreſiarcha infirmatus eſt apud Lucenſem civitatem circa feſtum Paſchale, & impœnitens & excommunicatus de hoc mundo migravit ad inferos: licet à quibuſdam dictum fuerit, quod Sacerdotem Catholicum vocaverit, qui prohibitus à ſchimaticis ad eum intrare non potuit.* Ejus mortem deflevit Alexander Papa; idem enim Nuntius S. Thomæ in laudata Epiſtola ſubdit: *Audierat quidem Dominus Papa de morte Octaviani à fidis & veris relatoribus, & velut alter David, perſecutorem ſuum deflevit extinctum, & Cardinales de morte illius exultantes durius increpavit.*

L. *Ejus pravi mores & crudelitas.*

Iſtius pſeudo-Pontificis pravos mores & crudelitatem ſic deſcribit Petrus Bleſenſis in Epiſtola 48. *Octavianus ille auctor ſchiſmatis toto tempore vitæ ſuæ congregaverat opes & divitias, ut quietem Eccleſiæ perturbaret. Suis igitur largitionibus ita infuſcaverat ſapientes hujus ſeculi, quod Magnatum ſibi conciliaverat favorem & gratiam, magnamque partem Curiæ ſecum traxerat in errorem*, &c. *Erectus fuerat Octavianus in contumeliam Eccleſiæ Chriſti & cecidit. Poſt hunc exaltatus eſt Guido Cremanus & cecidit. Poſt hunc electus eſt Joannes Struma, & dejectus atque confractus evanuit*, &c. *Adhuc recolo quam glorioſus erat in oculis*

 ſuis

SEC. XII. ALEXANDER III.

ſuis, quam pompoſus in verbis; fui præſens ubi ſe faciebat tanquam ſtatuam adorare (nempe Octavianus.) Nam & *ego cum aliis in via ad Romanam Curiam à Carnificibus ejus captus & ſpoliatus & cæſus ſum: Cumque ſocii mei conjecti in vincula in compedibus remanſiſſent, ego præveniente Chriſti miſericordia, nec flexi genua mea ante Baal, nec in ſporta demiſſus ſum, & ſic effugi manus ſuas. Semper redibit in memoriam iniquitas Patrum & peccatum Octaviani non delebitur in æternum. Ipſe enim erat, qui crudelius cæteris Clericos affligebat, perſecutus homines inopes, & mendaces, & compunctos corde mortificare*, &c.

LI. *Guido Cremenſis fit Antipapa ſub Paſchalis III nomine.*

Eodem die, quo Octavianus Antipapa ſepulturæ mandatus eſt, Cardinales, quos ipſe creaverat, convenientes, *mandato Imperatoris XXII die menſis Aprilis Guidonem Epiſcopum Cremenſem in Antipapam elegerunt, qui XXVII die ejuſdem menſis ab Henrico Leodienſium Epiſcopo conſecratus fuit*, inquit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, ſed cum dies XXVII Aprilis anno 1164. in feriam ſecundam incidat, legendum videtur XXVI, loco XXVII; ſicut enim Octavianus die dominica conſecratus fuerat, ita & Guidonis de Crema ordinatio, diei XXVI Aprilis, quæ concurrebat cum Dominica affixa eſt. Fallitur itaque Acerbus Morena, vir ſchiſmaticus, qui Octaviani morte narrata, ſubdit: *In locum ipſius Domnus Guido Cremenſis ſubſtituitur à Cardinalibus tunc ibi exiſtentibus, & à Domino Rainaldo Archicancellario, ac Epiſcopo Laudenſi & aliis quibuſdam Epiſcopis in Apoſtolicæ ſedis honorem ſublimatus eſt*, niſi dicamus Morenam intelligere, Guidonem Cremenſem inthronizatum eſſe, non verò conſecratum à Rainaldo Archicancellario & Coloniæ Electo Archiepiſcopo, hic enim non potuit conſecrare Guidonem, tunc Presbyterum tantum Cardinalem, non Epiſcopum, ut ſcribit Trithemius, cum ipſemet obierit antequam conſecratus eſſet, teſte eodem Morena, qui ad annum 1167. ſcribit: *Deceſſit etiam tunc Dux Guelphus, Ducis Guillelmi filius, & Rainaldus Archicancellarius, & Coloniæ electus Archiepiſcopus.* Guido autem Cremenſis ſub Paſchalis III nomine conſecratus eſt Antipapa ab Henrico Epiſcopo Leodienſi, ut inter alios teſtatur Aegidius de Aurea valle in Epiſcopis Leodienſibus, qui ſcribit, quod cum Henricus unanimi conſenſu electus fuiſſet Antipapa, hanc dignitatem recuſavit, *& multa reluctatione multiſque precibus honorem declinavit. Electum deinde Papam Paſchalem, à quo pallii dignitatem invitus lachrymanſque accepit, nec non & Regem Sardiniæ nomine Burazam* (vel Barizonem) *ab Imperatore coronatum conſecravit.* Idem aſſerit Chronographus Reicherſpergenſis ad eumdem annum 1164. *Hunc conſecravit Leodienſis Epiſcopus ſine Epiſcopis Cardinalibus, & ſine omnibus legitimis ordinatoribus, quos Romanum Pontificem ordinare conveniebat. Ab ipſis primis temporibus Chriſtianitatis uſque ad hæc tempora ſolus iſte novo & inſolito more ac ordinatore conſecratus eſt, quem & Paſchalem dixerunt. Ipſe autem*

Digitized by Google

autem Leodicenſis Epiſcopus ipſo anno non longam poſt moram Dei judicio mortuus eſt. Guido itaque Cremenſis Presbyter Cardinalis tituli S. Calliſti ab Henrico Leodienſi Epiſcopo pſeudo-Pontifex ordinatus eſt die vigeſima ſexta menſis Aprilis, in quam anno 1164. Dominica incidebat. S E C. XII. ALEXANDER III.

Conradus Frater Ottonis Comitis Palatini, qui teſte Dodechino ad annum 1162. eo anno conſtitutus eſt ab Imperatore Epiſcopus Moguntinus, cum nollet conſentire Imperatori contra Alexandrum Papam, anno 1165. in Franciam ad hunc Pontificem feſtinus acceſſit, ut ad eum Chriſti annum refert Chronographus Reicherſpergenſis: *Electus Moguntiacenſis*, inquit, *Dominus Chuonradus, qui ante obedientiam per ſe fecerat Alexandro, dum iret ad limina S. Jacobi, ſolus ferè de nocte de curia fugiens propter juramentum, venit in Franciam ad Alexandrum & ibi exulabat.* Hunc Conradum Alexander Presbyterum Cardinalem tit. S. Marcelli creavit, qui ideo primus videtur, quem ex Epiſcopo Presbyterum Cardinalem ſine controverſia dictum inveniamus. In Concilio etiam Lateranenſi III anno 1179. celebrato, idem Pontifex Willelmum Remenſem Archiepiſcopum in ſecunda ſeſſione Presbyterum Cardinalem tit. S. Sabinæ dixit, teſte Hovedeno, ut ibidem dicemus, quod confirmat Chronographus Aquicinctinus ad eumdem annum, vocans eum etiam Presbyterum Cardinalem tit. S. Sabinæ. Non multò poſt idem Papa eumdem Conradum inſtituit Epiſcopum Sabinenſem, retento Archiepiſcopatûs Moguntinenſis titulo. Tum idem Pontifex anno 1167. teſte Joanne Ceccano in Chronico, eidem Epiſcopatum Soranum tunc in confinio Campaniæ ſitum, nunc in provincia Terræ Laboris, etiam conceſſit, abſque eo quod unquam Epiſcopatum Sabinenſem reliquerit; imò poſt Chriſtiani in Archiepiſcopatum Moguntinenſem intruſi mortem, in eumdem Archiepiſcopatum reſtitutus fuit, retentis nihilominus Epiſcopatibus Sabinenſi & Sorano, ita ut novo, nec unquam antea audito exemplo, fuerit primus Cardinalis plurium Epiſcopatuum titularis, quod poſtea Pontifices Romani Cardinalibus ſæpe conceſsêre. Fuit porrò is Conradus cognominatus de Witelbaſch, è qua familia hodierni Bavariæ Duces, & Palatini Rheni Comites originem ducunt, ut videre eſt apud Ciaconium.

LII. *Alexander PP. Contradum Epiſc. Mogunt. Cardinalem creat, eique plures Epiſcopatus confert.*

In Actis Alexandri Papæ legitur, eodem tempore, quo interiit Octavianus, defunctum quoque eſſe Romæ Julium Prænestinum Epiſcopum, Alexandri Papæ Vicarium, & in ejus locum Joannem Presbyterum Cardinalem tituli SS. Joannis & Pauli ſubrogatum, cujus operâ factum eſt, ut univerſus Clerus & populus Romanus legationem miſerint in Gallias ad Alexandrum, quâ inſtanter petierunt, ut ad propriam ſedem ſuam, & populum ſpecialiter ſibi commiſſum, quam primùm dignaretur reverti. Alexander itaque pro impenſis itineris, & aliis ipſi ex neceſſitate incumbentibus

LIII. *In urbem revocatur.*

SEC. XII. ALEXANDER III. bentibus collectam indixit Eccleſiis Gallicanis, cujus mentio eſt in Epiſtola 170. Petri Bleſenſis, ex Epiſtola Archiepiſcopi Rotomagenſis ad ſuos ſuffraganeos pro ejuſmodi facienda ſubventione, conſcriptâ.

LIV. *Romam redit.* Cum interea Romani adeo in arctum redacti eſſent ab Imperialibus, ut paciſci coacti fuiſſent, ſe Guidonem Antipapam recepturos, niſi Alexander ante diem feſtum Sancti Michaelis anni 1165. veniret, ac ſubveniret, Alexandrum frequentibus literis in Urbem vocarunt, qui eodem anno, *celebrato Paſchate exivit Senonis, & tranſiens per Pariſios & Bituriges & Anicium poſt feſtum Apoſtolorum ad Montem peſſulanum incolumis per Dei gratiam remeavit*, inquiunt Acta Alexandri, quæ addunt, cum ibi manſiſſe uſque ad Octavam Aſſumptionis. Certe die XIX Auguſti Monſpelii adhuc verſabatur, eo enim die ibidem dedit Epiſtolam ad Willelmum Carnotenſem Electum, quæ extat Tomo X Concil. pag. 1347. Inde ſolvens cum multo diſcrimine tàm procellarum, quàm inſidiarum Imperatoris, qui nihil non tentavit, ut redeuntem in Italiam caperet, Meſſanam pervenit; ibique honorificentiſſimè à Siciliæ Rege Willelmo, Eccleſiæ Romanæ feudatario ſuſceptus, & muneribus donatus, Meſſana ſolvit menſe Novembri cum triremibus & præſidio Regis, ac Oſtiam advenit. *Mane autem facto*, pergunt Acta, *Senatores cum nobilibus & magna Cleri & populi multitudine ex Urbe honorificè occurrerunt illi, exhibentes ei tanquam animarum ſuarum paſtori obedientiam debitam & conſuetam reverentiam, & exinde eum cum ramis olivarum, uſque ad portam Lateranenſem, cum omni gaudio & lætitia conduxerunt. Ubi totus Clerus de more ſolemniter indutus, ejuſdem Pontificis tamdiu deſideratum præſtolabatur adventum. Ibi & convenerant Judæi, de more legem ſuam deferentes in brachiis, & concurrerunt ſigniferi cum bandis, Stratores, Scrinarii, Judices cum Advocatis, & non modica ejuſdem populi multitudo. Quid plura? Inchoata proceſſione, undique alternis vocibus cum tanta gloria & exultatione deductus eſt ad Patriarchium Sancti Salvatoris in Lateranenſe palatium, cum quanta nullus Romanus Pontifex à longis retrò temporibus recolitur fuiſſe receptus. Acta ſunt hæc omnia anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto, indictione tertia decima, undecimo Kal. Decembris, Pontificatûs verò ipſius anno ſexto.* Sed, ex mox dicendis, Alexander ad palatium deductus eſt, non *undecimo*, verum *nono Kalendas Decembris*.

LV. *Magno cum honore & gaudio excipitur.* Statim enim ac Romam pervenit, felicem ſuum adventum Henrico Archiepiſcopo Remenſi & ſuffraganeis ejus per literas Tomo X Concil. pag. 1370. relatas ſignificavit, in quibus ait: *Quia vos Eccleſiæ proſperitatibus congaudere, & plurimùm congratulari cognoſcimus, præſentium ſignificatione Fraternitas veſtra cognoſcat, quod nos diverſa maris pericula, & graves hoſtium & iniquorum incurſus, divina potentia & Apoſtolorum meritis evadentes, tandem ad portum ſalutis pervenimus, & à Senatoribus, populoque Romano devotiſſime invitati nono Kal. Decembris Urbem intravimus*

in

in omni pace & tranquillitate ſuſcepti, & illam nobis & fratribus noſtris reverentiam, honorem & devotionem prædicti Senatores, nobiles civitatis, Clerus, populuſque Romanus exhibuerunt, qua nulla major alicui anteceſſorum noſtrorum, ſicut omnia ora teſtantur, aliquando exhibita fuiſſe probatur. Ex qua Epiſtola evidenter patet, Alexandrum, non *undecimo Kalendas Decembris*, ut in laudatis Actis legitur, ſed *nono Kalendas* ejuſdem menſis, ſeu die XXIII Novembris ad Patriarchium Lateranenſe deductum eſſe. SEC. XII. ALEXANDER III

LVI. *Paſchalis Antipapa verus Pontifex agnoſcitur in Conciliabulo Herbipolenſi.*

Eodem anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto Fridericus Imperator Conventum in Wirziburgenſi, ſeu Herbipolenſi civitate celebravit, in quo Epiſcopi complures & Principes Guidoni Cremenſi, ſeu Paſchali III Antipapæ obedientiam præſtiterunt, & qui non aderant jurarunt poſt Imperatorem ſe nunquam recepturos in Papam Rolandum, ſeu Alexandrum III, vel ejus ſucceſſores à parte ipſius electos; & præterea ſi ipſe Imperator moreretur, ut Electores nullum antea promoverent ad regnum, quàm illud ipſum feciſſet juramentum. Eſt de his ejuſdem Imperatoris in codice Vaticano lib. 1. Epiſtola 70. circularis ad omnes populos ipſi ſubjectos, Kalendis Julii ſcripta, aliaque ordine 71. ad Abbatem Stabulenſem, quæ formula eſt earum, quas ad omnes Epiſcopos, Abbates & Principes, pro illius decreti Synodalis executione & obſervatione conſcriſit, eâ pœnâ detrectantibus impoſita, ut publici hoſtes Imperii haberentur, & abſque omni ſpe recuperationis, quibuſcumque officiis, honoribus, & beneficiis privarentur. Baronius quidem & Conciliorum Collectores illud Conciliabulum conjungunt cum anno 1166. ſed Annotator Baronii oſtendit Trithemium in Chronico Hirſaugienſi, & Sigonium lib. 13 de Regno Italiæ rectè illud connexiſſe cum anno 1165. quo Chronographus Reicherſpergenſis, qui hoc tempore vivebat, ait: *Menſe Maio ejuſdem anni, in diebus Pentecoſtes, quod evenerat tunc in X Kalendas Julii* (legendum X Kal. Junii, quo die revera anno 1165. celebratum eſt feſtum Pentecoſtes, quod nunquam convenire poteſt cum X Kal. Julii) *Imperator Curiam celebravit in civitate Wirziburgenſi, qua etiam Herbipolis dicitur, ubi Epiſcopi & Electi ferè numero XL de regno Teutonico juraverunt obedientiam Paſchali* (Antipapæ) *& ejus ſucceſſoribus, ipſo Imperatore primùm & ante omnes jurante ad ipſum ſuper Evangelia & Reliquias: poſtea Epiſcopis, & inde omnibus regni principibus, qui præſentes aderant. Poſtea autem multi Epiſcopi & Principes, qui ibi non aderant, idem jurarunt.*
,, Tenor autem juramenti hic erat, ut videlicet decedente Paſchali, nul-
,, lum in Papam reciperent, niſi unum de ipſius fautoribus aliquem. Et
,, ut obeunte Imperatore, nullus in Regem aut Imperatorem levaretur,
,, niſi qui illam partem defenderet, & manu teneret contra Romanam
,, Eccleſiam. Et ut Epiſcopi, qui jurarent, idem juramentum ab omni-
,, bus ſuis prælatis & ſubditis exigerent: & quicumque non juraret, om-
,, ni Eccleſiaſtico honore & beneficio, poſtremò & omnibus bonis & poſſeſ-

SEC. XII. ALEXANDER III. poſſeſſionibus privaretur. *Ibi etiam præcipiente Imperatore quidam Electi ſub hoc juramento conſecrati ſunt in Epiſcopos & alii in Presbyteros, & alios ordines ordinati ab his, qui etiam juraverant.* Conciliabulum itaque illud coactum eſt anno 1165. quo feſtum Pentecoſtes concurrebat cum die X Kal. Junii, ſeu die XXIII Maji, anno enim 1166. concurrebat cum die XII menſis Junii, quia Paſcha celebratum eſt die XXIV Aprilis.

LVII. *Carolum M. Imp. Canonizat.* Denique ut geſta anni 1165. abſolvam, Fridericus Imperator, petitione Henrici Angliæ Regis inductus, ut ipſe ait in diplomate de Elevatione & canonizatione S. Caroli Magni à ſe dato, & à Bollando ad diem 28. Januarii relato, *aſſenſu & auctoritate Domini Paſchalis, & ex concilio univerſorum Principum tàm ſecularium, quàm Eccleſiaſticorum; pro elevatione & exaltatione Sanctiſſimi corporis ejus atque canonizatione ſolemnem Curiam in Natali domini* celebravit, & illud in *hymnis & canticis ſpiritualibus* elevavit & exaltavit *IV Kalendas Januarii.* In fine diplomatis legitur: *Datum Aquisgrani anno Dominicæ Incarnationis MCLXVI, Indict. XIV, ſexto Idus Januarii, regnante Domno Friderico Romanorum Imperatore, anno regni ejus XIV, Imperii verò XI.* Canonizatio itaque Caroli Magni à Paſchali III Antipapa peracta fuerat IV Kalendas Januarii anni 1165. cum diploma datum ſit ſexto Idus Januarii anni 1166. Quieſcebat tunc corpus Caroli in Baſilica B. Mariæ Virginis in tumulo marmoreo, de quo levatum *in locello ligneo in medio ejuſdem Baſilicæ* repoſitum eſt, ut habet Scriptor Auctarii Aquicinctini ad annum 1164. Gaufredus verò Prior Voſienſis pag. 314. ait, Fridericum corpus Caroli *in capſa aurea infiniti pretii lapidibus decorata* collocaſſe. Repertum fuerat corpus ejuſdem Imperatoris anno milleſimo ab Ottone III Imperatore, ut teſtatur Ademarus Monachus, Auctor ejuſdem temporis in Chronico: *Otto Imperator per ſomnium*, inquit, *monitus eſt ut levaret corpus Caroli M. Imp. qui Aquis humatus fuerat, ſed vetuſtate obliterante ignorabatur locus certus ubi quieſcebat, & peracto triduano jejunio, inventus eſt eo loco, quem per viſum cognoverat Imp. ſedens in aurea cathedra, intra arcuatam ſpeluncam infrà Baſilicam B. Mariæ, coronatus corona ex auro & gemmis, tenens ſceptrum & enſem ex auro puriſſimo, & ipſius corpus incorruptum inventum eſt, quod levatum populis demonſtratum eſt. Quidam verò Canonicorum ejuſdem loci Adalbertus cum enormi & procero corpore eſſet, coronam Caroli quaſi pro menſura capiti ſuo circumponens, inventus eſt ſtrictiori vertice, corona amplitudine ſua vincente circulum capitis: crus proprium verò ad cruris menſuram Regis dimetiens, inventus eſt brevior, & ipſum ejus crus protinus divina virtute confractum eſt, qui ſupervivens annis XL* (legendum XI) *ſemper debilis permanſit. Corpus verò Caroli conditum in dextro membro Baſilicæ ipſius retrò altare Sancti Joannis Baptiſtæ, & crypta aurea ſuper illud mirificè eſt fabricata, multiſque ſignis & miraculis clareſcere cœpit.* Hanc oſſium Caroli Magni inventionem cum anno milleſimo alligat Lambertus Schafnaburgenſis in Chro-

Digitized by Google

Chronico & Ditmarus lib. 4. commemorat ad eumdem annum. *SEC.XII.*

Porrò cùm Auctor Chronici Magni Belgici pag. 45. ſcribat: *Ejus verò* (nempe Caroli) *dies feſti celebres bis in anno habentur, dies ſcilicet ejus natalis IV Kal. Februarii, translationis verò dies V Kal. Auguſti, quem utrumque Clericus & populus ſpiritualium gaudiorum tripudio celebrant. Cantantur enim in Eccleſia Aquenſi de S. Carolo vicibus alternatis ſuffragando certa antiphona cum collectis*, ex quibus unam exhibet, & etiamnum, teſte Bollando, translatio Sancti Caroli Magni *V Kalendas Auguſti* Treviris celebrari ſolet; idem Bollandus dubitat, an ante iſtam canonizationem à Paſchali III Antipapa factam, divini honores, Carolo M. delati fuerint. Sed dubium illud ſolvitur, tùm ex Ademaro Monacho laudato, qui poſt verba num. ſuperiori deſcripta, ſubdit: *Non tamen ſolemnitas de ipſo agitur, niſi communi more anniverſarium defunctorum*; tum ex Gaufredo Priore Voſienſi itidem laudato, qui relata ejus elevatione, ait: *Ex tunc auctoritate Metropolitani Colonienſis Aquisgrani ſolemniter de eodem Ceſare Auguſto orthodoxo, ſicut de Sancto agitur, quæ prius fiebat de fideli defuncto.* Cum autem Paſchalis III non fuerit legitimus Pontifex, ejuſmodi canonizatio non eſt recepta ab Eccleſia Romana, ut ait Spondanus ad annum 814. num. 5. in Epitome Annalium Baronii, ubi rectè ſubdit: „Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnaſſe, res ſic tacita permiſſione, ſive tolerantia perſeveravit, ut in „propria Eccleſia, ubi ſepultus fuit, coleretur. Ita enim cànonum præcipui Interpretes declararunt Card. Oſt. & Jo. Andr. in caput 1. de Reliquiis & veneratione Sanctorum. Propagatus autem poſtea noſcitur ei „cultus in alias Eccleſias Galliæ, Belgii atque Germaniæ, à quibus idem „Carolus *Sanctitatis* titulo colitur, faventque ſcripta plurimorum rerum „Francicarum Hiſtoricorum. Ita Spondanus. Legendus Bollandus ad diem 28. Januarii ubi exhibet Vitam S. Caroli Magni ab Eginhardo ſcriptam.

ALEXANDER III
LVIII.
Eam canonizationem non approbat, ſed tolerat Eccleſia Rom.

LIX.
Fridericus Imp. expeditionem in Italiam ſuſcipit.

Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto Fridericus Imperator totius Italiæ regni amiſſionem veritus, expeditionem in Italiam decrevit, ac ſtatim Rainaldum Colonienſem, & Chriſtianum Moguntinum, Antiſtites intruſos cum ingentibus copiis in Italiam maturavit. Ipſe verò, ut refert Acerbus Morena, *menſe Novembri* in Italiam profectus, conventum generalem Longobardiæ apud Roncaliam coëgit, in quo decretum eſt, ut Paſchalis III Antipapa ab omnibus defenderetur, & Alexander III è pontificatu dejiceretur. *Finito colloquio*, ſeu conventu Roncaliæ habito, pergit Acerbus Morena, *& tranſacta Sanctiſſima Dominica Nativitatis feſtivitate, Imperator cum conjuge ſua, & cum exercitu ſuo, die Mercurii XVI menſis Januarii in anno MCLXVII* (legendum XVIII menſis Januarii, in quem anno 1167. dies Mercurii cadit) *Romam verſus profectus eſt. Qui cum Bononiam perveniſſet, à Bononienſibus obſides petiit,*

tiit, &c. *Bononia verò diſcedens cùm apud Imolam perveniſſet, ab Imolenſibus, quia eos deſtruere minabatur, & à Faventibus, & ab illis de Forlini, & à Forli populo multas pecunias exegit, & ibi circumquaque uſque ad quadrageſimam, & uſque ad feſtum Sancti Petri permanſit. Deinde ad civitatem Ancona perrexit, & eam capere volens fortiter expugnavit; ſed quia ipſa civitas fortis erat valde, & etiam benè murata, cives ipſius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quam pluribus ex eis vulneratis, multiſque mortuis & etiam captis, cum Imperatore fœdus inierunt, magnam ſibi pecuniam promittentes: pro qua ſibi ſolvenda ei quindecim obſides tradiderunt. Hoc verò fœdere inito, Imperator inde recedens verſus Romam cepit iter*, ad quam urbem à Paſchali Antipapa vocabatur, ut ex ea Alexandrum Papam pelleret.

LX. *à Paſchali III Antipapa Romam vocatur.*

Idem namque Acerbus Morena de Guidone Cremenſi pſeudo-Pontifice loquens ſcribit: *Interim Guido Cremenſis, qui Viterbii morans, ab Imperatore, & à multis Archiepiſcopis, Abbatibus, Prioribus, aliiſque quampluribus mundi hominibus tunc pro Papa habebatur, Imperatoris adventum diu exſpectans, & affectu nimio deſiderans; ad eum quaſi aliàs ſæpius miſerat, noviſſime Legatos ſuos quamplurimos deſtinavit; mandans ei, ut quam citius poſſet abſque dilatione Romam veniret, hoſtes debellaret, & Raynaldum Cancellarium* (vel potius Rolandum Cancellarium, nempe Alexandrum Papam) *qui tunc pro Papa in Roma, & in quibuſdam aliis partibus multis tenebatur, qui tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret, & ipſum Romæ in poſſeſſione Papatus poneret & manu teneret.* Imperator Romam præmiſerat menſe Junio quoſdam Principes, qui in comitatu ſuo erant, ad infeſtandos Romanos, qui Alexandri partibus favebant, quibus præfecerat Chriſtianum Cancellarium ſuum, Moguntinum Epiſcopum intruſum: ſed Romani paucitatem hoſtium videntes, & de abſentia Imperatoris audaciam capientes, ex Urbe egredientes, non procul ab ea audacter pugnam inierunt cum adverſariis, ſed ab his viriliter in eos irrumpentibus profligati ſunt, & de magna eorum multitudine pauci ſuperfuerunt, qui non aut occiſi, aut captivati fuerint, ut refert Chronographus Reicherſpergenſis, qui poſtea ſubdit.

LXI. *Romam obſidet.*

Quod factum ubi Imperator cognovit, qui tunc in obſidione cujuſdam caſtelli erat, per octo fere dietas ſtatim venit cum omni exercitu, & caſtra ſua juxta civitatem Romanam collocavit, incipiente jam menſe Auguſto. (Acerbus Morena, qui præſens erat, dicit Imperatorem nono Kal. Auguſti, die Lunæ, Indictione XV anno MCLXVII in monte prope Romam caſtra metatum eſſe, & quidem rectiùs, ut ex ſequentibus patebit) *Accidit autem ut per quaſdam viles perſonas omnia, quæ erant circa monaſterium Sancti Petri concremarentur cum aliquanta parte ejuſdem Eccleſiæ, ideſt, monaſterio Sanctæ Mariæ: quod tamen ſine juſſu Imperatoris factum eſt, per viles, ut dictum eſt, perſonas. Qui cum ubique diſcurrerent & omnia vacua, & ſine habitatoribus inveniſſent, ignem mœnibus appoſuerunt; nullo igitur eis*

Digitized by Google

eis ibi reſiſtente, quia omnes ſe infra Lateranum, & in aliis munitionibus receperant, monaſterium Sancti Petri, quod adhuc à quibuſdam cuſtodibus tuebatur, armata manu aggreſſi, juſſu Imperatoris occiſis aliquantis, qui deſuper illud defendebant, & reliquis in deditionem acceptis, effregerunt. S E C. XII. ALEXANDER III

LXII. *Alexander PP. Beneventum fugit.*

Inter hæc Alexander Pontifex, dimiſſo Lateranenſi palatio, in munitiſſimam quandam turrim Frangipanûm, quæ intra Urbem erat, ſe recipiens, ſuſcepit Nuncios Willelmi Junioris Siciliæ Regis, qui auditis Friderici conatibus, pecunias & triremes ad ipſum Pontificem miſit, quibus eriperetur à periculo: verùm ipſe nolens deeſſe neceſſitatibus Urbis, remiſſis triremibus, pecunias diviſit inter Romanos ſibi fideles. Fridericus verò cùm in caſſum laboraſſet adverſùs Romanos viriliter ei reſiſtentes, ad dolos converſus, propoſuit eis optimum eſſe, ut tam Alexander, quàm Guido Cremenſis renunciarent Pontificatui, & tertius quidam, de utriuſque partis conſenſu eligeretur; hacque conditione ſe firmam pacem Eccleſiæ daturum, ac liberam in perpetuum Romani Pontificis electionem Clero relicturum promiſit. Quod cum approbaret afflictus populus, & pro executione inſtaret; Alexander conſilio cum Epiſcopis & Cardinalibus habito, ſecretâ fugâ eludens technas Imperatoris, Beneventum ſe recepit. Hæc pluribus in ejus Actis, de cujus etiam fuga agens Romualdus in Chronico ait, cum habitu peregrini cum paucis Româ exiiſſe, & Caietam uſque perveniſſe; ibique aſſumpto Pontificali habitu, Beneventum adiiſſe, quam in urbem jam pervenerat *XI Kalendas Septembris*, quo die dedit ibidem Epiſtolam à Baronio anno 1168. num. 14. relatam, quæ tamen pertinet ad annum 1167. ut oſtendit Annotator Baronii.

LXIII. *Plures ex Romanis Antipapæ & Imp. fidelitatem jurant.*

Acerbus Morena, poſtquam retulit Imperatorem occupaſſe Eccleſiam & munitionem Sancti Petri, ſubdit: *Sequenti igitur proximo die Dominico* (trigeſimo nempe Julii, ut ex dicendis conſtabit) *prædictus Papa Paſchalis cum ſuis Cardinalibus in ipſa Eccleſia Sancti Petri miſſam honorifice & cum magno gaudio celebravit; ipſoque die in capite Imperatoris circulum aureum tantummodo impoſuit. Sequenti verò die Martis, in quo fuit feſtum Sancti Petri ad vincula* (ſeu die prima Auguſti, quæ concurrebat cum die Martis, ideoque Dominica antecedens cum die trigeſima Julii) *prædictus Dominus Papa Paſchalis Dominum Fridericum Imperatorem, & ſereniſſimam Auguſtam Beatricem conjugem ſuam ex coronis auro puriſſimis, & multis pretioſiſſimis gemmis decoratis coronavit in ipſa Eccleſia Sancti Petri. Romani itaque hoc cernentes, & cum Imperatore pugnare ſe minime poſſe cernentes, nec etiam flumen Tiberis tranſire audentes: fœdus cum Imperatore magis quam bellum facere decrevêre.* Refert poſtea multos Romanorum cum eo fœdus iniiſſe adverſus Alexandrum, & Paſchalem Antipapam in perpetuum ſe pro Papa habere jurejurando promiſiſſe, ac omnes, præter Frangipanos, & quamplures alios nobiles Romanos, qui maximas turres & do-

SEC. XII. ALEXANDER III

mos, ac fortitudines habebant in urbe Roma, nec tam citò capi poterant, fidelitatem Imperatori feciſſe. *Nec mora*, inquit Auctor Chronici Reicherſpergenſis, *vocatur Paſchalis*, (Antipapa) *qui uſque tunc Viterbii conſtitutus erat*, *& veniens ad eum multa ambitione, ab omni exercitu cum infinitis laudibus excipitur & ſalutatur, & ab Imperatore cum Epiſcopis & Principibus qui aderant, in Eccleſia Sancti Petri inthronizatur, & poſtea, jubente Imperatore, quoſdam Electos in Epiſcopos conſecravit. Reginam quoque conjugem ipſius Imperatoris, cum ingenti gaudio & exultatione omnium Imperatricem conſecravit XVIII Kal. Septemb.* Sed fallitur in die, ut ex dictis liquet.

LXIV. *Ingens peſtilentia invadit exercitum Imperatoris.*

Dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima & mortalis peſtilentia ſuper Imperatorem, ejuſque exercitum divinitus accidit: *Sequenti namque die mercurii* (ſcilicet die ſecunda Auguſti) *proxima*, ſubdit Acerbus Morena, *cum maxima cœli ſerenitas eſſet, ſtatim quaſi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit, deinde poſt aquam ſerenitas magna & clara nimis facta eſt; ſtatimque infirmitas ſuper Imperatoris exercitum talis excrevit, quod equites & pedites atque ſcutiferi ita corruebant & moriebantur, quod vix per totum diem ſepeliri poterant. Qui autem in mane ſani per viam ambulabant ſtatim per viam eundo vel parum incedendo moriebantur.* Addit poſtea idem Auctor univerſos ferè Principes, tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares, atque inter eos Fridericum, Ducem Bavariæ, filium Conradi Imperatoris & ipſius Friderici Imp. conſobrinum, & Epiſcopum Colonienſem electum miſerè periiſſe, tantumque terrorem reſiduos invaſiſſe, ut coactus fuerit Fridericus cum ingenti confuſione recedere. Diem ejus receſsûs notant Acta Alexandri III, nempe octavum Idus Auguſti. Eamdem peſtilentiam refert Auctor Chronici Reicherspergenſis, qui narrata Imperatricis coronatione, ſubdit: *Sed gaudium eorum confuſum eſt in luctum, nam tertia die poſt coronationem Imperatricis, inopinatè incubuit eis peſtilentia ſæviſſima, ex qua totus exercitus ita graviter cœpit vexari, ut in brevi ſpatio, magis ac magis ingraveſcente peſtilentia, totus fere conſumptus fuerit. Sicque Imperator amiſſo exercitu, cum ſuo Papa Româ diſcedere compulſus eſt.*

LXV. *Fridericus Imp. ignominiosè ex Italia ejicitur.*

Fridericus Imperator relicta Roma, miſſoque Viterbium Paſchali Antipapa cum obſidibus Romanis quos habebat, quàm citius potuit Longobardiam intravit, ut ſcribit continuator Acerbi Morenæ, qui eâ peſtilentia etiam obiit. Acta autem ſinceriſſima Alexandri III addunt, Imperatorem, cum Lucam perveniſſet, comitante ſemper mortalitate, prohibitum fuiſſe à Lombardis, jamdiu adverſus ejus tyrannidem inter ſe fœdere junctis, ipſorum regionem attingere; cumque per montium aſpera tanquam profugus cum paucis perveniſſet Papiam, paulò poſt ab iiſdem, tanquam violatorem & deſtructorem legum & conſtitutionum Imperatorum orthodoxorum, & ab Eccleſia Romana excommunicatum, turpiſſimè expulſum eſſe ab univerſa Lombardia, & trans Alpes fugere coactum.

Sed

SEC. XII.

ALEXANDER III

Sed hæc ejus expulſio ex Italiâ contigit anno milleſimo centeſimo ſexageſimo octavo.

I. XVI.

Alexander PP. Fridericum Imp. in Concilio Rom. antea depoſuerat.

Collectores Conciliorum poſt Baronium producunt Concilium Romanum, vel Lateranenſe ab Alexandro III congregatum, in quo Fridericus Imperator exauctoratus eſt, & *omnes qui ei ex cauſa imperii & regni religione jurejurandi tenebantur adſtricti à fidelitate ejus abſoluti ſunt*, ut legitur in Epiſtola 89. aliàs 84. Joannis Sareſberienſis Willelmo Subpriori Cantiæ ſcriptam, ex qua deducunt illud Concilium anno 1168. celebratum. Verùm ex ipſiuſmet Epiſtolæ verbis Annotator Baronii perſpicuum eſſe probat, illud ad annum 1167. & quidem ante finem menſis Aprilis retrahendum eſſe. In ea enim Joannes Sareſberienſis ait: *Abſtulit ei etiam Regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei ne vires ullas a modo in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorii ſeptimi deceſſoris ſui, qui noſtra ætate Henricum Imperatorem Eccleſiæ privilegia convellentem, deponens in Concilio Romano, ſimili ſententia condemnavit. Et quidem illa ſententia effectum ſortita eſt, & hanc de privilegio Petri Latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe. Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes readificaverunt Mediolanum, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt. Epiſcopos, & Apoſtolicæ ſedi unanimiter adhæſerunt.* Quare cum idem Annotator Baronii anno 1167. demonſtraverit, Mediolanenſes eodem anno, die vigeſima ſeptima menſis Aprilis Mediolanum ingreſſos eſſe, eamque reædificaſſe, eo pariter anno Fridericus Imp. ab Alexandro Papa in Concilio Lateranenſi excommunicatus & per ſententiam Imperio privatus eſt. His adde Alexandrum menſe Auguſto anni 1167. Româ Beneventum petiiſſe, & Benevento Romam non rediiſſe ante annum 1172. ut infra videbimus, ideoque non potuit Concilium illud Romæ anno 1168. celebrare.

LXVII.

S. Galdinum Epiſc. Mediol. Legatum S. Sedis in Longobardia aicit.

Iidem Conciliorum Collectores arbitrati ſunt etiam cum Baronio, ex hoc Concilio Romano creditam eſſe legationem Sancto Galdino Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut Catholicos Epiſcopos à ſuis ſedibus pulſo reſtitueret, & ad id probandum referunt verba Hiſtoriæ Chronici rerum Laudenſium per Ottonem Morenam & Acerbum ejus filium conſcripti. At verba illa non in eo Chronico, ſed in ejus continuatore anonymo extare, & utrumque Hiſtoricum ante annum 1168. demortuum, obſervavit Annotator Baronii, qui addit, S. Galdinum in hoc Concilio Romano Legatum Sanctæ ſedis in Longobardia creari non potuiſſe, cum illud ante urbis Mediolanenſis reædificationem, ſeu Mediolanenſium reditum ad patriam coactum fuerit, ut mox oſtenſum eſt, & Sanctus Galdinus de reditu ad ſedem ſuam Mediolanenſem cogitare non potuerit ante urbis reædificationem. Quare hæc legatio annô 1167. Sancto Galdino credita poſt

mentem

SEC. XII. ALEXANDER III. menſem Aprilem, & poſtquam accepit urbis ſuæ reſtitutionem: *Sanctus Galdinus*, inquit Auctor anonymus ejus vitæ his temporibus vicinus in Actis SS. Bollandianis ad diem 18. menſis Aprilis, *civitatis ſuæ reſtitutionem audiens, provide ſuſcepta Apoſtolicæ ſedis legatione, iter ad patriam arripuit, & præcavens inimicorum inſidias, quæ in plerisque locis ſibi tendebantur, mare navigans, in peregrini habitu Venetias, ingentibus periculis, tamen incolumis pervenit: ac deinde Lombardiam attingens, ſuſcepto Epiſcopali habitu, inſignibusque Pontificalibus, Mediolano factus eſt propinquior. Occurrunt ſumma exultatione univerſi cum toto Clero cives, eumque digna veneratione, ut par erat, ſuſcipientes, uſque ad B. Ambroſii Baſilicam cum hymnis deduxerunt anno Nativit. Dom. MCLXVII, quinto die Septembris.* Alexander itaque Papa eo anno, & quidem poſt Lateranenſe Concilium, S. Galdinum Apoſtolicum in Longobardia Legatum dixit.

LXVIII. *Paſchalis Antipapa Romam ſibi ſubjicere nequit.* Quod attinet ad Guidonem Cremenſem, ſeu Paſchalem III Antipapam, quem Acerbus Morena ſcribit, Viterbii à Friderico Imperatore, in Longobardiam fugiente relictum eſſe, hunc in Turre Stephani Theobaldi ſe incluſiſſe, & Romanos Urbem ei ſubjicere noluiſſe, aſſerit Joannes Saresberienſis in Epiſtola 108. lib. 2. Epiſtolarum S. Thomæ Cantuarienſis, Bartholomæo Exonienſi Archidiacono, eodem anno 1167. data, in qua ait: *Noveris quod Hæreſiarcha Cremenſis* (ſeu Paſchalis Antipapa) *& cremandus, clauſus eſt in Turre Stephani Theobaldi, nec audet egredi, timetque uſque ad mortem innovationem Senatorum, qui in Kalendis Novembribus Urbis regimen accepturi ſunt. Nam præſentis anni Senatores, ut captivos ſuos de carcere Imperatoris eriperent, Guidonem Cremenſem receperunt apud Sanctum Petrum, & in regione Tranſtyberitana ei juratoria cautione ſecuritatem præſtantes. Romam verò nunquam ei ſubjicere potuerunt, &, ut opinor, nec voluerunt. Novi verò Senatores Domino Papa Alexandro facient fidelitatem, &, ut creditur, auctore Deo, ſchiſmati finem dabunt. Hoc enim diutius tractatum eſt, & multis firmatum ſacramentis.*

LXIX. *Paſſima morte occumbit.* Non multò poſt idem Antipapa, ut referunt Acta Alexandri III, incurabili morbo percuſſus, pede neceſſe habuit claudicare quandiu vixit, ideſt, uſque ad diem vigeſimum menſis Septembris anni 1168. quo, ut additur in iiſdem Actis, cùm ad Eccleſiam Sancti Petri incuberet, ab eodem ipſo Apoſtolo immiſſus cancri morbus in renibus ejus apparuit: unde cum pulmonis anhelitu tandiu emiſit ſaniem fœtidam, donec infelicem ſpiritum impœnitens exhalavit, & peſſima morte occubuit. Annus quidem & dies interitus Guidonis non leguntur in iis Actis, ſed utrumque nos docet Joannes de Ceccano in Chronico, qui ad annum 1168. ſcribit: *Menſe Septembri, die vigeſimo obiit in hæreſi Paſchaſius* (ſeu Paſchalis) *Papa.* Joanni de Ceccano quoad annum ſuffragantur Gervaſius Dorobernenſis in Chronico, Rogerius Hovedenus pag. 512. Radulphus de Diceto & Annaliſta Mailroſenſis ad eumdem Chriſti annum. Papebrocius in Conatu Chro-

Chronico-Hiſtorico, mortem Paſchalis Antipapæ alligat cum anno 1167. *SEC. XII.*
quam in rem citat Ottonem à Sancto Blaſio Ottonis Friſingenſis Conti- **ALEXAN-**
nuatorem, qui ſcribere deſiit anno 1209. ſed Joanni de Ceccano, hoc ipſo **DER III**
tempore viventi major fides adhibenda, cum præſertim alii Auctores Ottone à Sancto Blaſio antiquiores ei ſuffragentur. Præterea laudata numero ſuperiori Joannis Saresberienſis verba oſtendunt, Paſchalem mortuum non eſſe ſtatim poſt receſſum Friderici Imperatoris ex urbe Romana, ex qua receſſit octavo Idus Auguſti, quo tamen menſe eum defunctum tradit idem Papebrocius.

LXX. *Calliſtus III Antipapa creatur.*

Mortuo Guidone Cremenſi, reſidua ſchiſmaticorum fæx, cum nullus de Eccleſiæ corpore ſupereſſet, quem ſibi præficere poſſent, ſubrogarunt in ejus locum Joannem quemdam Abbatem Strumienſem, virum lubricum, voracem, atque gyrovagum, quem dixerunt Calliſtum III, eumque Fridericus Imperator approbavit, ut habent Alexandri III Acta. Joannes de Ceccano loco laudato, relata Guidonis Cremenſis morte ſubdit: *Et pars ejus elegit Electum de Albanis in Papam Calliſtum.* Errarunt itaque qui ſcripſerunt, Joannem Abbatem Strumienſem Antipapam, ante pſeudo-Pontificatum, à Paſchali III pariter Antipapa, Epiſcopum Tuſculanum dictum fuiſſe; ex hoc enim loco conſtat, eum paulo ante dictum Epiſcopum Albanenſem ab eodem Paſchali Antipapa.

LXXI. *Alexander PP. Manuelis Græcorum Imp. Legatos recipit.*

Ad eumdem annum milleſimum centeſimum ſexageſimum octavum pertinet legatio Manuelis Græcorum Imperatoris ad Alexandrum III Beneventum miſſa, quâ promittebat ſe Eccleſiam Græcam cum Romana juncturum, atque ipſum præſenti moleſtia Friderici liberaturum, ſi Occidentale Imperium ſibi conferre vellet. Eam legationem referunt Acta Alexandri III, quæ cum addant, *eodem tempore* quo hæc fiebant, Guidonem Antipapam interiiſſe, & certum nunc ſit, mortem illam contigiſſe menſe Septembri anni 1168. eodem pariter anno Legati Manuelis Imperatoris Alexandrum Papam Beneventi convenerunt. Sed Pontifex hanc poſtulationem, ut parum Reipublicæ utilem, ex Epiſcoporum, Cardinalium, & nobilium Romanorum ſententiâ reprobavit; gratiis enim Imperatori actis pro ipſius in Romanam Eccleſiam benevolentia, ad ea quæ poſtulavit de Imperio, reſpondit, ſe non poſſe ei, ob rei difficultatem & periculum, aſſenſum præbere, quòd ex officio à Deo ſibi commiſſo, pacis non diſſenſionis auctorem ſe eſſe conveniret. Remiſſiſque Legatis cum muneribus quæ detulerant, ſubſequi fecit duos Cardinales, quos ad eumdem Imperatorem deſtinavit. Hæc ex Actis Alexandri.

LXXII. *S. Canutum Iuniorem Daniæ Regem canonizat.*

Eodem anno 1168. Valdemarus hujus nominis primus Danorum Rex Legatos ad Alexandrum Papam miſit, ut Sanctorum honoribus donaret Canutum Daniæ Regem & Martyrem, patrem ſuum, qui cum eſſet Rex Obotritorum ac Dux Sleſwicenſis, à Magno Nicolai Daniæ Regis filio proditoriè occiſus eſt anno 1130. ut narrat Helmoldus in Chronico Sla-

SEC. XII. *ALEXANDER III* vorum cap. 50. & ſeqq. Saxo Grammaticus lib. 14. pag. 329. ait: *per idem tempus Legati Regis* (ſcilicet Valdemari) *quos, ut ſibi paterna anima ſanctitatem ſacris honoribus venerari liceret, Romam tranſmiſerat, conſentaneas voto literas retulerunt.* Bollandus ad diem VII Januarii quo colitur, de ejus canonizatione agit, recitatis illis Saxonis Grammatici Verbis, ſed nullo canonizationis Canuti anno aſſignato. Verùm Iſaacus Pontanus in rerum Danicarum Hiſtoria anno 1631. Amſterodami typis edita lib. 6. pag. 252. refert, Valdemarum Regem eos Legatos anno 1168. ad Romanum Pontificem miſiſſe, ſubditque: *Elapſo deinde tempore anno circiter ſupra milleſimum ſexageſimo nono Regis Legati, quos Romam tranſmiſerat, in patriam redierunt, literas, inter cetera, referentes à Pontifice, quibus patris ſui innocentiſſimos manes ſacris honoribus venerari permittebatur. Quocirca Rex omni Danica nobilitate ſub edicto Ringstadium evocata circa ſolemne divi Ioannis, quod in æſtivum ſolſtitium incidit, & parenti cœlites honores & filio Regis celebrare conſtituit*, &c. *Exhibitum quoque tunc ejuſdem Pontificis Breve, ut vocant, in quo ille Rugia inſulam, quoad Eccleſiaſticam juriſdictionem, diœceſi Roſchildenſi, cui tùm in Dania præerat Epiſcopus Abſolon, in totum ſubjiciendam decernit.* Refert poſtea Pontanus literas Alexandri III Abſoloni Roſchildenſi Epiſcopo inſcriptas, & datas Beneventi II Nonas Novembris anno 1168. ex quibus Annotator Baronii eruit, eam canonizationem eo anno factam; quia, inquit, cum canonizationis Sancti Canuti literæ, cum præfatis ad Abſolonem Roſchildenſem Epiſcopum datæ ſint anno 1168. eo pariter anno Sanctus Canutus Junior dictus, in Sanctorum numerum relatus eſt. Cumque hujus canonizationis literas non producat Pontanus, perſpicuum eſt eas uſque ad nos non perveniſſe.

LXXIII. *Alexandria conditur in honorem Alexandri PP.* Poſt ejectum penitus ab Italia circa menſem Martium anni 1168. Fridericum Imperatorem, Cremonenſes cum Mediolanenſibus & Placentinis, in manu potenti convenientes adverſus Papienſes & Marchionem Montisferrati, Friderici fautores, ad villam, quæ dicebatur Rovereta, ibi ad honorem Dei & B. Petri & totius Longobardiæ deſignarunt ipſis Kalendis Maii ambitum conſtruendæ civitatis intra tres fluvios, & in terra amœna ac fertiliſſima: ad quam inhabitandam concurrentibus omnibus incolis circumpoſitarum villarum, ſtatim ea crevit in civitatem magnam, adeo ut primo anno numerata fuerint quindecim millia civium: & ut glorioſior ubique haberetur atque famoſior, placuit omnibus, ut pro reverentia B. Petri & Papæ Alexandri nominaretur Alexandria, ut legitur in Actis Alexandri III. Sed ab Imperialis partis ſtudioſis, ad firmitudinem ejus elevandam *palearis* dicta eſt, quo nomine in hunc uſque diem appellatur. Romualdus Salernitanus hujus urbis conditum fusè etiam narrat ad annum 1168. indeque apparet, Acta Alexandri III ſincerè ſcripta fuiſſe. Addunt autem ſequenti anno, nempe 1169. Conſules ejus ad ipſum Alexandrum accedentes Beneventum, eamdem ei, & per eum Sanctæ Rom. Eccleſiæ,

in

Digitized by Google

in jus & proprietatem obtuliſſe, atque in perpetuum tributariam beato Petro ſponte feciſſe. In inſtrumento anno 1170. & XI *anno Pontificatûs Domini Alexandri III, menſe Januario, tertia indictione* ſcripto, quod extat apud Ughellum Tomo IV Italiæ ſacræ, leguntur nomina ſexdecim Cardinalium ſubſcriptorum, eoque Conſules & populus Alexandrinus offerunt Alexandro III & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, ut ipſi inquiunt, *terram proprii juris noſtri, quæ infra prædicta civitate, quam populus ipſius civitatis ad conſtruendam ibidem Eccleſiam emit, & per eamdem inveſtituram volumus terram ipſam omni tempore Romanæ Eccleſiæ jure precario pertinere,* &c. In fine legitur: *Ego Falco Notarius & Scriba ſacri palatii Beneventani,* quia ſcilicet tunc Romana Curia, ipſeque Pontifex in ea urbe erant.

SEC. XII. ALEXANDER III.

LXXIV. *Alexander PP. Soldanum Iconii baptizari cupientem per literas convenit.*

Soldanum Iconii anno 1169. baptizatum eſſe in Cilicia operâ Alexandri Papæ hac occaſione, legitur apud Matthæum Paris. Erat ei mater Chriſtiana, ſed occulta ob metum Saracenorum: quæ proximè moritura fidem ſuam filio ſignificavit, & ut ipſe eamdem ſuſciperet, hortata eſt; inſuperque rogavit, ut cum defuncta eſſet, ſuper ejus ſepulchrum quaſi pyramidem poneret ſignum crucis. Paruit ille: ſed cùm, viſa cruce, Saraceni in eum acerrimè commoti, eam ſemel & iterum deiicere conarentur, qui primi id aggreſſi ſunt, mortui corruerunt: convenientibus autem ad opus multis hominum millibus, plerique immiſſis cœlitus fulguribus & coruſcationibus igne perierunt: tuncque apparuit Angelus Domini, & lucidiſſimum Crucis ſignum poſuit ſuper pyramidem; ex quo multi crediderunt in Chriſtum. Ipſe verò Soldanus, cùm ſuaſione matris, hiſque miraculis, tum lectione divinarum Scripturarum, miſſis ad Alexandrum Papam Legatis, petiit ab eo virum idoneum, per quem vice ipſius in lege Chriſti plenius inſtrueretur: eoque accepto baptizatus eſt clanculò ob metum ſuorum. Hæc Matthæus Paris ad annum 1169. & Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum anno 1181. qui addit: *Adhuc crucem illam venerantur & adorant.* Literæ catecheticæ ab Alexandro Papa ad Soldanum ſcriptæ extant apud Matthæum Paris, apud Petrum Bleſenſem, & in Collectione Conciliorum Labbei ordine 31.

LXXV. *Tuſculanam civitatem recipit ad proprietatem Eccleſiæ Rom.*

Anno milleſimo centenſimo ſeptuageſimo populus Tuſculanus ſe & civitatem ſub Dominio B. Petri & poteſtate ipſius Pontificis ſponte tradidit; unde factum eſt, ut Rayno ejus dominus de ipſa civitate donationem per publicum inſtrumentum eidem Papæ Alexandro & ejus ſucceſſoribus fecerit, ut habent Acta Alexandri III. Donationem illam Eccleſiæ Romanæ factam anno 1170. confirmat Anonymus Caſinenſis, qui ad illum annum ſcribit: *Alexander Papa rediens à Benevento recepit Tuſculanum ad proprietatem Romanæ Eccleſiæ.* Anno itaque tantum 1170. Alexander Papa Benevento receſſit, ideoque cum Româ exierit anno 1167. non potuit anno 1168. Lateranenſe Concilium, de quo mox

Digitized by Google

SEC. XII. ALEXANDER III. locuti ſumus, celebrare. Baronius quidem anno 1169. num. ultimo ex Romualdo Archiepiſcopo Salernitano narrat, Alexandrum Papam relicto Benevento, in Tuſculanam civitatem veniſſe, & Romanos ei promiſiſſe, ſe ejus mandatis libenter morem geſturos, *ſi prædicta civitatis muros deſtrui pateretur, quo facto Romani voto ſuo potiti quod Papa promiſerant adimplere noluerunt*; Papam verò à Romanis ſe circumventum videntem *Anagniam* rediiſſe, *& ibi multo tempore* demoratum eſſe; ſed nullibi reperitur, eum Romam rediiſſe ante menſem Junium anni 1172.

LXXVI. *Benevento diſcedit Romam verſus* Cum Alexander Papa ex Anonymo Caſſinenſi laudato anno 1170. Benevento rediiſſet, Verulas, quod oppidum eſt Latii medium fere inter Anagniam & Soram, perrexit, ut refert Joannes de Ceccano ad eumdem Chriſti annum: *Indict. III*, inquit, *menſe Martio, XV Kal. April. venit Alexander Papa Verulas, ordinavit ibi Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & alios ordines. Hoc autem anno miſit Imperator Conſtantinopolitanus neptem ſuam cum Epiſcopis Græcis & cum Comitibus, & cum multis militibus, & cum magna pecunia ad Alexandrum Papam, ut daret eam in conjugio Odoni Fraiapanis de Roma, qui apud Verulas eam conjugavit, & tunc ipſe Odo cum ea reverſus eſt Romam. Poſtea prædictus Papa Alexander fecit fabricare Eccleſiam apud Verulas ex ſua pecunia pro elephantioſis, in qua obtulit multa dona.* Ibidem dedit Epiſtolam ad S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum *quarto Idus Septembris*, ut videre eſt apud Baronium. Recedens Verulis venit Ferentinum, ubi *decimo ſexto Kalendas Octobris* dedit literas ad Epiſcopos Angliæ, Londonienſem, Saresberienſem & alios. Ferentino diſcedens itinere brevi quinque duntaxat milliarium venit Pontifex Anagniam, ubi plures literas dedit *Octavo Idus Octobris* & ſeptimo Idus ejuſdem menſis. Anagniâ Signiam ſeptem milliaribus diſtantem perrexit, ibique *tertio Idus Octobris* dedit literas ad Præſules omnes provinciarum cis mare poſitarum, quæ Regi Anglorum ſubditæ eſſent. Inde verò venit Tuſculum, ubi longiorem moram nectens *Octavo Kalendas Decembris* dedit literas, quibus tam Londonienſem, quàm etiam Saresberienſem Epiſcopos Romam vocat. De quibus omnibus Epiſtolis agit Baronius ad annum 1170. Tuſculi adhuc erat tempore Paſchatis anni 1171. ut conſtat ex Epiſtola, quam Nuntii Angliæ Regis ad ipſum Regem dederunt eodem anno apud Baronium num. V: *Per loca fere invia*, inquiunt, *ſub magno timore & periculo tandem venimus in Tuſculanum.* Et paulo poſt: *Nos autem venientes Dominus Papa nec videre, nec ad oſculum, nec ad pedes voluit recipere.* Tandem in fine Epiſtolæ: *Die ſabbati ante ramos palmarum ad curiam venimus, & lator præſentium die Paſcha receſſit à nobis.*

Die

Die itaque vigeſimo octavo Martii, quo Paſcha anno 1171. celebratum eſt, Alexander Papa adhuc Tuſculi verſabatur, & Romæ exceptus non eſt ante diem ſextum Junii anni ſequentis 1172. quod conſtat ex ejus Epiſtola II tertiæ Appendicis Tomo X Concil. pag. 1364. relata & data ad Henricum Gradenſem Patriarcham & Epiſcopos Marchiæ, in qua ait: *Licet aliquando beati Petri navicula quatiatur à fluctibus, licet hæretici & ſchiſmatici Eccleſiam Dei opprimere moliantur: exurgit tamen divina potentia, & in electis ſuis mirabiliter operatur, eaque per ſuam gratiam tranquilla efficiuntur, quæ fuerunt hactenus procelloſa. Noverit ſiquidem diſcretionis veſtræ prudentia, nos divina præeunte gratia VIII Idus Junii Urbem tenuiſſe, & à Clero & populo Romano apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ nova cum pſalmis, hymnis & laudibus ſolemniter & cum omni honorificentia fuiſſe receptos: ibique Eccleſiaſticæ veritatis adverſariis omninò confutatis, ad honorem Dei & beati Petri Apoſtolorum Principis, commiſſum nobis officium exercemus. Sequenti quoque die dominico poſt ingreſſum noſtrum* (ſeu die undecima menſis Junii) *præſentibus fratribus noſtris, & Clero ac populo, in Lateranenſi Eccleſia congregato, in omni quiete & pace ibidem miſſarum ſolemnia celebravimus.* Et poſt pauca: *Confidimus ſiquidem & ſperamus in Domino, quòd auctor & caput ſchiſmatis, omneſque ſectatores ipſius, ita ad nihilum ſunt redacti, & penitus conculcati, ut nihil ſit de cetero, in quo vel modicum valeant reſpirare. Data Romæ apud Sanctam Mariam Novam XVIII Kalend. Junii*, ſed legendum, *XVIII Kalend. Iulii*, menſis enim Junius non habet dies XVIII ante Kalendas, ſed tantum XVII; menſis verò Julius habet dies XVIII ante Kalendas; & parte alia Alexander in laudata Epiſtola diſerte aſſerit, ſe Romæ receptum eſſe die ſexta menſis Junii, Epiſtola verò data eſt die decima quarta ejuſdem menſis Junii. Cur autem hanc Epiſtolam anno potius 1172. quam anno 1171. affigamus, duo ſunt quæ nos movent. Primum, quia anno 1172. *Octavo Kalendas Maii* adhuc Tuſculi morabatur Alexander, cum eo die ibidem Epiſtolam dederit ad Archiepiſcopum Bituricenſem & Nivernenſem Epiſcopum, quæ extat apud Baronium. Secundum, quia Joannes de Ceccano in Chronico aſſerit, Alexandrum anno tantum 1172. cum Romanis in concordiam rediiſſe, eo enim anno ſcribit: *Indictione quinta Alexander Papa fecit finem* (id eſt in concordiam rediit) *cum Romanis*; & forsàn una ex conditionibus concordiæ fuit deſtructio murorum civitatis Tuſculanæ, ibidem quippe ſubdit Joannes de Ceccano: *Deſtruxerunt muros civitatis Tuſculanæ menſe Novembri.*

SEC. XII. ALEXANDER III

LXXVII. *Roma cum honore & laudibus recipitur.*

In Hadriani IV Pontificatu diximus extare diploma ejuſdem Pontificis datum ad Henricum II Angliæ Regem, quo teſtatur ſe pium ejus deſiderium Hiberniam ingrediendi, & dilatandi Eccleſiæ terminos plurimùm laudare. Sed quia ante annum 1171. Henricus Rex expeditionem illam

LXXVIII. *Hibernia regnum Angliæ Regi comprimat.*

SEC. XII. ALEXANDER III.

non ſuſcepit, licet diploma datum ſit anno 1155. Alfordus in Annalibus Angliæ de illius ſinceritate dubitat, quia, inquit, Matthæus Pariſienſis, & aliqui antiqui Angliæ Hiſtorici illius non meminerunt. Verùm ibidem Matthæum Pariſienſem, & Radulphum de Diceto, qui hoc ſeculo vixit, ex Annotatore Baronii citavimus, & utrique nunc ex eodem addimus Giraldum Cambrenſem, qui hoc etiam tempore vivebat, quique lib. 2. de rebus à ſe geſtis cap. 10. loquens de Joanne, ab Henrico Rege patre in Hiberniam miſſo, ait, nihil profeciſſe, *quod Deo & Eccleſiæ nullum in partibus honorem facere diſponebat. Quamquam propter hoc præcipuè ut Eccleſiam Hibernicam extolleret, & exaltaret, & denarium Sancti Petri ſicut in Anglia, ſic in Hibernia dari faceret, pater ipſius intrando in Hiberniam, ſibique ſubjugandi ab Eccleſia Romana licentiam impetravit: quemadmodum ex privilegio Hadriani Papæ ſuper hoc obtento apertè declaratur.* Tum capite ſequenti integrum illud diploma recitat, quod & jam in libro *Expugnationis Hibernicæ* etiam retulerat. Quare diploma illud omni ex parte ſincerum & genuinum, ac juxta illud Henricus Rex anno 1171. expeditionem Hibernicam ſuſcepit, quam plures Auctores retulerunt, inter quos Gervaſius in Chronico, & Rogerius Hovedanus in Annalibus, qui ait, Henricum hanc expeditionem ſuſcepiſſe ad ſubjugandam Hiberniam, quam ſponte deditam ſibi vendicavit. Ubi celebrato à quatuor Archiepiſcopis & viginti octo Epiſcopis (quotquot tunc ea habebat inſula) Concilio, idem Rex ab illis receptus eſt in dominum, ejuſque hæredes in perpetuum. Eorum autem hac de re ſcriptum miſit poſtea idem Rex ad Alexandrum Papam, qui *& ipſe auctoritate Apoſtolica confirmavit illi & hæredibus ſuis regnum Hiberniæ ſecundum formam chartarum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ*, inquit Rogerius Hovedenus ad annum 1171.

LXXIX. *Henrici Angliæ Regis à cæde S. Thomæ purgationem per Legatos ſuſcipit.*

Alexander Papa, qui ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum pallio donaverat, ac privilegiis auxerat, eidemque pro libertate Eccleſiæ, adverſus Henricum II Angliæ Regem pugnanti faverat, cum audivit hunc Sanctum Præſulem à quatuor militibus, ſeu nobilibus Regi admodum familiaribus nefariè occiſum eſſe die vigeſima nona Decembris anni 1170. ſeu *quinta die natalis domini, ideſt, in craſtino Innocentum*, ut ſcribit Gervaſius Dorobernenſis, ita perturbatus eſt, *quod nec etiam ſui ferè per octo dies cum eo potuêre habere colloquium. Et generaliter interdictum eſt, ne Anglici ad eum haberent acceſſum, & ſuſpenſa ſunt omnia eorum negotia*, ut legitur in Relatione Nuntii Regis ad Archidiaconum Pictavienſem apud Baronium. Quare Henricus Rex, cum ferè omnes in eum beati viri necem refunderent, & ſedem Apoſtolicam adversùs eum, tanquam in verum, certumque tantæ enormitatis auctorem inſtigarent, *Reſponſales Romam direxit, ut precum verecundia ferventem invidiam temperaret. Qui cum Romam veniſſent, cunctis Re-*

SEC. XII. ALEXANDER III

ctis Regem Anglorum execrantibus, agrè admiſſi ſunt. Conſtanter verò allegantes, quod Domini ſui mandato, ſive conſenſu tantum facinus non fuiſſet commiſſum, tandem impetraverunt, ut à Latere Domini Papa Legati in Gallias, cum plenitudine poteſtatis mitterentur: qui re diligenter inquiſita & cognita, eumdem Regem, vel ad purgationem fama ſua admitterent, vel reum inventum cenſurâ Eccleſiaſtica coercerent. Quod & factum eſt. Miſſi enim à Sede Apoſtolica Cardinales duo venerabiles, ſcilicet Albertus, qui poſtea eidem ſedi præfuit (ſub nomine Gregorii VIII) *& Theodinus, in Gallias venerunt, factoque in terra Regis Anglorum celebri Conventu Eccleſiaſticorum virorum atque nobilium* (apud Abrincam civitatem anno 1172.) *ejuſdem Principis humiliter ibidem apparentis, & conſtanter aſſerentis, quod ſua neque voluntate, neque juſſione illud, quo fama ejus gravabatur, contigerit, & quod de nulla re unquam magis doluerit, purgationem ſolemniter ſuſceperunt*, inquit Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. cap. 25. Pœnitentiam Henrico Regi à Legatis tunc injunctam, ejuſdemque Regis juramentum refert Baronius ex codice Vaticano ad annum 1172.

LXXX. *S. Thomam canonizat.*

Sanctum Thomam, ſtatim ac martyrio coronatus eſt, miraculis inclaruiſſe, diſerte aſſerit Radulphus de Diceto in Imaginibus Hiſtoriarum pag. 557. *Circa Paſcha*, inquit; *Dominus Jeſus Chriſtus, qui in ſanctis ſuis ſemper eſt, & ubique mirabilis, glorioſiſſimi Martyris ſui Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi vitam laudabilem, & inſuperabilem in morte conſtantiam crebris cœpit irradiare miraculis, ut qui pro tuenda libertate periclitantis Eccleſia ſuam, & ſuorum proſcriptionem tot annis ſuſtinuit, dignum cognoſcatur ab omnibus reportaſſe triumphum.* Quare Alexander Papa hæc audiens à Legatis ſuis, quos pro pœnitentia Regis Angliæ ad eum miſerat, deque iiſdem plurimorum aliorum certiſſimum teſtimonium adeptus: habita anno 1173. in capite Jejunii, ſeu die **XXI** Februarii, apud Signiam, cum fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Catholicæ Eccleſiæ Antiſtibus, diligenti conſultatione, ex communi omnium conſenſu, retulit eum ſolemni ritu in numero Sanctorum Martyrum; ac de ejus canonizatione literas privatas ſcripſit ad Clerum Eccleſiæ Cantuarienſis, aliaſque publicas ad univerſos Chriſti fideles. Utraſque quarto Idus Martii datas refert Baronius ad annum 1173.

LXXXI. *Caſſat geſta in Ratiſponenſi Conventu contra Adalbertum Archiep. Saltzburg.*

Adalbertus Uladiſlai Bohemiæ Regis filius, dictus Archiepiſcopus Saltzburgenſis anno 1168. *in die feſtivitatis omnium Sanctorum in cathedrali Eccleſia cum gaudio omnium inthronizatus eſt*, teſte Chronographo Reicherſpergenſi ad eum Chriſti annum, annoque ſequenti Idibus Martii conſecratus in Archiepiſcopum. Sed cum Alexandro III adhæreret, Friderico Imperatori Archiepiſcopatum reſignare eodem anno coactus fuit, ad quem reſtitui poſtea fruſtrà petiit. Imò anno 1174. Fridericus Imp. exeunte menſe Majo Curiam Ratiſponæ celebravit, in qua Adalbertus Archiepiſcopatu depoſitus eſt, & Henricus tunc Præpoſitus Perchesgadinenſis

SEC. XII. ALEXANDER III

theſgadinenſis in ejus locum ſubſtitutus. *Archiepiſcopus autem Adalbertus*, ſubdit Chronographus Reicherſpergenſis ex quo ſuperiora deſumta, *cum Prælatis ſuis, quibus altior mens, & ſanctius propoſitum, conciliumque ſanius erat, quorum magna multitudo adhuc cum eo ſtabat, coram Domino Apoſtolico ſine dilatione querelam ſuam de hac injuria depoſuit per fidelem nuncium, videlicet Erchenpoldum Capellanum ſuum, Canonicum autem Reicherſpergenſis Eccleſiæ: qui jam tertia vice legationem & literas ejus fideliter, ſed cum magno labore & periculo vitæ, ad Apoſtolicum deportaverat, de eodem negotio, eademque de cauſa. Tunc domnus Apoſtolicus miſit literas per eumdem nuncium ipſi Archiepiſcopo, & domno Chuonrado Moguntino Archiepiſcopo, qui legatione Apoſtolica in partibus Bauvariæ fungebatur, & Præpoſito & Clero Saltzburgenſi*, ab eodem Chronographo recitatas. Hæ Alexandri literæ ad Adalbertum datæ ſunt *Anagniæ VI Idus Septembris*, iiſque caſſat Pontifex, quæ adversùs illum geſta erant; eodemque die ad Conradum Moguntinum Archiepiſcopum, Cardinalem, Legatum ſuum, & ad Capitulum Saltzburgenſe eadem de re ſcripſit literas ibidem relatas. Adalbertus tamen poſtea & ab Alexandro Papa & à Friderico Imperatore ab eo Archiepiſcopatu remotus eſt, ſed tandem in eum reſtitutus, ut ſuis locis dicetur.

LXXXII. *Ricardum Archiep. Cantuariæ conſecrat.*

Gervaſius Dorobernenſis in Chronico, qui hoc ipſo tempore vivebat, utpote Monachus factus anno 1162. ad annum 1173. pluribus agit de iis, quæ geſta ſunt in electione Archiepiſcopi Cantuarienſis, concluditque eam in perſonam Richardi Prioris Dovoriæ cecidiſſe: *Multis hinc inde ſermonibus prolatis*, inquit, *tandem Ricardus Prior Dovoriæ Dominica Octavarum Pentecoſtes III nonas Junii apud Weſtmonaſterium electus eſt.* Sed quia erant, qui huic electioni opponerent, *miſit Cantuarienſis Electus Nuncios & literas tàm ſuas, quàm omnium Epiſcoporum & electorum & Conventus. Eccleſiæ Chriſti ad Dominum Papam, & ipſe poſt modicum in propria perſona ſubſecutus eſt.* Subdit Gervaſius, eum conſecratum fuiſſe anno 1174. ab Alexandro Papa *Dominica poſt Paſcha, qua canitur ad introitum, Miſericordias Domini, deinde more anteceſſorum ſuorum, Primatu Angliæ, Legatione, privilegiiſque* vallatum *versùs Angliam iter* reflexiſſe.

LXXXIII. *S. Bernardum Abbatem Claravall. canonizat.*

Anonymus Auctor Chronici Claravallenſis, qui hoc ipſo tempore floruit, poſtquam retulit mortem Sancti Petri Tarantaſienſis Epiſcopi, quam accidiſſe ait anno 1174. ſubdit: *Eodem anno facta eſt dedicatio Eccleſiæ Claravallenſis, & canonizatio beati Bernardi, & elevatio ejus, ubi adfuit domnus Wichardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, Abbas quondàm Pontiniaci. Et ſequenti anno in Capitulo Generali receperunt cantum beati Bernardi, & cantum de Trinitate.* Quæ verba exſcripſit Auctor Magni Chronici Belgici pag. 164. Sanctum autem Bernardum Abbatem Claravallenſem ab Alexandro Papa anno 1174. in ſanctorum numerum

relatum,

Digitized by Google

relatum, docent etiam Albericus in Chronico, & Annaliſta Mailroſenſis. Literæ canonizationis datæ *Anagniæ XV Kalend. Februarii* legi poſſunt Tomo X Conciliorum pag 1376. & in Operibus S. Bernardi. *SEC. XII.* ALEXANDER III

LXXXIV. *Monaſterium Montis Regalis privilegiis ornat.*

In fine ejuſdem anni 1174. expoſcente Willelmo Juniore Siciliæ Rege, qui plane Regio apparatu Eccleſiam & monaſterium Sanctæ Mariæ de Monte Regali juxta Panormum conſtruxerat, & Monachis refertum magnificentia Regia dotarat, Alexander Pontifex Ferentini cum eſſet, privilegium exemptionis eidem contulit, aliaſque nonnullas prærogativas addidit paucis concedi ſolitas. Extat adhuc ipſum diploma decem S. R. E. Cardinalium ſubſcriptione munitum, apud Auctorem Bullarii Caſſinenſis, datumque eſt *III Kalendas Januarii, Indict. VIII, Incarnat. dominicæ anno MCLXXIV*, Pontificatûs Alexandri *anno XVI.* Poſtea anno 1176 die decima quinta Februarii Anagniæ anno ſui Pontificatûs decimo ſeptimo dedit Alexander aliud diploma, quo expetente eodem Rege, idem monaſterium aliis adhuc locupletavit privilegiis, nempe ut nonniſi Romanæ Eccleſiæ ſubjectum eſſet; cui Rex ipſe obtulit, ut eidem pro annuo cenſu perſolveret monetæ Siculæ Tarenos centum, ut teſtatur Cencius Camerarius in libro Cenſuum à ſe conſcripto. Ea porrò Eccleſia in Archiepiſcopatum poſtea fuit erecta.

LXXXV. *Legatos ad Fridericum Imp. mittit.*

Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, Fridericus Imperator, qui ſub finem ſuperioris cum ingenti exercitu Alexandriam novam urbem Eccleſiæ Romanæ in Longobardia obſidere cœperat, cum eam occupare non poſſet poſt quartum obſidionis menſem, advenientibus Sanctis Majoris hebdomadæ diebus, ſub prætextu conceſſionis induciarum ad celebrationem Paſchalis, inſidias parans, ipſa nocte magnæ feriæ ſextæ proditoriè Alexandrinos adortus, immenſa ab eis affectus eſt clade, pugnante pro illis, & in equo albo coruſcantibus armis præire viſo ipſo Sancto Petro ejus urbis Domino. Quare in ipſa Dominica Reſurrectionis obſidionem ſolvens versùs Papiam iter direxit. Sed cum evitare non poſſet occurſum exercitûs Longobardorum, cui minime par eſſet, ad ſolitas fraudes converſus, conſultationem de pace interpoſuit, paciſque ſtudium cum Romana Eccleſia ſimulans, miſit per literas & familiares ſuos ad Portuenſem & Oſtienſem Epiſcopos, & Cardinalem Sancti Petri ad vincula, ut pro reformanda pace inter Eccleſiam & Imperium ad eum ſecurè accederent. Quod licet apud Apoſtolicam ſedem omnibus ſuſpectum viſum fuerit, Alexander tamen Papa de conſilio fratrum ſuorum, prædictos Epiſcopos & Cardinalem ad Imperatorem deſtinavit. Hos cum humaniſſime accepiſſet ac ſalutaſſet Imperator, haud tamen ab illis reſalutatus eſt ob excommunicationem qua erat conſtrictus, paciſque tractatio ſine effectu permanſit, quod ipſe in cunctis modum nimis excederet, atque etiam in ſpiritualibus nonnulla poſtularet, quæ

nulli unquam laico invenirentur eſſe conceſſa. Narrantur iſta pluribus in Actis Alexandri Papæ.

LXXXVI. *Alexandrinam Epiſcopatu auget.*

Alexander autem Pontifex ut gratum ſe Alexandrinis exhiberet, eos hoc beneficio muneravit, ut eorum urbem Epiſcopalem declararet, *ad poſtulationem*, inquiunt Acta illa, *Mediolanenſis Archiepiſcopi*, nempe Sancti Galdini Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legati, cui Alexandrinam ſedem ſubjecit. Anno poſtea 1180. idem Alexander Papa ſedem Aquenſem tranſtulit Alexandriam, ita ut qui prius Aquenſis dicebatur Epiſcopus, dictus poſtea fuerit Alexandrinus, ut conſtat ex literis Algiſii tunc Mediolanenſis Archiepiſcopi ad eoſdem Alexandrinos ea de re eodem anno ſcriptis, quas refert Baronius in Addendis ad Tomum XII, necnon & ex aliis Innocentii Papæ III anno 1205. datis, ab Ughello Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 449. laudatis. Addunt denique Acta Alexandri, hunc Pontificem privaſſe Papienſem Epiſcopum Crucis & pallii dignitate, ob quòd civitas diu Octaviano Antipapæ & Friderico excommunicato adhæſiſſet, ac poſt præſtitam ſatisfactionem, eumdem Fridericum in gravem jacturam Eccleſiæ Longobardorum, præſumpſiſſet in Italiam revocare.

LXXXVII. *Militiam S. Iacobi in Hiſpania approbat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto Alexander Papa approbavit Ordinem militiæ Sancti Jacobi, in Hiſpania inſtitutum ad defenſionem Chriſtianorum adverſus Saracenos, literis datis *Ferentini per manum Gratiani S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi & Notarii III Nonas Julii, Indict. VIII, Incarnat. Dominicæ anno MCLXXV, Pontificatûs vero D. Alexandri III anno ſexto decimo*, quibus tredecim Cardinales ſubſcripſêre, ut videre eſt Tomo X Concil. pag. 1378. & ſeqq. ubi eæ referuntur. Gratulatur Pontifex in præfatione ſuarum literarum, quod nobiles quidam non ſolum poſſeſſiones terrenas, ſed & corpora ſua dare in extrema quæque pericula pro Domino decreverunt, ſtatuitque ut habeantur in ipſo Ordine, qui cœlibem vitam ducant, & *ſint etiam, qui ad procreandam ſobolem, & incontinentiæ præcipitium evitandum, conjugibus ſuis utantur*, ea tamen conditione, ut *ſi viri præmortui fuerint, & relictæ uxores quæ Ordinem ſuſceperunt, nubere voluerint: denuncietur hoc Magiſtro ſive Commendatori, ut cum illius licentia cui mulier ipſa vult nubat tantum in Domino. Quod etiam de viris intelligitur obſervandum: una enim utrique lege tenentur.* Eamdem poſtea Sancti Jacobi militiam, ejuſque privilegia confirmavit Innocentius III Epiſtolâ XI Regiſtri anni Pontificatûs XIII ex editione Boſqueti. Legendus Rada in Hiſtoria Ordinum Militarium Hiſpaniæ.

LXXXVIII. *Legatos Friderici Imp. ſuſcipit pro pace.*

Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto Fridericus Imperator Alexandri Papæ confœderatos Mediolanenſes aggreſſus, ingenti prælio ab eis devictus eſt, & quidem, ut habent Acta Alexandri III ſæpius laudata, *circa finem menſis Junii*. Hæc victoria diuturnis Longobardiæ calami-

Digitized by Google

calamitatibus finem tandem attulit, ac veræ pacis cum Alexandro Papa & civitatibus fœderatis componendæ, occaſionem præbuit. Imperator enim, quem nulla unquam adverſitas aut difficultas ab incepto retrahere valuerat, hac accepta clade adeo vehementer à ſupremo Judice contritus eſt, inquiunt Acta, ut pacem Eccleſiæ, quam hactenus in duplicitate cordis popoſcerat, toto animi affectu ab Alexandro ſupplici ter poſtulare decreverit. Cujus rei cauſa miſit ad eum tunc Anagniæ in Campania degentem, tres ex præcipuis Imperii Principibus, nempe W. Magdeburgenſem Epiſcopum, Chriſtianum Moguntinum Archiepiſcopum intruſum & P. Wormatienſem Electum, ac Protonotarium regni cum pleniſſima poteſtate tractandæ & conficiendæ pacis inter Eccleſiam & Imperium. Qui cum diutius de ea cum Pontifice egiſſent, tandem facta capitulorum conventione conſtitutum eſt, ut quoniam ad omnia ſolidiùs peragenda, neceſſaria videbatur ipſius Imperatoris, atque Longobardorum, de quorum etiam pace agebatur, præſentia; Pontifex in eas partes ſe quantocyus transferret; atque interim Imperator firmam daret ſecuritatem omnibus perſonis, & rebus Eccleſiæ Romanæ, Regiſque Siciliæ, aliorumque ipſis adhærentium. SEC XII. ALEXANDER III.

LXXXIX. *Conditiones pacis à Legatis jurata.*

Hæc ex Actis Alexandri apud Baronium; ſed cum in iis conditiones illius pacis, inter dictos Friderici Imperatoris Legatos, & quoſdam Cardinales ex parte Eccleſiæ conſtitutos tractatæ, deſiderentur, eas tranſcripſit Annotator Baronii ad annum 1176. num. 5. & ſeqq. ex cartula originali in pergameno, quæ aſſervatur in armario XI capſula VII archivi Arcis Sancti Angeli, cujus ſumptum authenticum extat in Aquenſi civitate & in Bibliotheca nobiliſſimi & eruditiſſimi Domini Henrici de Thomaſſin D. de Maſaugues, ex qua diſcimus Legatos promiſiſſe, quod ipſe Imperator Alexandro Papæ reverentiam exhibebit, & veram pacem relinquet eis & ſucceſſoribus ſuis, & toti Romanæ Eccleſiæ, *& præfecturam Urbis, & terram Comitiſſa Mathildis reſtituet ei, & quod ordinatum eſt de Calixto* Antipapa *ex parte ſua obſervabit*, &c. *de regalibus verò Beati Petri & aliis poſſeſſionibus, quas D. Imperator abſtulit, vel ſui, vel alii, favore ipſius*, quæ habet de prædictis, ipſe bona fide reſtituat, de his verò, quæ alii habent, bona fide operam dabit ſtudioſam, ut ſimiliter reſtituantur. Securitatem præterea promiſerunt Legati Alexandri Papæ Clericis, famulis ac rebus in eorum comitatu exiſtentibus in eundo Venetias, vel Ravennam, vel cetera loca ad quæ procedere diſpoſuerunt, & in quibus fuerint & manendo & redeundo, ſive pax compleatur, ſive diſrumpatur; & ſi diſrumpatur, poſt diſruptionem per tres menſes firmam treugam obſervabit Imperator & ſui Alexandro Papæ & toti terræ ſuæ, quam ipſe tenet, & Rex Siciliæ, vel alii per eum. Hæc eſt ſumma conditionum, quas prædicti Legati cum juramento promiſerunt ex parte Imperatoris.

N 2 Anno

SEC. XII. ALEXANDER III.

XC. *Alexander PP. Venetias pergit pro pace cum Imp.*

Anno itaque milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo antequam ad colloquium cum Imperatore Anagniâ exiret Alexander Papa, præmiſit ad eum duos Cardinales, ut ſecuritatem quam prædicti Legati promiſerant, ab eodem Imperatore per exhibitionem juramenti reciperent. Quem cum inveniſſent circa Mutinam, honorificè ab eo ſuſcepti ſunt: idemque filium Marchionis Montisferrati ſuper Sancta Evangelia jurare fecit in anima ſua prædictam ſecuritatem. Pontifex autem præmiſſis ſex de Cardinalibus ſuis Bononiam, ipſe cum reliquis iter arripiens ad mare Hadriaticum; tranſito monte Gargano, ſuſceptuſque in civitate Liciana à Willelmo Siciliæ Rege, tredecim triremibus ab eo acceptis, poſt nonnullas adverſorum ventorum & procellarum moras, tandem decimo Kalendas Aprilis Venetias appulit. Mox verò ad eum accedens Magdeburgenſis Epiſcopus cum ſociis, roganſque, ut quoniam urbs Bononia Principibus Imperii ſuſpecta erat, alius eligeretur colloquii locus, promiſit Pontifex ſe quam primùm Ferrariam profecturum, ut ibi cum Rectoribus Longobardiæ, quorum etiam maximè intereſſet, de ea re deliberaret. Quare indicto univerſorum Epiſcoporum & Conſulum civitatum Longobardiæ Conventu, dominica Paſſionis, ſeu die decima Aprilis, Ferrariæ habendo, ipſe interim Dominica *Lætare Jeruſalem*, quæ cum die tertia Aprilis concurrebat, in Eccleſia B. Marci miſſam ſolemniter celebraturus, Roſam auream ex conſuetudine ad altare ferens, eam poſt impleta myſteria, Duci Venetiarum in ſignum gratiæ ſedis Apoſtolicæ contulit. Deinde verò cum Ferriam petiiſſet, ibi tandem, conſenſu omnium, electa eſt ad congreſſum civitas Venetiarum; ea tamen conditione, ut antea Dux cum populo Veneto jurarent, quod antequam pax firmiter ſtabilita eſſet, abſque conſenſu Pontificis haud permitterent Imperatorem intrare civitatem, quod & factum eſt.

XCI. *Univerſalem pacem firmat.*

Convenientibus igitur rurſum cunctis delegatis apud Venetias, poſt multas de feudis Longobardorum concertationes, demum in ipſis Apoſtolorum Petri & Pauli Octavis, perpetua pax Eccleſiæ firmata eſt, eâ formâ quæ prius inter partes compoſita fuerat: ac pariter Regi Siciliæ in annos quindecim pax conceſſa; & Longobardiæ induciæ ad ſex annos, ut interim univerſæ ſimul eorum civitates convenirent de regalibus ac juribus, quæ Imperator ab eis ſibi deberi contendebat. Hæc autem ita tranſacta, Imperator Chiogiam prope Venetias accedens, rata habuit; ac per Didonem Comitem & Sigilbot Camerarium ſuum, coram omnibus delegatis ac Principibus ſuis, jurare fecit in anima ſua, quod mox ut Venetias accederet, pariter in anima ſua jurare faceret integram obſervationem eorum omnium, quæ inter partes conſtituta fuiſſent. Hiſque peractis præcepit Pontifex, ut Imperator Venetias honorificè deduceretur. Hæc conſtant ex ſincerioribus Alexandri Papæ Actis, ab

Auctore

Digitized by Google

Auctore, qui aderat, conſcriptis, & ex Relatione Romualdi Archiepiſcopi Salernitani, qui omnibus interfuit ut Legatus Willelmi Siciliæ Regis. *SEC. XII. ALEXANDER III.*

Die vigeſima quarta menſis Julii, Dominica, Fridericus Imperator Venetias appulit, eademque die in vigilia Sancti Jacobi, miſit ad eum Alexander Papa quoſdam Cardinales, qui poſt abjuratum ab illo ſchiſma Octaviani, Guidonis Cremenſis & Joannis de Struma, ac promiſſam obedientiam Alexandro, ejuſque ſucceſſoribus Catholicis, eundem à ſententia excommunicationis abſolverunt, & Catholicæ unitati reſtituerunt. Quod idem factum eſt cum ejus Principibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, aliiſque cunctis ſchiſmaticis illic præſentibus, qui eodem vinculo conſtricti tenebantur. Exinde Imperator tanquam Catholicus Princeps accedens ad Pontificem, qui eum oppetiebatur ante fores Eccleſiæ Sancti Marci, depoſita Chlamyde proſtravit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis pedibus, ad pacis quoque oſculum admiſſus eſt, & apprehenſa Pontificis dextera, cum canticis & laudibus ad chorum Eccleſiæ ipſum deducens, inclinato capite benedictionem ejus reverenter accepit. Ita Auctores laudati, quibus ſuffragatur Gaufredus Prior Voſienſis hoc tempore vivens, qui in ſuo Chronico apud Labbeum Tomo 2. Biblioth. pag. 314. ſcribit: *IX Kalendas Auguſti venit Fredericus coram Papa Alexandro apud Venetiam, & incredibili honore ſuſceptus, ante illum proſtratus, elevatus à Pontifice & deoſculatus eſt.* Spondanus in notula ad annum 1177. obſervat Andream Dandulum Venetiarum Ducem in ſuo Chronico aſſerere, *Papam medium inter Imperatorem & Ducem Venetiarum ad altare B. Marci* proceſſiſſe. *XCII. Fridericum Imp. ad pedum & pacis oſcula admittit.*

Sequenti die, in feſto Sancti Jacobi, die XXV Julii, celebrante ſolemniter Pontifice miſſam, poſt dictum Evangelium & ſermonem factum ad populum, Imperator denuò ad Pontificis veſtigia cum Principibus ſuis accedens, aurum poſt pedum oſcula obtulit. Gaufredus Voſienſis loco laudato addit, eum à Pontifice ſacra communione donatum: *Craſtino*, inquit, *feſto S. Iacobi, feriâ ſecundâ, idem Auguſtus ab ipſo Papa apud S. Marcum ſacram percepit communionem.* Finita autem miſſa, rurſum dexteram Pontificis apprehendens, extra Eccleſiam uſque ad equum album deduxit, & ſtreguam, ſive ſuppedaneum equeſtre fortiter tenuit; frenumque accepit, ut ſtratoris officium impleret: ſed quod iter ad mare nimis videretur prolixum, pro facto Pontifex habuit, quòd Imperator affectuosè voluit adimplere. Kalendis verò Auguſti convocatis omnibus in conſiſtorium, Imperator præcepit Comiti Henrico de Dieſſa, jurare in anima ipſius Imperatoris ſuper Sancta Dei Evangelia, ſe pacem Eccleſiæ & Imperii; necnon pacem Regis Siciliæ, & inducias civitatum Longobardorum bona fide ſervaturum. Idque ipſum jurarunt ex parte Regis Siciliæ, Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus *XCIII. Ei ſacram communionem impertit.*

SEC. XII. ALEXANDER III

nus, & Comes Andrienſis, ejus Legati; ac pro Longobardis ipſorum delegati.

XCIV. *Venetiis Synodum celebrat.*

Poſt hæc decimo ſexto Kalendas Septembris Alexander Papa in Eccleſia ſancti Marci, unà cum Epiſcopis & prælatis Italis & Germanis Synodum celebravit; in qua, juxta eum reſidente Imperatore, rurſum communi omnium conſenſu prædicta omnia confirmata fuêre; ipſeque Pontifex ſententiam protulit, ut quicumque ea infringeret, niſi commonitus intra dies quadraginta ſatisfaceret, excommunicationem incurreret: in ſchiſmaticos autem, qui nondum reſipuerant, anathematis ſententiam renovavit. Sed & decimo quinto Kalendas Octobris eandem pacem, tam ipſe Imperator, quàm ejus Principes literis ſuis confirmarunt, quas propriis ſubſcriptionibus & ſigillis munierunt. Demùm Imperator cum ſuis receſſurus, Chriſtianum Archiepiſcopum Moguntinum Cancellarium ſuum reliquit, ut intra tres menſes integrè reſtituenda curaret cuncta regalia Sancti Petri, & poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ; exceptis bonis Comitiſſæ Mathildis, quæ licet unà cum aliis ex conventione pacis reſtitui deberent, tamen quod ea Imperator ad jus Imperii pertinere contenderet, ne inde pax Eccleſiæ turbaretur, annuit Pontifex, ut eligerentur ex utraque parte viri, quorum judicio ea res definiretur. Hiſque ita peractis, Imperator poſt oſculationem pedum Pontificis, verſus Ravennam, & Ceſenam profectus eſt: Pontifex autem circa medium menſis Octobris, habitis à Duce Venetiarum triremibus, Sipontum in Apulia applicuit, indeque terreſtri itinere Anagniam decimo nono Kalendas Januarii reverſus eſt. Schiſma tamen, Friderici Imperatoris operâ conflatum, quod ab initio Pontificatûs Alexandri III Orthodoxos vexavit, & inceptum ab Octaviano, in Guidone Cremenſi, & in Joanne de Struma, qui ſe Apoſtolicæ ſedis Pontifices mentiti fuerant, continuatum eſt, anno 1177. Imperatoris pœnitentiâ, humilique ejus obſequio finem omninò non accepit; Joannes enim de Struma ſub Calliſti III nomine, Pontificatum quidem abdicavit; ſed Lando Antipapa ſub nomine Innocentii III anno tantum 1180. captus eſt & carceri mancipatus, ut infrà videbitur.

XCV. *Mendacium de Alexandri PP. faſtu exploditur.*

Ex his corruit putidiſſima illa fabula vulgò jactata, Alexandrum nempe Papam ad januas Eccleſiæ Sancti Marci, univerſo adſtante populo, Imperatori juſſiſſe, ut ſe humi proſterneret & veniam denuo poſtularet, caput ipſius proſtrati pede preſſiſſe, ipſique inſultaſſe his verbis ex pſalmo petitis: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem:* & rurſum Imperatorem in ipſum illud intorſiſſe, *Non tibi, ſed Petro*; cui repoſuerit Alexander, *Et mihi & Petro.* Si enim quid hujuſmodi ab Alexandro Venetiis in Imperatorem fieri contigiſſet, quomodo ſcriptores illi ſuperiùs citati, qui minima quæque ſummâ diligentiâ proſecuti ſunt, quaſi ex condicto referre prætermiſiſſent. His accedit non Guillelmi Tyrii, Ro-

gerii

Digitized by Google

gerii Hovedeni, Matthæi Paris, & Gervaſii Dorobernenſis ſilentium, ſed etiam quod ipſe Alexander Epiſtolâ Venetiis *in Rivo alto VI Kal. Auguſti* ad Willelmum Archiepiſcopum Remenſem, Apoſtolicæ Sedis Legatum & ſuffraganeos ejus, ut Abbates in Remenſi provincia conſtitutos, eodem tempore data, & in Chronico Aquicinctino de verbo ad verbum relata, rem, ut geſta fuit, narraverit, ſcripſeritque: *Notum ſit ſollicitudini veſtræ, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus, illuſtris Romanorum Imperator, per inſpirationem divina gratia, depoſito vanitatis errore, ad viam veritatis converſus, ad obedientiam Eccleſia & noſtram, reverenter & devote, ſicut decuit, rediit, & illam in nobis B. Petro reverentiam & devotionem exhibuit, quam anteceſſores ejus, noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhibere, & ſe de cetero exhibiturum promiſit.* Eadem ferè ſcripſit idem Pontifex eadem die Abbati Caſſinenſi & Archiepiſcopo Capuano, item Eboracenſi, & Cantuarienſi Archiepiſcopis, ut legere eſt Tomo X Concil. pag. 1486. & ſeqq. Sed & Alexandri Papæ manſuetudo, qui Joannem Strumenſem, Antipapam ſchiſma ejurantem non multò poſt, tanta benignitate ſuſcepit, ut eum familiaritate ſua & menſa dignaretur, probat illum Pontificem alienum prorſus fuiſſe à faſtu & arrogantia, quâ Friderico Imperatori inſultaſſe jactatur.

XCVI. *Alexander PP. legatum mittit ad presbyterum Ioannem Indorum Regem.*

Dum Alexander Papa adhuc Venetiis ageret, quinto Kalendas Octobris ſcripſit Epiſtolam ad Indorum Regem, quem vulgò *Presbyterum Joannem*, vel *Preteiannum* nominant. Scribendæ autem Epiſtolæ ea occaſio intercesſit, quod quidam Magiſter Philippus ipſius Pontificis Medicus, ad partes illas peregrinatus, retuliſſet eorum Principem, alioqui de fide Chriſtianum, tamen, quod non in omnibus conſentiret cum Romana profeſſione, avide cupere de omnibus erudiri, ut in nullo diſſentiret à Doctrina Sedis Apoſtolicæ; habereque in Urbe Eccleſiam, ubi miſſi ab eo viri prudentes habitare poſſent, & Apoſtolica plenius inſtrui diſciplina, quam poſtmodùm in patria ſua alios docerent. Reſcribens igitur per eumdem Philippum Alexander, ait, ſe *jam pridem referentibus multis* acceptiſſe, eum Chriſtianum nomen profiteri, & quod ad hoc firmiter intendat à Doctrina Sedis Apoſtolicæ in fide nullo modo diſſentire; ideoque ſe præfatum Philippum Medicum à ſuo latere ad illum mittere, qui eum & ſuos de articulis Chriſtianæ fidei, in quibus à Romana Eccleſia diſcordat, erudiat, ſeque libentiſſime ei Eccleſiam in Urbe conceſſurum. Literæ *datæ Venetiis in Rivo alto quinto Kalend. Octobris*, earumque inſcriptio, tàm apud Radulphum de Diceto pag. 608. quàm apud Matthæum Paris. anno 1181. & apud Joannem Brompton in Chronico ad annum 1177. hæc eſt: *Alexander Papa chariſſimo in Chriſto filio Presbytero Joanni, illuſtri & magnifico Indorum Regi.* Quare apud Hovedenum verba iſta, quæ in eo ſubjiciuntur, *Sacerdotum ſanctiſſimo*, expungenda ſunt, utpote à ſciolo quodam inſerta. Hæc ſumma Epiſtolæ Alexandri III.

Baro-

SEC. XII. ALEXANDER III.

XCVII. *Ejus regnum non in Africa, ſed in Aſia ſitum.*

Baronius relata Epiſtolâ illâ ſcribit: Quæ autem ſecuta ſint iſta, nos latet, niſi quod, ſive ab ipſo Alexandro Papa, ſive ab aliis ejuſdem ſedis Apoſtolicæ Pontificibus conſtat Æthiopibus iſtis regni Preteiani, Abyſſinis dictis, datam Eccleſiam S. Stephani proto-Martyris unà cum ejus habitationibus, ſitam poſt abſidem Baſilicæ S. Petri, quam in hanc uſque poſſident diem. Ita Baronius, qui antequam Epiſtolam referat, ait, Alexandrum dediſſe *Epiſtolam ad Indorum Regem, quem vulgò nominant preteianum, in Æthiopia longe lateque regnantem.* Sed licet Baronii ætate communis opinio fuerit, Presbyterum Joannem alium non fuiſſe, quam Imperatorem Abyſſinorum ſeu Æthiopiæ, progreſſu tamen temporis à viris regionum illarum peritis, & qui ad illas peregrinati ſunt, agnitum eſt, ejus Imperium, non in Africa, ſed in Aſia ſitum fuiſſe, & in hunc uſque diem magni iſtius olim Presbyteri Joannis veſtigia reſtare in regno Tanchut, quod *Farantola* Tartari, Saraceni *Poratas*, & incolæ *Laſſa* vocant. Hæc inter alios obſervarunt Kircherus parte 2. Chinæ Illuſtratæ, Jobus Ludolphus in ſuo ad Hiſtoriam Æthiopicam commentario, & nuper Annotator Baronii ad annos 1145. num. 9. & 1177. num. 5. & ſeqq. ubi num. 6. ait, Eccleſiam, quam Baronius ſcribit ſua ætate ab Abyſſinis, ſeu Æthiopibus Romæ poſſeſſam, ad alios nunc tranſiiſſe; cum nulli Abyſſini, ſeu Æthiopes Romæ morentur. Quibus addi poteſt Baronium ex ſola Epiſtolæ inſcriptione intelligere potuiſſe, regnum Presbyteri Joannis non fuiſſe Æthiopiam, ſeu Abyſſiniam, quæ ſita eſt in Africa, cum ea Epiſtola inſcripta ſit Indorum Regi, India autem non in Africa, ſed in Aſia ſita ſit. Albericus, qui vixit anno 1242. in Chronico ad annum 1165. & alii mox laudandi, vocant etiam Presbyterum Joannem *Indorum Regem.*

XCVIII. *Etymologia vocis Presbyteri Joannis.*

Quoad etymologiam Presbyteri Joannis, ſeu, cur ita vocatus fuerit, primus eam perſcrutatus eſt Scaliger lib. 7. de Emendatione Temporum, & poſt eum plures alii, inter quos Ludolphus loco laudato. Sed omnes tempus & operam perdiderunt; nam Annotator Baronii locis laudatis probat, Joannem iſtum ideo *Preteianne* appellatum, quia revera *Presbyter* Neſtorianus erat. Nam Otto Friſingenſis lib. 7. cap 33. loquens de Gabulenſi Epiſcopo ad Eugenium III è Syria miſſo, ait: *Narrabat etiam, quod ante non multos annos Joannes quidam, qui ultrà Perſidem & Armeniam, in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente ſua Chriſtianus eſt, ſed Neſtorianus*, &c. Otto autem Friſingenſis obiit anno 1159. Guillelmus etiam Tripolitanus ordinis prædicatorum, qui vivebat anno 1273. in Gerardo Mercatore aſſerit, anno 1098. quo Antiochia à Cruceſignatis capta eſt, *Coirem Chamum* fuiſſe Dominum aut Regem regionum Orientalium Aſiæ, eoque demortuo, quemdam Presbyterum Neſtorianum regnum illud invaſiſſe, & *Presbyterum Joannem* appellatum eſſe. Marinus etiam Sanutus lib. 3. Fidelium crucis part. 13. cap. 4. refert, Davidem

Digitized by Google

videm *quondam Joannis Preſbyteri dominatoris & Regis Indiæ filium* Indis imperantem à Tartaris occiſum fuiſſe; Marinus autem Sanutus florebat anno 1320. Cum enim in Eccleſia Orientali licitum ſit Preſbyteris habitare cum uxoribus, ante ſacros ordines ſuſceptos ductis, Joannes iſte ex ſua genuit filium ac ſucceſſorem nomine Davidem. SEC. XII. ALEXANDER III.

Cum porrò ex Guillelmo Tripolitano laudato conſtet, anno 1098. Coirem Chamum fuiſſe dominum aut Regem regionum Orientalium Aſiæ, eoque demortuo, Preſbyterum Joannem regnum illud invaſiſſe, ſeculo duodecimo ineunte vel circiter regnum illud à Joanne Preſbytero inſtitutum duravit in ejus familia uſque ad annum 1202. quo Guillelmus Nangius, qui vivebat anno 1300. in Chronico ſcribit, Davidem Joannis Preſbyteri filium occiſum eſſe: *Tartari*, inquit, *ab Oriente ſurgentes poſt occiſionem Domini ſui Davidis Regis Indiæ tunc primò exierunt in populorum deſtructionem.* Marinus Sanutus loco laudato eumdem annum ſignat, referens, ut jam dictum eſt, Davidem *quondàm Joannis Preſbyteri dominatoris & Regis Indiæ filium* Indis imperantem, cùm Tartaris novas angarias imponeret, ab eis occiſum fuiſſe cum tota familia, exceptâ unicâ ejus filiâ, quam *Cyngis Chaam* uxorem accepit. Vincentius Bellovacenſis, Nangio & Marino Sanuto antiquior, florebat enim anno 1250. idem ſcribit, eumdemque annum notat in Speculo Hiſtoriali cap. 69 ubi addit, Cyngim, *ut dicitur de Davidis filia filios generavit.* Cum autem Paulus Marcus Venetus, qui circa annum 1270. loca illa perluſtravit, lib. 1. cap 64. ait, loquens de regno Tartariæ, *ubi etiam manere conſuevit Rex ille magnus & toto orbe terrarum nominatiſſimus, vulgò Preſbyter Joannes dictus. Modo autem provincia illa tributa pendet Magno Cham habens Regem de progenie Preſbyteri Joannis*, Paulus, inquam, Marcus Venetus intelligendus de progenie fœminina Joannis Preſbyteri, omnis enim ejus familia perierat, exceptâ unicâ filiâ Davidis ejus filii, ut mox ex Marino Sanuto dictum eſt. XCIX. *Ejus regni inſtitutionis & à Tartaris deſtructionis epocha.*

Alexander Pontifex, qui, ex dictis, Venetiis Anagniam reverſus eſt decimo nono Kalendas Januarii anni 1177. anno ſequenti 1178 ineunte, à Clero, Senatu, populoque Romano rogatus in Urbem rediit menſe Martio, Acta enim ejus Vitæ tradunt, eum *in feſto Sancti Gregorii Papæ ante dominicam Lætare Jeruſalem poſt miſſam* exiviſſe de Tuſculano, & cum magno gaudio Romæ receptum eſſe, & *ea Dominicâ Lætare Jeruſalem*, quæ eo anno in diem 19. Martii incidebat, *ad proceſſionem ad Sanctam crucem in proceſſione* perrexiſſe, *& in Paſcha regnum ſolemniter* induiſſe. His conſentientia ſcribit Joannes de Ceccano in Chronico: *Quarto Idus Martii* (legendum quarto Idus Martii, qui dies concurrit cum feſto S. Gregorii) *ibat Papa Romam cum Cardinalibus & Epiſcopis, quem receperunt Romani honorificè.* Radulphus item de Diceto pag. 599. *Alexander Papa, ſchiſmaticis ad unitatem Eccleſiæ redeuntibus, ſolemni proceſſione receptus* C. *Alexander PP. Romam redit.*

Digitized by Google

eſt Romæ die dominica, qua cantatur Lætare Jeruſalem, Dominica nempe quarta Quadrageſimæ, ſed aliquot ante dies Alexander Romam pervenerat, ut ex ejus Actis dictum eſt.

CI. *Calliſtum Antipapam pœnitentem honorifice ſuſcipit.*

Joannes Abbas de Struma, Antipapa ſub Calliſti III nomine, qui, teſte Rogerio Hovedeno, in Concilio degradatus, & ab ipſo Imperatore, omnibuſque Principibus reprobatus, occultè Viterbio exiens, ut teſtantur Alexandri Acta, ad montem Albanum, ſub defenſione Joannis Domini ipſius loci confugium fecerat, hoc eodem anno 1178. *reatum ſuum agnoſcens, Montem Albanum deſeruit, & apud Tuſcu'anum ad pedes Papæ Alexandri, cum quibuſdam ſuis clericis humilis & devotus acceſſit, & in conſpectu Cardinalium, & multorum ſe peccaſſe publicè confeſſus eſt*, inquit Romualdus Salernitanus, qui poſtea ſubdit, Pontificem, *eum & in Curia & in menſa ſua honorifice* habuiſſe. Actum eſt autem id IV Kalendas Septembris, ſeu in decollatione Sancti Joannis Baptiſtæ, ut ſcribunt tàm idem Romualdus, quàm Joannes Ceccanus, qui in Chronico ait: *IV Kalend. Septembris Joannes Strumi Tuſculanum venit, & Alexandro Papæ ſatisfecit, & pœnitentiam egit.* Anonymus Caſſinenſis ad eumdem annum his addit, Joannem de Struma ab Alexandro Papa dictum eſſe Rectorem Beneventi: *Joannes Abbas Strumenſis*, inquit, *qui vocabatur Papa Calliſtus in decollatione B. Joannis Baptiſtæ Tuſculanum ad pedes Domini Alexandri Papæ III venit, qui poſtea Rectorem Beneventi conſtituit.* Marius denique Vipera in Archiepiſcopis Beneventanis ſcribit, eum à Papa conſtitutum eſſe Archiepiſcopum Beneventanum & illius urbis Præfectum, ſed eodem anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo mortuum eſſe.

CII. *Innocentius III Antipapa eligitur.*

Non multò poſt Joannis Strumenſis abdicationem, tertio ſcilicet Kalendas Octobris ejuſdem anni 1178. ſi Joanni Ceccano fides, ſchiſmatici, quorum dux erat miles quidam, Octaviani quondàm ſub nomine Victoris IV Antipapæ frater, Landum quemdam Sitinum in pſeudo-Papam elegerunt, eique Innocentii III nomen impoſuerunt. Hujus quidem Antipapæ nec Baronius, nec Oldoinus mentionem fecerunt, Onuphrius tamen in Chronico Eccleſiaſtico & plures alii ejus meminêre: *Tertio Kalendas Octobris*, inquit Joannes de Ceccano ad annum 1178. *quidam de ſecta ſchiſmatica, inito conſilio, Landum Sitinum elegerunt in Papam Innocentium, ab eiſdem eſt conſecratus.* Auctarium tamen Aquicinctinum Innocentii pſeudo-Papæ electionem revocat ad annum 1179. quæ ſententia non videtur improbabilis, cum in Concilio Lateranenſi menſe Martio illius anni congregato, nullum ejuſdem Innocentii pſeudo-Pontificatûs veſtigium extet, licet canone 2. factæ ab aliis tribus pſeudo-Pontificibus ordinationes irritentur. *Schiſmatici*, inquit Auctor illius Auctarii ad eumdem annum 1179. *quietem non ferentes Eccleſiæ iterum quemdam clericum de progenie illorum, quos Frangipanes Romani vocant, contra Papam Alexandrum, Antipapam ſtatuunt, quem mutato nomine Innocentium III vocitarunt. Quem*

quidam

Digitized by Google

quidam miles, frater Octaviani, qui per contentionem cum Alexandro provectus fuerat, propter odium Papæ manutenebat. tradita ei turri, vel munitione ſua, quam juxta Romanam civitatem fortiſſimam habebat. At iſtius violentia ſupra ceteros ſchiſmaticos afflictus Papa, communicato cum Cardinalibus conſilio, pace cum Cardinalibus, propinquis prædicti Octaviani reformata, præfatam munitionem à præfato milite magno pretio comparavit. Sicque per induſtriam Hugonis Diaconi Cardinalis, qui & ipſe inter Romanos nobiliſſimus erat, prædictam cepit cum ſepeſato pſeudo-Papa munitionem, qui ad pedes domni Papæ adductus, in Cavea eſt perpetuò clauſus. Ubi Chronographus iſte pluribus annis geſta uno tenore narrat.

CIII. *Ab Alexandro PP. ad Cavas in exilium deportatur.*

Innocentius enim Antipapa anno tantum 1180. ab Alexandro captus eſt, ut diſerte ſcribit Anonymus Caſſinenſis ad eumdem annum. *Lando intruſus*, inquit, *qui eſt Papa Innocentius dictus, apud Palumbaram cum ſociis captus ad Cavas eſt in exilium deportatus.* Joannes item de Ceccano in Chronico ad eumdem annum ait: *Pſeudo-Lando Sitinus falsò Papa dictus captus eſt ab Alexandro Papa & illa q eatus eſt apud Caveam cum complicibus ſuis in exilium ductus eſt.* Sicque omnino finitum eſt ſchiſma, quo nullum aut vehementius, aut diutius perſeveravit, ut ſcribit Nangius in Chronico ad annum 1178. *Cum legitur*, inquit, *Romanam Eccleſiam multis ſchiſmatibus fuiſſe diſciſſam, iſto tamen nullum aut vehementius incanduit, aut diutius perſeveravit.* Quatuor enim fuerunt Antipapæ quos vicit Alexander; unde Auctor Magni Chronici Belgici pag. 188. de Alexandro III loquens, ſcribit: *Iſte vicit quatuor ſchiſmaticos, ſcilicet Octavianum, Guidonem Cremonenſem* (legendum Cremenſem) *Joannem Fermenſem* (legendum Strumenſem) *& Landonem Antipapas. Primus fecit ſe Victorem, ſecundus verò Paſchalem, tertius Calliſtum, quartum Innocentium, quorum tres fuerunt Presbyteri Cardinales, qui omnes viciſſim ſchiſma fecerunt.* Schiſma itaque duravit annos XXI, paſſim tamen Scriptores tradunt fuiſſe annorum tantum XIX, quia nullam rationem habent pſeudo-Pontificatûs Innocentii III, quòd paucos aſſeclas habuerit.

Concilium Lateranenſe III, Generale XI.

CIV. *Alexander PP. Concilium Lateranenſe III generale indicit.*

CUm Fridericus Imperator anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo ſchiſma ejuraſſet, jamque toto orbe Chriſtiano, exceptis paucis ſchiſmaticis, Alexander III ut legitimus Pontifex coleretur, Concilium Oecumenicum Romæ, menſe Martio, anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi noni celebrandum indixit idem Pontifex. Literæ convocationis Concilii ad Epiſcopos Tuſciæ miſſæ, quas & ad univerſos orbis Chriſtiani Epiſcopos datas fuiſſe, ſola inſcriptione mutata, norunt anti-

SEC. XII. ALEXANDER III

quitatis Eccleſiaſticæ periti, datæ ſunt ab Alexandro Papa *Tuſculani undecimo Kalendas Octobris*, ideoque anno 1178. non verò 1177. quo, medio menſe Septembri adhuc Venetiæ verſabatur ex ſuperiùs dictis, indeque Sipontum perrexit, ac tandem decimo nono Kalendas Januarii Anagniam pervenit. Robertus quidem de Monte, qui Concilium connectit cum anno 1180. ad annum 1179 refert, Alexandrum Papam miſiſſe Octavianum Subdiaconum Eccleſiæ Romanæ ad Rotomagenſem provinciam, ut Archiepiſcopum & ſuffraganeos ipſius Abbateſque convocaret, & alios pariter Subdiaconos ad Orientem & Occidentem, & Meridiem & Septentrionem, ut convenirent ad Concilium generale; ſed in Chronico Roberti de Monte numeros à Librariis ſæpe tranſpoſitos fuiſſe obſervavit Annotator Baronii Certè literæ convocationis ad Epiſcopos Tuſciæ, Romæ vicinos datæ anno 1178. menſe Septembri, ſatis ſuperque indicant, jam alias datas eſſe ad aliorum regnorum Antiſtites, utpote remotiores; quod confirmatur ex literis convocationis ad Epiſcopos Palæſtinæ & Syriæ, quas Willelmus Tyrius lib. 21. cap. 26. Belli ſacri, anno 1177. datas diſerte ſcribit.

CV. *Anno MCLXXIX celebrandum.*

In prædictis ad Tuſcos literis Pontifex mandat Epiſcopis & Abbatibus ut prima Dominica Quadrageſimæ anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi noni Romam ſe conferant: *Quocirca*, inquit, *per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, qualiter huic noſtræ diſpoſitioni plenis deſideriis cooperari curetis, & prima Dominica advenientis Quadrageſimæ, ad urbem Romam, ducente Domino veniatis.* Dominica prima Quadrageſimæ anno 1179. concurrebat cum die decima octava Februarii; Concilium tamen Dominica tertia, ſeu die quarta Martii inchoatum, id eſt, preces ea die ad Deum de more fuſæ, & poſtridie, feriâ ſecundâ, prima ſeſſio inchoata eſt. Chronographus enim Reicherſpergenſis ad annum 1179. ſcribit: *Alexander Papa celebravit Synodum Epiſcoporum generalem & valde celebrem in urbe Roma, media quadrageſima, ideſt, IV Idus Martii*, ſed legendum, *IV Nonas Martii*, qui dies eo anno concurrebat cum media Quadrageſima, ſeu cum Dominica tertia Quadrageſimæ, dies autem *IV Idus Martii* concurrebat cum feria ſecunda poſt Dominicam quartam. Hanc correctionem certam eſſe, demonſtrat Rogerius Hovedenus, qui in parte poſteriori Annalium pag. 582. ait: *Congregatis univerſis Romæ in præſentia Domini Papæ Alexandri. ipſe Papa in Lateranenſi Eccleſia, in eminentiori loco cum Cardinalibus ſuis, & Præfectis & Senatoribus, & Conſulibus Urbis conſtitutus, feria ſecunda tertia hebdomadæ Quadrageſimæ, quæ tertio Nonas Martii evenit, primum Concilii ſui diem celebravit*, ideſt primam ſeſſionem. Dacherius Tomo XII Spicilegii pag. 638. refert Epiſcoporum Concilii catalogum ex codice MS. monaſterii de Brana Ordinis Præmonſtratenſis, in quo etiam dicitur, Concilium habitum eſſe *anno ab Incarnatione Domini MCLXXIX, Alexandri III Pontificatûs viceſimo, menſe Martio*,

Martio, *indictione undecima* (legendum duodecima, ut alii characteres demonſtrant) *quinta*, *& ſeptima*, *& nona decima die menſis*. Quare convenit cum Hovedeno, primam Concilii ſeſſionem habitam eſſe die quinta menſis Martii; quod & diſertis verbis affirmat Tyrius loco laudato: *Per idem tempus*, inquit, *Romæ celebrata eſt Synodus in Baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum Epiſcoporum, Pontificatus Alexandri XX anno, menſe Martio Indictionis duodecima, quinta die menſis*.

SEC. XII. ALEXANDER III

CVI. *Tribus ſeſſionibus illud abſolvit.*

Concilium tribus ſeſſionibus abſolutum fuiſſe, tàm Hovedenus, quàm Catalogus, laudati teſtantur & in hoc ſolum differunt, quod in catalogo legitur, ſecundam ſeſſionem habitam die ſeptima Martii, Hovedenus verò aſſerit, eam celebratam die decima quarta ejuſdem menſis, ſubdit enim: *Similiter ſecundum Concilii ſui diem celebravit quarta feria ſequentis hebdomada, quæ ſecundo Idus Martii evenit.* (ſeu die decima quarta Martii) *In quo Concilio Willelmus Remenſis Archiepiſcopus factus eſt Presbyter Cardinalis ad tit. Sancta Sancta Sabina, & Henricus Abbas Claravallenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis. Et Dominus Papa tertium concilii ſui diem celebravit ſecunda feria ante Dominicam in Ramis Palmarum, quæ XIV Kalendarum Aprilis evenit*, die nempe decima nona Martii, quæ concurrebat cum feria ſecunda. Porrò Willelmum Remenſem Archiepiſcopum in hoc Concilio dictum fuiſſe Cardinalem, confirmant Rigordus in Philippo Auguſto, & Chronographus Aquicinctinus, loquentes de coronatione Philippi in Regem Franciæ, eodem anno 1179. facta. *Superveniente*, inquit Rigordus pag. 5. *omnium Sanctorum feſtivitate Philippus Auguſtus, convocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis & omnibus terræ Baronibus à Willelmo Reverendo Remenſium Archiepiſcopo tituli Sancta Sabinæ Presbytero Cardinali, Apoſtolica ſedis Legato, ipſiuſque Regis avunculo coronatus eſt Remis.* Chronographus verò Aquicinctinus ad eumdem annum ſcribit: *Ludovicus Rex Francorum filium ſuum Philippum in Regem ſublimat Remis in feſtivitate omnium Sanctorum. Sequenti Dominica Willelmus Remenſis Archiep. Card. Presbyter tit. S. Sabina & Apoſtolica ſedis Legatus, convocatis Epiſcopis & totius ſecunda Belgica perſonis Concilium tenet*, &c. Ex quo & ex dictis num. LII de Conrado Archiepiſco Moguntino, conſtat deceptos eſſe, qui ſcripsère, Epiſcopos ante ſeculi decimi quarti initium in Cardinalium Collegium cooptari non cœpiſſe.

CVII. *Numerus Epiſcoporum Concilii.*

Quoad numerum Epiſcoporum Concilii, inter Antiquos fere convenit, trecentos ei interfuiſſe; nam Willelmus Tyrius, qui Concilio interfuit, quique lib. 21. cap. 16. dicit ſe confeciſſe catalogum Epiſcoporum diligenter *ad preces ſanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt*, trecentos adfuiſſe aſſerit, loquens numero rotundo; Anonymus enim Caſſinenſis in Chronico, ſaltem in omnibus MSS. conſtanter aſſerit fuiſſe Epiſcopos CCCI, ut obſervat Camillus Peregrinius in Notis ad illum

SEC. XII. ALEXANDER III

Anonymum, in editione autem à Caracciolo curata, manifeſto errore habentur XXXI, pro CCCI, in ea quippe legitur: *Alexander Papa celebravit Concilium in Eccleſia Lateranenſi menſe Martio, ubi fuerunt Epiſcopi numero triginta & unus, exceptis Cardinalibus, qui fuerunt viginti duo, & exceptis Abbatibus, qui præ nimia multitudine numerari non potuerunt, ubi Sancta Synodus promulgavit capitula XXVII.* Chronographus denique Reicherſpergenſis, poſt verba mox laudata, ſubdit: *Hæc Synodus congregata eſt toto ferè ſuperiori anno per totum Romanum Imperium, cui etiam interfuerunt ſexcenti vel amplius Epiſcopi*, ſed legendum *treceṇti*, ut ex dictis conſtat, niſi dicatur Chronographum iſtum Epiſcoporum & & Abbatum ibidem præſentium numerum ad ſexcentos reſtringere.

CVIII. *Convocationis Concilii cauſa & canones.*

Cauſæ convocationis Concilii hæ fuêre. Ut Eccleſiæ commodis conſuleret, atque procellas, quibus ipſe Alexander Pontifex vexatus fuerat, in poſterum devitarentur: ut forma aliqua electioni Pontificis apta præſcriberetur, qua ambitioſorum hominum audacia, & inſolentia deinceps reprimeretur: ut mores hominum ſchiſmatis & belli cauſa corrupti reformarentur; ſimoniaca enim labes in Eccleſiis & monaſteriis, avaritia in Eccleſiaſticis, uſura in laicis, aliaque vitia horrendum in modum graſſabantur. Acceſſit præterea alia cauſa graviſſima, quia ſcilicet hæreſis Catharorum, ſive Publicanorum, ſive Patarinorum, in dies latius manabat: quibus permulti rudes & imperiti, hæreticorum fraudibus decepti, in Vaſconia & in Albigeſio, & in partibus Toloſanis fidem habebant, ideoque neceſſarium erat huic deteſtabili peſti remedium ſtatim adhibere. Quibus malis Alexander Papa & ſacra Synodus canonibus viginti ſeptem Tomo X. Concil. legendis occurrerunt.

CIX. *Statuitur nullam eſſe electionem Pontificis Rom. in qua duæ partes Cardinalium non conſenſerint.*

In iis Canonibus primum obtinet locum ille, quo ad avertenda, quæ impoſterum poſſent oboriri ſchiſmata, ſtatutum eſt, ut non haberetur Romanus Pontifex, qui non à duabus partibus Cardinalium eſſet electus, hiſque verbis conceptus eſt: *Licet de evitanda diſcordia in electione ſummi Pontificis manifeſta ſatis à noſtris prædeceſſoribus conſtituta manaverint: tamen quia ſæpe poſt illa per improbæ ambitionis audaciam, gravem paſſa eſt Eccleſia ſciſſuram: nos etiam ad malum hoc evitandum, de conſilio fratrum noſtrorum, & ſacri approbatione Concilii, aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus igitur, ut ſi forte inimico homine ſuperſeminante zizania, inter Cardinales de ſubſtituendo Pontifice non potuerit concordia plena eſſe, & duabus partibus concordantibus, tertia pars noluerit concordare, aut ſibi in alium præſumpſerit ordinare, ille Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus fuerit electus & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus, quia rem non poteſt, ſibi nomen Epiſcopi uſurpaverit, tam ipſe, quam qui eum receperint, excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri ordinis privatione mulctentur, ita ut Viatici eis etiam, niſi tantum in ultimis communio denegetur .... Ex hoc tamen nullum Canonicis conſtitutionibus & aliis*

& aliis Eccleſiaſticis præjudicium generetur, in quibus majoris & ſanioris partis debet ſententia prævalere, quia quod eis in dubium venerit, ſuperioris poterit judicio diffiniri. In Romana verò Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur, quia non poteſt recurſus ad ſuperiorem haberi. Illud decretum etiamnum ad huc ſervatur.

Secundus canon Concilii eſt de abolendis ordinationibus à ſchiſmaticis Antipapis introductis: *Quod à prædeceſſore noſtro felicis memoriæ,* inquit Pontifex, *Innocentio factum eſt, innovantes, ordinationes ab Octaviano, & Guidone Hæreſiarchis, necnon & à Joanne Strumenſi, qui eos ſecutus, & ab ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus: adiicientes etiam ut ſi quis dignitates Eccleſiaſticas, ſeu beneficia per prædictos ſchiſmaticos receperint, careant impetratis . . . . Illos autem qui ſponte juramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterint, à ſacris ordinibus & dignitatibus decrevimus manere ſuſpenſos.* Ubi nulla mentio eſt Landonis, qui, ex dictis pſeudo-Pontifex creatus eſt ſub Innocentii III nomine, ex quo coniicio eum tunc nondum in Pontificatum fuiſſe intruſum. CX.

Pſeudo-Pontificum ordinationes irritantur.

Albertus Stadenſis in Chronico, & Krantzius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Saxoniæ lib. 7. cap. 3. Epiſcopos ſchiſmaticos tùm Germaniæ, tùm aliarum provinciarum ante receptos non fuiſſe ſcribunt, quàm ſchiſma ſub hac illis præſcripta formula ejuraſſent: *Ego anathematizo & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe adverſus Sanctam Romanam Eccleſiam Catholicam; præcipuè vero ſchiſma Octaviani, & Guidonis & Joannis: & ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico; exmodo in antea me obediturum juro & promitto fidelitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino meo Alexandro & ſucceſſoribus ejus juſte intrantibus; ipſiſque ſerviam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem, ſecundum ordinem meum. Conſilia ejus quæ mihi ſcripto certo mandaverit, vel ipſe commiſerit, nulli hominum pandam, nec etiam pro periculo corporis atque membrorum: Legatum Eccleſiæ Romanæ honorabo, & ducam & reducam, & juvabo expenſis. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Evangelia.* CXI.

Epiſcopi ſchiſmatici ſchiſma abjurant.

Alii canones, ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam eo in Concilio editi legi poſſunt Tomo X Concil. & apud Natalem Alexandrum; ſed hic ultimus prætermittendus non eſt, qui ad hiſtoricam rationem pertinet. Eſt enim contra hæreticos Waldenſes ſeu Albigenſes: *Quia in partibus Guaſconiæ, Albigeſio & partibus Toloſanis, & aliis locis, ita hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patarenos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perverſitas . . . . Eas & defenſores eorum & receptores anathemati decernimus ſubjacere: & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra ſua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, non ſub noſtrorum privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, aut ſub aliacumque occaſione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Chriſtianos recipiant ſepulturam.* CXII.

Editur canon contra hæreticos hujus temporis.

SEC. XII. ALEXANDER III.

pulturam. Iiſdem pœnis ſubjicit, prædones ſeu graſſatores, quos nominat *Brabantiones*, *Aragonenſes*, *Navarros*, *Baſculos*, *Coterellos & Triavardinos*, qui more Paganorum ita debacchabantur in Chriſtianos, ut nec ſexui, nec ætati, nec condicioni, nec locis Sanctis vel profanis parcerent: contra quos armis agendum admonet, eorumque bona à Principibus in fiſcum redigi, ipſoſque ſervituti ſubjici concedit: illis autem qui adverſus eos arma ſumerent, indulgentiam peccatorum, ſeu *biennium de pœnitentia injuncta* relaxat: *aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cauſa fuerint injuncta* committit, *ut ad eorum arbitrium ſecundùm moram laboris, major eis indulgentia tribuatur*: eos qui Epiſcoporum admonitionibus in his parere contemnerent excommunicationi ſubjacere decernit: ipſos verò Epiſcopos ac Presbyteros, qui ſe in eis negligentes exhiberent; Officii ſui privatione mulctat.

CXIII. *Alex. PP. S. Laurentium Dublinenſem Epiſc. Hiberniæ Legatum creat.*

In hoc præterea Concilio Sanctum Laurentium Archiepiſcopum Dublinenſem in Hibernia, Regio ſanguine ortum, legationem Hiberniæ accepiſſe, refert Baronius ex Auctore Vitæ ejus apud Surium ad diem XIV Novembris, in qua cap. 24. legitur: *Legatus totius Hiberniæ à Domino Papa conſtituitur. Reverſus inde proſperè in Hiberniam, commiſſi ſibi legationis officium, cum magna totius Eccleſiæ libertate exequi ſatagebat.* Et paulo refert, eum ita execratum eſſe Clericos incontinentes, *ut omnes tam Subdiaconos, quam Diaconos, vel presbyteros, ſi incontinentia convicti eſſent, licet tanquam Archiepiſcopus poſſet, tamen nollet abſolvere, ſed ad Romanam Eccleſiam à ſummo Pontifice abſolvendos deſtinaret; ita ut quodam tempore, quod dictu mirum eſt, centum & quadraginta Presbyteros incontinentiæ convictos Romam miſerit abſolvendos.* Hunc Sanctum Præſulem anno 1181. dum pacem ſollicitaret Regis Hiberniæ cum Rege Angliæ defunctum, poſtea Honorius Papa III in ſanctorum numerum retulit, ut ſuo loco dicetur.

CXIV. *Nihil in Concilio contra Petrum Lombardum definivit.*

Baronius denique exiſtimavit in hoc Concilio Lateranenſi delatam fuiſſe accuſationem adverſus Petrum Lombardum Epiſcopum quondàm Pariſienſem, quòd ſcripſiſſet, quod Chriſtus ſecundum quod eſt homo non eſt aliquid, quod probat ex literis Alexandri Papæ *ad Willelmum Archiepiſcopum Senonenſem*, quibus ei præcipit, ut ſuffraganeos ſuos Pariſiis convocet, & unà cum illis & aliis religioſis viris præſcriptam doctrinam ſtudeat *penitus abrogare*, quas literas refert Matthæus Paris anno 1179. dataſque ait Willelmo tunc Senonenſi Archiepiſcopo, qui tamen, ut demonſtrat Annotator Baronii, anno 1176. è Senonenſi Archiepiſcopatu ad Remenſem tranſlatus fuerat; ideoque Matthæus Paris Baronio, aliiſque errandi cauſa fuit. Certè *Magiſter Gualterus* Prior Sancti Victoris Pariſienſis contra Petrum Abaëlardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavinum ejus diſcipulum, & Gilbertum Porretanum quatuor

Digitized by Google

quatuor libros compoſuit, qui, ut obſervat Bulæus Tomo 2. Hiſt. Univerſitatis Pariſienſis pag. 402. extant MSS. in duobus exemplaribus aſſervatis in Bibliotheca Sancti Victoris, in quibus ait: *Hoc ſciendum quod Alexander Papa nuper in Concilio Romano paraverat nominatim illius* (nempe Petri Lombardi) *ſententias damnare, quarum argumentis & Arrii & Sabellii, & novorum hæreticorum errores recrudeſceret, ſc. quod Chriſtus nihil ſit ſecundum quod homo. Quidam verò Cardinalium cauſam Dei & fidei Chriſtianæ religionis, qua ſtamus & vivimus, alienis negotiis poſtponentes non rectè & reſpondentes dixerunt venerabili Papæ:* „ Domine „ alia majora ſuſcepimus tractanda. *Tunc Apoſtolicus*: Imò primum „ & maximum de fide & hæreticis agendum eſt. *Quod illi audientes* „ *egreſſi ſunt de conſiſtorio. Quidam etiam Epiſcopus Valenſis exivit cum* „ *illis dicens*: Domine Papa, Ego ei Eccleſiæ & Præpoſitus olim ſcho„ larum ejus defendam ſententiam magiſtri. *Quid plura; ceſſent putidæ ranarum garrulitates Apoſtolica Sede de Roma ita intonante & definiente.*

CXV. *Eum poſt Concilium damnavit.*

Refert poſtea literas Alexandri III Papæ, quibus conſtat, Pontificem poſt Concilium damnaſſe propoſitionem Petri Lombardi, quas literas quia breves & propoſito noſtro convenientiſſimas hîc exhibere abs re non erit: *Alexander Epiſc. S. S. D. V. Willelmo Remenſi Archiep. Apoſtolicæ Sedis Legato ſal. & Apoſt. bened. Cum Chriſtus perfectus Deus, perfectus ſit homo, mirum eſt qua temeritate quiſquam audet dicere, quod Chriſtus non ſit aliquid ſecundum quod eſt homo. Ne autem tanta poſſit in Eccleſia Dei abuſio ſuboriri, vel error induci; Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus convocatis magiſtris Scholarum Pariſienſium & Remenſium & aliarum circumpoſitarum civitatum, auctoritate noſtra ſub anathemate interdicas, ne quis de cetero dicere audeat, Chriſtum non eſſe aliquid ſecundum quod eſt homo. Quia ſicut verus eſt Deus, ita verus eſt homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Datum XII. Kal. Martii* anni 1180. vel ſequentis, nam XII Kal. Martii anni 1179. quo eas literas datas putat Bulæus pag. 431. Willelmus Remenſis Archiepiſcopus vel in via erat, vel jam Romam pervenerat, ut intereſſet Concilio ad quod vocatus fuerat, ideoque Alexander Papa Petri Lombardi propoſitionem non in Concilio, ſed poſt illud damnavit, ut etiam conſtat ex narratione Magiſtri Gualteri mox recitata.

CXVI. *Regium titulum Portugallia Principi concedit.*

Hoc eodem anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Alphonſus hujus nominis primus, qui ſedente Innocentio II Regium in Portugallia titulum ſumſerat, ab Alexandro III Regis titulum accepit, quo ab aliis Pontificibus Romanis nondum cohoneſtatus fuerat, ob res adversùs Saracenos præclarè geſtas. Hic cum antea ſub Lucio ſecundo, ut vidimus, provinciam ſuam vectigalem feciſſet Romanæ Eccleſiæ ſub annuo cenſu unciarum auri quatuor, rurſum hoc tempore obtulit reg-

SEC. XII. ALEXANDER III. num ſuum eidem Eccleſiæ, ſub cujus jugiter protectione conſiſteret, perſoluturum in perpetuum annis ſingulis loco censûs duas auri marchas. Diploma quidem Alexandri III, quo Alphonſo titulum Regis tribuit, non refert Baronius, ſed teſtatur illud extare in Turri, de Tumbo dicta, in qua aſſervantur monimenta Regum, datum anno Redemptoris 1179. Alexandri Papę vigeſimo, & eſſe præterea de iiſdem mentionem in Epiſtolis 144. 151. & 152. libri primi Regiſtri Innocentii III, qui in Epiſtola 99. juxta editionem Baluzii, juxta Baronium 100. ſcribens Portugalliæ Regi ait: *Ceterùm cum idem pater tuus uſque ad tempora felicis memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, Ducis eſſet nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, ut tam ipſe, quam ejus hæredes Regio nomine vocarentur.*

CXVII. *Procurat expeditionem in Terram Sanctam.* Anno milleſimo centeſimo octogeſimo cùm è Terra Sancta perlatum eſſet nuncium de Saladini Aegypti Principis tremenda expeditione adverſus civitatem Jeroſolymitanam; mox Alexander Papa ſcribens ad univerſos Chriſtianos Principes, populoſque, & Catholicæ communionis Antiſtites, eoſdem ad ſubſidium fidelibus Orientalibus ferendum ſummopere hortatus eſt. Cujus ea de re ſcriptas literas Rogerius Hovedenus in Annalibus recitat; additque confeſtim Philippum Regem Franciæ, qui Ludovico VII patri eodem anno mortuo ſucceſſit, & Henricum II Angliæ Regem promiſiſſe, eis brevi ſubvenire. Quo tempore Manuel Græcorum Imperator timens, ne in ſuum Imperium aliquid in tranſitu Franci molirentur, rogavit Alexandrum Pontificem, ut ſecuritatem ei *à protonobiliſſimo*, ut vocat, *Rege Francorum* procuraret, mitteretque cum ejus exercitu aliquem Cardinalem, cujus reverentiâ milites compeſcerentur. Hanc Manuelis Epiſtolam extare in Collectione antiquorum diplomatum, facta per Benedictum Papam duodecimum, aſſerit Baronius ad annum 1180. Cum autem Manuel die vigeſima ſecunda Septembris ejuſdem anni obierit, ea Epiſtola ante eum diem data, & Franciæ Rex antea exercitum pro Terræ Sanctę ſubſidio collegerat.

CXVIII. *Henrici Angliæ Regis filium Epiſcopatui renunciare cogit.* Cum Gaufredus Henrici II Angliæ Regis filius nothus electus fuiſſet Epiſcopus Lincolnienſis, & proventus reciperet, minus tamen quæ eſſent curæ Epiſcopalis cogitabat: quod cum accepiſſet Alexander Papa anno 1181. ſcripſit ad Richardum Cantuarienſem Archiepiſcopum, ut omni excuſatione poſtpoſita, eum compelleret electioni ſuæ, cui conſenſerat, renunciare, vel ſine dilatione Ordinem Sacerdotalem & Pontificalem officii dignitatem recipere. Verùm Gaufredus maluit electioni ſuæ renunciare, quam ſacris Ordinibus inſigniri, ut referunt Rogerius Hovedenus in Annalibus & Gervaſius Dorobernenſis in Chronico, qui ad annum 1181. ſcribit: *Reſignavit hoc anno Gaufridus, Regis Henrici filius ſed nothus, Epiſcopatum Lincolniæ, anno electionis ſuæ Octavo in*

manum

manum Ricardi Cantuarienſis Archiepiſcopi, & Regis patris ſui factus eſt Cancellarius.

CXIX. *Canonizationes Sanctorum Apoſtolica ſedi reſervat.*

Metropolitanos à ſeculo decimo, quo Pontifices Romani ſuam in ſanctis canonizandis auctoritatem interpoſuêre, uſque ad Alexandrum III antiquum morem quodammodo retinuiſſe, tum annuendo ſimul cum Papa Sanctorum elevationi & canonizationi; tum etiam ſola auctoritate utrumque pro ſua Eccleſia præſtando, ſcribit Mabillonius in præfatione Seculi V Benedictini num. 99. & ſeqq. quod quibuſdam exemplis probat, addens Alexandrum III id tanquam unam ex majoribus cauſis ad Romanum Pontificem pertinere edixiſſe. Idem ſcribit D. Phæbæus Scriptor mihi ignotus à Papebrocio, in Diſſertatione XX de ſolemnium canonizationum initiis atque progreſſibus, quæ extat in ejus Conatu Chronico-Hiſtorico, laudatus, & in eo fundatur, quia ſub Alexandri III nomine in 3. Decretalium per Bonifacium VIII collecto, tit. 45. *de Reliquiis & venerat. Sanct.* cap. *Audivimus*, præcipitur *ne liceat aliquem pro ſancto abſque auctoritate Romana Eccleſiæ venerari.* Quibuſdam enim diabolica fraude inductis ad venerationem hominis in potatione & ebrietate occiſi, more infidelium frequentandam ut Sancti, præcepit Alexander, *ut illum non præſumant de cetero colere*, & rationem reddit, *cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret ipſum pro ſancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.* Hæc verò loquendi formula, inquit Papebrocius loco laudato, decretum non facit, ſed factum, & vulgò notum ſupponit. Ibi etiam conjicit Papebrocius ſolam duorum vel trium ſeculorum conſuetudinem; ut maxime rationabilem, ſic facillime receptam, vim legis & decreti obtinuiſſe. Sed huic conjecturæ obſtat, quod licet plures ab exeunte ſeculo decimo reperiantur à Romanis Pontificibus factæ ſolemnes Sanctorum canonizationes, præſertim ſub Innocentio II, plures etiam eodem tempore reperiuntur Sanctorum elevationes à Metropolitanis factæ uſque ad annum MCLIII, quo Hugo Archiepiſcopus Rotomagenſis apud Mabillonium laudatum, de elevatione Sancti Gualteri Abbatis Pontiſarenſis literas dedit, in quibus Archiepiſcopus commemorat, *invitantibus, imò & cogentibus miraculis, miſſa ſuper hoc legatione & aſſenſu Magnifici Remorum Archiepiſcopi Samſonis & aliquorum Galliæ Pontificum*, Theobaldo Pariſienſi, ejuſque æquivoco Silvanectenſi præſentibus, Sancti Gualterii Reliquias à ſe levatas & tranſlatas fuiſſe, conceſſis inſuper indulgentiis in eorum gratiam, qui ipſius Sancti Gualterii beneficia implorarent. Sex itaque annis ante Alexandri III Pontificatum Metropolitani adhuc antiquam conſuetudinem ſervabant, elevandi ſeu canonizandi aliquando pios viros ſede Apoſtolica inconſulta. Quare veroſimile videtur, hanc cauſam Apoſtolicæ Sedi reſervaſſe Alexandrum, cum nulla poſt annum 1153. à Metropolitanis canonizatio facta aſſignari poſſit: unde Archiepiſcopus Vien-

 nenſis

SEC. XII. ALEXANDER III.

nenſis & ejus ſuffraganei anno 1231. poſtulantes à Gregorio IX canonizationem Stephani Dienſis Epiſcopi, anno 1213 defuncti, jus illud Romanæ Sedi reſervatum expreſſe agnoſcunt: *Quia nemo*, inquiunt, *Quantacumque meritorum prærogativa polleat, ab Eccleſia Dei pro ſancto habendus, aut venerandus eſt, niſi prius per Sedem Apoſtolicam ejus Sanctitas fuerit approbata*; revera enim jubere, ut quis à tota Eccleſia pro ſancto habeatur, ad eum tantummodo ſpectat, qui jus habet proponendi toti Eccleſiæ, quod credendum agendumve ſit in iis quæ ſunt religionis; ut procul dubio eſt Sanctorum Canonizatio, ut inquit Papebrocius ibidem.

CXX. *Moritur.*

Tandem Alexander III poſt digniſſimam Pontificatûs annorum unius ſupra vinginti, menſium undecim, & dierum viginti trium, à die electionis deductorum, functionem ex hac vita migravit anno 1181. non quidem XII Kalendas Octobris, ſeu die XX Septembris, vel ſexto Kalendas Septembris, ſeu die XXVII menſis Auguſti, ut legitur apud Baronium; ſed tertio Kalendas Septembris, ſeu die XXX menſis Auguſti, Sanctis Felici & Adaucto ſacra; nam in magno Chronico Belgico pag. 190. hæc leguntur: *Epitaphium ejus fuit.*

Hunc feſtis anxère ſuis Felix & Adauctus,
Cum quibus eſt Felix factus adauctus eis.

In die enim Sanctorum Felicis & Adaucti moritur diſcretus, & multa literatura præditus. Eumdem diem morti ejus aſſignant Joannes de Ceccano in Chronico & Annaliſta Mailroſenſis. *Tertia die intrante menſis Semptembris Alexander Papa obiit*, inquit Ceccanus. Mailroſenſis verò: *III Kalend. Septemb. obiit piæ memoriæ Alexander III Papa Pontificatûs ſui anno XXIII*, legendum, anno XXII, niſi dicamus hunc Annaliſtam annos Julianos utrimque incompletos pro completis numeraſſe. Obiit autem non Romæ, ſed *apud civitatem Caſtelli*, ut notavit Anonymus Caſſinenſis. Idem ſcribit Gaufredus Prior Voſienſis, qui hoc tempore vivebat, pag. 327. *Hebdomada ejuſdem menſis* (nempe Auguſti) *ultima, Alexander urbe Caſtellana decedens* (ſeu in urbe Caſtellana) *Lateranis tumulatur, anno ſui Papatûs XXIII*, ſeu potius XXII. Quo etiam ex loco confirmatur, quod diximus, eum obiiſſe die XXX Auguſti, qui concurrebat cum Dominica ultima ejuſdem menſis.

CXXI. *Ejus ſepultura, & ſedis duratio.*

Alexandrum in Baſilica Lateranenſi tumulatum docet etiam Joannes Diaconus Junior in lib. de Eccleſia Lateranenſi apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici pag. 569. *Alexander Papa III*, inquit, *jacet juxta pulpitum Eccleſiæ, vel juxta viam quando imus ad Curiam.* Cæſar Raſponus pag. 77. ait: *Aliquanto ſuperius portam, qua ibatur ad aulam Concilii, haud longe à veteri pulpito, ubi Epiſtola legebatur in marmoreo tumulo jacuit Alexander III*, qui, ut jamdictum eſt, ſedit annos XXI, menſes XI, dies XXIII, à die electionis deductos; nam ſi numeremus à die

con-

conſecrationis, ſupra annos & menſes, ſedit tantum dies X; ideoque deceptus eſt Robertus de Monte, quem ſequitur Victorellus in Notis ad Ciaconium, cum de eo ſcripſit: *Dedit etiam ei Deus hanc gratiam, quòd cum à Beato Petro uſque ad ipſum fuerint 174. Pontifices Romani, tres tantum præceſſerunt eum in numero annorum, quo Romanæ Eccleſiæ præfuerunt. Beatus Petrus ſedit 25. annis; Sylveſter primus 23. annis; Adrianus primus totidem;* ſolus enim Hadrianus primus Alexandrum III in diuturnitate ſedis ſuperavit, ut ex dictis manifeſtum eſt. SEC. XII. ALEXANDER III

Rectè tamen Robertus de Monte ejus eruditionem his verbis commendat: *Obiit Alexander Papa tertius, ad cujus literaturam pauci de prædeceſſoribus ejus in hoc centum annos attigerunt. Erat enim in divina pagina præceptor maximus, & in decretis & canonibus, & Romanis legibus præcipuus. Nam ultas quæſtiones difficillimas & graves in decretis & legibus abſolvit & ucleavit.* Decretales ſui temporis Epiſtolas in unum volumen redact *Conſulta Alexandri* inſcribi voluit, teſte Henrico de Gandavo, ſed d volumen non invenitur. Plures illius decretales inſertæ ſunt libris cretalium, à S. Raymundo juſſu Gregorii IX adornatis. Prior in antiquas Decretalium, à Bernardo Papienſi Præpoſito compilata, q Antonius Auguſtinus edidit, & Alexandri III. & Lucii III conſtitibus maximam partem conſtat. Ex iis etiam magna ex parte confecta ollectio illa, quæ Concilio Oecumenico Lateranenſi III, Appendiftar ſubjicitur ab Editoribus Conciliorum, quam Alano veteri Ju nonici Doctori tribuit Antonius Auguſtinus. CXXII. *Ejus eruditio.*

LUCIUS III Pontifex CLXXI.

Anno Domini MCLXXXI.

POſtquam Ganprior Voſienſis pag. 327. ſui Chronici ſcripſit, Alexandrum le hebdomada ultima menſis Auguſti, ſeu tertio Kalendas Septe qui dies anno 1181. concurrebat cum Dominica ultima Augudit: *Feria III eligitur Humbaldus, qui Pontifex erat Oſtiæ & Velitrbium. Sequenti dominica prima Septembris coronatur & inſignitudino Epiſcopo Portuenſi, & ab Archipresbytero Oſtienſi juxta conſu, & ab univerſo populo & Clero laudatur Lucius III, Lucenſ vocatus.* Hubaldus itaque, ſive Ubaldus, ſive Humbaldus Als, patria Lucenſis, Oſtienſis & Veliternenſis Epiſcopus, ſacrDecanus, vir ut ætate, ſic prudentia gravis, & vitæ anteactæ i conſpicuus, mediocris licet literaturæ, ut ſcribit Tyrius, Le Innocentii II in Galliis, Eugenii III, in Sicilia, & Alexandr Fridericum Imperatorem pro componenda pace, cum laude pe electus eſt Romanus Pontifex die prima *I. Lucius III eligitur & coronatur.*

P 3 menſis

Digitized by Google

SEC. XII. LUCIUS III. menſis Septembris, quæ cum feria tertia anno 1181. concurrebat, & ſequenti dominica, ſeu die ſexta ejuſdem menſis coronatus, non quidem Romæ, ſed *apud Vilitras ſeu Velitras*, ut obſervat Joannes de Ceccano, vel *apud Vellarum*, ut ſcribit Anonymus Caſſinenſis. Onuphrius in Adnotatione ad Vitam Alexandri à Platina ſcriptam dicit, in electione Lucii III, eam tunc primùm redactam fuiſſe ad Cardinales ſolos, Clero & omni populo à Pontificis electione excluſis, legemque ſalutarem in Concilio Lateranenſi, anno MCLXXIX celebrato latam *de duobus tertiis* ſuffragiorum Cardinalium, ad evitanda impoſterum ſchiſmata, executioni mandatam fuiſſe, quod dicit ſibi conſtare ex ejuſdem Pontificis diplomate apud ſe aſſervato. Vide hæc de re dicta in Nicolao II num. VII & in Innocentio II num. V.

II. *Conſecratur à duobus Epiſcopis & ab Archipresbytero Oſtienſi.* Porrò rectè dicit Gaufredus Prior Voſienſis Lucium inſignitum, ſeu Benedictum, aut conſecratum à Theodino Epiſcopo Portuenſi, & ab Archipresbytero Oſtienſi juxta conſuetudinem, quia cum conſecratio Romani Pontificis ſpecialiter pertineret ad Oſtienſem Epiſcopum, & ipſe Lucius eſſet Epiſcopus Oſtienſis, debuit ab alio conſecrari ſeu benedici, ſed cum aſſiſtentia Archipresbyteri Oſtienſis; Nam Cencius Camerarius, cujus Ordinem de electione & conſecratione Romani Pontificis in Cœleſtino III referemus, diſertè ſcribit: Romanus Pontifex *ab Epiſcopo Oſtienſi ſpecialiter & aliis Epiſcopis de Curia conſecratur, hoc addito quod ſi fortè Epiſcopus Oſtienſis præſens non fuerit, Archiſpresbyter Oſtienſis ſeu Veliternus intereſſe debet conſecrationi.* Iacobus item Cardinalis Cajetanus in Ordine Romano XIV apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici loquens de conſecratione ſeu benedictione, quæ dabatur Epiſcopo, qui in Papam electus erat cap. 14. ſcribit: Electus *ſedet in faldiſtorio in plano poſito inter altare & ſedem eminentiorem: & ibi coram ipſo veniunt Albanenſis, Portuenſis & Oſtienſis Epiſcopi, vel Archipresbyter Oſtienſis, ſi non ſit Epiſcopus. Qui Albanenſis dat primam orationem, ſcilicet*, &c. *Secundam Epiſcopus Portuenſis*, &c. *Tertiam Epiſcopus, vel Archipresbyter Oſtienſis* Et poſtea cap. 45. *Orationem primam dat Epiſcopus Albanenſis*, &c. *Secundam Orationem dat Portuenſis Epiſcopus*, &c. *Tertiam orationem dat Oſtienſis Epiſcopus, vel Archipresbyter, ſi deſit Epiſcopus.* Ideo autem Humbaldus dicitur Epiſcopus Oſtienſis & Veliternenſis, quia hæc Eccleſia Oſtienſi adjuncta fuerat ab Eugenio III.

III. *Ioannem ad Albas manus Archiep. Lugdun. Apoſtolica ſedis Legatum creat.* Cum ad Lucium III ſtatim poſt ſuam electionem, Joannes ad Albas manus Epiſcopus Pictavienſis, ad Archiepiſcopatum Narbonenſem ejuſdem Pontificis operâ electus, acceſſiſſet; vacante ſede primaria Lugdunenſi, à Clero electus, ab eodem Pontifice conſecratus eſt Archiepiſcopus Lugdunenſis, ut ſcribit Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum. Guilelmus verò de Brugis Ordinis Minorum, à patria *Brugenſis* cognominatus, Epiſcopus Pictavienſis, à Nicolao III dictus, Præſu-

Præſulum ſuæ ſedis Catalogum in tabulario antiquo Epiſcopatûs Pictavienſis aſſervatum, qui inſcribitur, *Galteri codex*, contexuit, in quo de Joanne *de Belleſmains*, ſeu ad Albas manus verba faciens, ait: *Anno gratiæ MCLXXXI in Archiepiſcopum Narbonenſem electus eſt, qui cum Romam pergeret, ut à Summo Pontifice Lucio confirmaretur, ab eo factus eſt Archiepiſcopus & Primas Lugdunenſis, & ob ejus eximiam eruditionem ab eodem in regno Franciæ creatus eſt Apoſtolicæ ſedis Legatus.* Hanc Joannis è Narbonenſi ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum tranſlationem cum accepiſſet Stephanus Tornacenſis, de ea gratulatus eſt Epiſtolâ 75. ad eum datâ: *Vidi nuper in tranſitu*, inquit, *cum Dominus Rex Toloſam me mitteret, frequentem & ferventem in illa terra* (ſcilicet in Septimania) *terribilem mortis imaginem, ſemirutos Eccleſiarum muros, ambuſta ſacrorum ædificiorum loca, fundamenta effoſſa, & ubi fuerunt habitacula hominum, inculta domicilia beſtiarum.* (quia nempe Cotarelli, de quibus eſt canon 27. Concilii Lateranenſis III, de quo ſuperius locuti ſumus, in Septimania graſſabantur:) *Contremui, fateor, & expavi, cum ad ea loca vos invitari audirem, in quibus etſi contingeret vos præeſſe, facile eſſet non prodeſſe. Audito tandem quod Rhodanuſia Sidonii* (id eſt Lugdunum) *vos vocaret, gaviſus ſum gaudio magno.* SEC. XII. Lucius III.

IV. *Scotiæ Regem ab excommunicatione per Legatum abſolvit.*

Anno 1180. Willelmus Scotiæ Rex contra Joannem cognomento Scotum Canonicè electum Epiſcopum Sancti Andreæ, per vim intruſit Hugonem capellanum ſuum, ſpreta appellatione Joannis ad Papam, & Legatorum Romanorum judicio, qui ab Alexandro III in Scotiam miſſi, pro Joanne ſententiam tulerant. Quod cum reſciviſſet Alexander III, Legationem Scotiæ committens Rogerio Eboracenſi Archiepiſcopo, mandavit ei, ut unà cum Hugone Dunelmenſi Epiſcopo, ſententiam excommunicationis proferret in Regem, & regnum illius interdiceret, niſi permitteret Joannem ſedere in pace. Quod cum Rex recuſaſſet, Legati Pontificii ſententiam excommunicationis in Regem protulerunt, & interdicti in regnum. Cumque hæc controverſia, vivente Alexandro III, ſopiri non potuiſſet, Willelmus Rex, poſt ejus mortem, miſſis ad Lucium III Pontificem nunciis abſolutionem ab eo impetravit. Miſit enim eo Lucius Rolandum Electum Dolenſem in Britannia Minori Epiſcopum, Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, Legatum ſuum, qui res ita cum Rege compoſuit, ut tam Hugo, quam Joannes renunciarent eidem Eccleſiæ Sancti Andreæ, & Joannes loco ipſius haberet Epiſcopatum Dunkeldenſem & alia nonnulla. Sed appellante Hugone ad Summum Pontificem, æque Lucius Epiſcopatum Sancti Andreæ utrique ademit, eumque poſtea Hugoni conceſſit, & Joanni Dunkeldenſem confirmavit; eaque controverſia plurium annorum ſpatio agitata, tam ſub Lucio III, quàm ſub Urbano III ejus ſucceſſore, demum ſub Clemente III ſopita eſt, quæ omnia diffuſius in ſuis Annalibus Anglicis proſecutus eſt Rogerius Hovedenus.

Anno

SEC. XII. Lucius III.

V.

S. Brunonem Signinum Epiſc. Cœlitum faſtis adſcribit.

Anno 1182. Lucius Pontifex Signiæ exiſtens Sanctum Brunonem Epiſcopum Signinum, pietate & doctrina clariſſimum, de quo Tomo ſuperiori non ſemel locuti ſumus, Cœlitum honoribus donavit; Signiæ enim hæc inſcriptio adhuc legitur: *Aeternæ memoriæ Brunonis, quem Lucius III Pont. Max. Cardinalium & Epiſcoporum Conventu Signiæ in Eccleſia Beatæ Mariæ, ubi defunctum corpus quieſcebat, inter Sanctos juſſit adſcribi anno ab ejus abſceſſu LVIII S. P. Q. S.* ideſt, Senatus populuſque Signinus, ideoque Bruno anno 1182. in Sanctorum numerum relatus eſt, cum obierit anno 1125. teſte Ughello Tomo 1. Italiæ Sacræ, & Angelo de Nuce in Notis ad Chronicon Caſſinenſe. Porrò Bruno poſtquam aliquot annos munus paſtorale geſſiſſet, Caſſinum migravit, ac religioſam vitam profeſſus, electus eſt Caſſinenſis Abbas. Verùm, ad populi poſtulationem, juſſus eſt à Pontifice Romano in Eccleſiam ſuam redire, in qua obiit. Varia ingenii ſui reliquit monumenta à Labbeo in Diſſert. de Script. Eccleſ. memorata, qui & obſervat, aliqua ex eis Sancto Brunoni Cartuſiani Ordinis inſtitutori fuiſſe adſcripta.

VI.

Roma exire cogitur.

Eodem anno 1182. ortum eſt grave diſſidium inter Romanos & Papam Lucium ſuper conſuetudinibus quibuſdam, quas cum prædeceſſores facere conſueviſſent, Lucius tamen juravit ſe nunquam facturum. Unde Romani indignati in eum inſurrexerunt, qui de loco in locum fugiens, caſtella ſua & civitates munitas adiit. Ad cujus defenſionem Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus, Imperatoris Cancellarius magno congregato exercitu advenit, & Romanos graviter afflixit: ſed ii veneno inficientes fontem, ex quo ille bibere conſueverat, ipſum cum plurimis aliis de medio ſuſtulerunt, & acrius Pontificem perſequi cœperunt, ut narrat Rogerius Hovedenus in Annalibus ad annum 1183. Sed hæc retrahenda videntur cum Sigonio lib. 14. de Regno Italiæ, ad annum 1182. quo refert, Romanos novo Pontificatu novum bellum moviſſe, ruſuſque ad Tuſculum exercitum adduxiſſe; ac Lucium III cùm ſe Romanis odio & contemptui eſſe animadverteret, Româ exiiſſe, proximiſque in locis ſubſtitiſſe. Joannes enim de Ceccano in Chronico Sigonio ſuffragatur, eaque refert ad annum 1182. *Indict. XV*, inquit, *Septimo Kalend. Junii à corpore puellæ viſibiliter in Eccleſia de Cannato B. Petrus dæmonium expulit. Romani venerunt ſuper Tuſculanum Kalendis Julii, ut eam caperent, ſed minime potuerunt. Interea Cancellarius* (nempe Imperatoris, ſc. Chriſtianus) *cum magno exercitu Alemannorum venit apud Tuſculanum, & Romanos ibi non invenit; ſed remanſit ibi cum exercitu, & cœpit valde infeſtare Romam & depradare. Tandem menſe Auguſto ibi mortuus eſt & ſepultus.* Hæc lucem accipiunt ex loco Chriſtiani hujus nominis II Archiepiſcopi Moguntini, qui anno 1250. florebat, à Serario in Hiſtoria Moguntina lib. 5. pag. 826. relato: *Obiit Chriſtianus juxta Romam. Graviter ægrotavit. Vicinus erat Summus Pontifex, qui Epiſ-*

copum

Digitized by Google

copum, ut proximaret, paternis literis hortabatur. Cumque Papa ad Archiepiſcopum veniſſet, langor intantum prævaluerat, ut patri ſancto aſſurgere non valeret. Facta ergo confeſſione ſummo Pontifici, de manu ejus communicationem ſanctam accepit, aliaque Eccleſiæ ſacramenta; & Dominus Papa factâ & dictâ indulgentiâ, in pace obiit, & Dominus Chriſtianus Deo animum reddens, mortem obiit. Certè anno 1182. Lucius Papa Româ jam exierat, Gaufredus enim Prior Voſienſis pag. 331. ad eum annum ſcribit: *Petrus Legatus Kalend. Auguſti apud Oſtiam præſente Papa Lucio deceſſit, & in cœnobio, quod vocatur Foſſa-nova tumulatur.*

SEC. XII. LUCIUS III.

VII. *Montis Regalis Eccleſiam in Metropolim evehit.*

Ineunte autem anno 1183. Lucium Papam Velitris commoratum eſſe demonſtrat ejus Conſtitutio ibidem, Nonis Februarii data, qua inſtituitur Archiepiſcopatus Montis Regalis in Sicilia. Quæ conſtitutio extat non tantum apud Rocchum Pyrrhum in Sicilia ſacra pag. 408. & ſeqq. ſed etiam in Bullario Caſſinenſi pag. 197. Ait in ea Pontifex, Willelmum Siciliæ Regem monaſterium in loco, qui dicitur *Mons Regalis* conſtruxiſſe, & *brevi tempore Templum Domino multa dignum admiratione* conſtruxiſſe, & in tantum redditibus, aliiſque rebus ampliaſſe, *ut ſimile opus per aliquem Regem factum non fuerit à diebus antiquis, & in admirationem homines adducat*: & à ſe petiiſſe, ut eumdem locum *dignitate Metropolica* donaret, ideoque ſe Willelmum Abbatem in ejuſdem loci Archiepiſcopum *propriis manibus* conſecrare ac decernere, ut ordo monaſticus in eodem loco conſtitutus ibidem inviolabiliter obſervetur: Epiſcopatum Catanenſem ei ſubeſſe ſe conſtituere, ac ei ſubjicere monaſterium *Maniacium* dictum, *quod illuſtris recordationis, Margarita glorioſa quondam Regina in diœceſi Meſſanenſi conſtruxit.* Conſtitutioni ſubſcribunt Cardinales quindecim, & in ejus fine legitur: *Datum Velletri per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Card. & Cancell. Nonis Februarii, Indict. 1. Incarnat. Dominicæ anno MCLXXXII, Pontificatûs verò Domini Lucii Papæ III anno ſecundo*, qui cum indictione prima concurrebat menſe Februario anni 1183. quem tamen Lucius vocat 1182. quia anni initium repetit à die XXV Martii. Unde Anonymus Caſſinenſis creationem hujus novæ Metropolis revocat ad annum 1183. eo enim anno ſcribit: *Lucius Papa apud Velletrum promovit Willelmum Abbatem Sanctæ Mariæ Regalis de Panormo in Archiepiſcopum Montis Regalis* Baronius in Addendis ad Tomum XII ſcribit, huic Metropoli ſubjectum poſtea fuiſſe Epiſcopatum Syracuſanum. De montis Regalis fundatione lege dicta in Alexandro III num. LXXXIV. Denique Lucium III anno 1182. apud Velletrum commoratum eſſe, oſtendunt duæ ejus Epiſtolæ à Rubeo in Hiſt. Ravenn. lib. 6. memoratæ, eoque anno Velitris datæ, prior quidem *Gerardo Archiep. Ravennati XII Kalend. Junii*, poſterior *Kalend. Julii.*

SEC. XII. LUCIUS III. Lucium Papam anno 1183. Romam iterum veniſſe, ut Romanorum animos ſedaret, ſed Romanos magis inſaniiſſe, eruitur ex Joanne de Ceccano in Chronico, & ex Guillelmo Nangio. Prior enim poſtquam ſub Indictione XV, ſeu ſub anno 1182. retulit Romanos veniſſe ſuper Tuſculanum Kalendis Julii, ideoque poſt primam ſeditionem ab iis contra Lucium Papam excitatam, ad Indictionem primam, ſeu ad annum 1183. ait: *Hoc anno menſe Aprili venerunt Romani ſuper Tuſculanum: XIII Kalendas Maii incenderunt. Palianum & Ferronem, Peneſtrum & ſic Romam reverſi ſunt. Poſtea Dominus Papa ivit in Lombardiam*, nempe Veronam, quæ in Lombardia ſita eſt. Nangius verò ad eumdem annum 1183. ſcribit: *Inter Lucium Papam & Romanos orta diſſenſione, idem Papa proturbatur ab Urbe, & multis laceſſitus injuriis à Romanis impetitur; nam multis qui erant ex parte Papæ eruentes oculos impoſuerunt eis mitras, & jurare eos fecerunt, quod Papæ ſe videndos taliter præſentarent: quo viſo Papa tot conflictus ferre non valens Veronæ ſe contulit, ſperans ſibi ab Imperatore Friderico auxilium proventurum.* Lucius autem Papa anno 1184. Veronam petiit, ut mox videbitur. Supponunt itaque iſti duo Chronographi Lucium anno 1183. fuiſſe Romæ; quod extra dubium ponere videtur Chronographus Aquicinctinus, qui de Friderici in Italiam adventu, qui contigit anno 1184. & de geſtis à Romanis adversùs Lucium Papam uno tenore loquens ad eumdem annum 1184. ſcribit: *Fridericus Imp. in Italiam proficiſcitur. Romani Lucium Papam parvipendentes & Clerum deſpicientes, magnum commiſerunt flagitium. Nam extra Urbem forte quoſdam Clericos invenientes comprehendentes, & omnes excæcaverunt, præter unum, quem ad Dominum Papam direxerunt. Quod intuens Papa ingemuit, & eos, qui hoc ſcelus perpetraverant, perpetuo feriens anathemate, cum ſuis exiit ab Urbe. Qui veniens Veronam, ibi reſedit uſque ad diem mortis ſuæ*

VIII. *Româ iterum exire cogitur.*

IX. *Veronam pergit.*

Lucius itaque Papa, qui feſtum Natalis Chriſti ejuſdem anni 1183. Anagniæ celebravit, teſte Gaufredo Priore Voſienſi capite ultimo ſui Chronici, inde Veronam profectus eſt; Anonymus enim Caſſinenſis in Chronico ad annum 1184. ſcribit: *Lucius Papa dimiſſo Comite Bertoldo ad defenſionem Campaniæ, per vallem Orbeti Veronam acceſſit ad colloquium cum Imperatore.* Ad eam urbem acceſſit menſe Julio, octavo quippe Idus ejuſdem menſis, dum per Bononiam tranſiret, ibidem dedicavit Baſilicam Sancti Petri, & tertio Idus Julii Mutinæ, Baſilicam Sancti Geminiani, ut ipſemet Lucius ait in literis Gerardo Archiepiſcopo Ravennatenſi eodem anno 1184. Veronæ *II Non. Septemb.* datis, quibus declarat, ſe ad ejus, *cui tanquam Metropoli ſunt ſubjectæ, inſtantiam*, Bononienſem & Mutinenſem Eccleſias dedicaſſe III & VIII Idus Julii, dum per Bononiam & Mutinam tranſiret. Eas literas recitat Rubeus lib. 6. Hiſt. Ravenn.

Non

Non multo poſtquam Lucius Papa Veronam pervenit, Fridericus quoque Imperator, rebus Germaniæ, per conventum in Pentecoſte habitum conſtitutis, pridie Kalendas Auguſti acceſſit. Concilio convocato, cui rato exemplo, Pontifex & Imperator interérant, de iis potiſſimùm rebus, quæ Chriſtianam ea tempeſtate premebant Eccleſiam, eſt relatum; nempe de contumacia Romanorum, bello Saracenorum, & Romanæ Eccleſiæ ditione; Romani ut hoſtes Eccleſiæ dito Senatûs conſulto notati. Chriſtianis laborantibus auxilia ſummitenda, omneſque ad eorum, qui quondàm Jeroſolyma receperunt, virtutem, pietatemque imitandam, excitandos eſſe decretum. Ita Sigonius, qui ſicut & Rubeus loco laudato ſcribit, conventum illum, ſeu Concilium Kalendis Auguſti celebratum. Quod ſi verum eſt, dicendum duraſſe uſque ad menſem Novembrem; nam Radulphus de Diceto in Imag. Hiſt. pag. 624. ad annum 1184. ait: *Quarto die intrantis Novembris conſidentibus Verona in Eccleſia majori Papa & Imperatore, Cardinalibus & plerſque Eccleſiæ Rectoribus, Ravennas in ſerie ſermonis ſui caſum & perditionem terræ Jeroſolymitanæ omnibus expoſuit, & ad ſuccurrendum in peccatorum remiſſionibus cujuslibet generis homines evocare curavit.* In eodem Conventu Imperator omni inſtantia interceſſit pro ordinatis à Schiſmaticis tempore Alexandri III Papæ, qui magno numero Veronam acceſſerant, ut Pontifex diſpenſaret cum eis. Qui cum id ſemel promiſiſſet, poſtea retractans reſpondit; cum ii in generali Concilio Venetiis habito ab ordinibus ſuſpenſi fuiſſent, non eſſe conveniens, ut id mutaretur, niſi in alio Cardinalium & Epiſcoporum generali Conventu, promiſitque ſe apud Lugdunum ea de cauſa Concilium habiturum. Poſt hæc verò egerunt Pontifex & Imperator de bonis Comitiſſæ Mathildis, quæ iſte Imperio, ille Eccleſiæ Romanæ, teſtamento relicta eſſe contendebant, & cum ab utraque parte probationes proderentur, res infecta permanſit. Quod autem Imperator valde urgebat Pontificem, ut filium ſuum Henricum coronaret Imperatorem, reſpondit Pontifex, non poſſe ſimul duos Imperatores regnare, nec filium coronari, niſi prius pater coronam depoſuiſſet. Hæc pluribus Arnoldus Lubecenſis in Chronico Sclavorum lib. 3. cap. 10. de rebus geſtis Veronæ inter Pontificem & Imperatorem, qui addit aliam interceſſiſſe colloquii cauſam, de electione Archiepiſcopi Trevirenſis, ad quam ſedem nuper vacantem, cum quidam Volcmarus, ſeu potius Folmarus prior à ſaniori parte electus eſſet, ac poſt eum à parte inferiori Rudolphus, & ſchiſmate facto Folmarus ad ſedem Apoſtolicam appellaſſet, & Rudolphus ad Imperatorem recurrens, inveſtituram ab eo accepiſſet; re Veronæ agitata, Pontifex pro Folmaro ſtetit ob Canonicam ejus electionem, Imperator pro Rodulpho propter electionis diſſenſionem. Sed res tunc ſuſpenſa perſtitit.

X. *Conventum ibidem ſeu Concilium cum Imperatore celebrat.*

SEC. XII. LUCIUS III.

XI. *In eo decretum edit contra varios hereticos.*

In eodem Conventu Lucius Pontifex Conſtitutionem edidit contra hereticos, quæ à Labbeo Tomo X. Concil. pag. 1737. refertur inter Epiſtolas Lucii III, ſed ex ejus lectione conſtat, eam eſſe partem conventûs, ſeu Concilii Veronenſis, in ea enim ait Pontifex: *Nos chariſſimi filii noſtri Friderici illuſtris Romanorum Imperatoris, ſemper Auguſti præſentia pariter & vigore ſuffulti, de communi conſilio fratrum noſtrorum, nec non aliorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, multorumque Principum, qui de diverſis mundi partibus convenerant contra ipſos hereticos, quibus diverſa vocabula diverſarum indidit profeſſio falſitatum, præſentis decreti generali ſanctione conſurgimus, & omnem hereſim, quocumque nomine ce ſeatur, per hujus conſtitutionis ſeriem, auctoritate Apoſtolica condemnamus. Imprimis ergo Catharos & Patarinos, & eos qui ſe Humiliatos, vel Pauperes de Lugduno, falſo nomine mentiuntur, Paſſaginos, Joſepinos, Arnaldiſtas perpetuo decernimus anathemati ſubjacere*, & cetera loco laudato legenda.

XII. *An Conventus ille inter Concilia numerari debeat.*

Baronius contendit hoc Colloquium, non poſſe dici Concilium, ſed mutuum duntaxat Conventum, quod ait perſpicue patere ex ejus Actis ab Arnoldo Lubecenſi laudato relatis, in quibus ait, Pontificem Imperatori petenti ut cum ordinatis à ſchiſmaticis diſpenſaret, reſpondiſſe, cum ii in Generali Concilio Venetiis habito ab ordinibus ſuſpenſi fuiſſent, non eſſe conveniens, ut id mutaretur niſi in alio Cardinalium & Epiſcoporum generali Conventu, & promiſiſſe ſe apud Lugdunum ea de cauſa Concilium habiturum; ex quo evinci videtur, hoc colloquium inter Concilia numerari non poſſe. Sed inde tantum inferri poſſe exiſtimo, hoc colloquium non tam numeroſum fuiſſe, quam Concilium Venetum, unde Lucius apud Arnoldum Lubecenſem Concilium Venetum vocat *Generale*, & reſpondet cauſam illam examinandum *in Cardinalium & Epiſcoporum Generali Collegio*, ideoque Conventus iſte rectè dici poteſt Concilium, ut obſervat Annotator Baronii, qui id probat, non ſolum ex eo quod Conventus & Colloquia, in quibus de rebus Eccleſiaſticis agitur, vel quibus Epiſcopi interſunt, paſſim ab Antiquis appellantur Concilia; ſed etiam quia Tancredus Bononienſis Archidiaconus, Auctor quintæ Collectionis decretalium, quæ continet Conſtitutiones Honorii Papæ III, ſub cujus Pontificatu floruit, in Collect. 3. decretalium cap. 2. de Reſtit. Spol. citatus ab Antonio Auguſtino in Notis ad Collect. I. decret. loquens de conſtitutione Lucii III, eo tempore edita, quo Veronæ cum Pontifice congreſſus eſt Fridericus Imperator, ait eam emiſſam eſſe *in Generali Synodo*; Tancredus autem, ut jam dixi, floruit ſub Honorio III, qui anno 1227. mortuus eſt, ideoque hoc colloquium in Collectionem Conciliorum prudenter inſertum.

Cum

Cum in Palæſtina res Chriſtianorum, ob frequentiſſimas Saladini incurſiones, in deterius prolaberentur, Lucius Papa Pontificatûs ſui initio, tam ad dictum Saladinum, quàm ad Saphadinum, ſeu Siſidin ejus fratrem Legatos & literas & miſit, quæ quidem non extant, ſed quarum mentio eſt in literis Saladini & Saphadini ad eumdem Pontificem datis, quas refert Radulphus de Diceto in Imag. Hiſt. pag. 621. Priorum hæc eſt inſcriptio: *Rex Salahadinus omnium Regum Orientalium potentiſſimus Domino Papa.* Initium verò: *Præſentata fuit nobis cartula de ſanctitate veſtra quoniam nos ſcimus & credimus quod ſitis in majori officio de hoc mundo, & ſcimus quod Deus vobis tantam gratiam dederit, ut ſedeatis in tanta magnitudine. Scimus autem quod omnes Chriſtiani Vobis obediunt & vos pertimeſcunt. Hæc cartula nobis data & præſentata fuit per manum Oliveri Vitalis veſtri Legati, & propter veſtrum honorem & timorem eum honoravimus, & quidquid facere potuimus diligenter fecimus, & ante nos in ſecreta camera venire fecimus....... Et quidquid veſtra cartula & prædictus Legatus locutus fuit de pace habere cum omnibus Chriſtianis, & ut omnes captivos dimitteremus, per omnia placuit nobis & gaviſi ſumus; & Chriſtiani qui ſub jugo veſtro ſunt dimittant omnes noſtros captivos, & nos omnes captivos Chriſtianos quos habemus noſtra benignitate dimittemus. Notum ſit veſtræ Magnitudini quod Chriſtiani qui à nobis detenti ſunt, ſunt gentiles & nobiles viri: ac milites noſtri, qui à Chriſtianis detenti ſunt, ſunt ruſtici & minimi ac viliſſimi homines: & ſi placet vobis nos appreciabimus captivos noſtros quos habemus, & Chriſtiani apprecient ſuos, & quæ pars minus habuerit ei reſtituatur ab altera.* Cetera ſecretiora præfato Olivero committit, in quem multum ſe confidere dicit, quia eum ſuper his bonam fidem habere cognovit.

SEC. XII. LUCIUS III. XIII. *Ad Saladinum ſcribit pro pace inter Chriſtianos & Saracenos Orient.*

Eodem tempore Lucius Pontifex Siſidin, à Marino Sanuto, aliiſque Saphadin appellatum, Saladini fratrem per literas, & Janum Dandulum Legatum convenerat, ut conſtat ex ejuſdem Siſidin Epiſtola, ab eodem Radulpho de Diceto ibidem recitata, in qua ſe dicit Regem *totius multitudinis Sarracenorum.* Epiſtola autem ſic incipit: *Lucio Dei gratia univerſali Chriſtianorum Papæ, excellentiori domino totius Chriſtianitatis, cujus ditioni omnis Chriſtianitas eſt ſubita, tanquam meliori amico quem habet in tota Chriſtianitate à Rege juſtitiæ Siſdin Domino totius multitudinis Sarracenorum hæc carta dirigitur. In nomine Domini piiſſimi & miſericordiſſimi recepimus literas veſtras...... per manus nuncii veſtri Jani Danduli, quem nobis juſſimus præſentari, & eum honoravimus & diligenter literas veſtras inſpeximus, & verba quæ ex parte veſtra nobis Legatus veſter retulit attentius intelleximus, ex cujus dictis accepimus veſtræ voluntatis exiſtere modis omnibus obſervare, quæ cum beatæ memoriæ prædeceſſore veſtro A.* (id eſt Alexandro Papa) *firmiter ſtabilivimus ſuper negotio inter Chriſtianos & Saracenos ad redemptionem omnium captivorum quos in noſtra*

XIV. *Item ad ejus fratrem Saphadinum.*

 ſervari

SEC. XII. LUCIUS III.

ſervari fecimus captivitate. Deinde poſt aliqua interpoſita: *Quod ſi Chriſtiani, qui habitant in Jeroſolyma cum Rege ſuo & in omni parte Tyri veſtris obedierint præceptis cum univerſa Chriſtianitate, & ordinationem inter nos factam ſervaverint ſecundum voluntatem pro facienda pace, & pro dimittendis captivis qui ſervantur in carceribus noſtris compediti, & nos obſervare promittimus ea omnia quæ ad iſtam faciendam pacem à nobis poſtulatis. Sed ſi præfati Chriſtiani de partibus Tyri & Jeroſolymæ veſtris præceptis non obedierint, nos immunes erimus à culpa, & quod pacem non ſervaverimus, nobis deinceps non poterit imputari; & Deus inſpector omnium reddet unicumque noſtrûm ſecundum opus ſuum,* &c. *Scripta fuit hæc carta pridie Kal. Aprilis anno Mahometi DLXXVIII. Gratias agimus Deo ſoli & Mahometo Prophetæ magno.* Is annus Mahometi ſeu Hegiræ inchoatur die ſexta menſis Maii anni 1182. & die vigeſima ſexta Aprilis anni inſequentis 1183. abſolvitur, quo ideo ultimo anno, die ultima menſis Martii hæc Epiſtola ſcripta.

XV. *Legatos Orient. ad Angliæ Regem mittit pro ſubſidio Terræ Sanctæ.*

Quid hæc conſecutum ſit, ignoratur, ſed certum videtur hæc nihil profeciſſe, cum anno 1184. coëuntes unà Principes cum Epiſcopis Orientis, legationem miſerint in Occidentem pro impetrando auxilio periclitantibus Jeroſolymis. Et primò adornata eſt legatio ad univerſalem promotorem ejuſmodi expeditionum, nempe ad Romanum Pontificem, cujus nutu reliqui Principes moveri ſolerent, impertienda ab eo remiſſione peccatorum loco militaris ſtipendii, qua quique fideles conſueviſſent magna frequentia ſacræ militiæ nomen dare. Venerunt ergo Legati ad Lucium Papam, à quo literis acceptis ad Anglorum Regem datis, cui pro pœnitentia necis Sancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, injuncta fuerat expeditio in Terram ſanctam, in Gallia & inde in Angliam trajecerunt anno 1185. ut narrant Galliæ & Angliæ Scriptores.

XVI. *E vivis excedit.*

Sed ad commune damnum & impedimentum promovendæ expeditionis acceſſit Lucii III Pontificis mors, quæ hoc eodem anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto Veronæ accidit die vigeſima quarta menſis Novembris, poſtquam ſediſſet *annos quatuor, menſes duos, dies octodecim*, à die ſexta menſis Septembris anni 1181. qua conſecratus fuerat, deductos; camdem enim ſedis durationem ei adſcribunt Wernerus in Faſciculo Temporum, Martinus Polonus, Auctor Magni Chronici Belgici, & unus ex catalogis Criticæ Baronianæ præfixis. Anonymus quidem Caſſinenſis in Chronico ſcribit, Lucium *apud Veronam* obiiſſe *VII Kalendas Decembris*, ſeu die XXV Novembris, ſed hic dies pertinet ad ejus ſepulturam, ut rectè notavit Radulphus de Diceto citatus pag. 629. *Lucius Papa*, inquit, *VII Kal. Decembris Verona ſepultus eſt*, hoc epitaphio ejus ſepulchro inſcripto.

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.

Immo

Digitized by Google

Immò Verona ded.t verum tibi vivere, Roma SEC. XII.
Exitium, curas oſtia, Luca mori. LUCIUS

Hoc epitaphium legitur in auctiori Ciaconio cum verbis ſequentibus: III.
Obiit S. Pater D. D. Lucius. Papa III. A. MCLXXXV. D. XXV. Novembris. Verùm hæc verba à poſterioribus ſuperaddita fuêre; nam Joannes Franciſcus Tinctus lib. 5. de Nobilitate Veronenſi cap. 2. illud refert ſine illa Chronologica clauſula, non quod illam omiſerit, ut arbitratus eſt Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico, ſed quod epitaphium in antiquis monumentis ſine ea invenerit. Unde ipſemet Onuphrius Panuinius, qui Veronenſis erat, licet eam clauſulam poſuiſſet lib. 7. Antiquitatum Veronenſium, in ultimo tamen ſuo Opere, nempe in Nota ad Vitam Lucii III à Platina editam, eam omiſit, utpote recèns appoſitam, ut oſtendit dies XXV Novembris poſitus loco, *VII Kalend. Decemb.*

VRBANVS III *Pontif. CLXXII.*

Anno Domini MCLXXXV.

I. *Vrbanus III fit Papa.*

Lucio Papa hujus nominis III, die XXIV Novembris anni MCLXXXV defuncto, & die ſequenti honorificè tumulato, eodem die electus eſt Lambertus, ſive Humbertus, vel Ubertus, vel Obertus Crivellus, Mediolanenſis antea Epiſcopus, Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Damaſo, & Urbanus hujus nominis III appellatus. Gervaſius enim in Chronico ad annum 1185. de Lucio ſcribit: *Veronæ ſepultus eſt, cui ſucceſſit incontinenti Mediolanenſis Archiepiſcopus, & Vrbanus appellatus eſt.* Id confirmat Radulphus de Diceto, qui poſtquam pag. 629. aſſeruit, Lucium *VII Kalendas Decembris* Veronæ ſepultum eſſe, ſubdit: *Humbertus Mediolanenſis Archiepiſcopus ipſa die Cardinalium aſſenſu communi Papa creatus eſt, vocatus Vrbanus; Kalendis Decembris coronatus eſt in Eccleſia Sancti Petri montis in ſupercilio collocata.* Anonymus Caſſinenſis in Chronico ad annum 1185. relata Lucii morte, ait: *Archiepiſcopus Mediolanenſis in Papam Vrbanum ſubſtitutus eſt.* In Catalogo Archipresbyteri Metropolitani Eccleſiæ Mediolanenſis apud Puricellum in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 605. legitur, eum, Leonis IX, ac Alexandri II exemplo Archiepiſcopatum retinuiſſe, & ibidem pag. 1019. exhibetur inſtrumentum anno 1178. exaratum, in quo memoratur Obertus Crivellus, ipſius Eccleſiæ Archidiaconus, qui poſtea ſub Urbani III nomine Pontifex Romanus fuit. Ex quibus ſolvitur dubium Papebrocii in Conatu Chronico-Hiſtorico de dignitate Archiepiſcopali Mediolanenſis Eccleſiæ ab Urbano III ante Pontificatum adepta, & evincitur Urbanum die XXV Novembris electum, dieque prima menſis Decembris, quæ cum Dominica concurrebat, coronatum eſſe.

Diſſidia

Digitized by Google

SEC. XII. URBANUS III.

II. *Ejus cum Friderico Imp. diſſenſionis cauſa.*

Diſſidia quæ inter Lucium III Papam & Fridericum Imperatorem exorta erant, ſub Urbano III ſunt continuata, quòd, ut ſcribit Arnoldus Lubecenſis in Chronico Sclavorum lib. 3. cap. 16. & ſeqq. Pontifex ut zelator juſtitiæ, pro defenſione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ agens, quæ ſui juris erant intrepidus requireret. Arguebat enim præcipuè de tribus Imperatorem, videlicet de patrimonio Comitiſſæ Mathildis, quod ab eo injuſtè detineri conquerebatur: deinde de ſpoliis Epiſcoporum morientium, quæ redigebat in fiſcum: poſtremò de ſtipendiis Abbatiſſarum, earumque diſperſione à ſuis monaſteriis, ſpecie reformationis, quarum in locum alias ad honorem Dei & religionis incrementum non ſubſtitueret, ſed proventus ſibi uſurparet. Quamvis autem has Pontificis reprehenſiones non libenter Imperator audiret, patienter tamen ſuſtinebat, quia de coronatione filii ſui Henrici in Imperatorem inſtanter agebat. Cum autem Pontifex Urbanus exemplo deceſſoris ſui Lucii, omnino recuſaſſet filium coronare, niſi prius pater ſe abdicaret, & Volmarum, ſeu Folmarum canonicè electum Trevirenſem Archiepiſcopum, contra ejuſdem Imperatoris voluntatem conſecraſſet: tunc demum excandeſcente Imperatore manifeſtiſſima inter eos facta eſt diſciſſio.

III. *Henricus Rex Germaniæ coronatur abſque conſenſu Papæ.*

Has ſolas diſſidii inter Papam & Imperatorem cauſas refert Arnoldus Lubecenſis, ſed alias adducit Chronographus Aquicinctinus ad annum 1186. *Urbanus Papa*, inquit, *& Imperator Fridericus inter ſe diſſentiunt. Multimoda fuerunt cauſa diſſenſionis. Præcipua quòd Patriarcha Aquileienſis, & quidam Epiſcopi interfuerunt, abſque conſenſu Papæ coronationi Henrici Regis* (filii Friderici Imp.) *die quodam ſolemni in Italia. Quos omnes Papa à Divino ſuſpendit officio.* Radulfus de Diceto in Imag. Hiſt. pag. 629. diem hujus coronationis nos docet: *Sexto Kalendas Februarii Viennenſis Archiepiſcopus Fridericum Imperatorem Romanum Mediolani coronavit. Eodem in die Aquileienſis Patriarcha coronavit Henricum Regem Teutonicum, & ab ea die vocatus eſt Cæſar. Quidam Epiſcopus Teutonicus coronavit Conſtantiam amitam Willelmi Regis Siculi generi Regis Anglorum*, quam eodem die Henricus Germaniæ Rex, Friderici Imp filius uxorem duxit, ut ex Gotefrido Viterbienſi notavit Baronius. Addit Radulphus hæc acta eſſe *in monaſterio Sancti Ambroſii.*

IV. *Urbanus PP. Folmarum Cardinalem creat & Epiſcopum Trevirenſem conſecrat.*

Alia, pergit Chronographus Aquicinctinus, diſſidii cauſa fuit, quod UrbanusPontifex Formoſum, ſeu potius Folmarum, ut Brovverus in Annalibus Trevirenſibus, ex Antiquis habet, *Electum Treverenſem canonicè ſabbato Sancto Pentecoſtes in Presbyterum Cardinalem, & craſtina die in Archiepiſcopum, contra votum Imperatoris conſecravit. Nam alter electus perperam fuerat* (nempe Rudolphus) *quem Imperator manu tenebat. His & aliis cauſis intercurrentibus inter Papam & Imperatorem in Italia pax turbatur.* Cardinalatûs porrò Folmari non meminit Oldoinus in Auctiori Hiſtoria Cardinalium. Præterea idem Pontifex Folmarum Legatum Apoſtolicæ ſedis

ſedis dixit, Auctor enim magni Chronici Belgici pag. 201. ſcribit: *Iſtis Papa Lucius auditis* (ſcilicet electione Folmari & Radulphi) *nihil determinavit. Cui Urbanus III Mediolanenſis ſucceſſit, cujus progeniem Imp. Fredericus, qui Mediolanum oppugnavit, univerſam oppreſſit; qui licet Imperator Folmarum ſe non admiſſurum juraſſet, tamen eum Papa approbavit, & conſecravit, Radulphum reprobando. Quid moror? Folmarus reverſus excommunicavit Radulphum & ſuos: econtra Henricus Rex, juſſu patris, fautores Folmari ſpoliavit, & domos eorum publicavit. Folmarus impetrato Legationis officio apud Moſanum Carram* (ſeu caſtrum Mouſomium, vel Moſomum, quod Moſæ adjacens Archiepiſcopo Remenſi tum parebat, ut inquit Brouverus) *ut Papa Legatus convocato Concilio & celebrato, Epiſcopum Tullenſem depoſuit, Petrum Virdunenſem excommunicavit.* Hoc ſchiſma Eccleſiæ Trevirenſis duravit uſque ad Clementis III Pontificatum, ut ibidem dicetur. SEC. XII. URBANUS III.

V. *Epiſcopi Germaniæ in Comitiis Imperii erga Pontificem male ſe gerunt.*

Hanc diſcordiam valde auxit Henricus Rex, Friderici Imperatoris filius, cum eodem tempore in Longobardia exiſtens, interrogato quodam Epiſcopo, à quo inveſtituram Pontificalem ſuſcepiſſet, & illo reſpondente, à Papa, poſt tertiò hinc inde repetitam ejuſmodi interrogationem ac reſponſionem, addente Epiſcopo, nihil ſe de regalibus Imperatoris poſſidere, ideoque nihil ei debere; Henricus indignatus præcepit ſervis ſuis eum pugnis cædere & in luto platearum conculcare. His addit Chronographus Aquicinctinus eumdem Henricum, *quemdam Urbani Papæ ſervientem & multas ſecum auri & argenti pecunias deferentem, obvium ex inſperato* habentem, *aurum & argentum* abſtuliſſe, & *in contumeliam Papæ naſum ei* præſcidiſſe. Rediens itaque Imperator in Germaniam, imprimis clauſit omnes vias Alpium, & omnium circumquaque regionum, ut nemo poſſet adire Sedem Apoſtolicam: Deinde explorans animum Philippi Archiepiſcopi Colonienſis, cui Pontifex legationem Germaniæ crediderat, utrum ſic interclusis Italiæ meatibus, vellet ipſe loco Pontificis omnium cauſarum cognitionem ac judicium ſuſcipere; cùm eum renitentem inveniſſet, relicto in Geleinhuſem reliquorum Epiſcoporum & Principum Conventu, ad infringenda, de quibus agebatur, Pontificia & Eccleſiaſtica jura, ſibique ea vendicanda; placuit Epiſcopis commonere Pontificem, ut pacem cum eo ſervaret, & quæ juſtè Fridericus exigeret, ei concederet. *Et ad voluntatem Imperatoris*, inquit Arnoldus Lubecenſis laudatus, *ſcripta eſt Epiſtola ſignata bullis Epiſcoporum omnium & perlata ad Dominum Papam. Qui cum legiſſet Epiſtolam obſtupuit de immutatione Epiſcoporum, quia ipſe cauſam pro eis videbatur ſumſiſſe, ipſi verò de cauſa cecidiſſe. Nec minus tamen in propoſito ſuo perſtitit, & veniens Veronam, Imperatorem legitime citatum excommunicare decrevit.* Verùm Urbanus toto anno 1186. quo hæc Epiſtola ſcripta, & potiori parte anni 1187. quo obiit Veronæ re-

 ſedit,

SEC. XII. URBANUS III. ſedit. Porrò Epiſtolam illam nobis conſervavit Radulphus de Diceto in Imaginibus Hiſtoriarum, ubi eam recitat ad annum 1186. pag. 631. qui tamen Brevitatis cauſâ Epiſcoporum ſubſcriptiones omiſit.

VI. *Urbanus PP. in Angliam Legatum mittit ad coronandum filium Regis, Hiberniæ Regem.*

Rogerius Hovedenus in parte 2. Annalium pag. 631. ait, Henricum Angliæ Regem miſſis ad Urbanum Papam nunciis, multa ab eo impetraſſe, quibus Lucius ejus prædeceſſor fortiter reſtiterat, quorum unum fuit, ut Rex quem vellet de filiis ſuis coronaret de regno Hiberniæ: *Et hoc confirmavit Dominus Papa bulla ſua, & in argumentum voluntatis & confirmationis ſuæ miſit ei coronam de penna pavonis auro contextam.* Tum pag. 634. ſcribit: *Poſt natale Domini Urbanus Papa miſit in Angliam Octavianum S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum* (legendum Diaconum) *Cardinalem, & cum eo Hugonem de Nunant* (Epiſcopum Dunelmenſem) *quibus ipſe commiſit legatiam in Hiberniam ad coronandum ibi Joannem filium Regis; ſed Dominus Rex Coronationem illam diſtulit.* Quare Legati receſſerunt, idem enim Auctor ſubdit; Regem *prædictos Legatos* duxiſſe *ſecum in Normanniam ad Colloquium inter ipſum & Philippum Franciæ Regem.* Hic porrò Octavianus, nobilis Romanus ex Subdiacono Apoſtolico à Lucio III Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi anno 1181. poſtea verò à Clemente III Epiſcopus Oſtienſis & Veliternenſis creatus eſt, ut legitur in Hiſtoria Cardinalium.

VII. *Ex dolore Jeroſolymitanæ cladis moritur.*

Urbanus Papa de procuranda Chriſtianorum Principum concordia, eorumque armis contra Infideles convertendis plurimum ſollicitus, cum Venetias comparandæ claſſis gratia proficiſceretur, nuncium accepit Ferrariæ de captione Jeroſolymorum, & vivificæ crucis & Regis Jeroſolymorum à Saladino, cujus cladis nuncio mœrore confectus, obiit Ferrariæ die decima nona menſis Octobris anni 1187. poſtquam ſediſſet *annum unum, menſes decem, dies viginti quinque*, à die ſuæ electionis deductos, & à Joanne de Ceccano, Martino Polono, Anonymo Caſſinenſi, Ptolomæo Lucenſi, Abbate Urſpergenſi, & aliis, memoratis. Eumdem diem morti ejus aſſignant Gervaſius in Chronico pag. 1510. Sigonius in Hiſt. de Regno Italiæ & Onuphrius in Chronico. *Urbanus Papa cum audiſſet, quod temporibus ſuis captus eſſet Rex Jeroſolymitanus, & Crux Dominica & civitas Sancta Jeruſalem; Doluit vehementer, & incidit in ægritudinem, & mortuus eſt decimo tertio Kalendarum Novembris apud Ferrariam*, inquit Rogerius Hovedenus, ubi loquitur de die ſepulturæ, quem Antiqui cum die mortis ſæpe confundunt. Hugo etiam Altiſiodorenſis, qui hoc tempore floruit; *Urbanus Papa*, ait, *cum tam flebilem rem audiſſet, nimis indoluit, & ex nimio dolore animi langueſcens poſt breve moritur, ſepeliturque in urbe Ferrarias, quo nuper advenerat de Verona. Ferrarienſes cives miram defuncto honorificentiam exhibuêre, & VII diebus ejus exequias cum immenſis luminaribus celebrarunt.* Nangius in Chronico ad annum 1187. *Tranſmarina calamitatis hiſtoria*,

inquit,

inquit, ubi per Occidentem inſonuit, gravi mœroris aculeo corda omnium ſauciavit. Urbanus verò Papa cum tam flebilem rumorem audiſſet, nimis indoluit, & ex dolore langueſcens, non multum poſt obiit, & in urbe Ferraria ſepelitur. Ex quibus patet deceptum eſſe Neubrigenſem, cum lib. 3. cap. 20. ſcripſit, Urbanum III è vivis exceſſiſſe, antequam de clade Chriſtianis Terræ Sanctæ illata nuncium accepiſſet. Scripſit Urbanus III quaſdam Epiſtolas quæ extant Tomo X Concil. & piam metaphraſim in pſalmum, *Miſerere mei Deus*, quæ extat Tomo I Bibliothecæ Patrum Margarini Bignæi. URBANUS III.

VIII. *Subdiaconatus ante hæc tempora inter minores Ordines numeratus.*

Subdiaconatum cum quatuor Minoribus Ordinibus, ſecundo, tertiove à Chriſto nato ſeculo inſtitutum eſſe ab Eccleſia, & primis illis ſeculis inter majores ſeu ſacros Ordines computatum non eſſe, nemo dubitat. Sed quo præciſe tempore inter ſacros & majores Ordines annumerari cœperit, in obſcuro eſt. Joannes Morinus in libro de ſacris Ordinationibus part. 3. exercit. 12. cap. 5. num. 7. exiſtimat *hoc fieri cœptum ante annos octingentos*, ſed refellitur ab Edmundo Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 8. art. 1. num. 6. ubi rectè notat, id factum nondum fuiſſe exeunte ſeculo undecimo, ſub cujus finem, hoc eſt anno 1091. Urbanus II Papa Concilio Beneventano præſidens decrevit, ut *nullus in Epiſcopatum eligatur, niſi in ſacris Ordinibus religiosè vivens, fuerit inventus, Sacros autem*, inquit, *Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia.* Sane, ſubdit Martene, tempore Hugonis à S. Victore, qui quinquaginta poſt præfatum Concilium annis florebat, nondum Subdiaconatus à minorum Ordinum claſſe emerſerat, nam in lib. 2. de ſacramentis part. 3. cap. 13. *Sacros*, inquit, *ordines Diaconatus & Presbyteratus tantum appellandos cenſent: quia hos ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe.* Quod idem docuit Philippus Abbas Bonæ Spei, qui ad annum 1180. vixiſſe creditur, ſiquidem in Tractatu de Continentia Clericorum cap. 107. hæc habet: *Hi duo, ſcilicet Presbyter & Diaconus ſacris ordinibus dicuntur inſigniti . . . . . . Sunt præter iſtos alii . . . . . . qui etſi gradum Sanctitatis habere non negantur, non tamen eorum ſacri Ordines appellantur*, inter quos primo loco recenſet Subdiaconos, deinde alios quatuor inferiores Miniſtros. Radevicus pariter Friſingenſis Canonicus, Ottonis Friſingenſis Epiſcopi Sacellanus, qui ejuſdem Chronico duos libros de Friderici Imp. geſtis adjecit, quique anno 1160 vivebat, lib. 2. cap. 16. loquens de Guidone filio Comitis Guidonis Blanderatenſis, quem Fridericus Imp. loco Anſelmi in Ravennate Eccleſia ſubrogari fecerat, ait: *Idem juvenis infra ſacros Ordines adhuc exiſtebat, & Clericus Romanæ Eccleſiæ pridem factus, ac in Subdiaconatu à Papa Hadriano* (hujus nominis IV) *conſecratus, nonniſi ejus conniventia & aſſenſu in aliam Eccleſiam transferendus putabatur.* Anno itaque 1160, quo Radevicus & Philippus Abbas Bonæ

SEC. XII. URBANUS III. Spei Ordinis Præmonſtratenſis florebant, Subdiaconatus minoribus & non ſacris Ordinibus adnumerabatur.

IX. *Majoribus & ſacris accenſitus videtur ab Vrbano III.* Non diu tamen poſt inter majores & ſacros ordines habitus eſt. Nam Petrus Cantor, qui obiit anno 1197. relatus ab Hugone Menardo in lib. Sacram. pag. 280. & à nobis in Pontificatu Pelagii II num. XXII laudatus, in libro de Verbo mirifico, ait: *De novo inſtitutum eſt Subdiaconatum eſſe Sacrum Ordinem.* Unde Concilium Dalmaticum anno 1191. celebratum canone 2. prohibet, *ne aliquis Epiſcopus niſi in quatuor Temporibus, juxta Sanctorum Patrum Conſtitutionem aliquem ad ſacros ordines promovere præſumat. Solus Romanus Pontifex Dominicis diebus Subdicanos ordinare poteſt.* Ex quo ſequitur, Subdiaconatum tunc numeratum fuiſſe inter Ordines ſacros. Martene ibidem ſcribit, Innocentium III in lib. Decretalium cap. *Miramur*, hoc inſtitutum acceptum referre Urbano II. Sed eo in capite Innocentius non loquitur de hoc Pontifice, ait enim de Subdiaconatu: *Nam licet ſacer Ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva, tamen à Conſtitutione Gregorii, atque Urbani ſecundum moderna tempora ſacer gradus eſſe minime dubitatur*, quæ verba cur potius de Urbano II, quam de Urbano III intelligi debeant, non video, niſi dicamus Innocentium III, ibi velle Subdiaconatum paulatim à minoribus Ordinibus ſeparari & majoribus ac ſacris accenſeri cœpiſſe à tempore Conſtitutionis Gregorii Magni, qui anno 591. prohibuit, ne impoſterum quis ordinaretur Subdiaconus, niſi continentiam ſervare Epiſcopo ſpopondiſſet, ut conſtat ex Epiſtola 42. libri primi ejus Regiſtri; quam conſtitutionem innovavit Urbanus II in Concilio Melphitano anno 1089. canone 3. & in Concilio Romano 3. anno 1099. canone 14. Verum quidem eſt Innocentium eodem lib. 1. Decretal. cap. *à multis multoties*, citare conſtitutionem Urbani II, *Erubeſcant impii*, in qua ait, *eos qui in ſacris Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu & Subdiaconatu ſunt poſiti* &c. ex quo ſequi videtur tempore Urbani II hunc ordinem inter ſacros fuiſſe recenſitum, ſed verba ejuſdem Conſtitutionis, *Erubeſcant*, immediate ſequentia, *ſi caſte non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate*, manifeſtè oſtendunt ibi Subdiaconatum numerari cum Diaconatu & cum Presbyteratu inter Ordines ſacros, ſolùm per reſpectum ad continentiam, quia, ut in laudata decretali, *à multis multoties*, ait Innocentius, *ad ſimilitudinem Diaconi & Presbyteri, Subdiaconus debet continentiam ſervare, ſicut & in ſexta Synodo conſtitutum eſt*, &c. Revera autem Urbanum II ita intelligendum, demonſtrat ejus decretum in Concilio Beneventano editum, de quo numero ſuperiori locuti ſumus, & evincitur ex teſtimoniis Hugonis Victorini, Philippi Abbatis Bonæ Spei & Radevici, qui omnes viventes poſt Urbanum II, ſcribunt tamen Subdiaconatum nondum inter ſacros Ordines fuiſſe recenſitum. Cum itaque id accidere tantum potuerit poſt annum

num 1160. quo Phillippus Abbas Bonæ Spei & Radevicus vivebant, & ante annum 1197. quo Petrus Cantor obiit, ſi hæc innovatio alicui Urbano Papæ ſit attribuenda, nulli alteri convenire poteſt, quam Urbano III defuncto decennio ante Petrum Cantorem, qui diſerte aſſerit, *de novo inſtitutum eſſe Subdiaconatum ſacrum ordinem*; & quadriennio ante Concilium Dalmaticum, cujus canonem ſecundum mox citavimus. SEC. XII. URBANUS III.

GREGORIUS VIII *Pontif.* CLXXIII.

Anno Domini MCLXXXVII.

POſtridie mortis Urbani III, die ſcilicet vigeſima menſis Octobris anni milleſimi centeſimi octogeſimi ſeptimi Albertus, patria Beneventanus, ab Hadriano IV in Cardinalium collegium adſcitus, & Apoſtolicæ Sedis Cancellarius ab Alexandro III creatus, quem *virum plane & ſapientia & vita ſinceritate conſpicuum, æmulationem Dei habentem in omnibus ſecundum ſcientiam* prædicat Willelmus Neubrigenſis, electus eſt in Romanum Pontificem, & Gregorii VIII nomen ſumſit. Sed audiendus Hugo Altiſiodorenſis, qui hoc tempore floruit, quique narrata Urbani III morte, ſubdit: *Poſt eum Albertus Cancellarius ſubſtituitur & Gregorius VIII vocatur, vir litteraturâ, facundiaque clarus, ſed puritate vitæ & animi integritate præclarior, ſuique corporis vehemens caſtigator.* Conſecratus autem eſt die vigeſimo quinto Octobris, qui erat Dominicalis, nam Radulphus de Diceto pag. 636. ait: *Albertus genere Beneventanus, Eccleſiæ Romanæ Cancellarius, Urbano III defuncto Papa creatus* (ideſt conſecratus) *VIII Kal. Novembris vocatus etiam Gregorius VIII*, antea enim erat Presbyter Cardinalis tituli Sancti Laurentii in Lucina. I. *Gregorii VIII. electio & virtutes.*

De ejus electione multum lætatus eſt Fridericus Imperator, nam idem Hugo Altiſiodorenſis pergit: *Audita ejus promotione lætatus eſt ad modum Fredericus Auguſtus, eò quod virum diſcretum & juſtitiæ zelatorem cognoſceret, ſibique benevolum in omnibus, ſi diu viveret, profuturum. Præcepit quoque Principibus & Præfectis omnem ei reverentiam impendere, & tranſeunti per terram ſuam de fiſco ſuo victualia miniſtrare. Pontificali itaque dignitate ſuſcepta, vir Dei penſare cœpit attentius, qualiter labenti rerum ſtatui ſubveniret. Videlicet nempe ſui temporis Eccleſiam per vitia diffluam & in maligna prolapſam, ambitioneque & avaritia, luxuriaque nec non hæreſibus, quaſi quibuſdam peſtilentiſſimis hoſtibus, vineam Domini totam fere jam eſſe depaſtam. Hoc meditabatur die ac nocte, hæc ejus cura, hoc ſtudium, ut ſui negligens viveret omnibus, ut per eum, cooperante Domino facies Eccleſiæ marcida refloreret.* Multum doluiſſe Gregorium Papam de amiſſione Jeroſolymorum docet Guillelmus Neubrigen- II. *Ejus zelus pro Eccleſiæ bono.*

ſis,

SEC. XII. GREGORIUS VIII. ſis, qui narrata Urbani III Papæ morte, ſubdit, Gregorium maturè ſubſtitutum, *qui venerabilis Pontifex triſti nuncio perculsus ingemuit, & vi doloris anxius tam enormem Chriſtiani nominis jacturam inconſolabiliter deploravit.*

III. *Gregorius pro liberatione Terræ Sanctæ valde ſollicitus eſt.*

Licet Gregorius VIII pauco tempore ſederit, digna tamen pietatis ſuæ monimenta reliquit; imprimis pro Terræ Sanctæ ſubſidio, ſtatim enim poſt ſuam conſecrationem, quarto ſcilicet Kalendas Novembris, encyclicas per totum orbem Chriſtianum literas doloris plenas, ob amiſſam Jeroſolymam, & exhortatorias pro recuperando Sancto Sepulchro miſit; quibus Indulgentiam plenariam concedit peregrinantibus ad liberationem Sancti Sepulchri; quas literas recitant Rogerius Hovedenus in Annalibus, & Neubrigenſis lib. 3. cap. 20. Eodem die alias adjecit Ferrariæ itidem, ſicut priores, datas, quibus ad placandum offenſum numen, indixit omnibus jejunium quinquennale, ita ut toto eo tempore, cuncti fideles, ſaltem per omnes ſextas ferias, jejunium quadrageſimale obſervarent; feria autem quarta & ſabbato à carnibus abſtinerent; ipſe verò Pontifex & Cardinales ſecunda quoque feria cum familiis ſimiliter ab eſu carnis ceſſarent; hocque adeo ſtatuit obſervandum, ut quicumque transgreſſor exiſteret (niſi forte infirmitas, aut magna ſolemnitas, vel alia evidens cauſa intercederet) quaſi prævaricator Quadrageſimalis jejunii haberetur.

IV. *Cardinales pro eadem cauſa multa laudabilia ſtatuunt.*

Sed & de prompto animo S. R. E. Cardinalium, ut ſuccurrerent Terræ Sanctæ, idem Rogerius hæc refert admiratione digna: nimirum eos, de aſſenſu Papæ inter ſe firmiter promiſiſſe, quòd abjectis omnibus divitiis & deliciis, prædicarent Crucem Chriſti non ſolum verbo, ſed etiam opere & exemplo; & euntes mendicando acciperent Crucem primi & præcederent alios in terram Jeruſalem. Statuiſſe etiam de ejuſdem Pontificis aſſenſu firmiſſimam treugam, ſeu inducias inter omnes Principes Chriſtianos uſque ad ſeptennium; ita ut quicumque bellum contra Chriſtianum medio tempore moverent, maledictioni Dei & Summi Pontificis, & excommunicationi omnium Prælatorum univerſalis Eccleſiæ ſubjacerent. Firmiter item inter ſe promiſiſſe, quòd nulla deinceps munera reciperent à quoquam, cui negotium eſſet apud Apoſtolicam ſedem; ſed ea tantum recipere poſſent, quæ pro ipſorum neceſſitate & ſuſtentatione donata, vel miſſa forent: ac deniquè quòd non conſcenderent equum, quandiu terra, in qua pedes domini ſteterant, foret ſub pedibus hoſtium. Ita Rogerius. Quo ex loco, ut id obiter notem patet, jam tunc maximam fuiſſe ſacri Cardinalium Collegii auctoritatem; cùm, aſſentiente Papa, inducias inter Principes Chriſtianos ſtatueret; & omnia negotia, quæ apud Apoſtolicam Sedem agitabantur, ab ipſo deciderentur.

Poſt

V. *Gregorius VIII moritur Piſis.*

Poſt hæc optimus hic Pontifex Piſas profectus eſt, Piſanos & Januenſes diu diſſidentes conciliaturus, & ad ſacram expeditionem pariter ſuſcipiendam fœderaturus. Franſciſcus enim Maria Ceſtinius, in Academia Piſana primarius Juris civilis Profeſſor apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hiſtorico, teſtatur, hanc brevem in antiquo MS. notitiam de Gregorio VIII adhuc reperiri: *Anno MCLXXXVII aſſumptus fuit ad Pontificatum Gregorius VIII, qui cum Piſas veniſſet, ut pacem conciliaret inter hanc civitatem & Genuenſem, ſecundo menſe Pontificatûs ſui animam Deo reddidit in hac eadem civitate Piſana & fuit ſepultus in Cathedrali, intra grandem ex candido marmore arcam, iis temporibus ſatis pulchram, in capella Deiparæ incoronatæ, cum funebri pompa, qualem conveniebat mortuo Pontifici à civitate, tunc potentiſſima: quæ arca, ſeu malis appellare tumba, hodie ſpectatur ad manum dexteram majoris Eccleſiæ intrantibus per portam Regiam.* Verùm hæc arca videri deſiit, cum anno MDC templum conflagraſſet, ut ait ibidem Papebrocius, qui addit, apud ſe extare alium codicem mſ. in quo de Gregorio VIII legitur: *Hic zelando pro Terra Sancta, ad diverſas provincias mittit literas, & facta pace inter Januas & Piſas, Piſis mortuus ſepelitur.* Idem denique ſcribit Nangius in Chronico ad annum 1187. ubi narrata Urbani III morte ſubdit: *Cui Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſeptuageſimus ſeptimus Gregorius Octavus, Natione Beneventanus ſucceſſit. Sed cum poſt duos menſes Piſam veniſſet, & inter Piſanos & Januenſes diſcordantes concordiam reformaſſet, atque ad ſubventionem urbis Jeruſalem totis viribus inhiaſſet, proh Dolor! inſtanti natali Domini rebus humanis eximitur & apud eamdem urbem honorificè ſepelitur.*

VI. *Obitus ejus dies, & ſedis duratio.*

Quod attinet ad diem mortis Gregorii VIII, notatur is in brevi Chronico Piſano, quod Tomo 3. Italiæ Sacræ repræſentatur ab Ughello, in quo legitur: *Gregorius Papa VIII ingreſſus urbem Piſanam, receptus ab iiſdem Piſanis cum magno honore IV Idus Decembris, & mortuus eſt Piſis XVI Kalend. Januarii*, ſeu die XVII menſis Decembris. Eumdem diem notavit Gervaſius Dorobernenſis in Chronico: *Papa Gregorius*, inquit, *XVI. Kal. Januar. ex inopinato defunctus eſt.* Idem denique ſcribit Annaliſta Mailroſenſis. Gregorius itaque VIII Pontifex immortali vita dignus, hominem exuit Piſis die XVII menſis Decembris anni 1187. poſtquam, Bromptono, Joanne de Ceccano & Martino Polono in Chron. teſtibus, *menſe uno diebus XXVII* Eccleſiæ præfuiſſet. Variæ ejus Epiſtolæ extant Tomo X Concil. & quædam ejus geſta ac monumenta Græco Latine cum ſcholiis edidit Gerardus Voſſius.

CLE-

CLEMENS III *Pontif. CLXXIV.*

Anno Domini MCLXXXVII.

I.
Clemens III eligitur & coronatur.

ROmanam ſedem, poſt Gregorii VIII mortem, vacaſſe dies viginti, omnes poſt Baronium paſſim ſcripsêre, ex Rogerio Hovedeno in Annalibus, ideoque arbitrati ſunt, Clementem III ejus ſucceſſorem, anno tantum 1188. die Epiphaniæ electum & coronatum. Verùm Annotator Baronii obſervavit, longum illud inter-pontificium commentitium eſſe; Gervaſius enim, Matthæus Paris & Guillelmus Nangius Gregorii VIII mortem & Clementis III electionem ad annum 1187. revocant, quod idem faciunt Radulphus de Diceto & Annaliſta Mailroſenſis. Sed quia dici poſſet, hos Auctores Gregorii mortem & Clementis electionem uno tenore referre, licet Gregorius obierit anno 1187. & Clemens electus ſit anno 1188. audiendus Radulphus de Diceto, qui non ſolum annum, ſed & diem electionis Clementis III refert ad eumdem annum 1187. Gregorius *cum ſediſſet duobus menſibus diem clauſit extremum. Subſtitutus eſt ei Paulus Præneſtinus Epiſcopus, genere Romanus vocatus Clemens tertius XIV Kal. Januarii.* Annaliſta verò Mailroſenſis præter diem electionis, coronationis etiam diem exprimit: *XVI Kal. Januarii obiit Gregorius Papa VIII, & XIV Kal. ejuſdem electus eſt Clemens IV, & in craſtino conſecratus,* nempe die vigeſima menſis Decembris quæ cum Dominica concurrebat. Auctor brevis Chronici Piſani apud Ughellum Tomo 3. Italiæ Sacræ diem etiam *XIV Kal. Januarii* electioni Clementis aſſignat, & Matthæus Paris diem decimum tertiùm Kalendas ejuſdem menſis ſurrogationi, ſeu coronationi Clementis.

II.
Appellandus Clemens III non IV.

Paulus itaque Præneſtinus Epiſcopus & Cardinalis, natione Romanus die decima nona menſis Decembris anni 1187. electus Romanus Pontifex Piſis, & ſequenti die coronatus, Clemens III appellatus eſt. Annaliſta quidem Mailroſenſis eum Clementem IV appellat, quia Guibertus Antipapa Clementis III nomen ſumſerat; ſed præterquam quod Guibertus non numerandus inter Pontifices Romanos, quippe cum magno Eccleſiæ ſcandalo, viventi Gregorio VII legitimo Pontifici ſacrilegè ſuperinductus; ex bullis hujus Clementis patet, ſe ipſum vocaſſe Clementem III. Unam exhibet Ughellus Tomo 4. col. 673. ita ſubſcriptam: *Datum Laterani per manum Moyſi S. R. E. Subdiaconi, vicem agentis Cancellarii IX Kal. Julii, Indict. VIII, Incarnationis Dominicæ MCXC, Pontificatûs verò Domini Clementis Papæ III anno III.* Disertè etiam dicitur Clemens III à Radulpho de Diceto, à Matthæo Paris, à Guillelmo Nangio, à Chronographo Reicherſpergenſi, ab Auctore brevis Chronici Piſani laudato, & aliis.

Clemens

Digitized by Google

Clemens Pontifex ſtatim poſt ſuam electionem indictam à deceſſore ſuo Gregorio expeditionem in Terram Sanctam ad perfectum ducere laboravit, & indulgentiam confirmavit, ſtatuens, ut quicumque ea de cauſa ſacram Crucem ſuſciperet, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confeſſus eſſet, liber & abſolutus eſſet. Idemque ſtatuit, ut ab univerſa Eccleſia fieret ſine intermiſſione oratio ad dominum pro pace & liberatione Jeruſalem, & Chriſtianorum captivorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur. Hæc Rogerius Hovedenus, qui & præſcriptam tunc ab eodem Pontifice inter miſſarum ſolemnia dicendarum per ſingulos dies precum formam recenſet. Eam in rem miſſus eſt à Clemente in Gallias Legatus Henricus Cardinalis Albanenſis Epiſcopus, qui excommunicationis ſententia perculit Richardum Comitem Pictavienſem, filium majorem natu Angliæ Regis, cujus occaſione pax quæ fuerat inter Reges ſancita, turbata eſt. Eodem tamen anno 1188. *Fridericus Imperator accepta Cruce de manu Henrici Albanenſis Epiſcopi Cardinalis, ſicut prudentem & circumſpectum decebat, ſatis provide ſibi & itineri ſuo neceſſaria providebat. Imprimis enim reconciliavit ſe Deo & Sanctæ Eccleſiæ, & Clementi Romano Pontifici*, inquit idem Rogerius.

SEC. XII. CLEMENS III.

III. *Expeditionem in Terram Sanctam promovet.*

Controverſia, quæ verſabatur inter Joannem cognomento Scotum, & Hugonem Capellanum Willelmi Scotiæ Regis pro Epiſcopatu Sancti Andreæ, de qua in Lucio III locuti ſumus, anno tandem 1188. à Clemente III ſopita eſt: Hugonem enim, quem ad tribunal Apoſtolicum Urbanus III vocaverat, ut quæ inter eum & Joannem intercedebat, controverſia dirimeretur, ob contumaciam & contemptum Sedis Apoſtolicæ depoſuit, & Joanni Epiſcopatum confirmavit. Plures hac de cauſa ſcripſit Epiſtolas ad Willelmum Scotiæ, ad Henricum Angliæ, Reges, ad Clerum Epiſcopatus Sancti Andreæ & ad omnes Scotorum Epiſcopos, quibus præcepit, ut niſi Rex judicio Sedis Apoſtolicæ pareat, in ejus regnum, perſonam, fautoreſque omnes, interdicti ſententiam ferant, & eos, qui Hugoni poſt excommunicationem paruerint excommunicatos denuncient. Has Epiſtolas deſcribit Rogerius Hovedenus in Annal. Anglic. pag. 646. & ſeqq.

IV. *Controverſiam de Epiſcopatu S. Andreæ in Scotia dirimit.*

Præter expeditionem in Terram Sanctam aliud maximi momenti negotium confecit Clemens Pontifex. „ Perpetua, inquit Onuphrius Panvinius in Adnotatione ad Vitam Clementis III, per annos plus minus „ quinquaginta, inter populum, Pontificeſque Romanos, ab Innocentio „ II uſque ad Clementem III diſcordia civilis fuit, regiminis Urbani occaſione excitata: cum populus Romanus, Pontifice ſuo Urbis adminiſtratione ſubmoto, Senatores, qui Reipublicæ præeſſent, cum Patricio quodam ſumma cum auctoritate creaſſent, ut Otto Friſingenſis Epiſc. lib. Hiſt. 7. & lib. I de Geſtis Friderici Imp. & Abbas Urſpergenſis, item Vitarum Pontificum incerti nominis Scriptor Bibliothecæ

V. *Cum Romanis pacem facit.*

SEC. XII. CLEMENS III. ,, thecæ Palatinæ auctores ſunt. Ex cujus rei occaſione Innocentius II & ,, Cœleſtinus II animi dolore defecerunt, Lucius II pene eſt interfectus. Eu- ,, genius III, Alexander III & Lucius III Urbe pulſi, Urbanus III & Gre- ,, gorius VIII exules fuêre: donec noviſſime tanti diſſidii utraque parte ,, pertæſa, populus Romanus cum Pontifice populari ſuo Clemente III ,, pacem æquis conditionibus fecit, Senatoribus confirmatis, Patricii ,, verò loco Præfecto, quem magiſtratum aboleverat, refecto. Hujus ,, pacis fœdera & conditiones cum omnibus ſubſcriptionibus ex libris ,, cenſuum Cameræ Apoſtolicæ excerptæ apud me ſunt. Diuturna dein- ,, de quies & tranquilla Eccleſiæ tempora fuerunt. Ita Onuphrius de Antiquitate Eccleſiaſtica optime meritus.

VI. *Quibus conditionibus.* Rogerius Hovedenus in Annalibus nos docet Clementem III poſt ſuam electionem, ſine ulla mora Legatos ſuos, ad cives Romanos miſiſſe, ut inter ſe & illos pax reformaretur, & aſſerit illam diſcordiam maxime eveniſſe propter Tuſculanam civitatem, quam Romani, ut eam ſibi ſubjicerent, bello inſatiabili impugnabant. Legatis itaque cum Romanis de hoc puncto, & aliis quibuſdam libertatibus à Clemente Papa Romanis conceſſis, convenientibus, idem Pontifex Clemens acceſſit ad Urbem. Extat diploma Senatûs de concordia, quam tunc cum Papa iniit, quibuſdam conditionibus ſervandis appoſitis, quod in Vaticana Bibliotheca aſſervatur in volumine Cencii Camerarii, quod dicitur liber Cenſuum Romanæ Eccleſiæ. Sunt autem numero novem. 1ª. Ut Urbs in Romani Pontificis poteſtate eſſet. 2ª. Ut, abrogato Patricio, Præfectus reſtitueretur. 3ª. Ut Senatores annui ex Pontificis auctoritate crearentur, qui in Pontificis verba jurarent, & ſacramento fidem, pacem, &, ſi opus eſſet, ſubſidium Eccleſiæ Romanæ promitterent. 4ª. Ut populus Romanus Baſilicam Vaticanam, & redditus Sancti Petri, quos bello durante occupaverat, liberè & integrè reſtitueret. 5ª. Ut vectigalia & redditus publici in poteſtate Pontificis eſſent ea lege ut tertia pars populi uſibus cedat. 6ª. Ut Romanæ Eccleſiæ & Summi Pontificis majeſtatem, honorem & poteſtatem, Senatus populuſque Romanus coleret & tueretur. 7ª. Ut Romanus Pontifex Senatoribus, Judicibus, Advocatis, & Scriniariis, & Senatûs miniſtris, conſuetas largitiones & donativa, quæ Presbyteria vocantur, ſtatis temporibus tribueret. 8ª: Ut idem certam annuam penſionem pro murorum Urbis reſtitutione ſolveret. 9ª. denique Tuſculum ſolo æquari Pontifex permittet, & infra certum tempus populum Romanum, ad eam expeditionem adjuvabit, ea tamen lege, ut eo diruto, ager etiam & homines in poteſtate Eccleſiæ Romanæ ſint.

VII. *Clemens PP. Roma recipitur.* His pactis conditionibus & juratis in Urbem regreſſus eſt Clemens Pontifex, & maximo honore ac publica lætitia ab omnibus ordinibus ſuſceptus, & quidem ante diem tertium Idus Martii; Baronius enim anno 1188.

no 1188. recitat privilegium à Clemente Papa Eccleſiæ Scotorum & Wil- *SEC. XII.*
lelmo eorum Regi conceſſum, ut ea nullo mediante Apoſtolicæ Sedi CLEMENS
ſubjaceat *datum Laterani III Idus Martii Pontificatûs noſtri anno primo*, III.
quo ideo die jam pax inter Clementem & Romanos facta fuerat, & Clemens Romam redierat. Verum quidem eſt Baronium reſcriptum Clementis rurſus referre anno 1192. quaſi à Cœleſtino tertio datum, ſed Annotator Baronii ad eumdem annum oſtendit, illud à Clemente non à Cœleſtino emiſſum. Diploma tamen Senatûs, quo concordia inita continetur dicitur, *Actum XLIV anno Senatûs, Indict. VI, menſe Maii, die ultima*, ex quo conſtat Senatum non ſub Innocentio II aut Cœleſtino II, ſed ſub Lucio II anno MCXLIV poſt menſem Maium reſtitutum fuiſſe. De Tuſculana civitate ſub Cœleſtini III Pontificatu ſermo erit.

VIII. *Trevirenſis Eccleſiæ ſchiſma terminat.*

In Pontificatu Lucii III locuti ſumus de ſchiſmate Eccleſiæ Trevirenſis, ad quam obtinendam ſedem duo electi erant, nempe Rodulphus & Volmarus, ſeu Folmarus, qui, ut in Urbano III diximus, ab eo Pontifice conſecratus eſt, & creatus Presbyter Cardinalis. Clemens III, ut hoc ſchiſma, quod adhuc durabat, penitus extingueret, Sigifridum Cardinalem, Legatum miſit, ut narrat Auctor Magni Chronici Belgici pag. 201. *ex Chronicis*, ut ipſe ait, *Pontificum* ſine dubio Trevirenſium: *Tandem Clemens III*, inquit, *miſſo Sigifrido Cardinali tituli Sanctæ Mariæ in Via Lata ad Regem mittit, ut ſecundum canones compoſitione facta inter eos negotium Trevirícum terminaret. Veniens verò prædictus Legatus omnes ab obedientia Folmari abſolvit, & Epiſcopum de adminiſtratione, non de ordine depoſuit, & ab eo dejectos reſtituit, & excommunicatos abſolvit, & amborum, ſcilicet Radulphi & Folmari electionem ſuſtulit, Eccleſiæ, ut prius, eligendi Epiſcopum liberam tradens facultatem: & ſic diſcordia ſeptennio jam protracta fuit terminata.* Hanc legationem à Clemente Pontifice anno 1188. primo ſui Pontificatûs, vel ad ſummum anno 1189. miſſam, ex eo convincitur, quòd Folmarus, vel Volmarus hoc ultimo anno in Angliam ierit, & Coronationi Richardi Regis, quæ tertio Nonas Semptembris facta eſt, interfuerit, imò eodem anno ibidem obierit, quod utrumque habemus ex Radulpho de Diceto, qui poſtquam pag. 643. dixit, Trevirenſem Archiepiſcopum cum aliis Londonii coronationi Richardi interfuiſſe, pag. ſequenti addit: *Treverenſis Archiepiſcopus in Anglia moriens apud Sanctum Andream ſepultus eſt Nortamtoniæ.* Obiit autem poſt diem XVII Septembris, eo enim die, teſte Joanne Bromptono in Chronico pag. 1162. conſecravit Joannem electum Candidæ Caſæ *die dominica XVII die Septembris.* Denique eum coronationi Richardi Regis interfuiſſe, teſtantur etiam Matthæus Paris in Chronico anno 1189. & Hovedenus pag. 656. qui pag. 659. addit, eum apud Northamtoniam obiiſſe. De hac Sigifridi, vel, ut ab

S 2 aliis

SEC. XII. CLEMENS III. aliis appellatur, Soffredi legatione nulla mentio eſt apud Oldoinum in Hiſtoria Cardinalium.

IX. *S. Ottonem Pomeraniæ Apoſtolum canonizat* Anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono Clemens Pontifex ſanctum Ottonem Bambergenſem Epiſcopum, Pomeranorum Apoſtolum dictum, de quo ſuperiori Tomo locuti ſumus, in Sanctorum numerum retulit; qua de re certiores fecit Merſeburgenſem & Eiſtetenſem Epiſcopos & alios Germaniæ Abbates literis datis *Laterani III Kalendas Maii Pontificatûs anno ſecundo*, quæ recitantur à Baronio ex Chronico Bambergenſi. Præter Anonymum, qui hujus Sancti Vitam ſcripſit, ab Henrico Caniſio Tomo 2. Antiq. Lect. recitatam; Andreas Abbas Sancti Michaelis prope Bambergam, poſtea Bambergenſis Epiſcopus, aliam huius primi Pomeranorum gentis Apoſtoli, circa annum 1457. compoſuit, in qua multa leguntur de fanis & ſimulachris, ſeu idolis ejuſdem gentis, quæ omnia & ſingula Sanctus Otto pio zelo deſtruxit, cum ibidem, ad populum illum ad Chriſtianam fidem convertendum, verſaretur.

X. *Item Stephanum de Mureto.* Sanctorum pariter faſtis adſcripſit Clemens Pontifex eodem anno 1189. Stephanum de Mureto Ordinis Grandimontenſis fundatorem; Bernardus enim Guidonis in Tractatu *de Ordinibus Grandimontenſi atque Artigia & monaſterii S. Auguſtini Lemovicenſis* edito Tomo 2. Bibliothecæ Labbei pag. 275. de ſeptimo Priore generali Ordinis Grandimontenſis ſcribit: *VII Prior D. Geraldus Iterii electus in capitulo generali III Kal. Octob. MCLXXXVIII procuravit canonizationem & revelationem Sancti Stephani MCLXXXIX. Scripſit geſta ejuſdem Sancti Stephani.* Idem annus 1189. exprimitur in bulla canonizationis. Hic ſanctus in monte qui non longe diſtat ab urbe Lemovicarum, & *Muretum* dicitur ordinis ſui fundamenta jecit, non anno 1076. ut corruptè legitur in ejus Vita, ſed anno 1074. ut probat Annotator Baronii, qui & oſtendit ejus mortem contigiſſe anno 1124 non 1126. ut apud eum legere eſt annis 1076. & 1126. Sancti Stephani nomen Romano Martyrologio inſertum eſt ad diem VIII Februarii, quo obiit, decreto S. Rituum Congregationis die 7. Aprilis anni 1596. emiſſo. Ejus Vitam à ſupradicto Geraldo ordinis Grandimontenſis ſeptimo Priore Generali ſcriptam Bollandus ad diem VIII menſis Februarii, & Labbeus Tomo 2. Bibliothecæ pag. 674. è codicibus MSS. deſcripsère.

XI. *Legatum mittit pro concordia Franciæ & Angliæ Regum & pro expeditione Jeroſolymitana.* Eodem anno 1189. idem Pontifex, cum præcedenti pax inter Franciæ & Angliæ Reges turbata eſſet, ut ſuperius diximus, Joannem de Anagnia Cardinalem Legatum miſit ad pacem illam conciliandam, & expeditionem in terram ſanctam perurgendam. *Joannes de Anagnia Cardinalis*, inquit Annaliſta Mailroſenſis, *& IV Archiepiſcopi cum multis Epiſcopis & diverſis Ordinibus Prælatis* (legendum, & de diverſis ordinibus Prælatis) *ex auctoritate Domini Papæ Clementis IV* (vocat eum Clementem IV, quia ſupponit, Guibertum Antipapam dicendum Clementem III)

III) *ſententiam excommunicationis tulerunt in audientia duorum Regum, ſc. Francorum & Anglorum & Comitis Richardi, & totius plebis, in omnes tam Clericos, quàm laicos, per quos ſtaret, quod pax non fieret inter prædictos Reges & Comitem Richardum; & iter Jeroſolymitanum expediatur, in eos tanquam in vivifica ac Dominicæ Crucis inimicos ipſam ſententiam promulgaverunt prope Feritatem Bernardi* (vulgò *La Ferté Bernard*, amplum oppidum Cenomanniæ) *ubi Reges ſuum colloquium fecerunt.* Tandem prædicti Reges, ut inquit Radulphus de Diceto, in manus Guillelmi de Campania Archiepiſcopi Remenſis *fidem dederunt, quod in media Quadrageſima convenirent apud Viceliacum votum peregrinationis quod inierunt proſecuturi, niſi communis conſilii mutatio, vel corporis infirmitas virorum opinionis bonæ teſtimonio probata fuerit impedimento*, &c. *Facta ſunt autem hæc in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli intra Turonem & Aza.* Anno autem ſequenti 1190. Philippus Franciæ, & Richardus Angliæ, Reges in Orientem profecti ſunt, Henricus enim II Richardi pater eodem anno 1189. obiit.

Richardus de Sancto Germano Auctor Chronici ab anno 1189. ad 1243. perducti, & ab Ughello Tomo 3. Italiæ Sacræ publicati, ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum primum ait: *Anno MCXCI Clemens Papa Romæ obiit menſe Martii.* Illum verè defunctum menſe Martio tradunt etiam Anonymus Caſſinenſis in Chronico & Chronographus Reicherſpergenſis, qui ait, eum demortuum *circa mediam Quadrageſimam*, & die XXX menſis Martii Cœleſtinum III ejus ſucceſſorem electum. In Necrologio Caſſinenſi, in quo, de more, aut dies mortis, aut dies ſepulturæ Pontificum notatur, Clementis III nomen legitur *ad V Kal. April.* ſeu ad diem vigeſimum octavum Martii, quo ideo die ſepultus eſt. Ejus enim ſucceſſor Cœleſtinus III electus fuit die trigeſima Martii, & tamen electio fieri hoc tempore non poterat, niſi tertio die poſt ſepulturam prædeceſſoris, ut ex Cencio Camerario oſtendetur in ejuſdem Cœleſtini III Pontificatu. Error itaque irrepſit in Rogerium Hovedenum, qui apud Baronium anno 1191. num. 1. ſcribit, Clementem Papam obiiſſe, *menſe Aprili, quarto Idus ejuſdem menſis, feria quartâ*; cum enim, ipſo fatente Hovedeno, Cœleſtinus Clementis ſucceſſor ordinatus ſit in Presbyterum in Vigilia Paſchæ, ſeu die decima tertia Aprilis, & in die Paſchæ conſecratus ſit in ſummum Pontificem, quod etiam teſtatur Chronographus Reicherſpergenſis, ſi Clemens III obiiſſet IV Idus Aprilis, ſeu decima Aprilis, falsò ſcripſiſſet Arnoldus Lubecenſis, Cœleſtinum III ordinationem ſuam in Pontificem Romanum diſtuliſſe, ad protelandam Henrici Germaniæ Regis coronationem, qua de re vide dicenda in Cœleſtino III. Sepultus eſt portò Clemens III in Eccleſia Lateranenſi, nam Joannes Diaconus Junior in libello de eâ Eccleſia Tomo 2. Muſei Italici, ait: *Clemens III Papa jacet ante chorum Canonicorum.*

XII. *Clementis III PP. obitus.*

COELESTINUS III *Pontif. CLXXV.*

Anno Domini MCXCI.

I. *Cœleſtinus III Papa eligitur & conſecratur.* MOrtuo, ut dictum eſt, die XXVII Martii anni MCXCI, Clemente III & poſtridie ſepulto, ſedes vacavit uſque ad diem trigeſimum ejuſdem menſis, quo Hyacinthus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, natione Romanus, electus eſt Pontifex; ordinatus Presbyter in vigilia Paſchatis, ſeu die decima tertia Aprilis, & poſtridie in ipſa Sanctæ Paſchæ ſolemnitate in Summum Pontificem conſecratus, ac Cœleſtinus, hujus nominis III appellatus. Diem ejus electionis & conſecrationis in Pontificem nos docet Chronographus Reicherſpergenſis, ad annum 1191. ſcribens: *Defuncto tunc Romæ Clemente Papa circa mediam Quadrageſimam, conſtitutus eſt in locum ejus Dominus Hyacinthus Cardinalis admodum ſenex, lectus à Romanis III Kal. April. illo ſabbato quando cantabatur Officium*; Sitientes venite ad aquas *Et in Sancto die ſolemnitatis Paſcha, quod evenerat tunc in XVIII Kal. Maii conſecratus, Cœleſtinus eſt dictus.* Eumdem diem conſecrationi ejus in Pontificem aſſignat Rogerius Hovedenus, qui & addit, eum ordinatum Presbyterum in vigilia Paſchæ: *Succeſſit*, inquit, *Hyacinthus Diaconus Cardinalis Sancta Maria in Coſmedin, & in ipſa vigilia Paſche ordinatus eſt in Sacerdotem, & in die Paſcha, qua in XVIII Kalend. Maii evenit, in Romanum Pontificem conſecratus eſt ab Octaviano Oſtienſi Epiſcopo, & vocatus eſt Cœleſtinus Papa tertius.*

II. *Ab Honorio II dictus fuerat Cardinalis.* Recte autem ait Chronographus Reicherſpergenſis Cœleſtinum, cum electus eſt, fuiſſe admodum ſenem, nam Petrus Bleſenſis in Epiſtola 123. ad Richardum Epiſcopum Londonienſem, ſcribit, eum ſexaginta quinque annis in functione diaconatûs Cardinalem permanſiſſe: *Vidimus*, inquit, *complures in Eccleſia Romana in ordine diaconatûs uſque ad decrepitam ætatem & exhalationem extremi ſpiritûs miniſtraſſe. Certè Dominus Cœleſtinus, qui hodie ſedet, ſicut ex ipſius ore frequenter accepi, in officio Levita ſexaginta quinque annos expleverat, antequam ipſum Dominus in ſummi Pontificatûs apicem ſublimaret.* Falluntur itaque Onuphrius Panuinius, qui ſcribit, eum à Lucio II Cardinalem creatum, Ciaconius qui Cœleſtino II, & Joannes Palatius, qui Innocentio II id adſcribunt; retrocedendo enim ab anno 1191. per annos 65. pervenimus ad annum 1126. quo ſedebat Honorius II, à quo id eo Cardinalis dictus eſt.

III. *Conſecrationem ſuam quare diſtulerit.* Cauſam cur, præter morem, Cœleſtinus III, in decimum ſextum ab electione diem, conſecrationem ſuam diſtulerit, nos docet Arnoldus Lubecenſis, hujus temporis Scriptor lib. 4. cap. 4. ubi de Henrico VI Germaniæ Rege loquens, ait: *Rex cum manu valida Italiam intravit.*

cum

Digitized by Google

cum Philippo Colonienſi & Ottone Duce Boemiæ, & aliis multis. Cumque appropinquaret Romæ, ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem, Dominus Apoſtolicus Clemens mortuus eſt; pro quo Dominus Cæleſtinus in ſede eſt ſublimatus. Qui videns Regem cum multa jactantia veniſſe, ad protelandam ejus conſecrationem, ſuam diſtulit. Cœleſtinum conſecrationem ſuam diſtuliſſe refert etiam Krantzius lib. 7. Saxoniæ cap. 3. Hanc dilationem obſervarunt Onuphrius in Chronico, Sigonius lib. 15. de Regno Italiæ, & Ciaconius, cum ſcripſerunt, Cœleſtinum electum die vigeſima nona Martii, die tantum decima quarta Aprilis conſecratum eſſe.

IV. *Henricum V Imperatorem coronat.*

Cum autem Cœleſtinus Romanorum precibus victus fuiſſet, conſecratus eſt, ut ex Chronographo Reicherſpergenſi & ex Hovedeno diximus, ipſa ſolemnitatis Paſchæ die, & poſtridie Henricum VI Germaniæ Regem Imperatorem coronavit. Nam Arnoldus Lubecenſis laudatus ſubdit: *Sed Romani exeuntes ad Regem ſic eum locuti ſunt: Fac nobiſcum amicitias, & honora nos & Urbem jure noſtro quod exhibuerunt Reges qui ante te fuerunt. Inſuper fac nobis juſtitiam de caſtellis tuis, quæ ſunt in Tuſculano, quia ſine intermiſſione nos inquietare non ceſſant, & erimus pro te ad Dominum Papam, ut coronam Imperii ſuper caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorum ſe promptum exhibuit. His precibus ubi conſenſum præbuit Apoſtolicus, cum ſummo tripudio Rex Urbem ingreditur: ſicque Dominus Papa in die Paſchæ ſolemniter conſecratur, & proximâ ſecundâ feria cum ſumma pacis tranquillitate Dominus Imperator cum Imperatrice* (Conſtantia) *benedicitur & coronatur.* Hic porrò Henricus eſt Germaniæ Rex hujus nominis VI, Imperator verò hujus nominis V. Rogerius Hovedenus, poſtquam dixit, Cœleſtinum in die Paſchæ fuiſſe conſecratum, ait, *in craſtino* Papam veniſſe ad Eccleſiam S. Petri, ubi *ante oſtium Eccleſiæ ſupra gradus accepit ſacramentum* ab Henrico *Alemannorum Rege, quod ipſe Eccleſiam Dei, & jura Eccleſiaſtica fideliter ſervaret illibata, & quod rectam juſtitiam teneat, & quod patrimonium beati Petri, ſi quid inde ablatum eſſet, in integrum reſtitueret, & quod Tuſculanum ei redderet. Deinde introduxit eos* (ſc. Henricum Regem & Conſtantiam ejus uxorem) *in Eccleſiam & unxit eum in Imperatorem & uxorem ſuam in Imperatricem. Sedebat autem Dominus Papa in Cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam Imperatoris & dejecit eam in terram, ſignificans quod ipſe poteſtatem ejiciendi eum de Imperio habet, ſi ille demeruerit, ſed Cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti Imperatoris.* Ita Rogerius, cujus, utpote hoc tempore viventis, teſtimonium eloquentius eſt ad probandam hujus facti veritatem, quam aliorum omnium ſilentium ad eam denegandam. Narrat inſuper Rogerius, poſtea Henricum Imp. Tuſculanam civitatem reſtituiſſe

Cœle-

SEC. XII. COELESTINUS III. Cœleſtino Papæ, qui eam Romanis conceſſit, à quibus confeſtim ita deſtructa eſt, ut lapis ſuper lapidem non remanſerit.

V. *Ceremoniæ in creatione Cœleſtini III & aliorum Pontificum Rom.*

Sed ut ad electionem & conſecrationem Cœleſtini Papæ redeam, Cencius de Sabellis Cardinalis, poſtea Papa ſub Honorii III nomine, deſcripſit Ordinem Romanum, in quo cap. 48. refert ritum electionis & conſecrationis Romani Pontificis, ejuſque occaſione meminit electionis Cœleſtini III, cujus erat Camerarius, quæ more ſolito peracta eſt. Baronius totum hoc caput 48. anno 1191. deſcribit, Mabillonius verò Tomo 2. Muſei Italici pag. 167. & ſeqq. totum Ordinem Cencii publicavit. Nos cum Baronio maximam partem illius capitis 48. de Romani Pontificis electione & conſecratione hîc repræſentare inutile non judicamus, ex eo quippe, inter alia, confirmantur quæ in refutatione Joannæ Papiſſæ de Sede Stercoraria Tomo ſuperiori diximus. ,, Mortuo, inquit ,, Cencius, Romano Pontifice & ſepulto omnes Cardinales ad propria ,, revertuntur ſecundùm antiquam conſuetudinem. Secunda verò die con- ,, veniunt in Eccleſia, & Miſſa mortuorum cantata, omnes ſimiliter ſe- ,, cundùm conſuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum ,, omnes in Eccleſia congregati, & Miſſa Sancti Spiritûs ibidem primi- ,, tùs celebratâ, tractatur de electione. Et perſcrutata omnium Cardina- ,, nalium voluntate ab aliquibus de ipſis, in quem major & melior pars, ,, convenerit Cardinalium, Prior Diaconorum ipſum de pluviali rubeo ,, ammantat; & eidem Electo nomen imponit, ipſumque deinde duo ,, de majoribus Cardinalibus adextrant uſque ad altare: ubi proſtratus ,, adorat, Primicerio cum ſchola Cantorum, & Cardinalibus cantanti- ,, bus *Te Deum laudamus*, quo finito, ab Epiſcopis Cardinalibus ad ſe- ,, dem ducitur poſt altare, & in ea, ut dignum eſt, collocatur. In qua ,, dum ſedet Electus recipit omnes Epiſcopos & Cardinales, & quos ſibi ,, placuerit ad pedes, poſtmodum ad oſculum pacis.

VI. *Uſus Sedis Stercorariæ.*

,, Surgenſque de ſede ducitur à Cardinalibus ad ſedem lapideam, quæ ,, ſedes dicitur *Stercoraria*, quæ eſt ante porticum Baſilicæ Salvatoris ,, Patriarchatûs Lateranenſis, & in ea eumdem Electum ipſi Cardinales ,, honorificè ponunt, ut verè dicatur: *Suſcitat de pulvere egenum, & de* ,, *ſtercore erigens pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ te-* ,, *neat.* Poſt aliquantulum ſtans juxta eamdem ſedem, Electus accipit ,, de gremio Camerarii tres pugillatas denariorum, & projicit, dicens: ,, *Argentum & aurum non eſt mihi ad delectationem, quod autem habeo, hoc* ,, *tibi do.* Tunc autem accipit ipſum Electum Prior Baſilicæ Salvatoris ,, Patriarchatûs Lateranenſis cum uno de Cardinalibus, vel uno de fra- ,, tribus ſuis. Venientibus autem per eamdem porticum juxta ipſam ,, Baſilicam Salvatoris exclamatur: *Dominum Cœleſtinum Sanctus Petrus* ,, *elegit.* (Ex his verbis rectè deducit Mabillonius patere librum hunc ,, tempore Cœleſtini III ſcriptum fuiſſe) Sicque ducitur ab illis uſque ad

,, gradus

„ gradus portæ, quæ videlicet porta eſt in introitu palatii venientibus de „ de Eccleſia ad palatium ipſum, ibique Judices eumdem Electum accipientes, ducunt eum per palatium uſque ad Baſilicam Sancti Silveſtri. *SEC. XII. Coelestinus III.*

VII. *Pontifex uſum clavium accipit.*

„ Ubi verò ventum eſt ad Baſilicam ipſam, ſuper cujus arcum, qui „ ſuſtentatur de duabus columnis porphyricis, eſt imago quædam Salvatoris, quæ à quodam Judæo percuſſa olim in fronte ſanguinem emiſit, ſicut hodie cernitur: idem Electus ſedet ad dexteram in ſede porphyrica, ubi Prior Baſilicæ Sancti Laurentii de palatio dat ei ferulam, quæ eſt ſignum regiminis & correctionis, & claves ipſius Baſilicæ & ſacri Lateranenſis palatii: quia ſpecialiter Petro Principi Apoſtolorum data eſt poteſtas claudendi & aperiendi, & ligandi atque ſolvendi, & per ipſum Apoſtolum omnibus Romanis Pontificibus: & cum ipſa ferula & clavibus accedit ad alteram ſedem ſimilem & ejuſdem lapidis; & tunc reddit eidem Priori tam ferulam, quàm etiam ipſas claves. In qua dum aliquantula morâ quieſcit, cingitur ab eodem Priore Zona rubea de ſerico, in qua dependet burſa purpurea, in qua ſunt XII ſigilla pretioſiorum lapidum & muſcus. Qui ſiquidem Electus in illis duabus ſedibus ſic ſedere debet, ac ſi videatur inter duos lectulos jacere, ideſt ut accumbat inter Principis Apoſtolorum primatum Petri, & Pauli doctoris gentium prædicationem. In Zona notatur continentia caſtitatis, in burſa gazophylacium, quo pauperes Chriſti nutriantur & viduæ. In XII ſigillis XII Apoſtolorum poteſtas deſignatur: muſcus includitur ad percipiendum odorem, ut ait Apoſtolus: *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* In qua ſecunda ſede dum ſedet Electus, recipit omnes officiales palatii ad pedes, & poſtea ad oſculum: & deinde ſedens ibidem recipit de manu Camerarii denarios argenteos Val. X ſol. proveſ. & projicit eos ſuper populum: & hoc facit tertiò, dicendo: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.* His peractis ducitur per ipſam porticum ſub Iconas SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, quæ per mare Romam venerunt nullo ductore, & intrat Baſilicam Sancti Laurentii; in qua poſtquam peregerit prolixam ante proprium & ſpeciale altare orationem, pergit ad papalem cameram; ubi cum ſua voluntate pauſaverit, vadit ad menſam.

VIII. *Pergit ad S. Petrum, ibique conſecratur.*

„ Poſt hæc autem in proxima die Dominica Electus cum omnibus ordinibus ſacri palatii & nobilibus Romanis vadit ad Eccleſiam beati Petri; ubi ad altare majus, prout in Ordine continetur, ab Epiſcopo Oſtienſi ſpecialiter & aliis Epiſcopis de Curia conſecratur, hoc addito, quod ſi forte Epiſcopus Oſtienſis præſens non fuerit, Archipresbyter Oſtienſis ſeu Veliternus intereſſe debet conſecrationi. Qua conſecratione finita, Prior Sancti Laurentii ſacri Palatii ponit palleum ſuper

SEC. XII. COELESTINUS III.

„ altare, quod ipſe Prior propria manu debet parare, & ſtatim Archi-„ diaconus cum ſecundo Diacono dant in manu Pontificis, & ſolus Ar-„ chidiaconus dicit Pontifici: *Accipe palleum, plenitudinem ſcilicet Ponti-„ ficalis officii, ad honorem Omnipotentis Dei & glorioſiſſimæ Virginis ejus ge-„ nitricis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli*, & nihil aliud. Statim-„ que ipſe Archidiaconus cum Priore baſilicario aptat ipſum palleum ſu-„ per Pontificem; & intromiſſis ſpinulis aureis tribus ante, & retro, & „ ſiniſtro latere, in capite quarum ſunt innixi tres hyacintini lapides; „ & ſic ornatus accedit Pontifex ad altare, & ibi celebrat honorificè „ Miſſam. Et notandum quod laudes ab Archidiacono cum Cardinalibus „ & Subdiaconis & Scrinariis, epiſtola latina cum græca, & evange-„ lium latinum cum græco, & omnes aliæ ſolemnitates tunc fiunt, ſicut „ in feria ſecunda poſt Paſcha. Miſſa autem celebrata revertitur ad pala-„ tium (nempe Lateranenſe) coronatus cum proceſſione & honore ar-„ cuum, repræſentatione legis à Judæis, & thuribulorum à Clericis „ Romanis & jactibus totidem, & tanta quantitate factis, ſicut in præ-„ dicta ſecunda feria poſt Paſcha. Refert deinde Cencius Camerarius cere-monias fieri ſolitas, quando electio fiebat in Eccleſia Sancti Petri, ejuſ-que deductionem & inſtallationem in Laterano, quas omittimus, quia in paucis à ſuperioribus differunt.

IX. *Cæleſtinus PP. Albertum Ieroſol. Patriarcham creat.*

Cum Heraclius Jeroſolymorum Patriarcha in obſidione Accon, ſeu Ptolemaidis à Cruceſignatis facta defunctus eſſet, Cœleſtinus Pontifex anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo Albertum Bethlehemitanum Epiſcopum, qui teſte Willelmo Tyrio lib. 21. cap. 26. Concilio Lateranenſi III interfuit, Jeroſolymorum Epiſcopum conſtituit; Interpolator enim Chronici Aquicinctini ad eum annum ſcribit: *Albertus Eremita, Petri Eremitæ, qui belli ſacri auctor Urbano II Pontifici fuit, pronepos ex Epiſcopo Bethlehemitano Patriarcha Jeroſolymitanus poſt Heraclium à Cœleſtino III Papa conſtituitur.* Iſte itaque Albertus Petri Eremitæ pronepos, & conſequenter Latinus, diverſus eſt à beato Alberto, primùm Bobienſi, poſtea Vercellenſi Epiſcopo, qui anno 1204. Jeroſolymorum Patriarchatum obtinuit.

X. *Inſtitutionem militiæ Teutonicorum confirmat.*

Ordinem militarem Teutonicorum Pontificatûs Cœleſtini III initio inſtitutum eſſe, rectè quidem tradit Petrus de Dusburg Sacerdos ejuſdem Ordinis in Chronico Pruſſiæ, quod anno 1326. publicavit, in quo agit de ejuſdem Ordinis origine & rebus ab eo geſtis, ſed annum erectionis ejus & confirmationis à Cœleſtino Papa factæ non determinat, & Chriſtophorus Hartknoch, qui anno 1679. Francofurti & Lipſiæ Chronicon illud typis dedit ac notis illuſtravit, in parte 1. pag. 20. ait tantùm, Jacobum de Vitriaco lib. 1. Hiſt. Jeroſol. cap. 66. ſcribere, Ordinem Teutonicum inſtitutum fuiſſe in urbe Jeroſolymitana, antequam Ptolemais, ſeu Accon obſidione cingeretur à Cruceſignatis, & caperetur,

quod

Digitized by Google

quod contigit anno 1191. tertio Idus Julii. Verùm Vitriacus loquitur quidem eo in loco de ejuſdem Ordinis inſtitutione, ſed nec Acconis ibidem meminit, nec temporis, quo hic ordo fundatus fuit. Rectè tamen idem Chriſtophorus exiſtimat, ſtandum eſſe Joanni Nauclero, qui volumine 2. Chronographiæ ſcribit: *Anno Domini MCXCI apud Acam* (ita Ptolemais, & Accon etiam appellata) *quidam Bremenſes & Lubecenſes cives hoſpitale in honore B. Mariæ Virginis ad opus infirmorum tempore obſidionis ex velis navium fecerunt, obtinuerunt auxilio Friderici Ducis Sueviæ à Cœleſtino Papa, cooperante ad hoc Henrico Rege Romanorum Ordinem iſtum ſub titulo Hoſpitalis B. Mariæ Virginis Domûs Teutonicorum in Jeruſalem confirmari. Ex eo tempore incœpit habere Magiſtrum Ordinis Generalem proſapia nobilem.* Eumdem annum hujus Ordinis inſtitutionis aſſignat Chronici Aquicinctini Interpolator, qui ad annum 1191. ait: *Ordo militum Teutonicorum inchoatur; quem anno MCXCI, Februarii die XXII Cœleſtinus Papa confirmavit. Primus hujus Ordinis Magiſter creatus fuit Heinricus Uvalpot.* Diploma Cœleſtini ad nos non pervenit, ſed illud datum eſt anno 1192. cum anno 1191. die 22. Februarii Clemens III adhuc in vivis eſſet, & Cœleſtinus III die tantum trigeſima ejuſdem anni electus ſit, ex quo & ſequitur Cœleſtinum annos Chriſti à die XXV Martii exorſum eſſe, ideoque die 22. Februarii anni 1192. adhuc numeraſſe annum 1191. Teutonicorum itaque Ordo inſtitutus quidem fuit anno 1191. ſed anno tantum ſequenti confirmatus à Cœleſtino Papa, qui milites veſte alba & cruce nigra donavit, ſubjecitque regulæ Sancti Auguſtini. Cenſiti autem ſunt ſub eodem Ordine nonniſi nobiles, iidemque Germani, qui magnitudine animi, digna ipſorum generoſitate edidère facinora, quæ alii ſcriptis commendarunt. Innocentius tamen III anno 1210 prohibuit, ne Teutonici alba pallia deferrent, quæ Templariorum, longè iis antiquiorum, propria erant, ne inde Ordines confunderentur, commiſitque Patriarchæ Jeroſolymitano Epiſtolâ 126. Regiſtri anni XIII, ut ſuper hoc ſtatueret quæ expedire videret; ſed huic videtur ſatis fuiſſe, ſi crucis colore diſtinguerentur, cum ex Jacobo de Vitriaco, qui paulò poſtea vixit, in Hiſt. Orient. cap 65. & ſeq. intelligatur, utroſque albis veſtibus uti tunc conſueviſſe; ſed Templarios cruces rubras, Teutonicos nigras iis aſſuiſſe. Huic Teutonicorum Ordini poſtea unitus fuit Ordo Enſiferorum ſeu Gladiferorum adversùs Infideles inſtitutus, ut infra in Pontificatu Innocentii III videbitur.

SEC. XII. CŒLESTINUS III.

XI. *Gallæcia Regem ob inceſtas nuptias excommunicat.*

Cœleſtino Papæ ipſo Pontificatûs initio laborandum fuit apud Hiſpanorum Reges pro diſſolutione matrimonii, quod Sanctius Rex Portugalliæ conciliaverat inter Tarſiam filiam ſuam, & Alphonſum X Regem Gallæciæ & Legionis, nepotem ſuum. Et licet multum laboratum eſſet à Summis Pontificibus, ut ſepararentur, eam tamen Alphonſus

SEC XII. COELESTINUS III. ſus tenuit contra prohibitionem per quinque annos, ex eaque genuit tres filios: quare Cœleſtinus Pontifex præfatum Gallæciæ Regem excommunicavit, & totam terram ſuam interdicto ſubjecit. Inſurgens poſtea in eum Alphonſus Caſtellæ Rex, coegit eum relinquere illam, & accipere filiam ſuam in uxorem. Hæc Rogerius Hovedenus in Annalibus. Vide dicenda in Innocentio III.

XII. *Angliæ regni turbatores jubet excommunicari.* Richardus Angliæ Rex expeditionem in Terram Sanctam ſuſcipiens, Willelmum Epiſcopum Elienſem Cancellarium ſuum, Vicarium in Anglia conſtituit, eumque legatione Apoſtolica firmari à Clemente III Papa obtinuit, relictis in Normannia Joanne Comite Moretonii, & Gaufredo Archiepiſcopo Eboracenſi, fratribus ſuis, ac juramento adſtrictis, ne in regnum Angliæ, eo abſente, irent, aut aliquid innovarent. Sed ſtatim ac Rex expeditionem ſacram ſuſcepit, regnum ejus, eorumdem Joannis & Gaufredi factionibus vehementer perturbatum eſt. Willelmum enim Elienſem Pro-Regem conatibus ſuis adverſantem, dirè exagitarunt, atque tandem occultam fugam inire coegerunt: & ut hæc jure feciſſe viderentur, famoſum libellum adverſus eum, per Hugonem Conventrenſem Epiſcopum, harum turbarum incentorem, peſſimæ vitæ hominem, per orbem pervulgari curarunt, quo illum omnium ſcelerum reum falſiſſimè conſtituerunt, ut fusè refert Baronius ex Rogerii Hovedeni Annalibus ad annum 1191. Ubi hæc audivit Cœleſtinus Papa, Elienſis Epiſcopi, ac regni Angliæ defenſionem eò juſtius ſuſcepit, quò, ut inquiunt Normanni apud Joannem Bromptonum pag. 1238. *Rex Ricardus illorum dominus nondum de peregrinatione rediens, omnes terras ſuas cismarinas & transmarinas ſub protectione Dei & Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ poſuerat.* Scriptis itaque ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Angliæ literis, quas refert idem Rogerius, præcepit, ut tam ipſum Comitem Moretonii, quàm reliquos omnes impreſſionum in Elienſem Epiſcopum factarum conſiliarios, auctores, complices & fautores, accenſis candelis, & pulſatis campanis, omni appellatione, vel perſonarum acceptione poſthabita, publicè denunciarent excommunicatos, & tamdiu facerent eos à reliquis omnibus vitari, uſque dum Elienſi Legato, ac regno ipſo in priſtinum ſtatum pleniſſimè reſtitutis, iidem ad ſedem Apoſtolicam accederent abſolvendi. Eorum itidem terras interdicto Eccleſiaſtico ſupponi juſſit Cumque rurſum inter eumdem Elienſem, & Walterum Archiepiſcopum Rotomagenſem, quem Rex ad ſedandos tumultus delegaſſet, aliæ graves diſſenſiones ortæ eſſent, idem Pontifex juſtitiam Elienſis fortiter defendit, ut pluribus habet idem Rogerius. Porrò Elienſem Epiſcopum à ſeditioſis expulſum, à Rege in priſtinum honorem reſtitutum fuiſſe, docent ipſius Regis literæ ad Reginam matrem & Juſtitiarios ſcriptæ apud eumdem Rogerium anno 1193.

Anno

Digitized by Google

SEC. XII.

COELESTINUS III.

Anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo Cœleſtinus Pontifex ad ſupplicationem B. Eugubini Epiſcopi, Sanctum Ubaldum ejuſdem ſedis Antiſtitem, miraculis poſt obitum clariſſimum, ſolemni ritu in Sanctorum Confeſſorum numerum retulit diplomate ſervato in Archivo Eugubino, & dato quarto nonas Martii, anno primo ſui Pontificatûs nondum exacto, ex quo corrigitur Surius, qui S. Ubaldum floruiſſe ait uſque ad annum milleſimum ducenteſimum decimum. Hic Sanctus in pueritia patre orbatus, cum enutritus fuiſſet ſub diſciplina Eccleſiaſtici ordinis, & proceſſu temporis Prior in Cathedrali renunciatus, videret depravatos Canonicorum mores, tribus ſibi clericis adjunctis, perrexit ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Portu, ſeu Portuenſem, in agro Ravennate ſitam, ubi Petrus de Honeſtis Canonicos Regulares inſtituit, ut ad annum 1119. probat Annotator Baronii. *Ibi tribus menſibus ſub diſciplina fratrum illorum regulariter vixit*, & Eugubium rediens, Canonici Ordinis Regulam obtulit, effecitque ut *canonicum ordinem omnes devote cuſtodirent*. Peruſino poſtea Epiſcopatu recuſato, Eugubinum in Umbria admittere coactus fuit, ubi in vita & poſt mortem miraculis claruit. Hæc conſtat ex Tebaldo ejus ſucceſſore in ejus Vita, quam refert Papebrocius ad diem XVI menſis Maii, ex qua & conſtat, eum migraſſe ad Dominum anno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo, anno Epiſcopatûs ſui trigeſimo primo, ſeu *ſequenti nocte, quam Sancti Pentecoſtes dies Dominicus præceſſerat*, quod feſtum anno MCLX die XV Maii celebratum eſt, & Eugubini ab omni retrò memoria diem XVI Maii, ut Sancti ſui protectoris natalem obſervant.

XIII. *S. Ubaldum Eugubinum Epiſc. canonizat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo Cœleſtinum Papam, Sanctum Malachiam Armachanum in Hibernia Archiepiſcopum Sanctorum pariter honoribus donaſſe, nos docet Auctor Chronici Clarævallenſis à Chiffletio editus, qui ab anno 1147. parvum ſed egregium ſuum Chronicon auſpicatur, illudque uſque ad annum 1192. perducit, licet illud elucubrarit poſt annum 1223. Philippi Auguſti Galliarum Regis emortualem: *Anno MCXCII*, inquit, *canonizatio beati Malachiæ.* Hic Sanctus Archiepiſcopus Hiberniæ Apoſtolus anno 1148. in Galliam venerat, ab Eugenio Papa III pallium petiturus, ſed Pontifex jam in Italiam perrexerat, ipſeque Malachias Claravalle mortuus eſt eodem anno *quarto Nonas Novembris*, ut inquit divus Bernardus in ejus Vita cap. ult. Godefridus in Vita S. Bernardi lib. 4. cap. 4. rem potius mirandam, quam imitandam hac occaſione refert, ſanctum nempe Bernardum pro tranſitu Malachiæ hoſtiam ſalutarem offerentem, cum ejus mors ſibi revelata fuiſſet, formam mutaſſe orationis, *& collectam*, inquit, *intulit, quæ ad Sanctorum Pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet, ita dicens: Deus qui beatum Malachiam Pontificem ſanctorum tuorum meritis coæquaſti*, viſionem tamen illam nemini aperuiſſe.

XIV. *Item S. Malachiam Armachanum Archiep.*

SEC. XII. COELESTINUS III. Anno verò milleſimo centeſimo nonageſimo tertio idem Cœleſtinus Pontifex Sanctum Joannem Gualbertum Abbatem, Congregationis Vallis Umbroſæ, ordinis Benedictini fundatorem, Sanctorum itidem albo adſcripſit, idque ſecundo Nonas Octobris, anno Pontificatûs ſui tertio, ut conſtat ex Conſtitutione 2. *Glorioſus Deus* Tomo primo Bullarii. Hujus Sancti, de quo ſuperius mentionem fecimus Vitam exhibet Surius ad diem XII menſis Julii, quo colitur.

XV. *Item S. Ioannem Gualbertum Abbatem.*

XVI. *Item S. Bernvvardum Hildensheimenſem Epiſc.*

Eodem anno 1193. Cum Cœleſtinus Cincium Presbyterum Cardinalem, Legatum in Daniam miſiſſet, & hic è ſua legatione rediens in civitatem Hildensheimenſem declinaſſet, ibi in monaſterio Beati Michaelis à Beato Bernwardo Hildensheimenſi Epiſcopo fundato, à Theodorico Abbate hoſpitio benignè receptus eſt. Cincius audita fama miraculorum ejuſdem Sancti Bernwardi, monaſterii fratribus ſuaſit, ut Romanum Pontificem pro ejus canonizatione adirent. Theodoricus itaque Abbas Romam mittitur, quò perveniens non modicum honoris à Papa conſecutus eſt. Statuta die Cardinalibus legi præcepit librum, qui de vita & miraculis Beati Viri conſcriptus erat, qui facilem in tam rationabili, Deoque accepta petitione aſſenſum præbuêre, quia indubitanter cognoverunt, Bernwardum glorioſam in terris vitam duxiſſe & multis coruſcaſſe miraculis. Quare *tam à Summo Pontifice, quàm à Cardinalibus, & maxima Cleri populique frequentia, Beatus Confeſſor in Sabbato ante Natale Domini ſolemniter canonizatur*, ut legitur in Hiſtoria Canonizationis & Translationis ejus apud Mabillonium Sec. VI Benedict. part. 1. Reliquiæ autem ejus anno ſequenti 1194. tranſlatæ, ut narrat Arnoldus Lubecenſis lib. 4. cap. 23. & ex eo Baronius.

XVII. *Annus mortis S. Bernvvardi diſcuſſus.*

Hunc Sanctum Antiſtitem anno MXXII obiiſſe probat Annotator Baronii ex Auctore Vitæ S. Godehardi, ejus in Epiſcopatum ſucceſſoris, ipſi æquali; quod confirmatur ex Chronico Hildensheimenſi à Duchesnio edito, & à Trithemio, aliiſque paſſim. Mabillonius tamen in Vitæ ejuſdem Sancti Bernwardi, Auctore Tangmaro Presbytero æquali conſcriptæ, obſervationibus præviis, exiſtimat totius vitæ Bernwardi contextum, non pati, ut ante annum MXXIII ejus obitus conſignetur; fatetur tamen ex ejus Vitæ Auctore videri hujus ſancti viri obitum ad eum annum differri non poſſe; quo nonobſtante annum illum MXXIII morti ejus aſſignat, præſertim quòd num. 48. ejus Vitæ dicatur mortem ipſi inſtitiſſe *anno ordinationis ſuæ trigeſimo primo*, quod corruit ſi ejus mors conſignetur anno MXXII, cum conſtet, eum ordinatum XVIII Kalendas Februarii anni DCCCCXCIII. Sed advertere debebat vir doctiſſimus illum annum corruptum eſſe, legendumque eſſe *anno ordinationis ſuæ trigeſimo*, cum immediate poſt Auctor ſcribat: *Obiit duodecimo Kalendas Decembris, ſedit autem in Cathedra triginta*

Digitized by Google

triginta annis. Quod eò ſecuriùs dicendum, quod, ipſo fatente Mabillonio, idem Auctor Sancti Michaelis monaſterium anno MXXII dedicatum fuiſſe ſcribens, non videtur Bernwardi obitum ad annum MXXIII differre. Sed Auctor Vitæ Sancti Godehardi, ejus in Epiſcopatum ſucceſſoris, certius argumentum ſuppeditat, præterquam enim quod hanc mortem in annum MXXII diſertè confert, temporis characterem aſſignat, ex quo demonſtratur S. Godehardum anno MXXII ordinatum eſſe Epiſcopum Hildensheimenſem, ideoque & eodem anno Bernwardum ad ſuperos evolaſſe. Poſtquam enim num. 18. dixit, Sanctum Godehardum Epiſcopatum recuſaſſe, poſtea num. 19. ait: *Tandem in vigiliis S. Andreæ Apoſtoli, quæ tunc in quinta feria ante Adventum Domini evenerant, ſomnium vidit,* &c. *Facto autem die Imperatorem ſecretius convenit, & mentis ſuæ pertinacia remiſſa* promiſit *ſe divinæ prædeſtinationi & ejus etiam conſilio & voluntati obſecuturum.* Poſtea ſubdit Auctor: *Sequenti verò die in Natali Apoſtoli cum ſummo Cleri plebiſque tripudio eidem paſtoralis curæ commendatur, qui proxima dominica Adventus domini ab Arilone Metropolitano Moguntino dignè Deo conſecratur,* ideoque ſomnium vidit Godehardus anno MXXII, quo vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli concurrebat cum feria quinta, litera dominicali exiſtente G. & conſecratus eſt dominica ſequenti prima Adventus, quæ concurrebat cum die ſecunda Decembris, cum Paſcha celebratum ſit eo anno die XXV Martii. Mortuus itaque jam erat S. Bernwardus. *SEC. XII. COELESTINUS III.*

XVIII. *Excommunicat Ducem Auſtriæ ob Regis Angliæ cauſam.*

Cum Richardus Angliæ Rex ab expeditione Jeroſolymitana rediens, naufragium in Hadriatico paſſus, à Leopoldo Auſtriæ Duce, privatæ injuriæ memore, die vigeſima menſis Decembris anni milleſimi centeſimi nonageſimi ſecundi, ut ſcribit Radulphus de Diceto pag. 668. captus eſſet, atque Imperatori Henrico V traditus, qui captivum ipſum detinuit; Eleonora Richardi Regis mater, & Epiſcopi ditionis ejus, inſtanter pulſarunt fores Apoſtolicæ Sedis pro liberatione ejuſdem Regis è manibus prædicti Imperatoris; eademque Eleonora Regina amarioribus literis iterum atque iterum Cœleſtinum Papam urgebat, ut auctoritate ipſi à Deo tradita, exerceret in filii ſui detentores gladium Petri, qui ad hoc conſtitutus eſſet ſuper gentes & regna. Quare Pontifex præviis legitimis denunciationibus ſententia excommunicationis perculit Leopoldum Auſtriæ Ducem, qui Richardum cœperat: & ut ait Rogerius Hovedenus, præcepit Imperatorem cum univerſa ejus terra ſubjici anathemati, niſi quantocius Regem Angliæ liberaret, itemque regnum Francorum cum ſuo regno, niſi ab ejuſdem perſecutione deſiſteret; quippe qui dominium ejus invaſerat, adhærente ſibi ipſo Joanne Fratre Richardi Regis. Sed inter hæc Richardus pacta in ſui redemptionem centum quinquaginta millium marcharum argenti puri ſumma,

datiſque

SEC. XII. *COELESTINUS III.* datiſque pro ea obſidibus, permiſſus eſt liber abire ineunte Februario anni 1194. ut ſcribit idem Hovedenus.

XIX. *Legatum pro eadem cauſa ad eum mittit.* Matthæus Paris ad annum 1195. addit, eumdem Richardum Regem poſt ſuam liberationem interpellaſſe Cœleſtinum Papam adversùs eumdem Leopoldum Auſtriæ Ducem, pro reſtituenda pecunia, quam ille injuſte ab eo pro ipſius redemptione exegiſſet, ac dimittendis obſidibus, qui pro alia pecunia adhuc ſolvenda in vinculis detinerentur: Cœleſtinum ipſum Ducem iterum excommunicaſſe, terram ejus Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuiſſe, & *Veronenſi Epiſcopo* dediſſe *in mandatis*, quatenus interdicti & excommunicationis ſententiam, per totum Auſtriæ Ducatum faceret publicari, niſi *obſides Regis Anglorum univerſos* abſolveret: *Conditiones omnes quas exegit ab ipſo* relaxaret, *& oblata ſibi per eum & ſuos, & quæ de ipſius Regis iniqua redemptione percepit, ſibi per univerſa reſtituens, eoſdem obſides faciat cum ſecuritate ad propria remeare*, ut legitur in literis Cœleſtini Veronenſi Epiſcopo *Romæ apud Sanctum Petrum VIII Idus Junii, Pontificatus* ejus *anno quarto* datis, quæ referuntur à Radulpho de Diceto in Imag. Hiſt. pag. 675. Quare Epiſcopus Veronenſis hac in cauſa delegatus fuit, non anno 1195. ſed anno 1194. Verùm, ut ait Matthæus Paris cum Leopoldus mandata Apoſtolica aſpernatus eſſet, ultione divina, equus cui inſidebat, die Sancti Stephani, tibiam ejus cum pede inſanabiliter contrivit, nec valuit, ulla medicorum arte ſanari. Ante mortem tamen, Cœleſtini Papæ Leopoldum præcepta impleſſe, & à ſententia excommunicationis abſolutum fuiſſe, præter Matthæum Pariſienſem, referunt etiam Guillelmus Neubrigenſis lib. 5. cap. 6. & Hovedenus.

XX. *Legatos in Galliam mittit pro cauſa divortii Philippi Regis & Ingelburgæ Reginæ.* Philippus Auguſtus Franciæ Rex uxorem duxerat Elizabetham Balduini Comitis Hannoniæ filiam; ſed eâ Idibus Martii anni MCXC, ut ſcribit Rigordus in Philippo Auguſto, mortuâ, *ſecundam duxit uxorem Ingelburgem Regis Daniæ filiam, in vigilia Aſſumptionis Sanctæ Mariæ, Ambianis* anno MCXCIII, ut ad eum annum habent Chronographus Aquicinctinus, & Hovedenus in Annalibus, qui tamen male eam appellat *Botildam*, cum Gallicarum & Danicarum rerum Hiſtorici, *Ingelburgem*, vel *Gerbergam* eam nominent. Eam tamen non multò poſt cognitam dimiſit Philippus & repudiavit ſub prætextu ſanguinis propinquitatis, annuentibus regni ejus Epiſcopis. *Per cenſuram Eccleſiaſticam matrimonium eſt ſeparatum*, inquit Rigordus, qui ſubdit, Cœleſtinum Papam *ad conqueſtionem Danorum* miſiſſe Legatos ſuos in Franciam, Meliorem ſcilicet, Presbyterum Cardinalem, & Cencium Subdiaconum, qui Pariſios convocaverunt Concilium omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, necnon Abbatum totius regni, pro cauſæ hujus examine, ſed ſine fructu, *quia facti ſunt canes muti non valentes latrare, timentes etiam pelli ſuæ.* Conciliorum Collectores hoc Concilium anno 1196.

Con-

Congregatum exiſtimant à Meliore Cardinali & Cencio Subdiacono, Apoſtolicæ ſedis Legatis; Cœleſtinus tamen Papa in Epiſtola, quam ſcripſit ad Archiepiſcopum Senonenſem *data Laterani III Idus Martii Pontificatus anno V*, ideoque eodem anno 1196. meminit ſolius Cencii, quem ad hoc ſpecialiter Legatum miſſum ait: *Nos vero*, inquit, *qui ipſum Regem Catholicum & Eccleſiæ Romanæ valde devotum ab inclita memoria progenitoribus ſuis ſpecialiter in viſceribus charitatis habemus....... per dilectum filium Cento Subdiaconum Notarium noſtrum Apoſtolicæ Sedis Legatum, ad hoc ſpecialiter miſſum, & literas noſtras rogavimus excellentiam ejus, monuimus*, &c. *Sed idem Rex Legatum prædictum & literas noſtras devotione qua decuit, ſicut accepimus non recepit.* Ex quibus ſequi videtur Cencium Subdiaconum jam longe ante menſem Martium anni 1196. quo hæc Epiſtola data, in Galliam Legatum miſſum, ideoque & Concilium illud Pariſiis congregatum anno 1195. vel ad ſummum ipſo initio anni 1196. ſed Philippum Regem Legatum *devotione qua decuit* non recepiſſe, quod convenit cum eo quod air Rigordus, Legatos *timentes etiam pelli ſuæ* nihil ad perfectum deduxiſſe.

SEC. XII. COELESTINUS III.

XXI. *Sententiam divortii ab Epiſcopis Gall. prolatam caſſat.*

Certè ſi duæ Cencii legationes pro hac cauſa diſtinguendæ eſſent, quarum priorem obierit cum Meliori Cardinale, hæc longe ante iſtam ultimam, de qua loquitur Cœleſtinus in prædicta Epiſtola, obita eſt, cum idem Pontifex poſt ſecundam, menſe Martio anni 1196. ſententiam divortii inter Philippum Regem & Ingelburgam Reginam, ab Epiſcopis Galliæ datam caſſaverit, & penitus irritaverit, ac Archiepiſcopo Senonenſi præceperit, ut ſi Philippus Regina vivente aliam ſuperducere forte voluerit, id ei auctoritate Apoſtolica inhibere firmiter procuret: *Nos autem*, inquit, *ſicut novit dominus, licet propter hoc ſimus conturbati, pro ſalute tamen animæ ejus, de qua nos oportet propenſius cogitare, amplius contriſtamur...... Inde eſt quod publicum inſtrumentum ſuper genealogia ex parte venerabilium fratrum noſtrorum Lunden. Archiepiſcopi & ſuffraganeorum ejus nobis tranſmiſſum, & famam publicam attendentes, ſententiam illam divortii contra ordinem juris prolatam, de fratrum noſtrorum conſilio caſſantes, & penitus irritantes, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus ſi ſupradictus Rex ſuæ conditionis oblitus, ea vivente aliquam ſuperducere fortè voluerit, vos auctoritate freti Apoſtolica id eidem inhibere firmiter procuretis.* Rationem autem reddiderat Pontifex, cur eam ſententiam à Willelmo Remenſi Archiepiſcopo & aliis Galliarum Epiſcopis *contra ordinem juris prolatam* irritandam cenſeret, nempe, *quia non eſt à temeritatis vitio alienum, quod in tam arduo & difficili negotio non fuit cenſura Sedis Apoſtolicæ requiſita, per quam vel ipſum canonicè finiretur, vel committeretur aliquibus qui idem ſervato juris ordine ſecundum ſtatuta canonica terminarent. Hic revera contra Sanctorum Patrum veneranda Concilia proceſſum eſt manifeſtè*, qui

SEC. XII. COELESTINUS III. *qui majores & difficiliores quæſtiones ab univerſis ad ſedem Apoſtolicam cenſuerunt debere perferri, quod uſque in hodiernum diem non ſolum à Gallicana Eccleſia, præterquam in præſenti articulo, verum etiam à longe remotioribus devotiſſimè obſervatur.* Dicit poſtea Epiſcopos, qui ſententiam illam divortii protulerunt, debuiſſe prius *ſollicitamente revolvere* quod in ſacris canonibus *de Theugaldo Treverenſi & Guntharo Colonenſi, Archiepiſcopis legitur, qui depoſitionis ſententia meruère percelli, pro eo quod in matrimoniali cauſa Lotharii Regis & Teberga uxoris ejus normam æquitatis nequiter temerantes ſanctiones canonicas exceſſerunt*; de quo Lotharii & & Teutbergæ divortio vide dicta Tomo ſuperiori in Nicolao Papa hujus nominis primo. Epiſtolam porrò Cœleſtini integram refert Radulphus de Diceto in Imag. Hiſt. pag. 681.

XXII. *Philippum fruſtrà monet ut uxorem legitimam in gratiam recipiat.*

Philippus tamen Rex nonobſtante Cœleſtini Pontificis prohibitione, ut refert Rigordus ad annum 1196. aliam duxit uxorem: *Eodem anno,* inquit, *& eodem menſe* (nempe Junio, cujus ſupra mentionem fecerat) *Philippus Rex duxit uxorem nomine Mariam filiam ducis Meraniæ & Bohemiæ, Marchioniſque Iſtriæ.* Quidam eam non Mariam, ſed Agnetem appellant, quia forſan binominis erat. Sed falluntur qui volunt eam fuiſſe filiam Ducis Moraviæ, quæ ſita eſt ad Marham, cum Merania ad Atheſim fluvium, ubi nunc principatus Tirolenſis, conſiſtat. Ingelburga Regina queſta eſt apud Cœleſtinum Papam, quod Philippus maritus aliam uxorem ſuperinduxiſſet, literis quas refert Baluzius Tomo 1. Miſcell. pag. 422. in quibus ait: *Jam triennium eſt elapſum, quod Rex Franciæ me in ætate nubili deſponſavit, & mihi, prout naturalis Ordo depoſcit, debitum reddidit maritale. Poſtmodùm verò inſtigatione diabolica, & quorundam malicioſorum Principum perſuaſione filiam Ducis S.* (litera illa S. ad proprium Ducis nomen fortè refertur) *ſuperinduxit, & retinet pro uxore; me verò in quodam caſtello incarcerari præcepit, ubi ſic proſcripta, dego, quod ad cœlos levare oculos non audeo, neque poſſum,* &c. *proh dolor! ſpernere veſtræ ſanctitatis literas non formidat, audire Cardinalium juſſa recuſat, Archiepiſcoporum & præſulum dicta contemnit, & admonitiones religioſorum quorumlibet aſpernatur,* &c. *Unde niſi veſtra miſericordia mihi miſereri dignetur, morti ſuccumbam in proximo temporali.* Qua ex Epiſtola poſt medium menſis Auguſti anni 1196. ſcripta, ut patet ex his verbis, *jam triennium eſt elapſum quod Rex Franciæ me in ætate nubili deſponſavit,* in vigilia nempe Aſſumptionis S. Mariæ anni 1193. deducitur Cœleſtinum Papam quoſdam Cardinales ad Philippum Regem miſiſſe, qui ei juberent, ut ejecta ſuperinducta, Ingelburgam Reginam in gratiam reciperet, quorum juſſa Philippum Regem ſpreviſſe aſſerit Regina in prædicta Epiſtola. Sed quidquid ſit, certum eſt Philippum,

Mariam

Digitized by Google

Mariam ſuper inductam tenuiſſe uſque ad annum milleſimum ducenteſimum primum, ut in Vita Innocentii III videbitur. *SEC. XII.* COELESTINUS III.

Willelmo hujus nominis II Siciliæ Rege, ſine hærede anno MCLXXXIX mortuo, hæres regni ab eo ante mortem deſignatus eſt Henricus Germaniæ Rex, qui Willelmi amitam Conſtantiam, filium Rogerii Siciliæ Regis, Willelmi II avi, in conjugio habebat. Sed Siculi Tancredum Ducis Rogerii filium naturalem, cujus pater Rogerius primus in regno Siciliæ Regis ſortitus eſt nomen, quòd ſtirpe regia deſcenderet, in ſolium Regium ſublimarunt, eumque anno MCXC coronarunt. Quam ob cauſam cum arderet bellum inter Henricum & Tancredum, Conſtantia, quæ cum Henrico marito anno MCXCI à Cœleſtino Papa Auguſta coronata fuerat, à Salernitanis comprehenſa, circa finem ejuſdem anni Tancredo tradita, in cuſtodia ab eodem detenta eſt. Verùm intercedente Cœleſtino Papa, Conſtantia vinculis ſoluta, ejuſque expenſis in Alemanniam remiſſa: *Anno MCXCIII*, inquit Joannes de Ceccanno in Chronico, *Indict. X. dominus Cœleſtinus Papa miſit dominum Aegidium Diaconum Cardinalem Anagnia, & retulit Imperatricem Conſtantiam, quam Salernitani dederant Regi Tancredo, & honorificè duxit eam Romam. Et ſic Dominus Papa honorificè remandavit eam cum ſuis expendiis Imperatori in Alemanniam.* At fallitur Ceccanus quoad annum; Indictio enim X oſtendit, Conſtantiam liberatam & in Germaniam remiſſam anno MCXCII. Richardus de Sancto Germano in Chronico ait, ſupradictam Imperatricem à Rege Tancredo dimiſſam, *ducentibus eam Cardinalibus ad hoc miſſis à Papa, qui* (ſcilicet Tancredus) *putabat Romæ cum ea de concordia tractare* (de Siciliæ regno). *Sed* eamdem Auguſtam *Urbis* declinaſſe *ingreſſum, & per Tiberim in partes Spoleti* receptam eſſe. XXIII. *Conſtantiam Aug. captivitate liberat, & marito reſtituit.*

Anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto Joannes Morezonii Comes, Richardi Angliæ Regis frater, Bellovacenſem urbem inſultavit cum exercitu, quod audiens Philippus Epiſcopus Bellovacenſis, ſumptis propere armis, bellicoſus magis Pontifex quam religioſus apparuit. Sed fortuna mutata *XIV Kalend. Junii, feria ſecunda*, captus & vinctus Regi Anglorum oblatus eſt, ut narrat Hovedenus pag. 768. & cum eo Matthæus Paris in Chronico. *Bellicoſus itaque Pontifex*, inquit Joannes Bromptonus in Chron. ad annum 1197. quo Cœleſtinus Papa ad Richardum Regem, pro ejus liberatione ſcripſit, *in vinculis ſervabatur, & ab hoſtibus, forte mitius quàm meruerat tractabatur, ſed plane durius quam Epiſcopum decebat. Interpellavit etiam per ſuos Summum Pontificem, ut Eccleſiatici vigoris inſtantia liberaretur de manibus detentoris. Sed ille ſummus Pontifex prudenter conſiderans, quod Rex Angliæ Epiſcopum non prædicantem, ſed præliantem cepiſſet, & hoſtem magis rigidum, quam Præſulem pacificum in vinculis teneret, ut illum vinctum relaxaret noluit illi moleſtus* XXIV. *Epiſcopi Bellovac. in bello capti liberationem ab Anglia Rege fruſtrà petit.*

 eſſe:

SEC. XII. *eſſe: ſed interpellanti ſapienter & diſcretè reſpondit, improperans quòd ſecularem militiam Eccleſiaſtica prætuliſſet, ſumendo pro baculo paſtorali lanceam, pro mitra galeam, pro alba loricam & clipeum pro ſtola, & gladium ferreum pro gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei: negansque ſe pro eo ſic capto & vincto Regi Anglorum Imperaturum, ſed pro liberatione ſua ſupplicaturum ſe dixit. Pro quo cum Papa ſcriberet, ut liber è carcere dimitteretur, curialiter Regem increpans, quòd Philippum Belvacenſem Epiſcopum Fratrem ſuum Kariſſimum ſic cepit & detinuit; Rex miſſa lorica Epiſcopi in qua captus fuit, Domino Papa pro Fratre ſuo ſcribenti in Epiſtola ſua dixit:* Vide ſi tunica fratris tui ſit, annon. *Et Papa deſinente pro eo amplius petere, per redemptionem poſtea Epiſcopus liberatur*, ſed anno tantum MCCII, ut tradit Matthæus Paris ad eum annum. Certè caſtris intererant quidem Prælati, ut pro Rege ac patria militantes ſuis exhortationibus ad rem præclarè gerendam accenderent, iiſque benedictionis gratiam impertirentur, ac denique pro fauſtis eorum ſucceſſibus Deum exorarent; ſed nunquam eis licuit præliis intereſſe, niſi cum contra Paganos pugnandum erat; tunc enim Prælati & Sacerdotes id canonum ſancitis contrarium non cenſuêre. Hinc paſſim bellis ſacris interfuêre, & in iis ſæpe vel vulnerati, vel cæſi, ut videre eſt apud Abbonem lib. 1. & 2. de bello Pariſiaco, apud Hiſtoricos ſacrarum expeditionum, apud Rodericum Toletanum lib. 8. cap. 3. 9. & ſeq. ac plures alios.

COELESTINUS III.

XXV. *Legatum mittit ad reformandam Eccleſiam Polonam.*

Eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, ut teſtatur Joannes Dugloch, aliter Longinus dictus, Cœleſtinus Papa Petrum Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Via lata, Capuanum vulgariter nuncupatum, Legatum miſit ad Polonos atque Bohemos, qui Cracoviæ honorifice acceptus, id præcipue curavit, ut Sacerdotes à mulieribus & concubinis abſtinendo, caſtitatem ſervarent, quæ laicis eſſet in exemplum. Quæ omnia facile Eccleſia ſuſcepit Polona, atque ſervavit. Non ſic Bohemi, apud quos Cardinalis Legatus ſabbato *Sitientes* conſtitutionem caſtitatis promulgaturus, parum abſuit, quin ejus dignitas violaretur, ſed Bohemicorum Sacerdotum improbos conatus Henricus Epiſcopus Pragenſis oppreſſit. *Non ſolum autem in his, ſed in pluribus aliis Cardinalis prædictus Polonicam Eccleſiam, Pontificibus & Clero benevolis ſe prabentibus ad ſingula reformavit*, inquit idem Joannes Longinus.

XXVI. *Henrico V. Imp. Sacram Sepulturam impendi prohibet.*

Tancredus Siciliæ Rex obiit anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, poſtquam filium ſuum Willelmum Regem coronaſſet. At Henricus Imperator occupato Siciliæ regno, eumdem Willelmum detinuit & in Germaniam captivum duxit. Sed ipſemet Henricus anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo *obiit in Sicilia apud Meſſanam in vigilia Sancti Michaelis*, quæ incidit in diem 28. Septembris, *excommunicatus à Cœleſtino Papa propter captionem & redemptionem Richardi Regis Angliæ*, inquit Hovedenus in parte poſteriori pag. 773. Quare Cœleſtinus

leſtinus Pontifex prohibuit, ne corpus illius ſepeliretur, niſi de conſenſu ejuſdem Regis, & niſi pecunia, quam ab eo extorſerat, redderetur: Idem enim Rogerius Hovedenus ſubdit, de Archiepiſcopo Meſſanenſi loquens: *Venit itaque præfatus Archiepiſcopus ad Cœleſtinum Papam tribus de cauſis. Prima, ut corpus Imperatoris ſepeliretur. Secunda, ut Marcouvaldus ſummus Imperatoris juſtitiarius liberaretur ab obſidione Romanorum, qui eum obſederant in Marchia Guarneri; non permittentes eum inde exire. Tertia, ut Fridericus præfati Imperatoris filius coronaretur de regno Siciliæ. Ad primam vero petitionem reſpondit Dominus Cœleſtinus Papa, quod non permitteret corpus Imperatoris ſepeliri, niſi de conſenſu Regis Angliæ, & niſi pecunia, quam ipſe de Rege Angliæ ceperat, redderetur. Ad ſecundam petitionem reſpondit Papa quod prædictus Marcouvaldus per ipſum liberari non poterat, niſi de voluntate Romanorum.*

SEC. XII. CŒLESTINUS III.

XXVII. *Fridericum II poſtea Imp. Siciliæ Regem conſtituit.*

Ad tertiam petitionem reſpondit Dominus Papa, quod conſentiret, ſi fratribus ſuis Cardinalibus placeret, ut Fridericus præfati Imperatoris filius coronaretur de regno Siciliæ. Et factum eſt ita, datis Domino Papæ mille marchis argenti ad opus ipſius, & mille marchis argenti ad opus Cardinalium. Juravit etiam Imperatrix tactis Sacroſanctis Evangeliis, quod prædictus Fridericus natus fuit de legitimo matrimonio prædicti Henrici Imperatoris, & ipſius Conſtantiæ, quod juramentum Cœleſtinus Papa à Conſtantia exegit, antequam Friderico conferret regnum Siciliæ, eò quòd ſuſpiciones increbuiſſent, Fridericum fuiſſe partum ſuppoſitum. Condiderat autem Henricus ante mortem teſtamentum, quo non ſolum per filium ſuum Richardo Angliæ Regi reſtituendum mandaverat, quod ab eo extorſerat, & niſi faceret, per Sedem Apoſtolicam cogeretur, ut conſtat ex Epiſtola 230. Innocentii III ad eumdem Richardum Regem; ſed etiam Eccleſiæ Romanæ exhiberi juſſerat omnia jura, quæ à Regibus Siciliæ ei reddi conſueviſſent, & ut ſi filius ſine hærede decederet, eadem Sicilia ad Eccleſiam Romanam deveniret, ut habetur in Actis Vitæ ejuſdem Innocentii antiquitùs ſcriptis: inſuperque alia plura eidem reſtitui ordinaverat. Quamobrem Hovedenus tradit, Henrico defuncto magnam partem Tuſciæ, quam idem Imperator, & prædeceſſores ejus abſtulerant, redditam eſſe Cœleſtino Papæ: itemque Siciliam, Calabriam, Apuliam & omnes terras, quæ fuerant Regis Siciliæ, ſicut proprium patrimonium Sancti Petri, æque ei exhibitas eſſe: Sed Cœleſtinum Papam in eis conſtituiſſe Regem Fridericum Henrici & Conſtantiæ filium.

XXVIII. *Proximus morti de ſucceſſore ſuo tractat ſed renuunt Cardinales.*

Poſt hæc cum Cœleſtinus Pontifex ante natale Domini ejuſdem anni milleſimi centeſimi nonageſimi ſeptimi cœpiſſet ægrotare, convocatis ante ſe univerſis Cardinalibus, ut ait idem Rogerius, præcepit, ut tractarent de ſucceſſore eligendo: cumque ipſe valde cuperet, Joannem de Sancto Paulo Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Priſcæ Virginis,

 de

SEC. XII. COELESTINUS III. de cujus ſapientia, ſanctitate & juſtitia plurimùm confidebat, ſibi ſuccedere; obtulit ſe ipſum deponere à Papatu, ſi Cardinales conſentirent in ejus electionem. Sed omnes una voce reſponderunt, ſe nolle illum conditionaliter eligere, eſſeque inauditum, ut Summus Pontifex ſe deponeret: cum & alioqui ſeniores, aliique ſinguli Cardinales cuperent ipſimet ad Pontificatum evehi.

XXIX. *Moritur.* *Eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo Cœleſtinus Papa ſenio & gravi morbo laborans, obiit Romæ menſe Januarii, ſexto Idus ejuſdem menſis, feria ſecunda* (legendum, feria quinta, ut methodus cyclica oſtendit) *ſeptimo anno Papatûs ſui, & Laterani ſepultus eſt*, ſubdit idem Rogerius. Eumdem diem mortis Cœleſtini notat Innocentius III ejus ſucceſſor in Epiſtola de electione ſua, Anglis & Scotis data apud eumdem Rogerium Hovedenum pag. 777. ubi ait: *Cœleſtino patre ac prædeceſſore noſtro VI Idus Januarii viam univerſæ carnis ingreſſo, & in Lateranenſi Baſilica, ſicut moris eſt, honorificè tumulato*, &c. Cum itaque electus fuerit die trigeſima Martii anni milleſimi centeſimi nonageſimi primi, & obierit die octava Januarii anni milleſimi centeſimi nonageſimi octavi, ſedit annos ſex, menſes novem, & dies novem emortuali excluſo. In libello Joannis Diaconi Junioris de Eccleſia Lateranenſi apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici pag. 569. legitur: *Cœleſtinus Papa III jacet juxta Sanctam Mariam de Repoſo.*

XXX. *Pueros ante pubertatem monaſteriis oblatos ad ſeculum redire permiſit.* Pueros impuberes à parentibus monaſteriis oblatos, tametſi ad intelligibilem ætatem nondum perveniſſent, in iis permanere, vota ſervare obſtrictos fuiſſe, nec potuiſſe poſt annos pubertatis parentum promiſſionem irritare & ad ſeculum redire, fusè oſtendit Hugo Menardus ad caput 66. Concordiæ Regularum. Æquali enim vinculo monaſterio adſcripti cenſebantur tam qui proprio arbitrio & voluntate profitebantur, quàm qui parentum devotione offerebantur: idque ſancitum fuit canone 48. Concilii Toletani IV anno circiter DCXXXIII celebrati, his verbis: *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit: quicquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad ſeculum interdicimus regreſſus.* Id etiam præceperat Sanctus Benedictus in Regulæ ſuæ cap 59. probatque Rabanus Maurus libello ſingulari, quem adversùs quoſdam huic Regulæ præcepto reſiſtentes compoſuit, quem Mabillonius in Præfatione partis I Sec. VI Benedictini §. 5. num. 36. ſe in lucem daturum promiſerat. Hic mos offerendi pueros etiam quinquennes & ſeptennes, vigebat adhuc tempore Sancti Bernardi, ſed à Cœleſtino III ſublatus fuit, cujus hac de re decretum refertur cap. *Cum ſimus* de Regularibus, in eo enim loquens de quodam milite, qui ſe cum filio ſuo diſcretionis annos nullatenus attingente, ad quoddam monaſterium cum bonis ſuis contulerat, & dictum filium fecerat ſuſcipere habitum monachalem, ait: *Quod ſi*

dictus

dictus puer ad annos diſcretionis pervenit, & habitum retinere noluerit Monachalem: ſi ad hoc induci nequiverit, non eſt ullatenus compellendus: quia tunc ſibi liberum erit, eum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt, poſtulare. Mabillonius loco laudato, & in præfatione partis II ſeculi IV num. 199. ac Tomo ſecundo Analectorum pag. 530. de hac puerorum in monaſteriis oblatione olim irrevocabili, agit, & in dicta Præfatione Seculi IV concludit, poſt Carolum Magnum paulatim uſum obtinuiſſe apud Cluniacenſes, ut perſeverante etiam puerorum per parentes oblatione, relaxata ſit pueris neceſſitas in monaſterio permanendi, donec adulta jam ætate oblationem ſuam ratam habuiſſent: illumque uſum à Cluniacenſibus ad alios propagatum, tandemque novo jure ſancitum Clementis Papæ III & Cœleſtini item III auctoritate, cui demum acceſſit Concilium Tridentinum. *SEC XII.* COELESTINUS III.

INNOCENTIUS III *Pontifex CLXXVI.*

Anno Domini MCXCVIII.

Licet Cencius de Sabellis in Ordine Romano, cujus partem in Cœleſtino III retulimus, diſertè ſcribat, mortuo Romano Pontifice, tertio tantum die poſt agi cœptum de ſucceſſoris electione, poſt mortem tamen ejuſdem Cœleſtini, eodem die electum fuiſſe Innocentium III, nos dubitare non ſinunt Acta Vitæ ejus à Franciſco Boſqueto, ex veteri Collegii Fuxenſis mſ. edita; ita ut Cœleſtinus mortuus ſit nocte diei Octavæ Januarii, mane celebratæ ſint exequiæ, eodemque mane ad electionem progreſſum; in iis enim legitur: *Defuncto igitur Cœleſtino, cum quidam Cardinalium ſe contuliſſent ad Septa Solis monaſterii Cliviſauri, ut liberius & ſecurius ibi poſſent de ſucceſſoris electione tractare, ipſe* (nempe Innocentius) *cum quibuſdam aliis ad Baſilicam Conſtantinianam voluit deceſſoris exequiis intereſſe. Quibus honorificè celebratis, ipſe cum illis ad præfatum locum acceſſit. Miſſarum Solemniis in honorem Sancti Spiritûs à ſolis ibidem Cardinalibus celebratis, cum ad tractandum de ſubſtitutione Pontificis conſediſſent, placuit omnibus in communi ut ad terram humiliter inclinati, ſinguli pacis oſculum ſibi darent. Et exhortatione præmiſſa, examinatores fuerunt ſecundum morem electi, qui ſigillatim votis omnium perſcrutatis, & in ſcriptis reductis, examinationem factam retulerunt ad fratres. Et quoniam in eum plurimi convenerant, licet tres alii fuiſſent ab aliquibus nominati, poſt diſputationem ſuper ætate habitam inter eos, quia tunc erat annorum triginta ſeptem, omnes tandem conſenſerunt in ipſum propter honeſtatem morum & ſcientiam literarum, eum in Summum Pontificem eligentes, flentem, ejulantem, & renitentem, vocantes ipſum Innocentium, cum prius Lotharius vocaretur.* Et publicata electione, *cum laudibus ductus eſt à multitu-* *SEC. XIII.* I. *Innocentius III eligitur Pontifex.*

multitudine Cleri & populi, qui inferius expectabat, ad Conſtantinianam Baſilicam, & inde ad Patriarchium Lateranenſe perductus, peractis omnibus ſecundum morem ſolitum & antiquum.

II. *Et quidem ipſo die mortis & ſepulturæ deceſſoris.*

Electionem illam die Octava Januarii anni 1198. peractam, docet idem Auctor anonymus: *Celebrata eſt*, inquit, *ejus electio ſexto Idus Januarii anno Incarnationis dominicæ millеſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo*, à die XXV Martii deducto, qui ideo nobis eſt 1198. Hæc epocha confirmatur ex eo quod ſequenti mox die Innocentius Epiſtolam dederit de legitima ſui electione: quæ ut fauſta, reipublicæque Chriſtianæ ſalutaris exiſtat, omnes Deum orare jubet; data eſt enim *Laterani* quinto Idus Januarii, eſtque ordine prima in editione Baluzii. Ex eadem Epiſtola habemus, Cœleſtinum ejus deceſſorem obiiſſe die octava Januarii, & conſequenter eadem die ſepultum, & Innocentium electum: *Sane felicis memoriæ*, inquit Innocentius, *Cœleſtino patre ac prædeceſſore noſtro VI Id Jan. viam univerſæ carnis ingreſſo, & in Lateran. Baſilica, ſicut moris eſt, honorificè tumulato, fratres noſtri, videlicet Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales, & nos ipſi cum eis ſimul in unum ſeceſſimus...... Cumque Miſſarum ſolemnibus in honorem Sancti Spiritûs celebratis requiſitæ fuiſſent omnium voluntates, ad inſufficientiam noſtram oculos extenderunt ..... licet plures ex ipſis ætate, ordinis & meriti ratione potuiſſent ad tantæ dignitatis apicem dignius evocari.* In Epiſtola autem undecima Jeroſolymitano Patriarchæ ejuſque ſuffraganeis data, aſſerit ſuam electionem peractam die octava Januarii, ait enim, Cœleſtino *VI Idus Januarii* mortuo & ſepulto, ſe *in ſummum Pontificem ipſo die depoſitionis ejuſdem* aſſumtum.

III. *Ejus patria, genus, & primordia ante Pontificatum.*

Plures ex Cardinalibus fuiſſe & ætate maturiores, & Ordinis dignitate præſtantiores, oſtendit non ſolum hæc Epiſtola, ſed & Auctor ejus Vitæ laudatus, qui ait, eum tunc fuiſſe tantum *annorum triginta ſeptem.* Erat præterea tantum Diaconus Cardinalis, cum plures ex aliis eſſent Epiſcopi & Presbyteri itidem Cardinales. Vocabatur antea Lotharius, filius Traſimundi, ſeu Tranſmundi, Patria Anagninus, ex nobili Genere Comitum Signiæ. Primùm Romæ, deinde Pariſiis, tandem Bononiæ Scholaſticis ſtudiis inſudaverat, & ſupra coætaneos ſuos, tam in Philoſophia, quàm in Theologia, quam & publicè profeſſus eſt, profecerat: à Gregorio octavo in Subdiaconum ordinatus eſt, à Clemente verò tertio promotus in Diaconum Cardinalem tituli SS. Sergii & Bacchi, cum ageret annum ætatis vigeſimum nonum. Quæ omnia conſtant ex citato Vitæ ejus Auctore. Sed & ante acceptam Cardinalem Diaconiam, militaſſe in Eccleſia Sancti Petri Canonicum, idem ipſe teſtatur in Epiſtola 296. lib. 1. ad eoſdem Canonicos jam Pontifex data. Sumſit autem ſibi Symbolum, ſive ſententiam, quam in circulo ſigilli de more inſculperet, ex Pſalmo 85. *fac mecum domine ſignum in bonum.*

Cum

Cum porrò Innocentius, ut dictum eſt, eſſet tantum Diaconus Cardinalis, *dilata eſt ejus ordinatio in Presbyterum uſque ad ſabbatum quatuor temporum, nono Kalendas Martii; & ſequenti Dominica in qua tunc occurrit feſtum cathedra Sancti Petri* (die XXII Februarii) *fuit apud Sanctum Petrum in Epiſcopum conſecratus, & in ejuſdem Apoſtoli cathedra conſtitutus non ſine manifeſto ſigno & omnibus admirando:* Quod ſignum antea Auctor retulerat, quod ſcilicet cum electio fieret, *tres columba frequentabant volatus in locum in quo Cardinales ſedebant congregati, & cum ipſe poſt nominationem fuiſſet à ceteris ſegregatus, una illarum, qua candidiſſima erat, juxta dexteram inſidebat.* Ejus conſecrationi interfuerunt quatuor Archiepiſcopi, & viginti octo Epiſcopi, ſex Presbyteri & novem Diaconi Cardinales, ac decem Abbates, cum quibus omnibus *proceſſu ſolemniter coronatus per Urbem à Baſilica Sancti Petri uſque ad Lateranenſe palatium* comitantibus Præfecto & Senatore cum magiſtratibus & nobilibus Urbis. Populus autem cum pſalmis & floribus, cum hymnis & canticis, obviam illi catervatim venerunt, *factaque lande tàm infrà Eccleſiam Sancti Petri, quàm ante Lateranenſe palatium, poſtquam aſcendit in domum majorem, qua Leonina vocatur, Presbyterio per ordinem diſtributo, ſolemne convivium celebravit.* Hæc, quæ ex ejus Vita deſumſimus, iis ſimillima ſunt, quæ de quibuſdam aliis Romanis Pontificibus ſuperius retulimus, cum eorum inaugurationis & coronationis pompam expreſſimus. SEC. XIII. INNOCENTIUS III. IV. *Conſecratur & coronatur.*

Antequam Innocentius conſecraretur Pontifex, XII Kalendas Martii, petenti Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut eos, qui à Romano Pontifice aliquem ordinem, quorum maxima erat multitudo, receperant, ad Diaconatum & Subdiaconatum promovere poſſet, cum ipſius Eccleſia ea de cauſa miniſtrorum penuriam pateretur, indulſit, ea lege, ut *ſi aliqui fuerint de prædictis Clericis, qui ad hoc videantur idonei, & ſpontanea voluntate per* ejus *miniſterium voluerint ad ſacros ordines promoveri, eos auctoritate* Apoſtolica *liceat ordinare. Alioquin illos quos ad officium illud magis idoneos ac neceſſarios fore* cognoverit *per literas ſignificare* curet. *Nos enim*, inquit, *deliberato conſilio reſpondebimus, quid tibi ſuper hoc fuerit faciendum.* Eſt Epiſtola 22. libri primi data *Laterani XII Kalendas Martii.* Qua ex Epiſtola habemus initiatos à Romano Pontifice, ab alio Epiſcopo ſine ejuſdem Pontificis licentia ad ſuperiores ordines promoveri non potuiſſe. Quædam alia ante ſuam conſecrationem expedivit negotia, quorum diplomata, cùm dimidiâ tantum bullâ conſignaret, ne eorum auctoritas ab aliquo revocaretur in dubium, atque infringeretur, encyclicis ad Præſules datis literis, quæ ordine ſunt 83. libri primi, ejuſdem fidei eſſe decrevit, ac reliqua, quæ bullâ integrâ poſtea communita fuerunt. Datæ ſunt hæ literæ *Laterani III Nonas Aprilis.* V. *Permittit Archiep. Mediol. ut poſſit promovere ad Subdiaconatum & Diaconatum eos qui à Papa ordinem ſuſceperunt.*

Sequenti die poſt conſecrationem ſuam Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit; eumque per mantum de præfectura publicè inveſtivit; VI. *Præfectum Urbis & Senatorem ſibi ſubjicit.*

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

inveſtivit; ad illud enim uſque tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo præfecturæ renuerat honorem: pariterque ab aliis Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit: ac miſſis nunciis per totum Eccleſiæ patrimonium, fecit ſibi fidelitatem ab omnibus exhiberi, & excluſis juſtitiariis Senatoris, ſuos ordinavit, electoque alio Senatore tàm infra Urbem, quàm extra patrimonium recuperavit nuper amiſſum. Hæc narrantur in ejus vitæ Actis, quibus conſentiunt, quæ in Regeſto Pontificio habentur, ſecundo nempe die à ſua conſecratione, Præfectum in Cardinalium Conſiſtorio fiduciarii viri officia Innocentio detuliſſe, ac ſcypho argenteo, accepti gratiſſimi obſequii ergò, donatum fuiſſe.

VII. *Marchiam, Spoletum & alia ad Eccleſiam revocat.*

Nihil etiam ipſo ſui Pontificatûs exordio antiquius habuit Innocentius, quàm ut tyrannos occupantes Dominium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ procul abigeret, revocaretque ſublatas provincias ejuſdem Eccleſiæ poteſtati. Eam in rem decrevit duorum Cardinalium legationem in Picenum, cui Marcuvaldus vir opibus potens (erat enim Seneſcallus Imperii, Dux Ravennæ & Romaniolæ, Marchio Anconæ & Moliſii) & dolis inſtructiſſimus incubabat: cumque Cardinales ad obſequia Eccleſiæ populos traducere, ac fidei ſacramenta exigere cœpiſſent, ut prædam retineret Marcuvaldus, miſſis oratoribus ſpopondit, ſe in fide ac poteſtate Innocentii futurum; ſed cum fraudes ſuas à Pontifice detectas præſagiret, promiſſa infregit; verùm omnes conatus ſuos deluſos intuitus, populoſque ad Eccleſiæ obſequium, excuſſo depulſoque ſervitutis illius jugo concurrere, oblata ingenti pecuniæ vi, promiſſoque cenſu annuo tentavit Innocentium, ut fiduciario titulo Marchiam ſibi relinqueret: at reſpuit infidi hominis preces Pontifex, Picenumque Eccleſiæ reddidit: *Reducta eſt igitur,* inquiunt laudata Acta, *tota Marchia præter Aſculum ad dominationem & fidelitatem Eccleſiæ, videlicet, Ancona, Firmum, Auximum, Camerinum, Fanum Eſim, Senegalia & Penſeunium cum omnibus diœceſibus ſuis.* Ducatum præterea Spoleti, Comitatum Aſſiſii, Montem-bellum, aliaſque civitates & arces ad patrimonium Sancti Petri pertinentes recuperavit, ut in iiſdem Actis legitur. Tuſciæ civitates ſanctè fœderatas, & juramento obſtrictas ad jurium Eccleſiæ Romanæ defenſionem, & ad nullum Regem vel Imperatorem admittendum, *niſi quem Romanus Pontifex approbaret*, Innocentius Pontifex in clientelam ſuſcepit, de quo plura idem Auctor, qui & Pontificis literas ordine 401. libri primi adducit, quibus Innocentius ſe ab oppreſſorum injuriis eas vindicaturum pollicetur.

VIII. *De Sicilia rebus quomodo tranſegerit.*

In Cœleſtini III Pontificatu diximus, mortuo Henrico V Imperatore, Conſtantiam Auguſtam ejus uxorem, ab eo petiiſſe Fridericum filium Siciliæ Regem coronari, quod & factum eſt. Sed cum non multò poſt obiiſſet Cœleſtinus, eadem Conſtantia frequentibus legationibus atque muneri-

Digitized by Google

muneribus, confeſtim ut Innocentius electus eſt, agere cœpit, ut inveſtituram ſibi filioque ſuo impertiret regni Siciliæ, Ducatûs Apuliæ & Principatûs Capuæ cum ceteris ſuis adjacentiis. Sed Innocentius attendens privilegium conceſſionis indultum primò ab Hadriano, & renovatum poſtmodum à Clemente, ſuper quatuor capitulis, videlicet Electionibus, Legationibus, Appellationibus & Conciliis derogare non ſolum Apoſtolicæ dignitati, verum etiam Eccleſiaſticæ libertati, mandavit Imperatrici, ut illis capitulis renunciaret omnino, cum ea non eſſet aliquatenus conceſſurus. Tentavit illa propoſitum ejus muneribus immutare; quod cum efficere nequiviſſet, miſit nuncios, qui poſt tractatum diutinum obtinuerunt conceſſionis privilegium innovari, capitulis illis omninò remotis, ſub cenſu, fidelitate & hominio conſuetis. Privilegium tamen non perveniſſe ad Conſtantiam morte præventam, eadem Acta tradunt. Verùm jurata antea fuiſſe ab ea pacta conventa, cum miſſus eſſet ab Innocentio ad ipſam Legatus Octavianus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, teſtantur literæ ordine 410. ab eodem Innocentio Conſtantiæ ſcriptæ, quarum initium, *Super gentes & regna*, &c.

IX. *Legationem in Germaniam mittit pro captivis Siculis.*

Idem quoque Pontifex ad liberationem captivorum, quos ſecum Imperator Henricus vinctos in Germaniam duxerat, ac præſertim Archiepiſcopi Salernitani, cujus detentio detrahebat Apoſtolicæ Sedis dignitati, animum adjiciens, *ſtatim circa ſuæ promotionis primordium*, ut inquiunt Acta, ideoque ante conceſſionem privilegii ſupradicti, Legatos miſit Sutrinum Epiſcopum, natione Theutonicum, & Abbatem Sancti Anaſtaſii, ſcribens Epiſcopis Germaniæ Epiſtolam 24. ut detentores eorum monerent, & ſi neceſſe foret, compellerent per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras, ut illos dimitterent; comminando Principibus univerſis, niſi ad hoc impenderent operam efficacem, ſe totam Alemanniam ſuppoſiturum interdicto. Hæc conſtant non ſolum ex Actis, ſed & ex Epiſtolis 24. 25. & 26. ex quibus etiam habemus: quia Cœleſtinus deceſſor Innocentii excommunicaverat Philippum Ducem Sueviæ, Henrici nuperi Imperatoris fratrem, dum eſſet Dux Tuſciæ, propter invaſionem Apoſtolici patrimonii; jam Innocentium permiſiſſe prædictis ſuis Legatis ipſum abſolvere, ipſique remittere laborem itineris veniendi Romam ad abſolutionem obtinendam, dummodo Archiepiſcopum Salernitanum liberaret. Ex Epiſtola autem 26. laudata habemus, Innocentium imprimis pro ſolutione Reginæ Siciliæ relictæ Regis Tancredi laboraſſe, quæ cum filiabus ſuis carcerem evadens, ad Regem Francorum Philippum confugit, ejuſque primogenita nupta eſt Gualtero Comiti Brennenſi. Legati in Alemanniam pervenientes invenerunt Philippum à quibuſdam Principibus electum in Regem, qui ad ipſos accedens, ſe fecit abſolvi, non publicè ſed occultè, nec præſtito juramento ſecundùm formam Eccleſiæ; præfatum tamen Archiepiſcopum & fratres ejus gratuitò liberavit.

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

Poſt modicum verò tempus idem Philippus inſignia Imperii in poteſtate habens, inſcio Pontifice inungi ſe fecit & coronari, non Aquisgrani, ut moris erat, ſed Moguntiæ; nec à Colonienſi Archiepiſcopo, ſed à Tarantaſienſi, quia nullus Archiepiſcoporum Germaniæ id facere voluit.

X. *Legatum reducem Epiſcopatu privat, & quare.*

Sed nec aliquis Epiſcoporum, qui fuerunt in illa coronatione præſentes, Pontificalibus indui præſumpſit, præter ſolum Sutrinum, qui ad aliud fuerat deſtinatus. Unde cum ad Summi Pontificis præſentiam rediiſſet, veritate per propriam confeſſionem comperta, tum de forma neglecta in abſolutione Philippi, tum de præſumptione commiſſa in ejus coronatione, Epiſcopatu ab Innocentio privatus eſt. Pro prædictis verò captivis, licet jam liberatis, adhuc tamen exulibus, Imperatricem per nuncium rogavit, eiſque reſtitutionis gratiam impetravit.

XI. *Schiſmate in Imperio facto Othonis IV electionem confirmat.*

Cum Philippus Sueviæ Dux, à quibuſdam, ut diximus, Principibus in Regem electus eſſet & inunctus, ex alia parte Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopi, aliique Principes tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares Bertolphum, ſeu Bertholdum Ducem Zaringiæ, Regem creaverunt; ſed ille Philippi potentiam veritus, ne tandem purpuram ſuo ſanguine cruentaret, ignavè ſuorum cauſam prodidit, acceptiſque à Philippo undecim millibus marcharum, ac Ducatu, ceſſit Imperio, & Philippum Regem ſalutavit. Dicti itaque Archiepiſcopi & Principes vocaverunt Othonem filium Henrici quondàm Ducis Saxoniæ, in Gallia tunc agentem cum Richardo Angliæ Rege avunculo ſuo, & apud Coloniam eum elegerunt in Regem; eumque Archiepiſcopus Colonienſis coronavit ſolemniter Aquiſgrani, ſicque facta eſt diviſio in Imperio longo tempore duratura. Innocentius, qui Friderici Ænobarbi, à quo fuerat adeo Sedes Apoſtolica exagitata, ſtirpem, ex qua natus Philippus, aderat, Othonis electionem & coronationem confirmavit, extantque de his ſpeciatim literæ ipſius Pontificis ad eumdem Bertoldum poſtmodùm ſcriptæ cap. *venerabilem* de electione in antiqua collect. 3. Decretal. quarum pars relata eſt etiam in Decretal. Gregorii IX iiſdem cap. & tit.

XII. *Agit in Regem Legionis inceſtuoſum.*

Alphonſus hujus nominis X Gallæciæ & Legionis Rex, Cæleſtino III Papa ſedente, Tarſiam Sanctii Portugalliæ Regis filiam, conſobrinam ſuam, matrimonio ſibi copulaverat, ob idque tum Rex Portugalliæ, quàm inceſtuosè conjuncti excommunicati, eorumque regna interdicto ſuppoſita fuerant, ut diximus in ejuſdem Cæleſtini Vita ex Annalibus Rogerii Hovedeni, & conſtat ex Epiſtola 75. libri 2. Regiſtri Innocentii, Compoſtellano Epiſcopo & univerſis Epiſcopis in regno Legionenſi conſtitutis data; *unde quod illegitime actum fuerat eſt penitus revocatum*, inquit Innocentius in dicta Epiſtola. Verùm quia dictus Rex Legionenſis ad deteriora manum extendens, filiam Alphonſi VIII Caſtellæ Regis, neptem videlicet propriam ſibi contra interdictum Eccleſiæ copulare præſumpſiſſet, Innocentius Papa ipſo ſui Pontificatûs exordio,

Digitized by Google

dio, miſit in Hiſpaniam Fratrem Rainerium, virum ſcientia & religione ubique venerandum: qui cum ſuis monitionibus nihil apud Regem Legionenſem profeciſſet, eumdem legitime citatum, nec comparentem, excommunicationis ſententia perculit, & regnum ejus interdicto generali concluſit; in Caſtellanum autem nihil pronunciavit, quia obedire promiſit, ſi ſibi filia ſua redderetur, obligans ſe ad hoc per literas ſuas Summo Pontifici deſtinandas. Cumque iidem Reges per Legatos ſuos, nempe Toletanum Archiepiſcopum & Epiſcopum Palentinum ex parte Regis Caſtellæ, & Zamorenſem Epiſcopum ex parte Regis Legionis, non valuiſſent obtinere diſpenſationem hujus matrimonii, tandem Legionenſis Rex rediens ad cor, inceſtuoſam copulam diſſolvit & abſolutionem obtinuit. *Licet autem*, inquiunt Acta Innocentii apud Baluzium num. 58. *aliquanto tempore in ſua contumacia perduraſſent* (Rex ſcilicet Legionis & filia Caſtellæ Regis) *demum tamen redeuntes ad cor inceſtuoſam copulam diſſolverunt; & cum fuiſſent abinvicem ſeparati, præſtito ſecundum formam Eccleſiæ juramento meruerunt abſolvi.* Hæc conſtant non ſolum ex Actis Innocentii laudatis, ſed & ex ejus Epiſtolis 91. & 92. libri primi *Fratri Rainerio* ſcriptis, datiſque XVI & XI Kalend. Maii Pontificatûs anno primo, & ex Epiſtola 75. libri 2. jam laudata. Deceptus eſt itaque Spondanus ad annum 1198. num. 10. ſcribens, Innocentium excommunicaſſe Regem Legionenſem, eo quod filiam Portugalliæ Regis ſibi copulaſſet; id enim non ab Innocentio, ſed à Cœleſtino ejus deceſſore factum, diſerte aſſerit Innocentius ipſe in laudata Epiſtola 75. lib. 2. & Rogerius Hovedenus à Baronio & ab ipſo Spondano in ejus Epitome ad annum 1191. laudatus idem aſſerit.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

XIII. *Portugalliæ Regem cogit ad ſolvendum cenſum Eccleſiæ Rom. promiſſum.*

In Lucio II & in Alexandro III diximus Alphonſum Portugalliæ Regem primum quatuor auri uncias annuatim Romanæ Eccleſiæ conſtituiſſe cenſuales, ad quarum ſolutionem ſe & hæredes ſuos impoſterum obligavit. Sed cum ab Alexandro III Regis titulum obtinuiſſet, centum Bizantios annuatim Romanæ Eccleſiæ conſtituit prætcrea cenſuales: quos poſt ſuſceptionem Regii nominis nec ipſe ſolvit, nec Sanctius ejus filius & ſucceſſor ſolvere curavit. Sed cum Sanctius diceret ſe non teneri ad ſolutionem dicti cenſûs, quem ex devotione non pro cenſu pater ſuus Alexandro Papæ liberaliter donaverat; Innocentius literis *Illuſtri Regi Portugalliæ* ſcriptis, & datis *Romæ apud S. Petrum VIII Kalend. Maii, Pontificatus anno primo*, Sanctium Regem monet, ut prædictum cenſum fratri Rainerio perſolvere non differat. Eſt Epiſtola 99. libri primi. Sanctius Partem prioris cenſûs perſolvit, quoad alium verò cenſum, ſe neſcire veritatem profeſſus eſt, utrum verè petita promiſſa fuerint: unde Innocentius Epiſtola 448. ejuſdem libri primi data Laterani V Idus Decembris, reſcriptum Alphonſi Regis; patris Sanctii, ſicut in Regiſtro Alexandri III, cui donatio facta eſt, continebatur, literis prædictis incluſum

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

cluſum ad ipſum deſtinavit, eumque rogavit & monuit, quatenus parentum inhærens veſtigiis, quæ pro ſalute ſua pariter & ſuorum Chriſti Vicario conceſſerunt, liberaliter & ſine difficultate perſolveret. Eadem de re ſcripſit ad fratrem Rainerium Epiſtolam 449. eadem die datam, in qua & aſſerit Sanctium Regem nuper pro annuo cenſu quatuor unciarum auri, quas coram ipſo recognovit, quingentos & quatuor Morabatinos fratri A. Magiſtro Hoſpitalis Jeroſolymitani in Hiſpania ſuo nomine aſſignaſſe. Super aliis verò de quibus idem Rex ſe neſcire profeſſus eſt veritatem, & Pontificis examini diſcutienda committit, eum reddit certiorem per reſcriptum donationis Alexandro Papæ factæ ab Alphonſo Rege. Jubet itaque Rainerio ut dictum Sanctium Regem moneat, ut oblata Vicario Jeſu Chriſti ſine ulla diminutione perſolvat.

XIV. *Imperat, ut Regi Angliæ à bello ſacro redeunti extorta pecunia reſtituatur.*

Hoc eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo Innocentius rogatus ab Angliæ Rege, qui ad eum miſerat Luxovienſem Epiſcopum & Magiſtrum Garnerum, jus ſibi ab eo dici adversùs hæredes Henrici Imperatoris, & Leopoldi Ducis Auſtriæ pro recuperatione pecuniæ perſolutæ, & violenter extortæ, dum rediret ab expeditione Jeroſolymitana, acquievit ejus petitioni, & ſecundo Kalendas Junii ſcripſit ad eumdem Regem Epiſtolam 230. aſſerens quædam eſſe impedimenta, ne ſcriberet ad Ducem Sueviæ, fratrem & hæredem Henrici quondàm Imperatoris. qui dictam pecuniam ab eo violenter extorſerat; ſed ſcribere ſe Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ut Ducem ipſum ad reſtitutionem inducat. Epiſtola ad dictum Archiepiſcopum hac de re ſcripta, data eſt eodem die, eſtque ordine 236. eâque mandat, ut Sueviæ Ducem, ad cujus manus theſaurus præfati Imperatoris pervenit, admoneat & inducat, de ablata pecunia ſatisfacere: *Alioquin*, inquit, *noverit, quod nos tantam injuriam non poterimus ſub diſſimulatione tranſire, quin in eum & terram ejus, noſtri officii debitum, ſicut juſtum fuerit exequamur*; die verò antecedenti, nempe, III Kalendas Junii, ad filium Ducis Auſtriæ ſcripſerat Epiſtolam 242. ut pecuniam, quam pater ſuus recognoſcens exceſſum eidem Regi reddi præceperat, ſuper cujus ſolutione ipſe corporaliter fecerat ſacramentum, ſine difficultate reſtitueret; alioquin ſe dediſſe in mandatis Saltzburgenſi Archiepiſcopo, ut eum *ad hæc per excommunicationis ſententiam in perſonam & interdicti in terram* compelleret.

XV. *Legatum in Galliam mittit pro cauſa divortii Regis cum Regina.*

Laborandum quoque fuit Innocentio Papæ in cauſa Philippi Regis Francorum, qui, ut in Cœleſtino III dictum eſt, non ſolum Ingelburgam Reginam uxorem, in gratiam non receperat, ſed & Mariam Ducis Meraniæ filiam ſuperinduxerat. Innocentius itaque Legatum in Gallias miſit Petrum Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Via Lata, ut proſequeretur jam ante cœptum judicium de Regis divortio. Qua de re plures extant Innocentii Epiſtolæ, tum ad ipſum Regem, tum ad alios

datæ,

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

datæ, quibus conſentientia ſcribunt Acta Innocentii, in quibus num. 47. & ſeqq. legitur, quod cum Rex ſæpe commonitus acquieſcere noluiſſet, Innocentium per Apoſtolica ſcripta præcepiſſe, ut *ſublato appellationis obſtaculo* Legatus *totam terram ipſius Eccleſiaſtico ſubjiceret interdicto, ut nullum in ea, præter baptiſma parvulorum & pœnitentiam morientium, divinum celebraretur officium.* Congregato igitur apud Divionem Concilio anno nonageſimo nono ſupra milleſimum centeſimum, ut ſcribit Rigordus in geſtis Philippi Auguſti; Rex præſentiens Legatum velle procedere contra ipſum, per nuncios ſuos fecit ad ſedem Apoſtolicam appellari. Legatus verò, non ut appellationi deferret, ſed ut differret ad tempus, quatenus Apoſtolicum mandatum alibi commodius adimpleret, tandem apud Viennam, urbem tunc Allobrogum, coacto altero Concilio, interdicti ſententiam promulgavit, mandans per literas ſuas univerſis Eccleſiæ Gallicanæ Prælatis, ut eam & ipſi ſervarent, & facerent obſervari. *Quod ſi forsàn Epiſcoporum aliqui contra eam venire præſumerent, ſcirent ſe ab officio Pontificali ſuſpenſos.* Concilium Divionenſe celebratum eſt in feſto Sancti Nicolai anni MCXCIX, ideoque menſe Decembri, non Novembri, ut legitur in Rigordo laudato: Viennenſe verò, in quo publicata eſt ſententia non multò poſt, ſeu anno milleſimo ducenteſimo circa medium menſis Januarii, ut de anno ſcribit Chronographus Sancti Benigni in editione Conciliorum Labbei Tomo XI pag. 12. & ipſemet Rigordus ibidem inſinuat, cum ſubdit: *Tamen ipſe Cardinalis appellationi non deferens, in eodem loco adſtantibus Epiſcopis univerſis ſententiam protulit, ſed uſque ad XX dies poſt Nativitatem Domini non eſſe publicandam præcepit. Tranſactis verò XX diebus à Nativitate Domini tota terra Regis Francorum interdicto ſubjacuit*, quia tunc publicata eſt ſententia in Concilio Viennenſi, de quo non loquitur quidem Rigordus, ſed cujus meminêre & Acta Innocentii, & Chronographus Sancti Benigni laudatus, qui addit: *Duravit interdictum apud nos à tertia die poſt Purificationem beatæ Mariæ, uſque in vigilia exaltationis Sanctæ Crucis.*

Cum enim, ut refert Rogerius Hovedenus, eodem anno milleſimo ducenteſimo Octavianus Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legatus in Franciam veniſſet eadem de cauſa, Concilium Nigellenſe, ſeu *Apud S. Leodegarium in Nivele* pridie Nativitatis B. Mariæ celebravit, in quo interdictum Galliæ ſolvit ſub quibuſdam conditionibus, quæ apud eumdem Rogerium leguntur, & diſtinctius explicantur in geſtis Innocentii; & ad terminandam penitus cauſam divortii, Concilium Sueſſionenſe indixit, *ſtatuens eis* (nempe Philippo Regi & Ingelburgæ Reginæ) *ſpatium ſex menſium, & ſex hebdomadarum, & ſex dierum & ſex horarum à vigilia illius Nativitatis B. Mariæ ad deliberandum ſuper hoc, & locum placitandi ſtatuit eis apud Seſſuns*, ſeu Sueſſionem, *electione Reginæ Botildæ*, ideſt, Ingelburgæ, inquit Rogerius, qui terminus ſex menſium,

XVI. *Alium Legatum pro eadem cauſa mittit.*

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

ſium, ſex hebdomadarum & ſex dierum, ſi corruptus non ſit, dicendum eſt, in eodem Auctore, ubi legitur Concilium Sueſſionenſe celebratum *in medio Quadrageſimæ menſe Martio*, errorem cubare; computando enim à vigilia Nativitatis B. Mariæ, ſeu à die ſeptima Septembris, pervenitur ad menſem Aprilis, quo menſe Rigordus Concilium Sueſſionenſe anno MCCI celebratum aſſerit. In hoc Concilio Philippus Rex poſt varias & longas multorum dierum diſputationes Juriſperitorum, longioris moræ tædio affectus, recepta ſponte legitima ſua conjuge Ingelburga, ſummo mane, omnibus inſalutatis, inde receſſit. Quo audito ſolutum eſt Concilium. Licet autem Philippus in Concilio Nigellenſi Mariam filiam Ducis Meraniæ dimiſiſſet, nonniſi tamen poſt multos annos induci potuit, ut Ingelburgam amore conjugali diligeret: Unde & quod in conſpectu ejus totus perturbaretur, quidam eum maleficorum artibus faſcinatum exiſtimarunt, quo factum eſt, ut eam apud Stampas velut in cuſtodia detinuerit, regio licet cultu, uſque ad annum milleſimum ducenteſimum decimum tertium, quo ſæpe adjuratus ab Innocentio Papa eam in gratiam recepit magna populorum lætitia, ob egregias Reginæ virtutes, & in amariſſimis ærumnis longanimitatem, ut eo anno refert Rigordus Ceterum cum Philippus ex Maria ſuſcepiſſet filium, nomine Philippum, & filiam pariter Mariam nuncupatam, ſtatim Pontifex eodem anno MCCI, petente Rege, eos ut legitimos haberi, quia nonnullis Epiſcopis auctoribus eæ nuptiæ junctæ fuerant, & Maria bona fide Philippo ſe conjunxerat, infantes legitimos hæredes eſſe mandavit, & poſtmodum literis ſuis confirmavit, ſed hoc poſt mortem ipſius Mariæ, ut inquiunt Nangius in Chronico ad annum 1201, qui aſſerit eam mortuam apud Poiſſiacum, & Rigordus, qui filiam ex ea natam, Joannam appellat.

XVII. *Curat res Orientales.*

Sed ut ad annum MCXCVIII, Innocentii Papæ primum redeamus; Alexius Conſtantinopolitanus Imperator audita ejus promotione, nuncios ad eum miſit cum muneribus pretioſis, rogans ut ipſe per Legatos ſuos ejus Imperium viſitaret. Quod ipſe præſtitit per Albertum Subdiaconum & Albertum Notarium, monens Imperatorem ut ſuccurreret Terræ Sanctæ, & Græcam Eccleſiam reduceret ad unionem & obedientiam Romanæ; alioquin ſe ſuper hoc executurum officium ſuum. Scripſit pariter ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ut Imperatorem ad id induceret. Extant enim de his aliquot ultrò citroque ſcriptæ literæ inter cuſas ejuſdem Pontificis: quibus & nonnulla argumenta à Græcis ad declinandam ſuæ Eccleſiæ ſubjectionem objecta, eademque diluta conſpiciuntur. Cum verò & petiiſſet Imperator, ut ad eam unionem ſtabiliendam, Innocentius generale Concilium indiceret, ad quod ſe Græcos Antiſtites miſſurum promittebat, idque ſe facturum Innocentius ſpopondiſſet, ut ex iiſdem literis intelligitur; pœnitens promiſſi Imperator, conſilio cum ſuis habito,

ita

ita ſe miſſurum ſignificavit, ſi Concilium in Græcia celebraretur, ubi quatuor priora celeberrima habita fuiſſent, & fingens ſe longius ire, ad aliam materiam ſe convertit. Hæc etiam conſtant ex Actis Innocentii num. 60. & ſeqq. *SEC. XIII. INNOCENTIUS III.*

XVIII. *Laborat pro Terra Sancta.*

Rogatus verò dehinc Innocentius, ut pergunt Acta num. 64. ab eodem Alexio Imperatore, ut per excommunicationis ſententiam compelleret Regem Ieroſolymitanum ipſi reſtituere regnum Cypri, eam cauſam Pontifex in aliud opportunius tempus diſtulit, quo plenius de utriuſque jure cognoſcere poſſet; ne interim hæc officerent rebus Terræ Sanctæ, quas ipſe omni ſollicitudine curabat. Miſit enim ad diverſos Principes, Cardinales, alioſque Legatos, ut omnes ad crucem ſuſcipiendam excitarent: quod & in Gallia & in Italia ingenti animi alacritate præſtitum eſt, extantque de his plurimæ ab eo ſcriptæ literæ. Conſtituit inſuper, ut univerſi Clerici majores, pariter & minores de proventibus Eccleſiaſticis quadrageſimam partem in ſubſidium Terræ Sanctæ conferrent: Cardinales vero decimam: ipſeque frumentum & pecunias miſit, ut conſtat ex numero 46. eorumdem Actorum ejus. Quibus in rebus fuit ei multo tempore laborandum.

XIX. *Hoſpitalariorum S. Spiritûs ordinem confirmat.*

Eodem anno MCXCVIII, ipſo menſe Martio Innocentius Pontifex ordinem Regularem Hoſpitalariorum Sancti Spiritûs, nuper auctore Guidone Comite cœptum erigi apud Montempeſſulanum in Gallia confirmavit, & privilegiis auxit; qui & propagatus eſt. Extant hac de re duæ ejus Epiſtolæ, nempe 95. & 97. libri primi, quorum priori, inſcripta univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis, & data *Romæ apud S. Petrum X Kalendas Maii Pontificatûs anno I*, mandat, ut religioſos nec ipſi perturbent, nec eos perturbantes ferant. Poſteriori verò data *IX Kalend. Maii, indictione prima, Incarnationis Dominicæ MCXCVIII*, & inſcripta Guidoni fundatori Hoſpitalis Sancti Spiritus, ejuſque fratribus, dictum Ordinem confirmat & privilegiis munit. Hoſpitale illud Montiſpeſſulani famoſum fuiſſe eruitur ex eo quod idem Innocentius Pontifex anno MCCIV, Pontificatûs ſui ſeptimo, ei unierit Hoſpitale Sancti Spiritûs Romanum, de quo mox, Conſtitutione quæ extat in Bullarii Tomo I. Conſtit. 7. Innocentii, qua unionem ita facit, ut tamen Romanum Magalonenſi ſeu Montiſpeſſulani ſubjacere deberet uti capiti.

XX. *Hoſpitale Romanum S. Spiritus conſtruit.*

Innocentium porrò Hoſpitale illud Romanum toto orbe celeberrimum, Sancti Spiritûs dictum extruxiſſe aſſerunt ejus Acta num. ultimo: *Fecit*, inquiunt, *& propriis ſumptibus ad opus infirmorum & pauperum Hoſpitale Sancti Spiritûs apud S. Mariam in Saxia in ſtrata publica juxta Tyberim ante Baſilicam S. Petri*; *quod quantum ditaverit, & dotaverit beneficiis, poſſeſſionibus, redditibus, theſauris, ornamentis, libris & privilegiis, per ſe ſatis apparet*, &c. Idque fecit tàm pro ſua & prædeceſſorum, ac ſucceſ-

SEC. XIII. ſucceſſorum, quàm etiam omnium Cardinalium ſalute, ut ipſemet ait
INNOCENTIUS III. in laudata numero ſuperiori Conſtitutione ſeptima, qua, ut jam dixi, illud ſubjecerat Hoſpitali Magalonenſi tanquam capiti. Hanc unionem Romano Hoſpitali pernicioſam eſſe animadvertens Honorius III Innocentii ſucceſſor, anno Pontificatûs ſui primo, ipſam diſſolvit, ut conſtat ex ejus Regeſto MS. apud Spondanum anno 1198. num. 17. ſtatuens, ut nec Romanum Montiſpeſſulano, nec illud Romano, in aliquo tenerent, nec illis aliquid eſſet commune. Imò multo poſt tempore, ſcilicet ſub Pontificatu Sixti IV Romanum Hoſpitale in caput ceterorum omnium locorum Sancti Spiritûs erectum eſt Conſtitutione 12. ejuſdem Pontificis eodem Bullarii Tomo relata. Hoc porrò Xenodochium Romanum in loco in quo erat Eccleſia, ſeu Schola Anglorum conſtructum eſt, quam Scholam Ina Occidentalium Saxonum Rex, Gregorio II ſedente, Romæ fundaverat, & Offa Marciorum Rex ſub Pontificatu Hadriani primi multum auxerat. Quare Joannes Rex Anglorum, Innocentio III poſtulante, illam eidem Xenodochio donationem contulit, quam Regium diploma apud Odoricum Raynaldum anno 1204. num. 78. complectitur, in quo Rex ait: *Sciatis nos divinæ pietatis intuitu, & pro ſalute animæ noſtræ, & animarum anteceſſorum noſtrorum, & ob reverentiam Domini Papæ Innocentii tertii, cujus preces ſuper hoc recepimus, conceſſiſſe, & præſenti Charta confirmaſſe hoſpitali; quod idem Dominus Papa conſtruxit apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Saxia, quæ Anglorum dicitur, & Anglorum fuit hoſpitio deputata ante Baſilicam beati Petri poſitam ſecus ſtratam, centum marchas annuatim percipiendas ad ſcaccarium noſtrum in termino Sancti Michaelis, quouſque Eccleſia de Gritile, quam dedimus prædicto Hoſpitali in puram & perpetuam eleemoſynam ad uſum & ſuſtentationem infirmorum & pauperum ejus Hoſpitalis* devenerit. *Et cum vacaverit prædicta Eccleſia ceſſabimus in ſolutione prædictarum centum marcharum ..... Datum per manum L..... apud Geſtin. vigeſima quinta die Martii anno regni noſtri quinto*, ideoque anno 1204. Richardo enim fratri in Angliæ regnum ſucceſſit octavo Idus Aprilis anni nonageſimi noni ſupra milleſimum centeſimum. De Anglorum Schola vide dicta in Gregorio II & in Hadriano I.

XXI. *Ordinem SS. Trinitatis confirmat.* Robertus Gaguinus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Generalis Miniſter in Hiſtoria Francorum lib. 6. ſcribit, Joannem de Mata, oriundum ex Provincia, Theologum Pariſienſem, & Felicem Anochoritam Valeſienſem, poſtquam apud Cervum Frigidum (vulgò Cerfroy) Meldenſis territorii in Gallia ſolitariam diu vitam egiſſent, per quietem admonitos Pontificem Romanum convenire, à quo vitæ modum acciperent; cùm Innocentium adiiſſent, cognoviſſe eum ſimili revelatione fuiſſe divinitus inſtructum: & V Kalendas Februarii anni milleſimi centeſimi nonageſimi octavi, oſtenſa Innocentio, dum miſſarum ſolemnia celebraret,

viſione

Digitized by Google

viſione Angeli candore multo fulgentis, cæruleaque & rubenti cruce ad pectus inſigniti, & cancellatis manibus duos captivos tenentis, Chriſtianum unum, alterum Maurum, tanquam eos commutaret: hinc Pontificem ad viſionis ſimilitudinem, Joanni & Felici, eorumque in futurum ſociis, candidas veſtes, ſuperaddita cruce, qualem Angelus oſtendiſſet, tribuiſſe, ac novo Ordini titulum *de Trinitate & Redemptione captivorum* indidiſſe, cum onere captivos à male credentibus Chriſtianos liberandi. Poſt illam viſionem Innocentius Joannem & Felicem ad Epiſcopum Pariſienſem, & ad Abbatem Sancti Victoris itidem Pariſienſem remiſit, ut per eos plenius, de eorum deſiderio & intentione inſtructus, aſſenſum inſtitutioni Ordinis ſecuriùs & efficaciùs impertiri poſſet. Quorum accepto reſponſo, Joannes iterum Romam petiit, & ab Innocentio Papa Regulæ approbationem recepit Epiſtolâ datâ *Laterani XVI Kal. Januarii anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, Pontificatûs anno primo.* Hæc Epiſtula eſt ordine 481. libri primi. Anno poſtea ſequenti milleſimo centeſimo nonageſimo nono idem Pontifex hanc Ordinis SS. Trinitatis inſtitutionem ſignificavit Miramolino Regi Saracenorum Marochiano & ſubditis ejus, literis ad eos ſcriptis, & datis Laterani VIII Idus Martii anno ſecundo Pontificatûs, ideoque anno 1199. ut faciles ſe exhiberent captivorum permutationi & redemptioni, ſimul adhortans eos ad ſuſcipiendam fidem. Eum poſtea Ordinem confirmavit idem Innocentius Conſtitutione data Viterbii XIV Kal. Jul. Indict. XII, Incarnationis dominicæ MCCIX, Pontificatûs anno XII, quæ eſt ordine nona in Bullarii Tomo primo. Quidam de hac Innocentii III viſione dubitant, quia die XXVIII Januarii, quo ſupponitur facta, dum miſſam in Lateranenſi Baſilica celebraret, erat tantum Diaconus, ordinatus, ut diximus, in Presbyterum die XXI Februarii ejuſdem anni MCXCVIII. Sed Annotator Baronii objectionem ſolvit obſervando, Innocentium, tunc fuiſſe quidem tantum Diaconum, & conſequenter miſſam non celebraſſe, ſed eam audiviſſe, & Scriptores mediæ & infimæ latinitatis utramque actionem unius *celebrationis* nomine quandoque expreſſiſſe, quod variis exemplis probat.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

XXII. *Fit moderator Regni Siciliæ & Regis tutor.*

Eodem denique anno MCXCVIII exeunte, die ſcilicet vigeſima ſeptima Novembris, ut legitur in Epiſtola 563. Innocentii Fundano Comiti ſcripta, Conſtantia Imperatrix moriens teſtamentum condidit, quo Innocentio Pontifici Friderici parvuli filii ſui Siciliæ Regis tutelam, & curam regni conceſſit; triginta millia Tarenorum, quod monetæ genus erat, ex ejuſdem Regis redditibus pro defendendo regno attribuit; ſi quos verò ampliores ſumptus alendo militi, ſuſtinendoque demandato operi deſideraret, omnes illos ex regio ærario perſolvendos decrevit. Regni, Regiſque pupilli curam ac defenſionem ſuſcepit Innocentius: miſſis Legatis Siculos in verba ſua adegit; Marcuvaldum tyrannum;

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. regno inhiantem, anathemate contrivit, conſcriptoque exercitu, cui ducem præfecit Jacobum Mareſcallum, conſobrinum ſuum, armis etiam fregit, fugavitque, ut conſtat ex Epiſtola 221. libri 1. data Laterani VIII Kal. Decembris & 180. data III nonas Februarii anni MCXCIX. Legenda pariter Epiſtola Anſelmi Neapolitani Archiepiſcopi ad Innocentium Papam, in ejus Actis num. 26. relata.

XXIII. *S. Homobonum SS. catalogo adſcribit.* Ineunte eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono Innocentius à Cremonenſibus rogatus, Sanctum Homobonum Cremonenſem, ſimplicitate morum, magis quam eruditione conſpicuum, paulò ante defunctum, ſed miraculis quampluribus Sanctitatem ſuam poſt obitum confirmantem, in Sanctorum Confeſſorum numerum retulit, ut conſtat ex ejus Epiſtola ordine 530. Clero & populo Cremonenſi data *Laterani II Idus Januarii*, in qua poſt collocatam in luce ipſius pietatem, ait, ipſum opus quodlibet faciendo, ſtando, ſedendo, incedendo ad orationem labia continuò movere ſemper viſum eſſe: ſubdit poſtea pium ejus mortis genus, & quædam miracula ad ſepulchrum ejus patrata. Sancti Homoboni Vitæ Acta à Collegio Eccleſiæ Cremonenſis edita, leguntur apud Surium die XIII Novembris, quo feſtum ejus celebratur. Laudavit eumdem Sanctiſſimum virum ſacro hymno Hieronymus Vida Albæ Epiſcopus, cujus exordium eſt: *Beate pauperum pater*, &c.

XXIV. *Decidit litem jamdiu agitatam inter Turonenſem & Dolenſem Antiſtites de jure Metropolico.* Vetus à ſeculo circiter medio nono intercedebat controverſia inter Antiſtites Turonenſem, & Dolenſem in Minori Britannia de jure pallii & Metropolitani, quod ſibi competere Dolenſis contendebat; cum contra Turonenſis ſupponeret Dolenſem Epiſcopum Turonenſi ut Metropolitano ſemper fuiſſe ſubjectum: quæ controverſia haud modici momenti erat, utpote ventilata judicio etiam Apoſtolicæ Sedis per plura annorum centenaria. Doli civitatis in Minori Britannia primum Epiſcopum ſedis B. Samſonem omnes conſentiunt: quem narrant Britannicarum rerum Scriptores; cùm ex Anglia profugus in eam oram veniſſet, munuſque Pontificium in Dolenſi Eccleſia exercere cœpiſſet, pallium ac reliqua Archiepiſcoporum inſignia, quæ Eboraci, ubi Archiepiſcopum antea fuiſſe volunt, habuerat, retinuiſſe: inde porrò factum, ut ejus quoque ſucceſſores, pro Archiepiſcopis ſe gerentes, iiſdem uſi ſint; quorum etiam ex numero Bertovaldum à Severino, Innemenum ab Hadriano primo, Pontificibus Romanis, pallium obtinuiſſe contendunt; ſed hoc u ſuſpectæ fidei refellitur in Epiſtola 82. libri 2. Innocentii, de qua mox dicendum. Alii veriſimilius Archiepiſcopi nomen ante annum octingenteſimum quadrageſimum octavum à Dolenſibus Antiſtitibus uſurpatum negant, quo anno Nomenoius Minoris Britanniæ Dux Dolenſem Epiſcopum Metropolitanum eſſe conſtituit, cum antea hæc provincia Turonenſi Archiepiſcopo ſemper paruiſſet, tanquam Lugdunenſis tertiæ Metropolitano. Hæc controverſia poſt plurimas multorum Pontificum ac Conciliorum deciſiones

Digitized by Google

deciſiones in favorem Archiepiſcopi Turonenſis pronunciatas, cum tamen adhuc hoc tempore eſſet ſub judice; ipſe tandem Innocentius omnibus, quæ ab utraque parte ab origine producta fuerant, examinatis, anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo nono, Kalendis Junii auctoritate Apoſtolica ſanxit, ut Dolenſis Eccleſia cum reliquis Britanniæ, Turonenſi perpetuò ſuffragarentur. Qua de re extat ipſius Epiſtola 82. libri 2. valde prolixa, data *Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarii, Cancellarii vicem agentis, Kal. Junii, Indictione ſecunda, Incarnat. Dominicæ anno MCXCIX, Pontificatûs vero Domini Innocentii Papæ tertii anno ſecundo*, in qua ſuperiora ferè omnia Pontificum ac Conciliorum reſcripta atque decreta, aliaque multa ad hanc quæſtionem ſpectantia commemorat; omnem impoſterum ea de re diſceptationem interdicens; adeoque hic finis videtur fuiſſe ancipitis, diuturnæque inter illos Epiſcopos controverſiæ. Epiſtola directa eſt Bartholomæo Turonenſi Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus. Legi etiam poteſt Epiſtola 168. libri primi Archiepiſcopo & Capitulo Turonenſi ab eodem Pontifice Idibus Maii anni MCXCVIII ſcripta. *SEC. XIII.* INNOCENTIUS III.

XXV. *Tertium Ordinem Humiliatorum confirmat.*

Cum Sanctus Bernardus Claravallenſis Abbas anno milleſimo centeſimo trigeſimo quinto ab Innocentio II ad Concilium Piſanum vocatus fuiſſet, Mediolani aliquo tempore verſatus eſt, ibique tertio Ordini Humiliatorum initium dedit; nam licet ab anno milleſimo centeſimo decimo nono initia Ordinis hujus repetat Triſtanus Chalcus, Sanctus tamen Bernardus ejus inſtitutor dicitur, quia Humiliati, ante eum religioſi non erant, eo quod formam vivendi in religioſo habitu non haberent. Puricellus in monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 375. aſſerit, eos vocatos fuiſſe *Fratres de Convenio, &* poſtea addit: *Ejuſmodi Ordo Fratrum de Convenio in hanc uſque diem appellatur, quive in ſuo ipſius ſtemmate tutelarem geſtat hunc Sanctum Abbatem*, nempe Sanctum Bernardum. Ibidem ſubdit, in Bibliotheca Baſilicæ Mediolanenſis aſſervari codicem MS. continentem Humiliatorum privilegia, cujus initio legitur: *S. Bernardus venit Mediolanum, & ibi multis miraculis claruit, & monaſterium conſtruxit* (ſcilicet Caramvallem anno 1135. operâ diſcipulorum, quos Mediolani reliquerat). *A quo* (nempe Bernardo) *quidam magnates & nobiles cives Mediolani divino Spiritu inebriati, formam vivendi in habitu religioſo cum ſuis familiis habitando ſumſerunt. Fuit ergo Sanctus Bernardus Ordinis hujus primus fundator. Unde Fratres Tertii Ordinis hujus vocantur hodie alicubi Fratres Sancti Bernardi.* Galvancus Flamma cap. 255. magnæ ſuæ Chronicæ apud Puricellum laudatum ait, Guidonem nobilem virum in eo ſancto opere adjutorem fuiſſe Sancti Bernardi, quod ibidem confirmat in libro, cui titulus *Manipulus florum* cap. 171. Sed cùm Humiliati Regulam non haberent, eam ab Innocentio III acceperunt, qui eum Ordinem anno MCXCIX confirmavit; Puricellus

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

enim ait, in laudato codice MS. poſt ſuperiora verba haberi: *Manſerunt autem ſic Fratres Ordinis hujus per ſe in habitu Religioſo per annos LXIV, priuſquam conceſſa eis eſſet Regula ab Eccleſia Romana. Anno autem MCXCIX penultimo die Maii data fuit eis Regula à domino Papa Innocentio III. Quare ſciendum eſt, quod Fratres Tertii Ordinis hujus fuerunt fundatores primi & ſecundi Ordinis Humiliatorum.* Galvancus Flamma loco laudato apud eumdem Puricellum hæc confirmat his verbis: *Nobilis vir Guido & capitaneus porta orientalis fuit ſpecialis adjutor Beati Bernardi in fundando monaſterio de Charavalle juxta Mediolanum de divitiis ejus anno Domini MCXXXV, &c. Et iſte Guido Tertium Ordinem Fratrum de Convenio Sancti Bernardi in porta orientali conſtruxit in die S. Vincentii: quem Innocentius III confirmavit, & ab Innocentio III dictus eſt Ordo Tertius. Iſti Fratres de Convenio fundaverunt Ordinem Humiliatorum & ipſum viſitabant.* Vixit autem Galvancus Flamma ſeculo decimo quarto. Porrò licet Sanctus Bernardus & Guido ſint fundatores Humiliatorum, hæc tamen ſocietas jam inde inceperat, uti jam dixi, & probat Puricellus teſtimoniis Sancti Antonini part. 2. Chron. tit. 15. cap. 23. Raphaelis Volaterrani lib. 21. Triſtani Chalci & aliorum.

XXVI. *Aliam Humiliatorum ſectam impiam exagitat.*

Rectè autem obſervavit Spondanus ad annum MCXCIX num. XI duplex Humiliatorum inſtitutum fuiſſe. Cum enim Archipresbyter Veronenſis auctoritate literarum ejuſdem Pontificis contra Cazaros, Arnaldiſtas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, ac univerſim contra omnes hæreticos ipſi directarum, nulla habita diſtinctione etiam Humiliatos cum ceteris hæreticis excommunicationi ſubjeciſſet; indeque nonnulli, quos licet invitos populus *Humiliatos* vocabat, eo quod in humilitate cordis & corporis ſtuderent Deo famulari, cum alio qui fidem ſaperent orthodoxam, à multis vitarentur uti excommunicati: ne ſic innoxii cum noxiis damnarentur, idem Pontifex Innocentius Epiſtola 228. libri 2. Epiſcopo Veronenſi Romanæ Eccleſiæ Cardinali, VIII Idus Decembris anni MCXCIX data, præcepit, ut fidem iſtorum Humiliatorum examinaret, & ſi nihil ſentirent, quod saperet hæreticam pravitatem, eos prædicta excommunicatione non teneri publicè denunciaret. Ex quibus apparet, fuiſſe & quandam aliam Humiliatorum ſectam impiam, quam idem Pontifex prioribus literis exagitandam præceperat; cujus & meminit poſt Urſpergenſem in Chronico anno 1212. Oemilius hoc eodem tempore in Philippo Auguſto, & inter reprobatas unà cum pauperibus de Lugduno collocat, cujus ſectatores, ut ait, humilitatis nomine munia, quibus curatores animarum Sacerdotes jure funguntur, ſibi arrogabant, confeſſiones arcanas audiebant, ac veluti ipſi expiandi jus haberent, noxâ ſolvebant; à liberalibus artibus cum abhorrerent, concionabantur tamen, & regimen animarum ſibi vendicabant.

Prava

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

Prava, inquit Sigonius in fine libri decimi quinti de Regno Italiæ, percrebuerat in Italia hoc tempore conſuetudo, ut non ſolum privati privatos, ſed etiam populi populos ad contractas controverſias dirimendas indicto certamine invitarent, quod illi *Torneamenti* nomine appellabant: Quæ quamvis ut mortalium generi exitioſa, pluribus fuiſſent jam decretis ab Eccleſia condemnata, ut videre eſt *tit. de Torneamentis extr.*; nihilominus tanta tum, ſive tractandorum armorum, ſive virtutis experiendæ cupiditas Italicos acuit, ut contemptis legibus, Placentini, Parmenſeſque, ſociis utrique ſuis confirmati anno MCXCIX alteri alteris ejuſmodi certamen indixerint in contentione de dominio Burgi S. Domnini, ſic dicti loci inter utroſque poſiti. Quæ ubi Innocentius Papa comperit, intimis animi ſenſibus doluit, imminentem nimirum populorum calamitatem proſpiciens, ut tanto malo, quoad poſſet, occurreret, ſcripſit ad Antiſtites Lombardiæ, ut eos ad pacem & concordiam redigere ſtuderent: & ſi minus audientes eſſent, per ſacrorum interdictionem ad ſubeundum judicium ipſius Innocentii Pontificis adſtringerentur; Burgumque ipſius nomine in manibus Abbatis Lucedenſis, ad quem ea de re extat Epiſtola Innocentii 39. libri 2. aſſignarent, tenendum donec ab eo illis reſtitueretur, quibus viſum jure fuiſſet convenire. Data eſt hæc Epiſtola *V Kalendas Maii.* Licet autem Parmenſes & Placentini, ſpretis Pontificiis præceptis, quarto Idus Octobris, ut condictum fuerat, magno animorum atque armorum ardore congreſſi, pugnarint; æquo marte à prima diei hora uſque ad veſperam, quando ſupervenienete nocte, defatigatione magis quam ſatietate pugnandi, ingenti utrimque clade ex acie receſſerunt, ut ex antiquis monumentis narrat Sigonius, hæc tamen pium ſtudium Innocentii manifeſtant proſpiciendi populorum calamitatibus.

Torneamenta damnat.

Cum Innocentius Pontifex anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono, auditis nunciis competitorum Imperii, ſcilicet Philippi Suevi, & Othonis Saxonis, eorumque qui coronam Imperii Rogerio-Friderico Siciliæ Regi, filio Henrici poſtremi Imperatoris, licet adhuc puerulo deberi aſſerebant, eò quod Principes Imperii fidem ei ſuam in cunis adhuc vagienti, vivente patre, jurejurando obſtrinxiſſent; ſingulorumque rationibus maturè ponderatis cauſam Othoni adjudicaſſet: anno milleſimo ducenteſimo miſſis in Germaniam Octaviano Oſtienſi, & Guidone Prænestino Cardinalibus Epiſcopis, id cunctis declarandum curavit, & obedientiam Othoni præſtare juſſit, atque à Philippo excommunicato recedere. Extant de hoc in Regeſto Innocentii lib. 3. ſuper negotia Imperii quamplurimæ ad ipſum Pontificem ſcriptæ, & ab eo ad diverſos Epiſtolæ.

Othoni Saxoni regnum Romanorum aſſerit.

Quamvis autem his moti non pauci, Philippo deſerto, Othoni adhæſerint, haud tamen plerique ceſſarunt Philippum ſequi; ſed cum Principes

Bohemiæ Duci Regis titulum concedit.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

cipes nec curarent juramentum alterutri factum infringere, nec fidem violare, & jus omne confundere, nunc recedentes quamplurimi à Philippo Othoni adhærebant, & econverſo. In quibus & Premiſlaus Bohemiæ Dux, qui cùm à Philippo diadema Regium antea ſuſcepiſſet, poſtea variis de cauſis ei infenſus adeo redditus eſt, & Othoni ſe tanto ſtudio applicuit, ut quidam dicant, eum inde *Othocarum*, ideſt, quaſi totum Othonis dictum fuiſſe; à quo & rurſum coronam regni accepit, quod & Innocentius anno milleſimo ducenteſimo quarto confirmavit, ut conſtat ex Epiſtola 42. libri 7. apud Raynaldum eodem anno num 55. *Licet ante promotionis tuæ tempora*, inquit Innocentius, *multi fuerint in Bohemia Regio diademate inſigniti, nunquam tamen potuerunt à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus obtinere, ut Reges eorum in ſuis literis nominarent. Nos quoque tum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inherentes, tum conſiderantes ſolicitè, quod à nobili viro Philippo Duce Sueviæ te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non fuiſſet, nec te, nec alium poterat legitimè coronare, Regem te hactenus non duximus nominandum. Verùm cum ad commonitionem Apoſtolicæ ſedis & noſtram, relicto Duce Sueviæ ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electum te converteris, uſus conſideratione ſaniori, & ipſe habet te pro Rege, tam intuitu precum ejus, quàm tuæ devotionis obtentu, Regem te de cetero reputare volumus, & vocare. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoſcas, & ſic ingratitudinis vitium ſtudeas evitare; ut tua devotio mereatur, quod & gratia tibi detur ex gratia, & data gratis perpetuò conſervetur, proviſurus attentius, ut quantocyus poteris, ab eodem Rege Othone te facias coronari. Datum Laterani 13. Kal. Maii.* Cumque Otho novo Regi confirmaſſet, quæ olim Imperatores ejus anteceſſores jura ac privilegia conceſſerant, Innocentius eadem rata, firmaque eſſe juſſit Epiſtolà 54. ejuſdem libri.

Quo tempore Bohemiæ Duces; Reges dicti.

Wratiſlaus quidem vigeſimus Bohemorum Dux anno milleſimo octogeſimo ſexto in Moguntina pſeudo-Synodo, cui Clementis Antipapæ Legati interfuère, ab Henrico Imperatore hujus nominis III Regem Bohemiæ coronatum, Regiamque dignitatem, quæ ab exceſſu Spentopulchri ſuppreſſa fuerat, reſtitutam docent Coſmas Pragenſis Decanus in Chronico Bohemorum, Aeneas Sylvius in Hiſt. Bohem. cap. 22. & Dubravius lib. 9. ſed Thomas Joannes Peſſina Epiſcopus Samadrienſis & Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis, in Marte Moravico Pragæ anno 1677. evulgato lib. 3. cap. 2. exiſtimat, ſucceſſores Wratiſlai, tam fratres, quàm filios, Ducis tantum nomen tuliſſe. Reſtitutus eſt poſtea Regius titulus à Friderico Aenobarbo Imperatore in gratiam Uladiſlai Bohemiæ Ducis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo Ratiſponæ, ut docet Radevicus Ottonis Friſingenſis continuator lib. 1. cap. 12. *In eadem curia* (Ratiſponæ habita, inquit Radevicus)

Dux

Digitized by Google

Dux Bohemorum Ladezlaus .... qui nuper in expeditione Polonica claruerat, adeo ut ob merita charus effectus ab Imperatore ac Imperii primis ex Duce Rex creatus anno ab Inc. Dom. MCLVIII. Suſcepto itaque privilegio de uſu diadematis, aliiſque regni inſignibus lætus revertitur, & ad Italicam expeditionem Rex pariter cum Imperatore faſtu regali profecturus accingitur. Radevico Poëta Ligurinus, aliique Antiqui conſentiunt, ideoque fallitur Galvancus Flamma Auctor decimi quarti ſeculi qui cap. 270. apud Puricellum in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 416. aſſerit, Imperatorem coronaſſe Uladiſlaum in Regem *in Ecclesia Sancti Ambroſii extra civitatem* Mediolanenſem. Poëta enim Ligurinus, qui tempore hujus coronationis vivebat, lib. 6. pag. 72. loquens de Conventu Ratiſponenſi, anno 1158. ut jam dixi, habito, canit:

Hoc quoque Conventu Procerum Dux ille Bohemus
Fama Labeslaum, quem nominat, ob ſua geſta
Fortiter & bello nuper ſpectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, geſſitque potenti
Sceptra manu, cinxitque novo diademate crines.

Verùm licet toties reſtitutus fuiſſet titulus Regius ab Imperatoribus, nunquam tamen Duces Bohemiæ, hanc Regiæ dignitatis confirmationem à Romanis Pontificibus obtinere potuerant, quam anno MCCIV indulſit Innocentius III.

Innocentius Epiſtolam cœleſtem de die Dominica publicat.

Sed ut ad geſta ab Innocentio anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſermo redeat, Matthæus Paris ad eum annum ſcribit, Epiſtolam de cœlo venientem delapſam Jeroſolymis ad altare Sancti Simeonis in Golgotha, ubi crucifixus eſt Chriſtus, de obſervatione diei dominicæ, quæ paſſim à Chriſtianis negligebatur ad Innocentium Papam delatam eſſe, *quatenus ipſe agendum decreverit, placeat univerſis. Cumque tandem Epiſtola ad Domini Papæ notitiam perveniſſet, continuò prædicatores ordinavit: qui per diverſas partes mundi profecti, prædicaverunt ubique Epiſtolæ tenorem, domino cooperante & ſermonem eorum confirmante, ſequentibus ſignis*, inquit Matthæus Pariſius, qui ſicuti & Rogerius Hovedenus tunc vivens & ſcribens, ait eam Epiſtolam in Angliam allatam eſſe, anno milleſimo ducenteſimo primo per Euſtathium quemdam Sanctum Abbatem, & ad ejuſdem ea de re prædicationem, plurima, ingentiaque edita eſſe miracula. Uterque Auctor Epiſtolam verbatim refert, cujus fides penes ipſos ſit; nam Odoricus Raynaldus ad annum 1201. num. 34. pluribus contendit eam ab aliquo impoſtore ſubornatam compoſitamque.

S. Chunegundem Imperatricem & virginem cœlitum faſtis adſcribit.

Eodem anno milleſimo ducenteſimo Innocentius Papa Sanctam Chunegundem, Sancti Henrici quondàm Imperatoris uxorem, & virginem Sanctorum catalogo adſcripſit, ut conſtat ex bulla canonizationis ſeculo VI Benedict. part. I poſt ejuſdem Sanctæ Vitam relata, & data *La-*

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

terani III *Nonas Aprilis*, *Pontificatûs* ejus *anno tertio.* Meritorum & miraculorum ejuſdem Imperatricis inquiſitionem commiſerat Cœleſtinus III Auguſtenſi, Eiſtetenſi & Wirtzburgenſi Epiſcopis, itemque tribus Abbatibus, qua inquiſitione facta, Thenmo Epiſcopus & Capitulum Bambergenſis Eccleſiæ Innocentium Papam ſupplicarunt, ut eam ſacris faſtis inſcriberet. Legati autem ad hoc Romam miſſi *jurati dixerunt, quod, ſicut ex celebri fama, & ſolemni ſcriptura noverunt, Beata Kunegundis Sancto Henrico Imperatori fuit matrimonialiter copulata, ſed ab eo non extitit carnaliter cognita. Unde cum dominus Imperator ageret in extremis, Principibus & parentibus inquit de illa:* „ Qualem mihi eam „ aſſignaſtis, talem vobis eam reſigno. Virginem eam dediſtis, & vir- „ ginem reddo. *Suam ergo virginitatem domino conſecravit, & ſervavit intactam: ita quod cum aliquando inſtigante humani generis inimico, ſuſpicio quædam contra ipſam fuiſſet exorta, ipſa ut ſuam innocentiam demonſtraret, ſuper ignitos vomeres, nudis plantis inceſſit, & proceſſit illæſa*, ut legitur in bulla canonizationis. Quare Innocentius de conſilio Fratrum & multorum Pontificum apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, ipſam beatam virginem inter Sanctos retulit, ac *Collectam & alias orationes in commemoratione ejus dicendas* edidit, ut ipſemet ait, quæ in bulla prædicta referuntur, ante quam apud Mabillonium Laudatum extat Vita ejuſdem Sanctæ, ab Auctore incerto ſcripta, ut videtur, poſt canonizationem S. Henrici Imperatoris, quæ facta eſt ab Eugenio III anno 1152. Præcipua Sanctæ Chunegundis feſtivitas celebratur die tertia Maii, quo eam è vivis exceſſiſſe certum ſcribit Mabillonius in Obſervationibus præviis, idque anno 1040. aut ſequenti, ſi annos quindecim, poſt unum viduitatis annum in monaſterio tranſegerit, ut aſſerit ipſius Vitæ Auctor, quamquam Lambertus Schafnaburgenſis mortem ipſius anno 1030. & Trithemius poſt Marianum Scotum, anno 1038. conſignaverint, inquit Mabillonius. Sed Lambertus Schafnaburgenſis ſanctæ hujus virginis mortem conſignat anno 1033. non 1030. Hic autem Chronographus eò magis hac in re audiendus, quò anno 1058. veſtem monaſticam accepit, cum econtra Auctor Anonymus Vitæ Sanctæ Chunegundis, poſt annum 1152. floruerit, ut fatetur Mabillonius; imo Bollandus exiſtimat, eum vixiſſe poſt annum 1189. His adde Lamberto Schafnaburgenſi ſuffragari Chronographum Hildensheimenſem, in quo etiam ad annum 1033. legitur: *Piæ memoriæ Cunigund Imperatrix V Non. Martii obiit*, ut obſervavit Annotator Baronii ad annum 1040 num. 1.

XXVII. *Lundenſis Archiep. Primatum in Sueciam confirmat.*

Innocentius Pontifex qui anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, Pontificatûs primo Abſoloni Lundenſi Archiepiſcopo, Epiſtolâ 419. libri primi, data IX Kal. Decemb. Indict. II, Pontificatûs anno primo, ejuſque ſucceſſoribus confirmaverat primatum ei ab Hadriano IV, Alexandro III & ſequentibus Romanis Pontificibus in regno Sueciæ attributum

butum, mortuo XII Kalendas Aprilis anni milleſimi ducenteſimi primi, Abſolone, ut ſcribit Pontanus lib. 6. Rerum Danicarum, qui id deſumpſiſſe videtur ex probis documentis, ſuffectus eſt ei in Archiepiſcopatu *Andreas Sunonis*, ipſius ex fratre pronepos, à Regibus genus ducens; qui diu apud exteros ætate honeſtiſſime tranſacta, etiam Lutetiæ publicè docuerat. Huic etiam Innocentius Pontifex primatum in Sueciam contulit, ſeu potius confirmavit, datis literis, quæ extant apud Pontanum ibidem, ***anno*** ipſius Innocentii ***quarto***, ***indictione quarta***, ***nona Kalendas Decembris***, ideoque anno 1201. ubi tamen corrigenda eſt indictio, eo enim anno, menſe Novembri currebat indictio quinta, à Septembri, juxta morem, ab Innocentio inchoata. Error itaque irrepſit in Annalium Spondani Continuatione, ubi ad annum 1201. num. 4. legitur, Abſolonem mortuum ***duodecimo Kalendas Decembris***, & literas Innocentii triduo poſt, ſcilicet, ***nono Kalendas*** ejuſdem menſis datas eſſe. SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

XXVIII. ***Agit pro ſubſidio Terræ Sanctæ.***

Cum anno MCXCIX Pontifex de rebus Terræ Sanctæ plenè deploratis ſollicitus, Petrum Capuanum tituli Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconum Cardinalem, ad Franciæ & Angliæ Reges Legatum miſiſſet, ſcripſit ad eoſdem Reges, ceteroſque ubique Principes, Antiſtiteſque commonitorias literas, quæ extant libro 2. ejus Regiſtri, pro Cruce ſumenda, & pecuniis mittendis in ſubſidium Chriſtianorum in Syria laborantium. Deſtinavit inſuper Venetias Soffredum tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem, qui idem negotium ibi promoveret, & exercitum unà cum eodem Petro comitaretur: propoſita omnibus qui crucem ſuſciperent indulgentia peccatorum, & Sedis Apoſtolicæ protectione pro omnibus terris, bonis, cauſiſque ipſorum. Cum itaque frequentibus Chriſtianorum Orientalium lamentationibus, & Innocentii Papæ hortationibus, multi Galliarum proceres crucem ſumpſiſſent, parſque Maſſiliam, inde navigaturi conceſſiſſent; pars nobilior Venetias facilioris ſpe trajectûs petierunt. Verùm deficientibus pecuniis, Henricus Dandulus Venetiarum Dux ſpecioſam obtulit gloriæ cupidis occaſionem, rogans eos opitulari ſibi adversùs Iſtros & Illyricos piraticam Adriaco mari factitantes; ſimulque eos impulit Jaderam, civitatem oræ maritimæ Dalmatiæ (vulgò *Zaram* dictam), quæ à Venetorum Imperio ad Hungaros defecerat, oppugnare ac Venetis reſtituere. Quæ anno milleſimo ducenteſimo primo cœpta, ſequentis partem maximam occuparunt, ad cujus finem Jadera intra triduum ad deditionem compulſa eſt, ac poſt deditionem ſolo ferè æquata.

XXIX. ***Cruceſignatos ab excommunicatione quam ob Jaderam captam incurrerant abſolvit.***

Cum autem propter hæc conſtaret, omnes prædictos incidiſſe in excommunicationem Pontificiam; non ſolum ex eo quòd Innocentius, eorum qui crucem aſſumerent, terras ac bona univerſim ſub protectione Sedis Apoſtolicæ eſſe decreviſſet; verùm etiam prædicto exercitui ſpeciatim

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. ſpeciatim ſemel iterumque ſub excommunicatione prohibuiſſet, ne terras Chriſtianorum, niſi omnino coacti, nullo verò modo Jaderam invaderent, poſſeſſam tunc à Rege Hungariæ, qui crucem contra Saracenos reſumpſerat: poſt captam Jaderam Franci, Germanique pœnitentes, miſſo Romam Epiſcopo Sueſſionenſi, qui in expeditione erat, cum Martino Abbate Duce expeditionis Germanorum, obtinuerunt ab Innocentio quoad præterita abſolutionem, ſub juramento ſtandi mandato Eccleſiæ pro ſatisfactione damnorum, & in futurum, ſi Veneti poſſent ad ſatisfactionem induci, & abſolutionem obtinerent, ſecurè cum eis navigare poſſent: ſin verò in obſtinatione permanerent, quandoquidem non poſſent Franci abſque eorum navibus in Syriam trajicere, poſſent cum Venetis etſi excommunicatis libere pro rebus neceſſariis communicare, uſque dum in terras hoſtium perveniſſent. Quod Innocentii ea de re decretum extat in ipſius Actis num. 87. & in ejus Epiſtola 101. lib. 6. decurtatum verò in collectionibus decretalium, ea parte qua omninò prohibuit ſocietatem belli cum Venetis, quandiu in excommunicatione permanerent; multis Scripturæ auctoritatibus, quantum id nefarium eſſet, comprobans.

XXX. *Venetos quoque poſtea per Legatum abſolvit.* Ceterum & ipſum quoque Ducem Dandulum cum ſuis Venetis, tandem poſt captam primò Conſtantinopolim, abſolutionem per Legatos ab Innocentio Papa petiiſſe, excuſantes ignorantiam de Jadera ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recepta; Pontificem autem eam commiſiſſe Petro Cardinali Capuano tituli Sancti Marcelli legatione in Oriente fungenti, ut data à Venetis ſatisfactione illos abſovere, intelligitur ex litteris 202. & 207. libri 7. Regiſtri ea de re ab Innocentio ſcriptis. Ex numero vero 90. Actorum ejuſdem Pontificis præterea habetur, Petrum ab eodem Dandulo id exequi rogatum, Theſaurarium Nicoſienſem Cypri miſiſſe, qui id præſtitit poſt exhibitum ab iis ſecundum formam Eccleſiæ juramentum; etiamſi in nullo adhuc ſatisfeciſſent de commiſſis, quod mallet Petrus, ut loquuntur Acta, *eos habere claudos quam mortuos, præſertim ne ipſorum contagium ceteros inquinaret.*

XXXI. *Innocentii PP. auctoritate Rex Armeniæ coronatur.* Ad primordia Pontificatûs Innocentii III pertinet ſubjectio Armeniæ, tum Romanæ Eccleſiæ, tum Romano Imperio. Cum enim, ut teſtatur Arnoldus Lubecenſis in Chronico Slavorum lib. 5. cap. 1. & ſeqq. Henricus Imperator anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo ægrotare cœpiſſet, & claſſis ejus ſub ducto Conradi Hildensheimenſis Epiſcopi, feliciſſima navigatione perveniſſet in Palæſtinam ad portum Accon vigeſima ſecunda die menſis Septembris ejuſdem anni, poſt aliqua proſpere geſta, audito adventu Saladini adverſus eos, ſimulque accepto nuncio de morte Henrici Imperatoris, quæ contigit die vigeſima octava ejuſdem menſis & anni, omnes Duces exercitûs arripuêre fugam, & remanſêre tantum Moguntinus Archiepiſcopus & Verdenſis Epiſcopus

ſancti

ſancti propoſiti tenaciores. Eorum Cruceſignatorum adventu audito & proſpere geſtis, Rex Armeniæ miſſis nunciis gratulatus eſt de rebus geſtis, ac paratiſſimum ſe dixit Romano ſubdi Imperio, ſi coronam ab ejus nuncio mereretur accipere. Ita Arnoldus Lubecenſis loco laudato, qui & lib. 6. cap. ult. ait, gloriam hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, ut ipſa non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus dilataretur, cum etiam Reges Tranſmarini eo titulo affectarent inſignia. Quare expunctum in Arnoldi Lubecenſis priori loco laudato, nomen Romani Pontificis, cujus præcipuè auctoritate ea geſta ſunt in Armenia, rectè conjicit Baronius, tum ex iis quæ in poſteriori loco habet idem Auctor, tum ex literis Catholici, ſeu Patriarchæ Armenorum ad Innocentium Papam, quæ ſunt ordine 217. libri 2. Regiſtri, in quibus ait: *Noveritis, domine, quod ad nos venit nobilis, ſapiens, & ſublimis Archiepiſcopus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte ſublimitatis Eccleſiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum, ſublimem coronam & coronavit Regem noſtrum Leonem & nobis reddidit coronam auream, quam perdidimus à longo tempore.* Hunc Archiepiſcopum Moguntinum fuiſſe Conradum S. R. E. Cardinalem, Epiſcopum Sabinenſem conſtat ex literis 218. & 220. ejuſdem libri ab Innocentio, Gregorio Catholico & Leoni Regi Armeniæ ſcriptis, & datis Laterani IX & VIII. Kal. Decembris. *SEC. XIII. INNOCENTIUS III.*

XXXII. *Innocentius Regi & primati Armeniæ privilegia concedit.*

Anno deinde milleſimo ducenteſimo ſecundo idem Leo, ſeu Lievo Rex, & Joannes Catholicus, ſeu Patriarcha, Gregorii ſucceſſor nuncios ad eumdem Pontificem Innocentium miſerunt, qui conſenſum eorum in fide cum Eccleſia Romana ſignificarent; opemque adversùs Comitem Tripolitanum, & Antiochenos ac Templarios ei adhærentes, à quibus graviſſimas infeſtationes paterentur, implorarent. Rex verò inſuper privilegium petiit, ut præter Romanum Pontificem, nemo in ipſum, vel regnum ejus, aut quoſcumque ſubditos poteſtatem haberet excommunicationis vel interdicti: Catholicus autem, ut recens ſibi ad dignitatem evecto pallium, annulum & mitram tranſmittere dignaretur. Quod utrumque indulſit Innocentius: privilegium tamen coarctavit, ut nonniſi à Romano Pontifice, vel ejus Legato, aut de ſpeciali ejus mandato, nemo diſtrictionem Eccleſiaſticam exercere auderet. Literæ Leonis Regis ac Joannis Catholici & Innocentii Papæ reſponſa leguntur in Actis ejuſdem Innocentii à num. CXI. ad CXIX. & in lib. 5. Regiſtri Epiſt. 43. uſque 48. Controverſia tamen principatûs Antiochiæ, de qua ibidem agitur, non potuit à Soffredo tit. Sanctæ Praxedis, & Petro Capuenſi tit. Sancti Marcelli, olim diacono S. Mariæ in Via Lata, Presbyteris Cardinalibus Legatis, in Oriente conſtitutis, componi. Quare & poſthàc ſæpiùs eamdem rem neceſſe fuit retractare, & multa

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. certamina bellica ineunda, cladeſque utrimque ſuſtinendæ, quas referunt Hiſtorici hujus temporis.

XXXIII. *Scotiæ Regi munera mittit.* Cum Willelmus Scotorum Rex eodem anno MCCII conventum procerum ſuorum indixiſſet, quo filio ſuo Alexandro tertium duntaxat annum agenti fidem ſuam uti futuro Regi oppignerarent; ad eum miſit Innocentius Papa per Legatum, enſem, cujus capulus, vaginaque aurea & gemmis diſtincta erant, & galerum purpureum, indicium, ut ipſe volebat, *Eccleſiæ defenſoris*; multis inſuper privilegiis eum honoravit. Erat enim princeps valde pius, adeo ut miraculis claruiſſe Boethius, ex cujus libro 13. Hiſtoriæ Scotorum hæc deſumpta, aſſerat. Quare & Pontificis muneribus gratum ſe exhibens, ac Præſulum ſuaſione inductus, decrevit, ut dies ſabbati à meridie ſacer eſſet, neque exinde quiſquam res profanas exerceret, ſed rebus divinis vacaret, conſtituta adverſus contemptores gravi mulcta: plurimaque poſtmodùm ſacra loca magnificè decoravit.

XXXIV. *Bulgariæ regnum Eccleſiæ Rom. ſubjicit.* Cum regnum Bulgarorum & Blacorum, ſive Walachorum, quod ab obedientia ſanctæ ſedis à longo tempore ſe ſubtraxerat, ad eamdem reducere cuperet Innocentius, ad Johannitium ſeu Colo-Joannem eorum Regem, ſeu Imperatorem, qui nuper Græcorum jugum excuſſerat, direxit Dominicum Archipresbyterum Brunduſinum, ut eum in devotione, quam erga Romanam Eccleſiam habere cognoverat, confirmaret. Calo-Joannes anno milleſimo ducenteſimo ſecundo legationem ad Innocentium miſit, qua devotionem ſuam erga Romanam Eccleſiam teſtatus, petiit ſibi ab ea coronam concedi, quam olim deceſſores ipſius ab eadem ſuſcipere conſueverant: *Hoc autem*, inquit, *petit Imperium noſtrum ab Apoſtolica ſede, ut nos ſimus in Eccleſia Romana ſicut matris filialitate firmati. Imprimis petimus ab Eccleſia Romana matre noſtra coronam & honorem tanquam dilectus filius, ſecundum quod Imperatores noſtri veteres habuerunt. Unus fuit Petrus, alius Samuel, & alii, qui eos in Imperio præceſſerunt, ſicut in libris noſtris invenimus ſcriptum.* Eadem de re ſcripſit etiam ad Innocentium Baſilius illius gentis Archiepiſcopus, qui in ſuis literis ait progenitores Calo-Joannis deſcendere à ſanguine Romanorum, quod expreſſius aſſeruerat Innocentius in prædictis literis per Archipresbyterum Brunduſinum miſſis: *Nos autem*, inquit, *audito, quod de nobili urbis Romæ proſapia genitores tui originem traxerunt*, &c. Idem itaque Pontifex acceptis Calo-Joannis Regis & Baſilii Archiepiſcopi literis, confeſtim miſit Joannem Capellanum ſuum, qui res Eccleſiæ ibi componeret; pallium quoque eidem Baſilio tranſmiſit; coronam etiam Imperatori ſpondens, poſtquam de rerum regionis illius ſtatu fuiſſet à Legato certior redditus. Qui quidem eò profectus, pallium, mitram & annullum prædicto Archiepiſcopo tradidit, recepto ab eo juramento obedientiæ Romano Pontifici in perpetuum exhibendæ

bendæ: creanſque duos alios Metropolitanos, eoſdem Baſilio ſubjecit, Primatum regni conſtituens Trinone nobiliori ceteris civitate. Eodemque tempore & ipſe Calo-Joannes, licet nec dum corona ei impertita fuiſſet, profeſſionem edidit ſubjectionis Eccleſiæ ſuæ, Regnique, Sedi Romanæ, ejuſque legibus & ritibus, à quibus olim Græcorum arte diſciſſi fuerant.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

Poſt hæc cum anno milleſimo ducenteſimo tertio Joannes Capellanus Romam reverſus cum Blaſio Brandizuburenſi Epiſcopo ab eodem Rege miſſo cum literis & quibuſdam donariis in ſignum devotionis Domino Papæ tranſmiſſis, ad Apoſtolicam ſedem perveniſſet, Innocentius Leonem tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem, Legatum in Bulgariam miſit anno milleſimo ducenteſimo quarto, qui Calo-Joannem hoc jamdiu expetentem diademate Regio coronaret. Sed cum Andreas Hungariæ Rex, poſt honorificè primùm habitum Legatum, eumdem poſtea in finibus regni ſui detinuiſſet, quouſque controverſia, quæ inter ipſum Andream & Calo-Joannem erat de quibuſdam juribus & prætentionibus, terminata foret: de iis certior factus Innocentius, commonitoriis ſcriptis ad eumdem Andream Regem, & ad Strigonienſem Epiſcopum literis, omnino inhibuit, ne ſic propagationi fidei Catholicæ obniteretur; ſpondens ſe utriuſque Regis perpenſis juribus, controverſiam ex æquo & bono diremptururm. Quarum literarum vigore, & quod timere cœpiſſet Andreas, ne Pontifex coronationem filii ſui parvuli, quam moliebatur, impediret, Legatum dimiſit, qui perveniens ad Calo-Joannem, ſceptrum ei, diademaque, & vexillum Cruce ac clavibus, in memoriam Chriſti, & clavium Sancto Petro ejuſque ſucceſſoribus traditarum, inſignitum porrexit cum facultate cudendi monetam.

XXXV. *Legatum ad illud mittit ad Regem coronandum.*

Archiepiſcopo itidem Trinonitano ornamenta Pontificalia miſit per eumdem Legatum cum titulo Primatis ejuſdem regni & facultate coronandi Reges: à quo etiam, ex more juramentum recepit de obedientia Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Pontificibus præſtanda; & quod *cùm aliquem coronaret in Regem Bulgarorum & Blachorum, juxta indulgentiam ſibi & ſucceſſoribus ſuis à Sede Apoſtolica conceſſam, ab eo juratoriam recipere cautionem, quod ei qui tunc Apoſtolicæ Sedi præfuiſſet, ſucceſſoribus & Eccleſia Romana devotus & obediens permaneret, & cunctas terras ac gentes ſuo ſubjectas imperio, in obedientia & devotione Sedis Apoſtolicæ confirmaret.* Quia verò ſecundum conſuetudinem Bulgarorum & Blachorum, nec in ordinatione, Presbyteri, nec in conſecratione, Pontifices fuerant inuncti; fecit idem Pontifex eumdem Brandizuburenſem Epiſcopum ritu Catholico in præſentia ſua Romæ inungi; mandavitque, ut tam Primas, quàm Metropolitani, & univerſi Epiſcopi, & Presbyteri ſacram reciperent unctionem ſecundum morem Latinorum; ita ut deinceps nulli ſine unctione ordinarentur Presbyteri, aut conſecrarentur Epiſcopi. De quibus omnibus gratias per literas agens Calo-Joannes Pontifici,

XXXVI. *Bulgariæ Epiſcopos & Presbyteros more Latinorum inungi facit.*

SEC. XIII. Innocentius III.

fici, miſit etiam cum muneribus duos pueros Romam, quorum alter filius ipſius erat, ad ediſcendas literas; rogans pariter Pontificem, provideret, ne vel Hungari, vel Latini, qui Conſtantinopolim occupaverant, regno ſuo incommodarent; alioquin ipſum eos omnibus modis perſecuturum, nec propterea deſtiturum ab obedientia Eccleſiæ Romanæ. Tractantur hæc omnia diffusè in literis, tunc ultrò citròque de iis ſcriptis, quæ leguntur in Actis Innocentii à num. LXV ad LXXXII & in lib. 7. Epiſtolarum ejus Regiſtri. Quæ porrò de unctionis myſterio dogmaticè ſcripſit Innocentius Papa ad prædictum Primatem Trinonienſem per Brandizuburenſem Epiſcopum relata ſunt in corpus decretalium cap. *cum veniſſet de ſacr. unct. collat.* 3. *&* ex.

XXXVII. *S. Gilbertum empringhamenſis Ordinis fundatorem canonizat.*

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſecundo Innocentius Pontifex Sanctum Gilbertum fundatorem ordinis Sempringhamenſis in Anglia Sanctorum faſtis adſcripſit, anno poſt ejus obitum decimo quarto; Bromptonus enim in Chronico & Hovedenus pag. 649. qui hoc tempore vixêre, mortem ejus accidiſſe ſcribunt anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo. Duplex quidem ejus Vita ab Auctoribus anonymis ſcripta, extat in Actis Sanctorum Bollandianis ad diem IV Februarii, & in utraque ejus mors connectitur cum anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono, ſed cum non conſtet de tempore, quo uterque Bibliographus floruerit, major fides habenda Bromptono & Hovedeno, hoc tempore viventibus. Poſterior Vita canonizationem ejuſdem ſancti memorat ab Innocentio anno MCCII factam, cujus non meminit prior. Hic Sanctus in fundando ſuo Ordine Sanctum Bernardum adiit, & ejus conſiliis in ſuo propoſito roboratus, *piis cœptis inſiſtere non ceſſavit*, ut inquit Neubrigenſis lib. 1. cap. 16. qui poſtea addit: *Servorum Dei duo, & ancillarum Dei octo non ignobilia conſtruxit monaſteria, quæ & numeroſis replevit collegiis; & juxta datam ſibi ſapientiam regularibus ornavit inſtitutis. Et quidem circa ſervos Dei inſtituendos abundavit indulta ei divinitus gratia, in ſollicitudine fœminarum. Quippe in hac parte meo judicio, palmam tenet inter omnes, quos inſtituendis regendiſque fœminis religioſam operam impendiſſe cognovimus*, &c. Vocatur hic Sanctus à Bromptono *fundator alborum Monachorum ordinis de Sempyngam.*

XXXVIII. *Item S. VVulſtanum VVigornienſem olim Epiſc.*

Anno autem milleſimo ducenteſimo tertio idem Pontifex beato Wulſtano Wigornienſi olim in Anglia Epiſcopo Sanctorum pariter honores cultumque decrevit, ut conſtat ex ejus Epiſtola 62. lib. 6. in qua ait, ſe antea Cantuarienſi Archiepiſcopo & piſcopo Elienſi, ac duobus Abbatibus in mandatis dediſſe, ut ad Wigornienſem Eccleſiam accedentes, ibi indicto triduano jejunio, de virtute morum & de virtute ſignorum ejus, operibus videlicet & miraculis diligenter inquirerent veritatem. Cumque patuiſſet per ſcripturam authenticam, & depoſitiones teſtium, *quod ad ſepulchrum ejus muti loquelam, leproſus mundationem, hydropicus & para-*

& paraliticus receperant ſanitatem, & quod quamplura miracula Dominus SEC. XIII.
invocantibus nomen ejus, & prædicti Epiſcopi jugiter operaretur, Pontifex INNOCENTIUS III.
eumdem cœlitibus annumerandum eſſe cenſuit iiſdem literis datis *Ferentini ſeptimo Idus Maii.* Sanctus hic Epiſcopus in Concilio Anglicano anno MLXX congregato Epiſcopatu Wigornienſi depoſitus, baculum paſtoralem Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo reddere recuſavit, eique dixit: *Et tuæ Sanctitatis Synodi ſententiæ cedens, reſignabo baculum, ſed non tibi, ſed ei potius, cujus eum auctoritate ſuſcepi. Hæc cum dixiſſet, cum ſuis acceſſit ad lapidem, quo glorioſiſſimi Regis* (B. Eduardi) *exuviæ claudebantur, & ſtans ante ſepulchrum, Tu ſcis, inquit, domine mi Eduarde, quam invitus hoc onus ſuſceperim, quotiens ſubterfugerim, quotiens me, cum quærerer, abſentaverim. Fateor inſipiens factus ſum, ſed tu me coegiſti,* &c. *Et ecce novus Rex, nova lex, novus Pontifex, nova jura condunt, novas promulgant ſententias. Te erroris arguunt, qui juſſiſti, me præſumptionis, qui conſenſi*, ut ſcribit Ailredus Abbas lib. 2. de Vita S. Eduardi Confeſſoris pag. 405. juxta editionem Seldeni. Subjunxit poſtea Wulſtanus ſe non illis, qui exigunt, quod non dederunt, baculum reſignare, ſed ei, qui dediſſet, *qui jam inductus in ipſam veritatem, erroris vel ignorantiæ tenebras* evaſiſſet. Tandem miraculosè reſtitutus eſt, cum baculum paſtoralem ſepulchro beati Eduardi infixiſſet; nullus enim præter eum à lapide evellere potuit. Vixit poſtea hic Sanctus Epiſcopus uſque ad annum milleſimum nonageſimum quintum, quo, Hovedeno part. 1. Annal. pag. 465. & Vigornienſi ejus Vitæ Scriptore, teſtibus, die XIX menſis Januarii ad cœleſtem patriam migravit.

XXXIX. *B. Albertum Epiſc. Vercell. in Patriarcham Ieroſol. & in Apoſt. ſedis Legatum promovet.*

Alberto Patriarcha Jeroſolymitano, qui ut in Cœleſtini III. Vita diximus, Heraclio anno MCXCI ſucceſſerat, anno milleſimo ducenteſimo tertio, ad meliorem vitam tranſlato, Canonici in ejus locum elegerunt Goffredum, ſive Soffredum S. R. E. Cardinalem tituli Sanctæ Praxedis, ab Innocentio Papa ad promovendas res Palæſtinæ in Orientem Legatum. Sed Soffredo eam dignitatem omninò recuſante, electus eſt anno milleſimo ducenteſimo quarto, Albertus primum Bobienſis, ac dein Vercellenſis Epiſcopus, abſens quidem corpore, ſed vitæ & ſcientiæ famâ præſens, ad quem extant ejuſdem Pontificis ad onus ſuſcipiendum hortatoriæ literæ lib. 7. Regiſtri Epiſt. 222. ac in Actis Innocentii num. 88. in quibus numero ſequenti additur: *Ipſe verò Vercellenſis Epiſcopus humiliter acquieſcens, ad Apoſtolicam Sedem acceſſit, & in Patriarcham promotus, non ſolum pallei ornamentum accepit, verum etiam officium legationis promeruit per quadriennium in ſua provincia exercendum; Januamque profectus inde in Syriam navigavit.* Hunc Albertum Vercellenſem Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico, Henricus Spondanus ad annum 1204. num. 5. & Papebrocius in ſerie Patriarcharum Jeroſolymitanorum Tomo 3. Sanctorum menſis Maii præfixa, faciunt immediatum

 ſucceſ-

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

ſucceſſorem Heraclii, de quo Papebrocius pag. 51. ſcribit: *De Heraclio, ubi, vel quando obierit, incompertum eſt propter Auctorum ſilentium.* Sed in Pontificatu Cœleſtini III num. IX oſtendimus ex Interpolatore Chronici Aquicinctini, & ex Rogerio Hovedeno, Heraclium anno 1191. in obſidione Acræ obiiſſe, eique Albertum Eremitam, Petri Eremitæ, qui ſub Urbano II belli ſacri auctor fuit, pronepotem, ex Bethlehemitano Epiſcopo, in Jeroſolymitanum Patriarchatum ſucceſſiſſe; ideoque Albertum illum valde diverſum eſſe à B. Alberto Vercellenſi Epiſcopo, qui anno 1204. Patriarchatum illum obtinuit, & officium legationis in provincia ſua per quadriennium exercendum promeruit.

XL. *Petrum Aragonia Regem coronat, qui Regnum ſuum Sedi Apoſt. ſubjicit.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quarto, menſe Novembri Petrus Rex Aragonum ad Apoſtolicam ſedem acceſſit, ut ab Innocentio Papa militare cingulum, & Regium acciperet diadema. Pontifex miſſis ad illum equitaturis, fecit eum apud Sanctum Petrum ad præſentiam ſuam venire, mittens in occurſum ipſius quoſdam Cardinales, Senatorem Urbis, & alios multos nobiles, fecitque illum in domo Canonicorum apud S. Petrum honorabiliter hoſpitari. Tertio verò die, in feſto videlicet Sancti Martini Pontifex cum Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, Primicerio, Cantoribus, Senatore ad monaſterium Sancti Pancratii martyris trans Tyberim eſt profectus, ibique præfatum Regem per manus Petri Portuenſis Epiſcopi fecit inungi, quem poſtmodum ipſe manu propria coronavit, largiens ei regalia inſignia univerſa, mantum videlicet, & colobium, ſceptrum & pomum, coronam & mitram; corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenor eſt talis: *Ego Petrus Rex Aragonum profiteor & polliceor quod ſemper ero fidelis & obediens Domino Papæ meo Innocentio, ejuſque Catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ, regnumque meum in ipſius obedientia fideliter conſervabo, defendens fidem Catholicam, & perſequens hæreticam pravitatem. Libertatem & immunitatem Eccleſiarum cuſtodiam, & earum jura defendam. In omni terra mea poteſtati ſubjecta pacem & juſtitiam ſervare ſtudebo. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.* Deinde præfatus Rex coronatus rediit juxta Dominum Papam ad Baſilicam Sancti Petri, ſuper cujus altare ſceptrum & diadema depoſuit, & de manu ejuſdem Pontificis militarem enſem accepit, regnumque ſuum beato Petro obtulit, illudque conſtituit cenſuale, ita *ut annuatim de camera Regis ducenta quinquaginta maſſemutina* (erant aurei nummi, quorum ſinguli ſex ſolidis regalium æſtimabantur) *Apoſtolicæ Sedi redderentur.* *Actum Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quarto, tertio Idus Novembris, anno regni mei octavo,* ut legitur in privilegio ea de re à Petro Rege exarato, quod legitur in Actis Innocentii num. 120. & ſeq. Ideo porrò Petrus à Pontifice coronari voluit, & in ſacello Vaticano, Regiis inſignibus depoſitis, gladio de Pontificis manu accepto, militiæ auctora-

auctoramentum profeſſus eſt; quia nondum in more ſuſceptum erat, ut Reges Aragonii continuò à morte patris regni inſigne acciperent: ſed cum milites creabantur, more Hiſpanis uſitato, aut uxores ducebant, tum demum Regium nomen, inſigneque uſurpabant. Jam verò Pontifex privilegium poſtea irrogavit anno milleſimo ducenteſimo ſexto, ut cum vellent Reges coronari, coronam à Sede Apoſtolica requirentes, de ſpeciali ejus mandato per Archiepiſcopos Tarraconenſes coronæ impoſterum iis Cæſarauguſtæ imponerentur. Illud privilegium legitur in iiſdem Innocentii Actis num. 122. diciturque *datum Ferentini XIV Kal. Julii, anno nono*, Pontificatûs ſcilicet Innocentii, ideoque anno 1206.

SEC. XIII. Innocentius III.

Quidam Scriptores Hiſpani, inter quos Spondanus ad annum 1204. num. 16. numerat Marianam lib. 10. cap. 9. de Rebus Hiſp. Taraph. de Regibus Hiſp. in Alphonſo IX, & Blancham de Rebus Aragoniæ in Perro II, commenti ſunt, Petrum coronatum fuiſſe ab Innocentio Pontifice corona panis azymi, & coronæ illius paneaceæ rationem addunt, quod nempe cum intellexiſſet Petrus, Romanos Pontifices pedibus diademata Regibus imponere conſueviſſe, illud ex pane conficiendum curaverit, quò ſibi ob reverentiam panis, non pedibus, ſed manibus imponendum eſſet. Quamvis autem poſſet hoc referri ad modum illum, quo vidimus Henricum V Imperatorem coronatum à Cœleſtino III Papa: haud tamen ille pedibus coronam Imperii impoſuit capiti Henrici, quos ſane non habebat uncinos, aut hamatos; nec par jus Pontificis in Reges liberos quoad hæc, ac in Imperatores, quorum confirmatio & coronatio abſolute pendet à Pontificum auctoritate, inquit Spondanus, qui antea ſcripſerat, extare hujus ſubjectionis Petri publicas tabulas relatas à Surita in Ind. anno 1204. in quibus diſerte continetur, Petrum tam coronam, quàm alia Regia inſignia, *non minus pretioſa, quam ſpecioſa* de propriis manibus Innocentii Pontificis accepiſſe. Prædictas itaque tabulas aut non viderunt, aut certè eas ſimularunt, qui talia commenti ſunt.

XLI. Fabula de Regis Aragoniæ coronatione rejecta.

Cum Iſaacius Angelus Orientis Imperator anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto ab Alexio fratre imperio & oculis privatus eſſet, ac in carcerem detruſus, Alexius Junior Iſaacii depoſiti filius quindecim annorum adoleſcens, patrui manus evadens, tranſtulit ſe ad Philippum Suevum, Imperatorem in Germania agentem, cui ſoror ejus nupſerat, à quo fuit impenſè commendatus Cruceſignatis, de quibus ſupra, apud Jaderam hiemantibus, paterno imperio reſtituendus; is enim unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ingentiaque pro recuperatione Terræ Sanctæ pollicebatur. Franci itaque Venetique Jaderâ Conſtantinopolim navigantes cum Alexio Juniore adverſus patruum Alexium tyrannum; anno milleſimo ducenteſimo tertio, contra Innocentii Papæ prohibitionem, capta octavo oppugnationis die Conſtantinopoli, Ale-

XLII. Cruceſignati capta Cpoli Balduinum Imp. eligunt.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. xioque tyranno fuga lapſo, Iſaacium ſenem Auguſtum tyranni fratrem, & Alexii adoleſcentis patrem, acclamarunt rursùm Imperatorem unà cum Alexio filio, qui de more coronatus eſt à Patriarcha in templo Sanctæ Sophiæ die prima Auguſti, moxque Iſaacius pater cuncta firmavit, quæ filius Francis Venetiſque promiſiſſet. Sed anno milleſimo ducenteſimo quarto, Latinorum exercitu apud Conſtantinopolim hiemante, dum Imperatores Iſaacius & Alexius præſtarent quæ pro ſua in Imperium reſtitutione promiſerant, & tempus navigationi Syriacæ opportunum advehiret, orta eſt grandis ſeditio in urbe Conſtantinopolitana à Græcis, collationem ingentis pecuniæ graviſſimè ferentibus, ignem præcipuè incendente Alexio Duca, *Murtzuphli* cognominato, qui ſumptis Imperii inſignibus, Alexium Auguſtum propriis manibus ſceleratiſſimè necavit ineunte menſe Februario, dum interim Iſaacius ejus pater extinctus eſt. Cùm autem poſt hæc Alexius Ducas Francos cum copiis aggreſſus eſſet, hique de illo inſignem victoriam reportaſſent, renovato cum Venetis ſanctiori fœdere, acriter terra, marique oppugnata Conſtantinopoli, Alexius Ducas, cum jam quadam parte expugnatam cerneret, fugâ ſibi conſuluit, nec valuit Theodorus Laſcaris, Alexii tyranni gener, qui in locum Theodori Ducæ tumultuariè ſuffectus eſt Imperator, Latinos urbe propellere; unde fugiens & ipſe eam illis diripiendam reliquit. Quæ quidem recepta eſt eodem anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quarto, pridie Idus Aprilis, feria ſecunda poſt paſſionem Domini, ut pluribus oſtendit Spondanus ad eumdem annum num. 3. Electus deinde eſt in Imperatorem Orientis Balduinus Flandriæ Comes, Dominica *Miſericordia Domini*, & Dominica ſequenti *Jubilate*, quæ fuit decima ſexta dies Maii, cum eo anno Paſcha, exemplo rariſſimo, inciderit in vigeſimam quintam diem Aprilis, corona cetériſque inſignibus Imperialibus ornatus eſt.

XLIII. *Innocentius PP. electionem Patriarchæ ab iis factam reſcindit, & eum eligit ac conſecrat.* Cum autem inter Francos & Venetos conventum eſſet, ut legitur in Actis Innocentii Papæ num. 92. ut quorum pars Imperatorem haberet, alteri cederet gentis ſuæ Patriarcham, creatus eſt primus Latinorum Patriarcha Conſtantinopolitanus Thomas Maurocenus nobilis Venetus, Innocentii Papæ olim Subdiaconus, ſuperſtite licet Joanne Comatero Græco, qui capta urbe cum aliis plurimis inde ſe receperat. Thomas itaque, Eccleſiâ Græcâ Pontificis Romani dicto parere incipiente, electus Patriarcha, confeſtim Romam ad Innocentium Papam profectus, adeptæ dignitatis confirmationem obtinuit, ut produnt Scriptores Veneti. Ejus tamen electionem primò à Pontifice nullam declaratam eſſe, eò quod contra Canones à Clericis poteſtatem non habentibus, & à laicis facta fuiſſet; ſed precibus Imperatoris Balduini, eumdem, olim ſuum Subdiaconum, ac propterea ſibi probe notum, dignumque eo throno exiſtimatum, ſua auctoritate elegiſſe, & electum confirmaſſe ac conſecraſſe, aſſerit

aſſerit Sanctus Antoninus part. 3. tit. 19. cap. 2. §. 3. & intelligitur ex literis Innocentii Papæ ad Balduinum Imperatorem num. 96. ejus Actorum relatis, in quibus ait, ſe Thomæ electionem *in publico conſiſtorio* reprobaſſe, verum cum *nec idem Subdiaconus in aliquo deliquiſſet, utpote qui abſens fuerat, & irrequiſitus electus*, ſe eumdem *tanquam membrum Apoſtolicæ ſedis* elegiſſe & confirmaſſe ejuſdem Eccleſiæ Patriarcham. Illum autem ſabbato quatuor Temporum Quadrageſimæ anni milleſimi ducenteſimi quinti in Diaconum ordinavit, in Sabbato hebdomadæ mediantis in ſacerdotem promovit, ac ſequenti Dominica Romæ apud Sanctum Petrum in Epiſcopum ordinavit, ac poſtmodum contulit ei pallium, ut legitur in iiſdem Actis num. 98. & ex numeris ſequentibus apparet eumdem Thomam poſtea Venetias petiiſſe, ibique coactum à Venetis certa cum ipſis pacta inire, ac præcipuè de beneficiis Eccleſiaſticis non aliis conferendis, quam Venetis, quæ Pontifex irritavit: cumque demum Conſtantinopolim appuliſſet, à Clericis Francis minime receptum eſſe, quod cauſarentur ejus electionem ſubreptitiam extitiſſe; donec à Stephano legato illuc miſſo concordia inita eſt.

XLIV. *Iubet Imaginem B. Virginis à Venetis Cpoli ablatam reſtitui.*

Ceterùm cum Alexius Ducas armatas copias in Francos educens, ut numero ante ſuperiorem viſum eſt, eos aggreſſus eſſet, præferri juſſit à Sacerdotibus, inſignibus ſuis amictis, ſacram Imaginem beatiſſimæ Virginis, quam, ut ſcribit Nicetas Choniata, *Romanorum* (ita Græcos appellat) *Imperatores belli ſociam aſciſcunt*, eamque in expeditionibus deferre conſueverant; quæ Imago *ab hoſtibus capta eſt* unà cum vexillo Imperatorio: indeque firmâ factâ Francis certæ victoriæ ſpe, quod numen urbis tutelare à Græcis ad ſe tranſiſſet, Græci fuſi fugatique. Hæc ſacra Imago putatur illa eſſe, quam Græci vocabant Nicopio, ſeu *victoriæ effectricem*, de qua crebra mentio eſt apud Zonaram, Cedrenum, & alios Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores, quamque, teſtibus Leone Diacono, Joanne Curopalate & aliis, Joannes Zemiſces Imperator anno nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, in triumpho, quem de Bulgaris devictis tulit, in curru triumphali ſuper Bulgarorum veſtibus impoſitam per urbem Conſtantinopolitanam deferri juſſit, quod idem poſtmodum fecit anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio Joannes Comnenus Orientis itidem Imperator poſt ingentes victorias de Scythis Thraciam invadentibus ope Dei genitricis Mariæ reportatas, ut ait idem Nicetas Choniata, qui deſcribens hunc Joannis Comneni triumphum, ait quadrigas à quatuor equis tractas fuiſſe, & currum argento interpunctum non Imperatorem conſcendiſſe, ſed Dei genitricis Imaginem in eo collocaſſe, *cui victorias ut collegæ imperii invictæ acceptas ferebat.* Id ipſum poſtea imitatum Manuelem, Joannis Comneni in Imperium ſucceſſorem, debellatis Pannonibus, tradit idem Choniata lib. 5. num. 3. Veneti volunt hanc ſacram Imaginem, eamdem illam eſſe, quæ modo in Eccleſia Sancti Marci

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

aſſervata, circumlataque piis per forum precibus, tempeſtates ſedat; ſolemque inducit; contrariaque ratione nubes, pluviaſque ciet, ut refert Spondanus ad annum 1204. num. 2. ex libro ſecundo Hiſtoriæ Venetæ Juſtiniani. Sed quidquid ſit ex Epiſtola 241. libri 9. Regiſtri Innocentii Papæ intelligitur, cum Veneti poſt captam urbem, *quandam Iconam*, quæ in ſacrario Baſilicæ Sanctæ Sophiæ Conſtantinopoli aſſervabatur, *in qua beatus Lucas Evangeliſta Imaginem beatæ Virginis propriis manibus* dicebatur *depinxiſſe*, & in qua Græci ſuperſtitioſè exiſtimabant ſpiritum beatæ Virginis requieſcere, effractis ſacrarii foribus abſtuliſſent; eos à Thoma Patriarcha ob iſtud ſacrilegium anathemare perculſos fuiſſe, atque Innocentium Papam ſententiam Thomæ confirmaſſe, & ut Imago reſtitueretur, auctorem fuiſſe.

XLV. *Fruſtrà laborat pro liberatione Balduini Imp. CP. in Bulgaria captivi.*

Anno milleſimo ducenteſimo quinto cum Balduinus Conſtantinopolitanus Imperator Adrianopolim urbem Thraciæ amplam & munitam, Latinis rebellem obſediſſet, advenientique ſuppetias obſeſſis Joannicio, ſive Calo-Joanni Bulgarorum Regi obviam proceſſiſſet, dum fugientes hoſtes acrius perſequeretur, in paratas inſidias incautè præcipitatus, captus eſt, vinctuſque in Bulgariam, ſeu Myſiam inferiorem abductus, ut intelligitur ex literis Henrici, Balduini fratris ad Innocentium Papam, quæ extant in ejus Actis num. 105. & ex Niceta Choniata, qui cladem Balduini contigiſſe ponit decimo quinto die Aprilis indictionis octavæ. Eam cladem cum Henricus Balduini frater, & Imperii interim moderator prædictis literis Innocentio Papæ ſignificaſſet; ſuaſit Pontifex ut pacem componeret cum Calo-Joanne, quò facilius poſſet fratrem liberare: ad Calo-Joannem verò nuncium ſpecialem pro liberatione Imperatoris cum literis deſtinavit, indixitque ne in compoſitione pacis ſe difficilem præberet; quin imò & Latinis in Imperio Conſtantinopolitano retinendo faveret; Archiepiſcopumque Trinonitanum monuit, ut illi perſuaderet. Utræque illæ literæ extant in ejus actis num. 107. & lib. 8. Regiſtri Epiſt. 40. & ſeq. Sed Calo-Joannes non ſolum Innocentio obſecutus non eſt; verum potius more barbarico, tàm in Latinos, quàm in Græcos, qui eum evocaverant, efferatior redditus, rabiem ſuam in Balduinum convertens, eumdem poſt longum carcerem, brachiis cruribuſque truncatis, in profundam vallem adhuc vivum præcipitavit, ubi tertio demum die eſca volucrum miſerabiliter expiravit, ut ſcribit Nicetas Choniata. Ipſe verò Calo-Joannes reſcripſit Innocentio Papæ literas, quæ leguntur in ejus actis num. 108. quibus, poſtquam ſe injuſtè contemptum & minis exceptum à Latinis, quorum amicitiam exquiſierat, nec niſi eorum provocatione compulſum in eos duxiſſe, excuſavit: quod ad Balduinum attinebat, ſimpliciter reſpondit, ſe non poſſe eum ad mandatum Summi Pontificis liberare, quia debitum carnis exolverat, cum in carcere teneretur. Anno itaque milleſimo ducenteſimo ſexto, cum jam

Latini

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

Latini Rempublicam Græcam annum unum, & menſes quatuor abſque Imperatore adminiſtraſſent, vigeſima die menſis Auguſti prædictum Henricum, Balduini fratrem, qui poſt ejus captivitatem, illam egregiè adminiſtraverat, in Imperatorem elegerunt, ut refert Nicetas Choniata, qui eodem anno milleſimo ducenteſimo ſexto Hiſtoriam ſuam terminat.

XLVI. *Curat Jaderæ ſatisfieri à Venetis.*

Poſt cladem Latinorum apud Adrianopolim Henricus Dandulus Venetiarum Dux Conſtantinopolim rediit, ibique, ſive acceptis in pugna vulneribus, ſive alio oppreſſus morbo, paulò poſt mortuus eſt, & in atrio templi Sanctæ Sophiæ ſepultus. In cujus locum Petrus Cianus, ſeu Zianus Venetiis Dux creatus eſt. Is cum in Archiepiſcopum Jadertinum promoveri feciſſet Abbatem Sancti Felicis, atque à Gradenſi Patriarcha confirmari & conſecrari, ſolemnes nuncios miſit ad Innocentium Papam pro pallio impetrando, à quo repulſam accepit: quippe Innocentius improperatis denuò excidio Jaderæ & ſceleribus & ſacrilegiis apud Conſtantinopolim, ingenti Eccleſiæ ſcandalo, & Reipublicæ Chriſtianæ damno perpetratis, negavit id præſtare, niſi prius Veneti de Jaderâ, contra jus faſque capta & expilata ſatisfacerent, ut legitur in ejuſdem Pontificis Vitæ Actis num. 104.

XLVII. *Agit contra Philippum ſe in Germania pro Imp. habentem.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quinto in feſto Epiphaniæ Philippus Sueviæ Dux, Othone ipſius æmulo graviter ægrotante, & pene ab omnibus deſerto, magnum Conventum Principum ſibi adhærentium habuit Aquiſgrani, in quo tanquam minus legitime ad Imperium electus, depoſita corona Regia, iterum ab iiſdem Principibus eligi petiit & impetravit. Deinde ab Adolpho Archiepiſcopo Colonienſi, qui priùs ab Othone ſteterat, ſolemni pompa rurſum inunctus & coronatus eſt, cum Irene, ſive Maria uxore, filia Iſaacii olim Imperatoris Conſtantinopolitani. Quibus auditis Innocentius Siffridum Archiepiſcopum Moguntinum & Antiſtitem Cameracenſem Coloniam ire juſſit, qui nomine & auctoritate ipſius, eumdem Adolphum Colonienſem propter Philippi coronationem excommunicatum publicè denunciarunt: & quòd infrà terminum ei præſcriptum Romam ad ſatisfaciendum ire contempſit, eumdem officiò & dignitate removerunt, electo in ejus locum Brunone Præpoſito Bonnenſi. Unde multas clades Colonia à Philippo paſſus eſt; ipſeque Bruno ſemel & iterum captus & in vinculis detentus: quouſque Philippus in gratiam Pontificis receptus eſt, & ipſe Bruno inter pacis conditiones liber dimiſſus paulò poſt obiit, ut pluribus referunt Godefridus Monachus & Trithemius in ſuis Chronicis, itemque Arnoldus Lubecenſis in ſuo & ex eo Krantzius lib. 7. Sex. cap. 24. & ſeqq. ubi recitat literas Innocentii pro depoſitione Adolphi ſcriptas. Eumdem tamen Adolphum anno milleſimo ducenteſimo decimo in gratiam Pontificis receptum conſtat ex ejus Epiſtola 177. anni XIII Pontificatûs Innocentii ex editione Boſqueti, ad eum data, *Laterani 2. Idus Novembris*

anno

anno XIII, quia ei indulget, ut cum ab officio Pontificali non fuerit degradatus, ſed tantum remotus, liceat Pontificalia, pallio excepto, exercere, & dignitates Eccleſiaſticas obtinere, non Epiſcopalem tamen, *niſi de alia Romani Pontificis indulgentia ſpeciali*.

XLVIII. *Patriarcham CP. arguit, quod ſolis Venetis beneficia conferat.*

Cum Thomas Maurocenus Conſtantinopolitanus Patriarcha, Venetus, aliarum nationum Clericos ſpernens, Venetos tantum in Conſtantinopolitana Eccleſia ſatageret conſtituere, Innocentius Pontifex anno milleſimo ducenteſimo ſexto, literas quæ extant in ejus Regiſtri libro 9. ordine 95. dedit ad ſuos Legatos Cardinales, Petrum ſcilicet Sancti Marcelli, & Benedictum Sanctæ Suſannæ, quos anno ſuperiori Conſtantinopolim miſerat; quibus præcipiebat, ut monerent eum, viros literatos & alios idoneos undecumque originem ducerent, in eadem Eccleſia inſtituere; alioquin indignum ſe redditurum, ut ipſi Legati aliarum nationum Clericos ad ejus obedientiam compellerent. Et quod ſignificaſſent Legati, Thomam ea de re juramentum præſtitiſſe Senatui Veneto, idem Pontifex ſcriptis ad ipſummet Thomam literis, illud tanquam illicitum nullius roboris declaravit. Suntque de iisdem aliæ item ejusdem Pontificis literæ in ejus Vitæ Actis, tam ad eumdem Patriarcham, quàm etiam Ducem ac Senatum Venetum, de injuſto illo juramento à Patriarcha extorto, & per illum præſtito, quarum etiam pars quædam relata eſt in corpus Juris *Extr. de inſtitut. cap. ad decorem*. Habuit nihilominus de eadem culpa rurſum arguere Patriarcham Pontifex anno Pontificatûs decimo tertio, rogatu Imperatoris, ut conſtat ex Epiſtola 18. Regiſtri anni XIII, qua ei mandat, ut æque Francis, & aliis, quàm Venetis, merita potius, quàm perſonas attendens, beneficia conferat.

XLIX. *Stephanum Langtonum Cardinalem, Archiep. Cantuar. conſecrat.*

Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo mortuo, Monachi illius Eccleſiæ timentes, ne Joannes Angliæ Rex more ſuo electionem ſucceſſoris impediret, clàm in capitulo elegerunt Reginaldum Subpriorem ſuum, quem Romam miſerunt; & ad ipſius Regis inſtantiam, cui reſiſtere non audebant, in publico elegerunt Joannem Epiſcopum Norwicenſem, omnium ipſius ſecretorum conſcium. Quæſtione ad Apoſtolicæ Sedis examen ab utroque perlata, Pontifex utramque electionem caſſavit, poſtquam antea Conventui Monachorum mandaſſet, ut quindecim ex fratribus ſuis ad Apoſtolicam ſedem deſtinandis, poteſtatem eligendi Archiepiſcopum committerent, ſi forte contingeret utramque illarum electionum de jure caſſari. Cumque Monachi paruiſſent, Pontifex poſt caſſationem duarum illarum electionum, injunxit Monachis, ut electionem celebrarent; qui omnes tandem conſenſerunt in electionem Stephani Langtoni, natione Angli, quem ipſe eodem anno milleſimo ducenteſimo ſeptimo, è Lectore publico & Cancellario Academiæ Pariſienſis, ob morum probitatem, ac Philoſophiæ & Theologiæ, aliarumque ſcientiarum inſignem peritiam, crearerat Cardinalem Presbyterum

terum tituli Sancti Chryſogoni, eumque propriis manibus conſecravit XV Kalendas Julii, & pallio donavit, ſcribenſque ad Regem, literis benignis & ſuavibus, ut eum ſuſciperet, hortatus eſt. Hæc conſtant ex numero 131. Actorum Vitæ Innocentii Pontificis & ex Matthæo Pariſio.

L. *Anglia regnum interdicto ſupponit & Regem excommunicat.*

Joannes Angliæ Rex irâ excandeſcens ob repulſam Joannis Norwicenſis, quem omni conatu fovebat, Monachos è conventu Cantuarienſi expulit, bonis Eccleſiæ fiſco addictis, & Stephanum Langtonum, ne pedem in Anglia poneret, prohibuit. Cumque nec blandis admonitionibus, nec aſperis comminationibus, ejus cor induratum emolliri poſſet, ad Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum recipiendum, & Monachos reſtituendos: Innocentius Pontifex miſſis ad Epiſcopos Londinenſem, Elienſem & Wigornienſem literis, juſſit omnia rurſum tentare, quò Regem ad officium revocarent, & ſi nullo pacto flectere valerent, univerſum regnum interdicto ſupponerent. Quibus ipſi obtemperantes, poſtquam nihil à Rege obtinere potuiſſent, die Lunæ Paſſionis Domini anno milleſimo ducenteſimo octavo ad decimum Kalendas Aprilis generale interdictum promulgarunt, & tunc ceſſarunt ubique omnia ſacra, præter confeſſionem & viaticum in ultima neceſſitate, & baptiſmum parvulorum; elataque defunctorum corpora ſine orationibus & Sacerdotum miniſterio, inſtar canum projiciebantur in foſſas profanas. Sed cum hæc nihil proficerent, nihilque Rex remitteret de ſæviſſima perſecutione contra Eccleſiam & Eccleſiaſticos ratione interdicti excitata: Innocentius anno milleſimo ducenteſimo nono, eum nominatim excommunicatum per univerſam Angliam denunciari juſſit. Unde majori furore ſæviens Rex, inter ceteros Archidiaconum Norwicenſem vinculis aſperrimis tetro carceri incluſum, tunica plumbea induit, cujus pondere & victûs ſubtractione, brevi periit.

LI. *Regem Angliæ regno privat, & illud Regi Franc. attribuit.*

Toto anno milleſimo ducenteſimo decimo Joannes Rex in furore ſuo & contumacia pergens, graviſſimum tributum omnibus Eccleſiis ac monaſteriis Angliæ impoſuit, immenſamque auri vim per vim exegit. Quare Innocentius anno ſequenti milleſimo ducenteſimo undecimo Legatos in Angliam miſit Pandulphum Eccleſiæ Romanæ Subdiaconum, juriſprudentia & morum integritate clarum, unà cum Durando ex collegio Templariorum, ut Joannem Regem hortarentur ad ſe redire, & à perverſitate recedere. Hos Joannes Rex ſatis benignè ſuſcepit, & ut pacem Eccleſiæ quoquo modo adipiſceretur, acquievit quidem, ut omnes proſcripti ad ſua reverterentur: ſed quia omnino recuſavit ſarcire detrimenta Sacerdotibus, aut aliis illata, Legati infecto negotio in Gallias regreſſi ſunt. Innocentius autem his auditis, anno milleſimo ducenteſimo duodecimo, maturo habito cum patribus conſilio contra eumdem Joannem Regem, quòd religionem contemptui haberet, quod

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. monita Pontificia nihili penderet, quòd Eccleſiam Anglicanam acerrimè perſequeretur, & Univerſalem maxime perturbaret, quòd quæ ipſius populi conducerent ſaluti nihil reſpiceret, primò cunctos ei quoquo modo ſubjectos ab ejus fide & obſervantia abſolvit, diſtrictè mandans omnibus, ut menſam, colloquiumque ejus averſarentur; deinde ipſummet regno, Regiaque omni poteſtate exuit; poſtremò Philippum Regem Francorum, ad quem omnes exules Angli recurrerant, hortatus eſt ad eum bello laceſſendum, ut publicum Dei & Eccleſiæ hoſtem; conceſſo ei, ejuſque ſucceſſoribus ipſius regno: ceteroſque ubique omnes excitavit ad crucem contra eum, in Philippi auxilium ſuſcipiendam, quemadmodum in Infideles & Hæreticos fieri conſueverat. Hæc omnia conſtant ex Matthæo Pariſio, Weſtmonaſterienſi, & Polydoro, de quibus etiam plures extant in Regiſtro Vaticano Innocentii Epiſtolæ.

LII. *Eumdem Regem Legati operâ ad obſequium inducit.* Philippus Francorum Rex anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio inſtructiſſimum collegit exercitum, & numeroſam claſſem in Angliam tranſmiſſurus, tam ut Epiſcopos Angliæ in Galliis exulantes ſuis ſedibus, ac divinum officium, quod jam à multo tempore per interdictum ceſſaverat, Eccleſiis reſtitueret; quàm etiam ut Joanne Rege pulſo, illud regnum ſibi ab Apoſtolica ſede collatum acquireret. Sed interea dum Phillippus opportunitatem tranſitûs expectaret, Pandulphus Legatus, qui cum Durando in Gallia ſubſtiterat, Joannem in Anglia adiit, quem magnis in Anglia collectis copiis, adventum Philippi apud Devoram præſtolantem reperit; territum tamen & potentiſſimi Regis viribus, & ſuorum dubia fide, maximeque cujuſdam Petri Eremitæ Angli, cui populus ut ſacro vati credebat, prædictione, qua non ita pridem ipſimet Joanni palam conſtanterque pronunciaverat, fore ut ante proximum Aſcenſionis dominicæ feſtum, quod anno MCCXIII concurrebat cum die decima ſexta Maii, regno excideret. Pandulphus vir induſtrius in his rerum circunſtantiis Joanni territo, & in deſperationem fere acto, perſuaſit tandem, inviciſſimo licet, præſentiſſimæ neceſſitati cedere, & omnia quæ imperarentur præſtare. Juravit igitur Joannes Rex ſuper Sancta Evangelia ſe judicio Eccleſiæ acquieturum, & ſexdecim ex regni Primoribus in animam ipſius Joannis id ipſum jurejurando affirmarunt, ſe ipſum, ſi forte à promiſſis reſiliret, ad eorum obſervationem compulſuros. Die autem Lunæ decima tertia menſis Maii ante feſtum Aſcenſionis, ſcripto promiſit Rex ſe Stephanum Cantuarienſem, alioſque omnes Antiſtites, Clericos, Monachos, necnon & laicos his de cauſis exules reſtiturum, & ut libere ac quiete bona ſua poſſiderent, officiaque ſua exequerentur, permiſſurum. Promiſit inſuper de damnis & injuriis illatis cumulatiſſime ſatisfacere, omnibuſque ſic parcere, ut nulli fraudi foret quod ab ipſo defeciſſent.

Deinde

Digitized by Google

Deinde poſt biduum, nempe decima quinta die Maii, in ipſa vigilia Aſcenſionis, perinde ac Romæ ſtatutum fuerat, idem Joannes coronam capiti detractam Pandulpho vices Pontificis gerenti in manus tradidit, nunquam eam ipſe aut ſucceſſores ejus accepturi, niſi à Romano Pontifice: ſicque tam ipſe, quàm ceteri deinceps Reges Angliæ Romanæ Eccleſiæ clientes forent, & beneficiario jure regna Angliæ & Hiberniæ ab ea poſſiderent; annuumque pro illis ſolverent cenſum mille marcarum ſterlingorum, ſeptingentarum videlicet pro Anglia & trecentarum pro Hibernia, ſalvo per omnia denario B. Petri, de quo in Gregorio II & in Hadriano I. locuti ſumus: hæcque ſive ipſe Joannes, ſive aliquis ſucceſſorum prævaricaretur, niſi rite admonitus reſipiſceret, caderet jure regni: actoque de his publico inſtrumento, ubi illud in conſpectu Antiſtitum & Magnatum Pandulpho tradidit, continuò clientelæ profeſſionem, ſeu, ut vocant, homagium eidem præſtitit, ſoluta etiam pecunia in teſtimonium & arrham ſubjectionis. Clientelæ profeſſio, ſeu homagium Regis extat lib. 4. Regeſti 16. Epiſtola 77. ex editione Boſqueti, & publica hac de re alia inſtrumenta tunc confecta extant etiam in Hiſtoria Anglicana Matthæi Paris tunc viventis, qui verbatim multa deſcripſit, ſicuti partem eorum Weſtmonaſterienſis, Hiſtoriæ ejuſdem Pariſii compilator. Polydorus lib. 15. & Harpsfeldius Hiſt. Eccleſ. Angl. ſect. 13. cap. 2. ex aliis antiquioribus monumentis aſſerunt, Pandulphum poſt quintum diem à recepta Joannis corona, quod videret illum priſtinæ vitæ pœnitere, eam ei reſtituiſſe.

LIII. *Regnum Angliæ à Rege recipit, eique rurſum tribuit.*

LIV. *Eum ab excommunicatione abſolvi curat.*

Joannes Rex metu externæ claſſis liberatus, novis rurſum domi agitatus eſt, & quidem longe ſævioribus procellis. Cum enim in Aquitaniam adversùs Francos transfretare deliberaſſet, in ipſo procinctu à Proceribus Anglis omninò derelictus eſt, quòd nondum ab excommunicatione, qua fuerat à Pontifice irretitus, ſolutus fuiſſet. Deinde verò evocatis è Gallia Stephano Cantuarienſi, & aliis exulibus, humilique in terram proſtratione illis exceptis; poſt renovata juramenta, de fide Romanis Pontificibus præſtanda, de Eccleſiæ ac Sacerdotalis ordinis libertate defendenda, de reſtitutione omnium ablatorum, pleniſſimaque damnorum ſatisfactione, inſuperque de ſanctis ac probis legibus anteceſſorum ſuorum, ac præſertim Regis Eduardi, ab Henrico primo confirmatis, in priſtinum uſum revocandis, & iniquis abolendis, ac ſi falleret, excommunicatus ut priùs haberetur, abſolutus eſt ritu ſolemni auctoritate Pontificia à Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo, ceteriſque Antiſtibus decimo ſeptimo Kalendas Auguſti: *Juravit etiam*, inquit Pariſius, *quod in omnibus ad interdicti negotium pertinentibus, infra proximum Paſcha plenariam reſtitutionem faceret abſolutam, ſin autem in priſtinam excommunicationis ſententiam revocaretur. Juravit præterea Innocentio Papa, ejuſque Catholicis ſucceſſoribus fidelitatem & obedientiam, ſicut ſupe-*

 rius

Digitized by Google

rius in ſcripto redactum continetur, &c. Tandem Pariſius ſubdit, Tuſculanum Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum circa feſtum Sancti Michaelis in Angliam perveniſſe, ſummoque honore exceptum, atque ad regnum inter & Sacerdotium pacem confirmandam operam collocaſſe, & Regem ante aram Eccleſiæ principem, coram Clero, populoque diadema, regnumque Pontifici Romano in ejus Legato obtuliſſe, ac diploma Regium de conſtitutis Anglia & Hibernia Sedis Apoſtolicæ vectigalibus renovaſſe, ac aureo ſigillo obſignatum, ut in Pontificio tabulario ſervaretur tradidiſſe.

LV. *Legatos mittit pro pace inter Othonem & Philippum Imperii competitores.*

Germaniâ ex duorum Imperii competitorum Othonis Saxonis & Philippi Suevi factionibus, continuis afflictâ cladibus, Principes Imperii finem tandem eis imponi cupientes, Legatos ad Innocentium Pontificem anno milleſimo ducenteſimo ſeptimo decreverunt Wolfgerum Aquileienſem Patriarcham, & Gebehardum Burggravium Magdeburgenſem cum quibuſdam Philippi familiaribus, qui Philippum in Pontificis gratiam reducerent. Pontifex autem conteſtim mittit in Germaniam Hugolinum Oſtienſem Epiſcopum, & Leonem Sanctæ Crucis Presbyterum, Cardinales, qui accepto à Philippo juramento de ſtando judicio Papæ ſuper omnibus pro quibus fuerat excommunicatus, eum ſolemniter abſolverunt; remque inter duos competitores ita compoſuerunt, ut Philippus filiam ſuam uxorem daret Othoni, factâ à Pontifice diſpenſatione ſuper quarto gradu conſanguinitatis, quo erant conjuncti: eique Otho ſi ſuperviveret, in Imperio ſuccederet: & interim dum hæc ad Pontificem ab Apoſtolicis & utriuſque principis Legatis referrentur, eſſent induciæ unius anni. Has pacis conditiones Pontifex ratas habuit & promulgari juſſit. Hæc conſtant ex literis ipſius Innocentii ſuper negotio Imperii Epiſt. 142. uſque 15[illegible]. & confirmantur ab Auctoribus ejuſdem temporis, Conrado Urſpergenſi Abbate, Godefrido Colonienſi & Arnoldo Lubecenſi in ipſorum Chronicis.

LVI. *Philippo occiſo agit pro confirmatione Othonis.*

Sed anno milleſimo ducenteſimo octavo Philippus, dum reditum expectaret Legatorum ad Pontificem miſſorum pro confirmatione regni ſui, & conditionum inter ipſum & Othonem pactarum, quas, ut jam dixi, Pontifex ratas habuerat, circa diem decimum Kalendarum Julii Bambergæ ab Othone Palatino de Witelſpach proditorie gladio confoſſus interiit, ut produnt plures hujus temporis Auctores. Innocentius ſtatim ut de Philippi morte certior factus fuit, ne quiſquam Chriſtianæ Reipublicæ detrimento in ejus locum ſufficeretur, & ut Othoni Imperium ſtabiliret, omnibus nervis incubuit, quod datæ tum ad ipſum Othonem literæ demonſtrant, imprimiſque illa, quam in Vaticano libello ordine 154. ſuper negotio Imperii extare ſcribit Raynaldus ad annum 1208. num. 6. tum aliæ pluribus Archiepiſcopis, Patriarchæ Aquileienſi, eorumque ſuffraganeis ab eo miſſæ, quæ ibidem extant,

quibus

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

quibus alium eligere Romanorum Regem, vel inungere, ſeu corona redimire, ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda vetuit: univerſiſque Principibus Eccleſiaſticis & aliis præcepit, ut Othonis partes omninò ſequerentur. Ipſi igitur convenientes in unum Francofurti in feſto Sancti Martini, ſeu die XI Novemb. ejuſdem anni 1208. eumdem Othonem maxima frequentia & ſolemnitate denuò elegerunt in Regem, ſeu Imperatorem ejus nominis quartum. Deinde anno ſequenti 1209. Otho ad Innocentium Papam miſit ſacramentum fidei, quod extat in prædicto Regiſtro de negotio Imperii ordine 189. editionis Baluzii, quo pollicetur ſe Præſulum electiones non invaſurum: deleturum hæreticos: omnes Eccleſiæ poſſeſſiones reſtiturum: ac pro continenda in fide Eccleſiæ Romanæ Sicilia operam daturum. Illud autem ſacramentum bulla aurea communitum, datum eſt apud Spiram XI Kal. April. anno Dominicæ Incarnat. MCCIX, indictione XII, miſſumque eſt ad Innocentium Papam per Wolfgerum Patriarcham Aquileienſem.

LVII. *Othonem Imp. Roma coronat.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo nono idem Otho Rex, invitatu Innocentii Pontificis, cum numeroſo exercitu & copioſo comitatu Principum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, Romam pergens ad coronam Imperii ſuſcipiendam, primò Mediolani in Baſilica Ambroſiana, ut refert Corius Hiſt. Mediol. part. 2. coronâ ferrea, quæ de more Modoëtiæ ſuſcipiebatur, ab Uberto ejuſdem civitatis Archiepiſcopo coronatus eſt. Inde Romam dirigens iter à cunctis Italiæ civitatibus cum honore & muneribus receptus, pervenit Viterbium, ubi Innocentium Papam invenit; *adveniente* enim *tempore æſtatis poſt Aſcenſionem Dominus Papa Innocentius ivit Viterbium aliquando viſitans vicinas terras, tum Viterbium revertebatur; & tandiu ibi ſtetit, quouſque advenit Oddo Rex cum magno & inuſitato exercitu*, inquit Auctor Chronici Foſſæ Novæ, qui hoc tempore vivebat. Otho ingenti gaudio à Pontifice exceptus, præeunte Pontifice Romam advenit, occurſu Cleri ac populi ſingulariter honoratus, ac paulo poſt coronatus eſt coronâ aureâ ab eodem Pontifice in Imperatorem in Baſilica Sancti Petri circa feſtum S. Michaelis, ut ait Urſpergenſis. Arnoldus Lubecenſis in Chronico Slavorum lib. 7. cap. 20. & ſeq. ſcribit, Othonem feria ſexta, quæ fuit poſt feſtum Sancti Michaelis ad limina Apoſtolorum acceſſiſſe, ideoque die ſecunda menſis Octobris, & dominica ſequenti, ſeu die quarta ejuſdem menſis conſecratum & coronatum eſſe. Eumdem diem ſignant Matthæus Pariſius & alii; quo pacto error irrepſit in Chronicon Foſſæ Novæ, in quo apud Raynaldum legitur, Othonem coronatum quinto Kalendas Octobris, ſeu die 27. Septembris, quæ etiam cum dominica concurrebat.

LVIII. *Eum in hoſtem mutatum monet, ut ab invaſione terrarum Eccleſia Rom. deſiſtat.*

Sed quidquid ſit, Auctoris Chronici Foſſæ Novæ opinio videtur præferenda, nam eadem die, quarta ſcilicet Octobris poſt coronationem

SEC. XIII. *INNOCENTIUS III.*

ſuam Otho exiſtens in caſtris, quæ erant extra portas Urbis, fidei ſacramentum fecit, quod extat in Regiſtro Innocentii de negotio Imperii ex editione Baluzii ordine 192. quo confirmat *juramenta ſecuritatis venerabilibus patribus noſtris Innocentio Papæ & Cardinalibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & rerum ipſorum, & totius populi Romani in coronatione* ſua, *illuc eundo, ibi ſtando, & inde redeundo, quæ Principes, Comites, Barones, nobiles & alii Imperii fideles de mandato* ſuo, *& in* ſua *fecerunt præſentia*, eaque ſe obſervaturum promittit *in caſtris in Montemalo IV Non. Octob. Indictione decima tertia.* Cum igitur Otho die quarta Octobris, non Romæ, ſed in iis caſtris eſſet, antea coronatus fuerat; nam poſt ſuam coronationem ex Urbe egreſſus eſt, ut diſertè ſcribit Auctor Chronici Foſſæ Novæ: *Celebrato ſacrificio coronationis*, inquit, *dominus Papa volens reverti Romam* (ſcilicet de Vaticano, quod eſt in ſuburbiis Romæ, Lateranum) *non poterat propter innumerabiles armatos equites Theutonicos, qui manebant extra jannas Sancti Petri uſque in portam Romæ pontis Sancti Petri. Oddo coronatus Imperator Veſtitus Imperialibus veſtimentis ſacratis, mitratus & coronatus ivit cum domino Papa uſque ad portam Romæ, & dominus Papa ibi eum benedixit, & licentiavit, & rogavit eum, ut alio die adveniente recederet à territorio Romano, quod ipſe minime fecit, ſed deficiente Romano fodro, & adveniente in Caſtris panis & vini inopia, volens, nolens, receſſit à Româ.* Ingratiſſimus enim ille Princeps, in cujus primùm promotione, ac ſubinde contra Philippum defenſione & confirmatione, Innocentius ſe ſe immobilem, ut loquitur Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 4. columnam exhibuerat; ſimul ac Roma receſſit, ſpecie recuperandi jura Imperii, manu hoſtili cœpit invadere in Tuſcia & Flaminia terras Eccleſiæ Romanæ, & in Apulia ditionem Friderici Regis Siciliæ, ejuſdem Eccleſiæ beneficiarii: frequenterque ab Innocentio Pontifice monitus, non ſolum à cœpto deſiſtere recuſavit, verùm etiam acrioribus reſponſis, literiſque patientiam ac longanimitatem Pontificis exagitare geſtivit.

LIX. *Othonem contumacem excommunicat & deponit.*

Cum itaque Otho Imperator ſæpe ab Innocentio monitus ceſſare ab invaſione & uſurpatione bonorum Eccleſiæ Romanæ, & regni Friderici Siciliæ Regis, contumax & rebellis exiſteret, ab eo excommunicatus eſt atque per omnia loca denunciatus anno milleſimo ducenteſimo decimo. Cumque nihilominus in pertinacia perſeveraret, & latrociniis vias omnes, quæ Romam ducerent, infeſtaret, ne quis eò vel religionis cauſa accedere poſſet: demum de concilio Cardinalium & Epiſcoporum, ea de re ad Synodum convocatorum, eumdem Othonem Sanctæ Eccleſiæ hoſtem judicavit; eique jus Imperii abrogavit, omnes Imperii ſubditos ſacramento religionis, quo tenebantur ei obnoxii, abſolvens. Quâ ſententiâ, ejuſdem Pontificis juſſu, per univerſam Germaniam à Sifrido Archiepiſcopo Moguntino promulgatâ; licet multi in eum inſurrexerint:

ſurrexerint; plures tamen Principes, tam ſeculares, quàm Eccleſiaſtici, & in eis Archiepiſcopus Trevirenſis, Rex Bohemiæ, Duces Auſtriæ & Bavariæ, in unum convenientes, Rege etiam Francorum ſuadente, & ut fieret omni ope contendente, Rogerium-Fridericum Siciliæ Regem, Henrici V quondam Imperatoris filium, annum ætatis agentem decimum ſeptimum, & jam olim parente ſuperſtite, dum adhuc ferè in cunis vagiret, Romanorum Regem renunciatum, in Imperatorem elegerunt: miſſique in Italiam Legati, primò aſſenſum Innocentii obtinuerunt; deinde Fridericum adeuntes, eum in Germaniam invitarunt. Quæ omnia acta ſunt partim anno milleſimo ducenteſimo decimo, partim anno ſequenti, pluribuſque narrantur ab Urſpergenſi, Godefrido, Rigordo, Pariſio & aliis. *SEC. XIII.* INNOCENTIUS III.

LX. *Toloſanum Comitem excommunicat.*

Hæretici Albigenſes, de quibus in Pontificatu Alexandri III locuti ſumus, Prælatorum & Principum negligentia, ac Sacerdotum incuriâ & ignorantia, in partibus Toloſanis, in animarum perniciem contra fidem Catholicam hac tempeſtate conſpirabant, ut ſcribit Guillelmus de Podio Laurentii in prologo Hiſtoriæ de rebus contra Albigenſes geſtis; quare Innocentius Papa pro eorum converſione & extirpatione Arnaldum Abbatem Ciſtercienſem, cum aliis Monachis, inter quos Petrus de Caſtronovo & Radulphus, miſerat. Sed ſatellites Raymundi Comitis Toloſani dictum Petrum de Caſtronovo crudeliter occiderunt. Qua de re commotus Innocentius Papa anno milleſimo ducenteſimo octavo prædictum Raymundum, Albigenſium hæreticorum acerrimum fautorem, jam ſæpius excommunicatione perculſum, & ſimulata pœnitudine abſolutum, denuò eodem anathemate feriit, & ſubditos omnes ejus à fidelitate ei debita abſolvit, ditionemque, ſalvo jure ſupremi dominii Francorum Regis, occupantibus conceſſit, cùm ob continuam hæreticorum defenſionem, & Catholicorum inſectationem; tum ob necem recèns ab ejus ſatellitibus illatam dicto Petro de Caſtronovo, viro, zelo fidei & animarum ſalutis ardenti, ac vitâ & ſcientia conſpicuo, qui ad eas partes cum Arnaldo Abbate Ciſtercienſi, ut jam dictum eſt, ad hæreticorum converſionem miſſus fuerat. Raymundus Toloſanus miſſis ad Innocentium Pontificem nunciis, conqueſtus eſt de nimia Abbatis Ciſtercienſis, ac ſuorum acerbitate, poſtulavitque alium ſibi à latere Pontificis mitti, cui in omnibus ſe obtemperaturum promiſit.

LXI. *Legatum pro ejus cauſa mittit.*

Pontifex Innocentius, ut omnem excuſationis occaſionem tolleret, legavit Milonem unum de Clericis ſuis collateralibus, virum ſcientia & vitæ integritate eximium; unà cum Thediſio Canonico Januenſi, paris conſtantiæ, doctrinæ & integritatis viro. Milo poſt oblatas primùm Philippo Francorum Regi Innocentii literas, quibus eum hortabatur, exercitum contra Albigenſes ducere aut immittere, de Regis voluntate ſecurus, anno milleſimo ducenteſimo nono apud Montilium in pro-

vincia

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. vincia Narbonenſi, Conventum Epiſcoporum celebravit; deque communi conſilio diem Raymundo dixit, apud Valentiam civitatem judicio ſe ſiſtendo. Venit Comes Raymundus ad diem illum, ibique territus fama expeditionis in Albigenſes ubique conclamatæ, promiſit Legato, quod ſuam in omnibus faceret voluntatem. Legatus autem voluit, & præcepit ei pro ſecuritate de terra quam tenebat in Provincia, ſeptem caſtra cederet. Comes quamvis dolens & invitus, neceſſitate compulſus, omnia quæ Legatus mandavit, adimplere promiſit, & ſtatim Thediſius, ſeu Theodiſius venit in partes Provinciæ, ut ſeptem caſtra reciperet & ea occuparet ac muniret ex parte Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

LXII. *Eumdem Comitem Legati opera ſolemniter abſolvit.* His omnibus peractis deſcendit Milo Legatus ad villam Sancti Aegidii, reconciliaturus ibidem Comitem Toloſanum. Modum reconciliationis & abſolutionis Petrus Monachus Vallis-Sernenſis, ex quo ſuperiora deſumta, his verbis deſcribit: *Adductus eſt Comes nudus ante fores Eccleſiæ B. Aegidii, ibique coram Legato, Archiepiſcopis & Epiſcopis qui ad hoc convenerant pluſquam viginti, juravit ſuper corpus Chriſti & Sanctorum reliquias, quæ ante fores Eccleſiæ expoſita cum magna veneratione, & in multa copia à Prælatis tenebantur, quod mandatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus obediret. Mox Legatus ſtolam ad collum Comitis poni fecit, ipſumque C mitem per ſtolam arripiens, abſolutum cum verberibus in Eccleſiam introduxit*, ibique quæ promiſerat, adimplere Legato pollicitus eſt juramento, quod extat apud Catellum lib. 2. Hiſtoriæ Comitum Toloſanorum, quodque factum dicitur *anno Pontificatûs domni Innocentii Papæ tertii, duodecimo, XIV Kal. Julii*, ideoque anno milleſimo ducenteſimo nono, ad quem etiam annum, non verò ad annum MCCVIII, ut ſcripsêre Spondanus & Raynaldus, revocandum eſſe Concilium Montilienſe oſtendit Gabriel Coſſartius Tomo XI Concil. in Notis ad illud.

LXIII. *Eum iterum excommunicat & dominium ejus Simoni Comiti Monfortio confirmat.* Poſt hæc Raymundus Comes crucem ſumſit à Legato, ut ſe Catholicorum exercitui contra Albigenſes hæreticos jungeret, magis tamen illorum timore, quàm crucis amore; quare cum detrectaſſet adimplere, quæ impleturum ſe multotiens juraverat, in alia Synodo apud Sanctum Aegedium anno milleſimo ducenteſimo decimo celebrata, ab Hugone Epiſcopo Regienſi & Thediſio Apoſtolicis Legatis reipſa excommunicatus denunciatus eſt. Et quamvis ſæpius poſt hæc tractatum fuerit de illius reconciliatione, dummodo Eccleſiæ ſe ſubmitteret, nihil tamen effici potuit: imò cum in Concilio apud Montem peſſulanum, ipſo anni milleſimi ducenteſimi decimi quarti fine habito, dominium civitatis Toloſanæ, totiuſque ditionis, quæ fuerat Raymundi Comitis excommunicati & depoſiti, Simoni Comiti Montisfortis in finibus Carnutum, Regio Francorum genere, licet olim illegitimo, Roberti Regis

gis orto, & ex matre Leiceſtriæ in Anglia Comiti collatum fuiſſet, ob præclaram ejus in bello contra Albigenſes navatam operam, & eximia in Eccleſiam Romanam merita, Innocentius Pontifex eam conceſſionem confirmavit, uſque ad futuram Synodum univerſalem, quæ celebrari debebat, qua res tanta deberet maturiùs expendi, ut dicemus in Concilio Lateranenſi IV, œcumenico duodecimo.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

LXIV. *Ordinem militarem Gladiferorum confirmat.*

Ad hæc circiter tempora, ad annum ſcilicet 1205. Spondanus revocat inſtitutionem Ordinis militaris *Chriſti militia* dicti, quorum profeſſores veſtibus ſuis ſignum gladii aſſuentes, quo pro Deo certarent, vocati ſunt Enſiferi ſeu Gladiferi. Ait autem id factum Alberti Rigenſis Epiſcopi in Livonia operâ & auſpiciis, eamque in rem laudat Arnoldum Lubecenſem in Chronico Slavorum lib 7. cap. 8. & ſeq. & revera Arnoldus eo in loco, narrata Sancti Meinardi Epiſcopi Rigenſis morte, ſcribit Bertoldum ei ſucceſſiſſe, cujus martyrium in Chronico Aquicinctino, ab ejuſdem Chronici Interpolatore conjungitur cum anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo. His duobus Livoniæ Apoſtolis Albertus Bremenſis Canonicus, eodem Arnoldo teſte, ſucceſſit, qui cum multos parentes & amicos haberet, multos etiam *in vinea domini cooperatores habebat.* Unde ipſum ſequebatur multitudo maxima & militum manus copioſa: *Cumque frequenter*, ſubdit, *æſtivo tempore exercitum duceret contra Crucis inimicos* (ſcilicet contra Livones adhuc magna ex parte infideles) *non ſolum Livones, verum etiam alias barbaras nationes, ita ſibi ſubjecerat, ut ab eis obſides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent*, &c. *Multi etiam continentiam voventes, & ſoli Deo militare cupientes, formâ quadam Templariorum omnibus renunciantes, Chriſti militiæ ſe dediderunt, & profeſſionis ſuæ ſignum in forma gladii, quo pro Deo certabant, in ſuis veſtibus præferebant.* Indeque Krantzius lib. 6. Vandaliæ cap. 10. poſtquam Bertoldi martyrium narravit, ait: *Inde adaucta multorum fidelium devotione, multi ſe ſpontaneos in ſacram adversùs Chriſti hoſtes militiam devoverunt; novoque religionis habitu adinvento, ſe gladiferos fratres appellavêre.* Addit Spondanus plures Auctores qui de hoc ordine plenius ſcripſerunt aſſerere, fuiſſe eum ab Innocentio III confirmatum, quod ex dictis neceſſario ſequitur, cum inſtitutus fuerit poſt annum milleſimum centeſimum nonageſimum ſeptimum. Duæ ejuſdem Pontificis extant in ejus Regiſtri anno XIII ex editione Boſqueti Epiſtolæ, ſcilicet 141. & 142. quarum prior XIII Kalendas Novembris anno Pontificatûs XIII ſcripta Al. Rigenſi Epiſcopo, qua compoſitionem inter eum & milites Chriſti Livoniæ factam confirmat; poſterior Wolcuino Magiſtro & fratribus militiæ Chriſti in Livonia conſtitutis, eodem die ſcripta. Duo autem fuerunt hujus ordinis Duces & magiſtri ſucceſſive, ſcilicet Vinnon & Wolcuinus, ſeu Volquinus, ſub quo fratres Gladiferi uniti ſunt Ordini Teutonicorum. Idem quippe Krantzius

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

poſt laudata verba ſubjungit: *Duo poſt invicem ejus profeſſionis fuêre Magiſtri. Sed cum rebus ſatisfacere non poſſe viderent, ſuccreſcerentque hoſtes foris & intus, ſe magno Teutonicorum Ordini per Pruſſiam conjunxerunt, ut illorum cœptum viribus & tueretur & augeretur, quæ res illi proſpere ceſſit.* Succedente enim tempore Pruſſia Ordini Teutonicorum conceſſa eſt, & Mariemburgum Ordinis caput evaſit, poſtquam Syriam deſerere coacti ſunt. Illam utriuſque Ordinis unionem à Gregorio IX anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo factam, conſtat ex ejus Epiſtola Epiſcopis Rigenſi, Tarbatenſi & Oſidienſi ſcripta, quæ extat apud Raynaldum ad eumdem annum 1237. num. 64.

LXV. *Henricum Imp. Cpolitanum arguit.*

Cum Henricus Imperator Conſtantinopolitanus edixiſſet, ne quiſquam bonorum immobilium hæredem ſcriberet Eccleſiam, magno zelo in eum inſurrexit Innocentius Papa, graviterque eum monuit eam legem abrogare; necnon & bona Eccleſiarum quæ uſurpaſſet reſtituere, ſuoſque proceres ad id ipſum compellere: quæ ſi tam ipſe quàm ceteri perficere detrectarent, in eos gladium anathematis exerere Archiepiſcopis quibuſdam mandavit, ut conſtat ex ejus Epiſtolis 98. & ſeq. libri 13. Regiſtri ex editione Boſqueti, datis Laterani VI Idus Julii, Pontificatûs anno decimo tertio, ideoque anno 1210. Tanti verò fuit apud pium Principem Pontificis Innocentii exhortatio, ut nonnullis honeſtis pactis cum Patriarcha & reliquis Eccleſiaſticis conventum fuiſſe, conſtare aſſerat Spondanus ex aliis literis ejuſdem Pontificis, quæ extant in Regiſtro Vaticano, & ejus conſtitutione decima Bullarii Tomo 1.

LXVI. *Congretationem Pauperum Catholicorum confirmat.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo decimo literis Archiepiſcopo & ſuffraganeis Tarraconenſis Eccleſiæ datis Laterani IV Idus Maii, anno 13. Pontificatûs, quæ ſunt ordine 78. in Regiſtro ejuſdem anni ex editione Boſqueti, refert Innocentius Papa confeſſionem fidei Waldenſium ad fidem reverſorum, & eorum propoſitum ſeu vitæ regulam confirmat. Nonnulli enim Waldenſes hæretici, quos *pauperes de Lugduno* nominatos alibi diximus, in provincia Tarraconenſi converſi ad fidem, ſeculo renunciantes, omnibus prorsùs abjectis, in vili habitu & paupere vita, jejuniis & orationibus, conſilia evangelica velut præcepta ſervare propoſuerunt: & lectioni, exhortationi & diſputationi contra omnes errorum ſectas vacare. Eorum præcipui fuêre *Bernardus Primus*, cujus meminit Abbas Urſpergenſis in Chronico anno 1212. eumque ſe Romæ vidiſſe ait, cum peteret à Sede Apoſtolica congregationem confirmari; & *Durandus de Oſca* de quo meminit Guillelmus de Podio Laurentii in ſuo Chronico de rebus geſtis contra Albigenſes, cum narrat diſputationem inter quoſdam Catholicos & Hæreticos in civitate Appamiarum factam, in qua victis Waldenſibus, aliquos eorum fidem Catholicam profeſſos ait: qui ſedem Apoſtolicam adeuntes, licentiam vivendi regulariter obtinuerunt ab Innocentio Papa, in quibus Durandus

de

de Oſca fuit Prior, & compoſuit contra hæreticos quædam ſcripta. Hæc autem congregatio dicta eſt *Pauperum Catholicorum*, loco, *Pauperum de Lugduno*. Hæc conſtant ex dicta Innocentii Epiſtola 78. qua poſt multam examinationem, eorum propoſitum approbavit, & ſub Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit. Extant de iis plures ejuſdem Pontificis, tam ad ipſos, quàm ad diverſos Prælatos ſcriptæ Epiſtolæ in Regiſtro anni XV Pontificatûs. Eoſdem pauperes Catholicos in parte Cataloniæ ſic vixiſſe, ſed paulatim poſtea defeciſſe, ſcribit Guillelmus de Podio Laurentii loco laudato; ex quibus intelligitur, inquit Spondanus ad annum 1210. num. 7. prædictam Congregationem haud diu perſtitiſſe; ſive à prima puritate declinantem, ſeu forte à ſupervenientibus Franciſcana & Dominicana abſorptam. *SEC. XIII. INNOCENTIUS III.*

LXVII. *Confirmat & Ordinem Fratrum Minorum*

Hoc enim eodem tempore Franciſcus Aſſiſienſis, qui mundanæ primùm mercaturæ, cui cum patre attendebat, deindeque rebus omnibus renunciarat, multaque eximiæ pietatis in Deum, charitatis in proximos, & maxime in egenos atque leproſos, humilitatis in omnes, ac deſpicientiæ ſui, & amoris paupertatis exempla præſtiterat; diverſis revelationibus ac vocationibus divinitus confirmatus, anno milleſimo ducenteſimo octavo, ætatis vigeſimo octavo inchoato, dum quadam die ex Evangelio in miſſa audiiſſet, dictum à Chriſto diſcipulis, ne poſſiderent aurum vel argentum, nec duas tunicas, nec calceamenta, eam ſibi Regulam ſervandam propoſuit. Et cum undecim alios ſocios adhibuiſſet, quos Fratres Minores appellari voluit, Romam cum illis anno milleſimo ducenteſimo decimo accedens, ejus confirmationem ab Innocentio Papa primùm ſubdubitante, ſed mox & ipſo in ſomnis viſionibus palmæ ſuccreſcentis, & Eccleſiæ Lateranenſis à ruina ſuſtentatione hominis deſpecti ſervatæ, divinitus monito, obtinuit: creſcenteſque paulatim magno numero Fratres vitæ Apoſtolicæ cupidi, diffuſi brevi ſunt per univerſum orbem, ingenti Eccleſiæ bono, & animarum ſalute. Sancti Franciſci Vitam accuratè deſcripſit Sanctus Bonaventura Cardinalis, & doctor Eccleſiæ, ejuſdem Ordinis alumnus, quæ extat apud Surium ad diem IV Octobris; iſtaque tractarunt Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali lib. 29. cap. 97. & ſeqq. Sanctus Antoninus part. 3. tit. 24. ac plerique Chronographi, ex quibus ſeculo elapſo Lucas Wadingus, Hibernus, ejuſdem Ordinis, Annales Minorum compoſuit, in quibus Regulam ab Innocentio III anno 1210. confirmatam recitat. Eam poſtea ab eodem Innocentio in Concilio Lateranenſi IV, & ab Honorio III Innocentii ſucceſſore iterum confirmatam ſuis locis videbimus.

LXVIII. *Permittit S. Dominico Regulam aliquam approbatam deligere pro ſui Ordinis fundatione*

Quod ſpectat ad Ordinem Prædicatorum, confirmatus non eſt quidem ab Innocentio III, ſed ab Honorio III ejus ſucceſſore; verùm cum ſub Innocentio fundatus fuerit à Sancto Dominico, de eo hic agen-

SEC. XIII. di ſermo ſe offert. Dominicus Dei magno beneficio ex materno utero in
INNOCENTIUS III. lucem editus eſt Calarogæ in Hiſpania anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ex nobili Guſmannorum familia, qui ſecundum præcedentem prophetiam matri per quietem oſtenſam, fax lucis foret, vitæ ſanctitate illuminaturus orbem, & canis latratu abacturus feros lupos; nempe voce prædicationis debellaturus hæreticos. Magnis in pietatis ac litterarum ſtudiis factis progreſſibus, à Didaco Oxomenſi in Hiſpania Epiſcopo in numerum canonicorum Eccleſiæ ſuæ, quos ad præſcriptum Regulæ Sancti Auguſtini, canonicæ religionis obſervantiam profiteri induxerat, cooptatus, ac Subprior conſenſu omnium factus, ab eodem Epiſcopo comes Romanæ peregrinationis deductus, in reditu doctrina, pietate, miraculis, omnes quibuscum congreſſus eſt in provincia Narbonenſi convicit, permultos convertit, ibique ab eo relictus, ſumma fortitudine, nec minori prudentia multis annis pugnavit contra hæreticos Albigenſes, verbis, ſcriptis, ſignis ac vita Apoſtolica etiam cum immenſis vitæ ſuæ periculis: Inquiſitoris officio, auctoritate Arnaldi Abbatis Ciſtercienſis, Apoſtolicæ Sedis Legati, de quo ſupra fungens; ipſoque prædicationis initio quaſdam nobiles fœminas à laqueis hæreticorum eductas in loco Pruliano dicto incluſit; cœpto jam jaci fundamento Ordinis, qui poſtea à Sede Apoſtolica approbatus, diffuſus eſt longe lateque per univerſum orbem terrarum. Anno itaque milleſimo ducenteſimo decimo quinto unà cum Fulcone Epiſcopo Toloſano Romam ad Concilium generale Lateranenſe acceſſit, & ab Innocentio Papa ſui Ordinis confirmationem petiit. Sed cum Innocentius ſubdifficilem ſe exhiberet, proxima nocte vidit in ſomnis labantem Eccleſiam Lateranenſem humeris Dominici ſuſtentari, ac propterea commendato ejus propoſito, remiſit eum ad fratres ſuos, ut Regulam aliquam approbatam ſimul deligerent, quam profiterentur, ab ipſo poſtea Pontifice unà cum Ordine confirmandam, ut refert Theodoricus in ejus Vita lib. 1. cap. ult. de ejus Ordinis confirmatione dicetur ſub Pontificatu Honorii III.

LXIX. *Fridericum Siciliæ Regem in Imp. electum Romæ honorifice ſuſcipit.*

Cum Innocentius Pontifex anno 1210. Othoni, quem coronaverat Imperatorem, Imperii jus abrogaſſet, omnesque ſubditos ſacramenti religione, quo tenebantur ei obnoxii, abſolviſſet, ut ſuperius diximus; anno milleſimo ducenteſimo undecimo, teſte Auctore Chronici Foſſæ Novæ, *omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Duces, Principes, Comites & omnes Barones Alemanniæ elegerunt Fredericum Regem Siciliæ in Imperatorem, & mandaverunt in Siciliam nuncios, qui conducerent prædictum Fredericum ſalvum & incolumem ad recipiendum Imperium in Alemanniam.* Idem ſcribit Rigordus in Philippo Auguſto de Friderico eodem anno in Germania Imperatore electo. Fridericus in Germaniam feſtinandum cenſens, Romam primò venit, non quidem eodem anno 1211. ut ex Rigordo, qui electionem ejus & diſceſſum ex Sicilia uno tenore recitat,

Digitized by Google

citat, Spondanus ſcribit, ſed anno ſequenti milleſimo ducenteſimo duodecimo, ut diſertè aſſerit prædictus Auctor Chronici Foſſæ Novæ: *Fredericus*, inquit, *Rex Siciliæ ſola miſericordia Dei vocatus in Alemanniam electus Imperator, arripiens iter eundi in Alemanniam, XVI Kal. Aprilis, quod fuit ſabbato Palmarum applicavit Caietam, ibi honorificè receptus, & miniſtratus manſit per menſem, poſtea ivit Romam*; anno autem 1212. quo Paſcha celebratum eſt die XXV Martii, ſabbatum ante dominicam palmarum concurrebat cum die XVI Kalendarum Aprilis, ſeu cum die decima ſeptima Martii. Ex ſequentibus autem ejuſdem Auctoris verbis, quorum nonnulla conſumpta vetuſtate ac deleta deſiderantur, & ex Rigordo laudato habemus, illum honorificè ab Innocentio Papa exceptum: *Idem itaque Fredericus*, inquit Rigordus, *de conſilio Regis Francorum vocatus à Baronibus navigio venit Romam, & honorifice receptus eſt à ſummo Pontifice, & à Romanis. Inde diſcedens per mare venit Januam*, &c.

Hæc epocha confirmatur ex diplomate, quo Fridericus Romæ exiſtens, donationem Fundani Comitatûs Eccleſiæ Romanæ factam confirmavit, quodque Raynaldus ex libro Cenſuum Eccleſiæ Romanæ refert ad annum 1212. num. 2. datum eſt enim *Romæ anno Dominicæ Incarnationis MCCXII, menſe Aprilis, XV Indictione*, quæ eo anno in curſu erat. Richardus de Aquila Fundanus Comes pridie Kalendas Februarii ejuſdem anni Romanam Eccleſiam hæredem fecerat, Fundano Comitatu, atque nonnullis baroniis ei relictis, quam donationem Fridericus dicto diplomate confirmavit: *Sanctiſſimo Patri & Domino Innocentio Summo Pontifici Fridericus Dei gratia & ſua Rex Siciliæ, ducatûs Apuliæ & principatûs Capuæ, in Romanorum Imperatorem electus & ſemper Auguſtus. De gratia veſtra, quam frequentiſſime ſumus experti indubitatam fiduciam obtinentes, præſenti pagina duximus concedendum, quatenus cum dilectum fidelem noſtrum R. Fundanum Comitem concedere in fata contigerit, tam de comitatu Fundano, quàm de univerſa terra circa Garelianum poſita, liberè diſponatis, ipſam donando, vel obligando, retinendo, vel concedendo, ſeu committendo cuicumque perſonæ juxta veſtra beneplacitum voluntatis.* Dixi autem Comitem Fundanum pridie Kalendas Februarii ejuſdem anni 1212. donationem illam feciſſe Eccleſiæ Romanæ, non verò anno 1211. ut ſcribit eo anno num. 6. Raynaldus, quia ipſo fatente, hoc eſt ejus initium in libro cenſuum Eccleſiæ Romanæ: *In nomine Dei æterni. Anno Incarnationis ejuſdem MCCXI, menſis Januarii ultimo die ſtante, Indictione XV*, Indictio autem XV currebat exeunte Januario anni 1212. non verò anno 1211. ideoque ibi legendum, *anno Incarnationis ejuſdem MCCXII*, adeo ut & donatio anno 1212. facta fuerit à Fundano Comite & eodem anno à Friderico Imperatore confirmata. Si quis tamen contendat retinendum eſſe annum 1211. tunc corrigenda erit Indictio XV, & reponenda Indictio XIV, quæ in curſu erat menſe Januario illius anni.

LXX. *Ab eo confirmationem donationis Fundani comitatus obtinet.*

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

LXXI. *Item Epiſcoporum electiones in Sicilia canonicè & libere fieri.*

Error etiam cubat in ſubſcriptione diplomatis ab eodem Friderico dati, quod extat apud eumdem Raynaldum anno 1211. num. 5. quo electiones Epiſcoporum, de quibus ſæpe controverſum fuerat, libere fieri ſe velle declaravit; eo ſcilicet modo ut accedente vacatione Eccleſiæ, Capitulum primò Regi obitum deceſſoris, deinde ſucceſſoris electionem ſignificare teneretur; ita tamen ut *antequam aſſenſus Regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa; nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi ſe nullatenus* immiſceat. Diploma dicitur *datum in civitate Meſſanenſi anno Dominicæ Incarnationis MCCXI, menſis Februarii, XV Indict.* quæ tamen eo anno, ut jam dixi, erat tantum XIV. Cum nihilominus Fridericus in eo diplomate non ſe dicat Romanorum Imperatorem electum, ſed tantum Regem Siciliæ, exiſtimo diploma datum anno MCCXI, ſicque corrigendam eſſe indictionem: *Reverendiſſimo,* inquit, *patri & Domino chariſſimo Innocentio Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici, Fredericus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatûs Apuliæ & principatus Capuæ,* &c. cum in altero Romæ dato anno 1212. menſe Aprili, legatur: *Sanctiſſimo Patri & Domino Innocentio ſummo Pontifici Dei gratia & ſua Rex Siciliæ, ducatûs Apuliæ & principatûs Capuæ, in Romanorum Imperatorem electus & ſemper Auguſtus.* Ex quibus ſequitur diploma de canonica & libera Epiſcoporum regni Siciliæ electione datum eſſe menſe Februario anni milleſimi ducenteſimi undecimi, & inſuper tunc Fridericum nondum in Imperatorem fuiſſe electum.

LXXII. *Permittit Marchioni Eſtenſi ut arcem Ferrariæ conſtruat.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo undecimo Albanenſi Electo Apoſtolicæ Sedis legato præcepit Innocentius Pontifex, ut unà cum Cremonenſi Epiſcopo & Abbate de Columba, Ferrarienſi Eccleſiæ Epiſcopum præficerent, quamvis Eſtenſis Marchio, captâ Ferraria, id differri flagitaſſet. Epiſtola hac de re data *Laterani VII Idus Junii anno XIV* eſt ordine 76. in Regiſtro ex editione Boſqueti. Cum verò idem Eſtenſis Marchio arcis Ferrariæ conſtruendæ, ut eam melius defendere valeret, & ad fidelitatem Eccleſiæ Romanæ conſervare, poteſtatem ſibi fieri ab Apoſtolica Sede petiiſſet, Innocentius Epiſtolam eodem die datam ordine 78. ad Albanenſem Electum dedit, qua ei committit, ut ſuper hoc ſtatuat, quod ad honorem & profectum Eccleſiæ viderit expedire.

LXXIII. *Sanctium Portugalliæ Regem de plurimis exceſſibus arguit.*

Sanctius hujus nominis primus, Portugalliæ Rex, qui Alphonſo patri anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto ſucceſſerat, de Eccleſiis & beneficiis diſponebat ad libitum, ac proventus uſurpabat; Clericos male habebat, eoſque & ceteros religioſos adeo horrebat, ut pro diro reputaret augurio, cum aliquis ſibi occurreret; pythoniſſam ſecum detinebat; Eccleſiaſticos qui extra regnum ſuum peregrinari debebant, jurare prius cogebat Apoſtolicam Sedem non adituros: Epiſcopum denique Colimbricenſem peſſime tractarat & publicæ cuſtodiæ tradiderat, quod

ad

ad Sedem Apoſtolicam accedere velle videretur. Quare Innocentius Papa de his monitus Epiſtola 8. Regiſtri anni XIV ad ipſum VII Kalendas Martii anni milleſimi ducenteſimi undecimi data, eum de his omnibus exceſſibus redarguit, rogavitque, ut menſurâ illa contentus quam Deus ei donavit, ad Eccleſiaſtica jura non extenderet manus ſuas, ſicut nec ipſe ſuas ad ejus regalia jura extendebat: prædicta igitur emendaret, atque Epiſcopum libertati ac ſuis bonis reſtitueret, eique ſatisfaceret de damnis illatis; alioquin ſe ei in jure non defuturum. Ejuſdem argumenti literas eodem die Compoſtellano Archiepiſcopo miſit ordine 9. mandavitque, ni Rex flecteretur monitis, Eccleſiaſtica in eum cenſura animadverteret, Sanctium Regem pœnituiſſe, & in gravi ægritudine conſtitutum, teſtamentum eodem annno piè condidiſſe, ipſiuſque approbationem ab Innocentio Papa petiiſſe conſtat ex Epiſtola 58. eidem ab Innocentio VI Kalendas Junii ejuſdem anni data, qua illud teſtamentum confirmat eâ exceptâ clauſula, qua ſibi diſpoſitionem monaſteriorum reſervabat; conſtat etiam ex Epiſtola 59. qua ratam habet abſolutionem ipſi impenſam à Bracarenſi Electo, & denique conſtat ex Epiſtola 60. Compoſtellano Archiepiſcopo & Bracarenſi Electo & Zamoracenſi Epiſcopis eodem tempore data, qua mandat, ut teſtamentum Epiſtolâ 58. confirmatum faciant obſervari.

LXXIV. *Filias ejus ſub B. Petri protectionem ſuſcipit.*

Sanctium Regem eodem anno milleſimo ducenteſimo undecimo defunctum eſſe intelligitur ex Epiſtolis 115. ejuſdem anni M. filiæ ejus, & 117. Teraſiæ Reginæ ejus viduæ, III Idus Octobris ſcripſit, quibus eas recipit ſub protectionem Sancti Petri, pro bonis quæ prædicto teſtamento fuerant eis legata, qua de re ſcripſit etiam Innocentius ad Compoſtellanum Archiepiſcopum, alioſque Hiſpaniæ Præſules Epiſtolas 116. & 118. Nonis Octobris ejuſdem anni datas Laterani. Cum enim Sanctio ſucceſſiſſet Alphonſus hujus nominis II ejus filius, cognomine Craſſus, qui parùm in fratres æquus ſororibus ſuis oppida in teſtamento patris legata adimere voluit, ab Innocentio anathematis ſententia perculſus eſt, ut conſtat ex ejus Epiſtola 52. Regiſtri anni 16. ſeu anni 1213. qua duobus Abbatibus mandat, ut Alphonſum Regem non abſolverent, niſi prius ab ipſo caviſſent, exhibiturum ſe quæ præſtare deberet: ipſeque controverſias inter ipſum & ſorores de nonnullis oppidis, aliiſque rebus dirimere ſtuduit. Alphonſus itaque Rex Portugalliæ, tam armis Regis Legionenſis, qui unam ex ejus ſororibus in uxorem duxerat, quàm Innocentii Pontificis interminationibus, & interdictione ſacrorum compreſſus ea oppida reddidit.

LXXV. *Innocentii cura pro libertate Hiſpaniæ à Saracenorum ſervitute.*

Scriptores Hiſpanici Rodericus Toletanus lib. 7. cap. 32. & Mariana lib. 11. cap. 19. tradunt, Alphonſum Caſtellæ, & Petrum Aragoniæ Reges, rei Chriſtianæ periculo nihil motos, tum maxime cum Caſtellanus ingenti prælio à Mauris devictus fuiſſet; anno milleſimo centeſimo

nona-

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

nonageſimo nono cum communi Chriſtiani nominis hoſte Abenjuzepho eorundem Maurorum Rege paciſci, barbaroſque de fœdere ultro appellare, turpe non judicaſſe. Anno autem milleſimo ducenteſimo duodecimo, exacto induciarum cum Abenjuzepho initarum tempore, iidem barbari Rege Mahomede, prædicti Abenjuzephi fratre, cui *à Viridi* cognomen fuit à pileo, quem eo colore, quòd ex gente ipſorum prophetæ ſe eſſe jactaret, geſtare conſueverat, univerſam ſibi Hiſpaniam obtinere in animo induxerunt, & huic rei, Africæ & Hiſpaniæ vires ſuperbiſſimo delectu in unum contulerunt. Innocentius Pontifex in eo periculo rogatus, veniam peccatorum omnibus impertiit, qui, more per ea tempora frequentato, cruce inſigniti ad ſacrum hoc bellum conveniſſent; atque inde tanta inceſſit hominum, adverſus Chriſtiani nominis hoſtes dimicandi cupiditas, ut centum mille pedites, decem mille equites ex externis nationibus, Gallia, Germania & Italia, ſub diverſis Principibus & Antiſtitibus eò confluxiſſe credantur. Suis etiam literis, quæ ſunt ordine 115. Regiſtri anni XV Pontificatûs, Toletano & Compoſtellano Archiepiſcopis datis Laterani nonis Aprilis, eis mandavit, ut imminente bello Saracenorum, Reges Hiſpaniæ ad treugam & mutuum auxilium hortentur, & vires in unum jungant. Supplicationem inſuper generalem Romæ pro felici belli ſucceſſu indixit, quæ extat in eodem Regiſtri anno XV poſt Epiſtolam 179.

LXXVI. *Publicas gratias agit pro victoria ab Hiſpanis de Saracenis reportata.*

Die Lunæ decimo ſexto menſis Julii anni Eræ Hiſpanicæ milleſimi ducenteſimi quinquageſimi, qui concurrit cum anno Chriſti milleſimo ducenteſimo duodecimo, cum ex alibi dictis, Era Hiſpanica triginta octo annis Chriſtianam ſuperet, Chriſtianis omnibus peccatorum confeſſione & Euchariſtiæ ſumptione roboratis, Petrus Aragoniæ & Sanctius Navarræ Reges, cum abſentium etiam Regum Hiſpanorum, Legionenſis & Luſitani auxiliis, habentes in vexillis Imaginem Beatæ Virginis Mariæ & prævium ſignum crucis, nobiliſſimam adepti ſunt victoriam, quâ de centum octoginta quinque millibus equitum Mauricorum, peditumque infinita propemodum multitudine, centum minimùm millia ceciderunt, Rege ipſo Mauro aquæ velocitate ſalutem ſibi quærente; cum tamen è Chriſtianis, viginti quinque viri duntaxat, vel ad ſummum quindecim ſupra centum deſiderati ſint. Rem geſtam ut plane inſignem omnes Chronographi memorant, ſed plenius deſcribunt Rodericus Archiepiſcopus Toletanus lib. 8. Hiſtoriæ & Mariana lib. 11. cap. 23. & ſeqq. qui etiam recitat literas à Rege Alphonſo ea de re ad Innocentium Pontificem ſcriptas, quæ in Regiſtro ejus ſunt ordine 180. quibus totius belli ſumma comprehenſa eſt. Ad quas & Pontifex gratulatorias reſcripſit ordine 181. ſignificans, ſicuti ad hanc obtinendam victoriam ſtatueret Romæ ſupplicationes fieri, ita publicas gratiarum actiones de ea egiſſe. Speciatim enim timendum erat Innocentio,

Digitized by Google

tio, nam præterquam quod tantus erat Maurorum exercitus, ut totam etiam Europam obtinere poſſe ſperarent, Maurorum Rex, ut ſcribit Cæſarius Monachus Ciſtercienſis hoc tempore vivens lib. 5. Dialogorum de miraculis & viſionibus ſuo tempore factis, cap. 21. versùs finem, mandaverat Innocentio, ſe equos ſuos in porticu Baſilicæ Sancti Petri ſtabulaturum, & ſupra eamdem Baſilicam vexillum ſuum fixurum: quod & impletum eſſe ait, dum poſt victoriam miſſum ad Innocentium principale Mahomedis Regis Saracenorum vexillum Pontifex in eadem Baſilica ad Chriſti gloriam erexit, cujus vexilli meminit Rigordus de geſtis Philippi Auguſti ad annum 1211. addens illud ſuo tempore adhuc extaſſe cum lancea ejusdem Regis in Eccleſia beati Petri in loco eminenti, & repræſentare favorem & miſericordiam Chriſti, *qui ſuos, licet paucos reſpectu hoſtium in prædicto bello victores fecit.* Meminère & poſt Rigordum ejusdem vexilli Romam miſſi Vincentius Bellovacenſis lib. 3. cap. 2. & D. Antoninus tit. 19. cap. 2. §. 4.

LXXVII. *Armenia Regem excommunicatum declarari jubet.*

Diſſenſio, quæ intercedebat inter Rupinum filium Alizæ neptis Lievonis Regis Armeniæ ex Raymundo filio natu majori Principis Antiochiæ, & Boamundum Comitem Tripolitanum fratrem natu minorem prædicti Raymundi, non modicum Eccleſiam Dei in partibus illis turbavit. Quare Innocentius Papa anno 1199. Lievonem Regem Sedem Apoſtolicam in cauſa hujus ſucceſſionis appellantem, juſſit vi abſtinere, quouſque Legati ea de re mittendi cauſam dijudicarent, ut conſtat ex literis ultro citroque ſcriptis, quæ habentur in Actis Innocentii, & lib. 2. Regiſtri Epiſtola 52. & ſeqq. & lib. 5. Epiſt. 43. uſque 48. Cum autem poſtea Lievo Rex contra fœdus induciarum principatum Antiochiæ adverſus Rupinum nepotem ſuum crudeliter devaſtaſſet; & quemdam, qui ſe Patriarcham Antiochenum appellans, à Patriarcha Jeroſolymitano, ipſius Pontificis mandato depoſitus fuerat, idem Rex protegeret atque defenderet contra legitimum Patriarcham; aliaque multa contra fas juſque perpetraſſet; in eum adeò commotus eſt Innocentius, ut etiam conſuetam omnibus impertiri Apoſtolicam ſalutationem & benedictionem denegaverit: & niſi emendaret, Patriarchæ Jeroſolymitano Apoſtolicæ Sedis Legato in mandatis dedit, ut eum jam alia ex cauſa vinculo excommunicationis, hinc quoque uſque ad ſatisfactionem excommunicatum declararet. Hæc conſtant ex Innocentii Epiſtolis 2. & 7. Regiſtri XVI, ſeu anni 1213. quo dictæ Epiſtolæ datæ ſunt.

LXXVIII. *Auxitanum Archiep. reum quinta manu ſe purgare ſtatuit.*

In eodem Regiſtro XVI extat Epiſtola ejusdem Innocentii Pontificis Archiepiſcopo Burdegalenſi, Epiſcopo Agennenſi & Abbati Clarienſi, diœceſis Agennenſis data, qua mandat, ut adverſus Auxitanum Archiepiſcopum multorum criminum reum ſecundùm juris formam procedant. Narrat in ea Pontifex, quod cum fœditas ejus vitæ & morum ad ſedem Apoſtolicam delata fuiſſet, ſe de iis jam aliàs inquiſitionem fieri juſſiſſe;

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

deinde ipſum monuiſſe ſponte ei Eccleſiæ cedere, ſed ea omnia nihil profeciſſe, ideoque mandare, ut diligenti facta inquiſitione, ſi invenirent aliquid eum commiſiſſe, quod ad depoſitionem ſufficeret, in eum ſententiam depoſitionis proferrent: ſin verò accuſatores deficerent, *nihilominus* ob frequentes clamores, qui contra ipſum ad Sedem Apoſtolicam delati eſſent, *eidem purgationem canonicam, cum quinta manu vicinorum Epiſcoporum, qui ejus vitam & converſationem* noſſent, indicarent: & *niſi ſecundùm formam prædictam infra unius menſis ſpatium* ſe purgaret, ab ea Eccleſia eum penitus removerent. Data eſt Epiſtola *Laterani XII Kal. Junii*, *Pontificatûs* ejus *anno XVI*, ideoque anno 1213. non verò anno 1214. ut legitur in Archiepiſcopis Auſcienſibus Novæ Galliæ Chriſtianæ in Bernardo III, de quo agebatur.

LXXIX. *Ille purgationis modus explicatur.*

De hoc purgationis more ac modo frequens eſt mentio in Epiſtolis Juonis Carnotenſis, & præcipue in Epiſtola CCVI, in qua ait, Clericum mala fama pulſatum, *ſola ſe manu* potuiſſe *purgare & in ſuo gradu permanere*, & hoc ſi certi teſtes non eſſent, qui criminis illati comprobarent veritatem; ſed poſterorum diligentiam expertam eſſe, quod homines adderent flagitio perjurium, ideoque *diſtrictiorem ad ſedandam presbyteri infamiam* ſancitam eſſe purgationem. *Poſuerunt autem*, inquit, *hæc in diſcretione Epiſcoporum, ut ſecundum quod audiunt malam famam presbyterorum crebreſcere, exigant purgatoria ſacramenta à Presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut ſeptem collegis. Unde ita continetur in Concilio Ilerdenſi*: „Si quis presbyter à plebe ſibi commiſſa fuerit infamatus, „& Epiſcopus legitimis teſtibus approbare non potuerit, ſuſpendatur „uſque ad dignam ſatisfactionem, ne populus in eo ſcandalum patiatur. „Sed ſive ſecundum canones, ſive ad arbitrium Epiſcopi, collegas ſibi „quinque, vel ſeptem adjungat, cum quibus coram poſito ſacro „Evangelio juret immunem ſe eſſe ab objecto crimine. Juretus in Notis ad eam Juonis Epiſtolam, pluribus oſtendit, vetuſtiſſimum hunc morem fuiſſe reos jurare cum multis aliis, qui ideo *conjuratores*, vel compurgatores appellabantur. Et in notis ad Epiſtolam LIV, in quibus refert locum ejuſdem Juonis Epiſtolæ CCXXIX, ubi ait: *Quinta manu mulieris vel ſeptima purgationem ejus accipiatis*, Juretus, inquam, obſervat, in priſca lege Alemannorum tit. 6. de juratoribus hanc formam præſcribi: *Ita verò ſacramenta ſic fieri debent, ut illi juratores manus ſuas ſupra capſam ponant, & ille ſolus cui cauſa requiritur, verba tantum dicat, & ſuper omnium manus manum ſuam ponat, ut ſic eum Deus adjuvet, vel illa reliqua* (legendum puto reliquiæ) *& illas manus quas comprehenſas habet, ut de illa cauſſa unde interpellatus eſt culpabilis non ſit.* Manum enim ſymbolum fidei fuiſſe veteribus conſtat. Ideo in Concilio Triburienſi, cujus verba relata *ca. ſi quis cau. 2. q. 5.* ubi agitur de Presbyterorum juramento dicitur: *Manus enim per quam corpus & ſanguis Chriſti conficitur, juramento polluetur? abſit.*

Plura

Plura hac de re Juretus locis laudatis, & in Notis ad Epiſtolam CCXXIX, in quibus tamen ultimis non advertit, Juonem deceptum eſſe, quando in dicta Epiſtola ſcripſit: *Romanorum Pontificum Sixti & Leonis exemplo edocti conſulibus prudentia veſtra, ut ſecundum quod fama crebreſcit, quinta manu mulieris, vel ſeptima purgationem ejus accipiatis,* nam Acta Synodi Romanæ de cauſa Sixti III accuſati quod ſtupro ſe polluiſſet, in quibus dicitur Sixtum ſe purgaſſe Clero, Senatu & Imperatore præſentibus, ſuppoſititia ſunt, ut in ejus Pontificatu num. XI oſtendi. Quod attinet ad Leonem III, hic non ſe purgavit manu, vel tertia, vel quinta, vel ſeptima; ſed per Evangelii in caput impoſitionem, ut ex Monacho Sangallenſi in lib. 1. de Eccleſiaſtica cura Caroli Magni cap. 28. in ejus vita diximus; quo eodem modo jam antea ſe purgaverat Pelagius primus, qui *tenens Evangelia & Crucem Domini ſuper caput ſuum in ambonem aſcendit, & ſic ſatisfecit cuncto populo & plebi quod nullum malum feciſſet contra Vigilium*, ut ſcribit Auctor libri Pontificalis & ſuo loco oſtendimus. Sed hic purgationis modus valde diverſus erat, ab eo, de quo loquimur, quem à nullo ex Pontificibus Romanis uſurpatum invenimus, quos *conjuratoribus*, vel *compurgatoribus* non indiguiſſe ſatis aperte indicat Smagradus Abbas Sancti Michaelis ad Moram in Lotharingia, qui floruit circa annum 840. In libro enim de preſſuris Eccleſiæ parte prima, improbans eam conjurandi conſuetudinem, quam adinventam dicit, ut in Sacerdotes Dei liberius malevoli ſæviant, quando cogunt accuſatum uti defenſione, quam implere minime valeat; ad exempla Damaſi, Sixti & Symmachi Pontificum Romanorum, qui dicebantur purgati, poſtquam plures Epiſcopos ſecum jurare compuliſſent, reſpondet: *Nobis tamen quod ſic intelligendum ſit, revera non patet. Plane enim à prædictis Epiſcopis præfatos Pontifices purgatos accepimus, ſed ipſorum ſuggeſtione propria tantummodo ſatisfactione, ipſis etiam faventibus eos alienos à criminibus fuiſſe firmatum eſt.* Integrum Smaragdi locum refert Juo decretorum parte 12. cap. 40. Imò Symmachi cauſam ab Epiſcopis in Synodo congregatis divino judicio ſervatam eſſe, vidimus in ejus Pontificatu num. XVII; cum enim ſchiſmatici ad dicendum contra Symmachum teſtimonium, ſervos adduxiſſent, quos canones & leges ipſæ ſeculi non admittunt, Synodus palmaris, quæ Romæ in hac cauſa celebrabatur, ejus cauſam divino judicio ſervavit, & eum ab æmulorum accuſationibus liberum declaravit, nulla purgatione præmiſſa. Iſte itaque purgationis modus à Romano aliquo Pontifice nunquam adhibitus, & ab Edmundo Martene lib. 3. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 7. prætermiſſus, valde diverſus eſt à modo ſe purgandi, poſitis ſuper caput cruce & Evangelio. De eo loquuntur etiam Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus Epiſtola 69. ad Honorium II, & Arnulphus Luxovienſis Epiſcopus Epiſtola 9. ad Hadrianum IV.

Pontifices Romani ab hac purgatione immunes.

Digitized by Google

SÆC. XIII. INNOCENTIUS III.

LXXXI. *Innocentius Legatum Cpolim mittit, ut Græcos à ſchiſmate abducat.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio Innocentius Pontifex ad Conſtantinopolitanum Latinorum Imperium, Pelagium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem Legatum miſit, qui ejuſdem Eccleſiæ & Imperii neceſſitatibus vice ſua provideret, eumque Henrico Imperatori, & univerſis Imperii Antiſtitibus, principibuſque ac proceribus commendavit literis in eodem Regiſtro XVI relatis num. 104. & ſeqq. datis *Signia, III Kal. Septembris, Pontificatus*, ejus *anno XVI*. Hunc Legatum ab Innocentio miſſum, ut Græcos qui Latinis parebant à ſchiſmate abduceret, uſque ad Eccleſiæ ſinum revocaret, refert Sabellicus Ennead. 9. lib. 6. ſcribens: *Henricus Imperator Chriſtianæ pietatis obſervantiſſimus, ſe adjutorem præbuit Romani Pontificis, Legato ad hoc Byzantium miſſo, ut Græcos ſubigeret ad Romanæ Eccleſiæ ritum ſuſcipiendum. Vix ea res moveri cœpta eſt, cum ſeditio ingens civitatem invaſit, Græcis reclamantibus Imperatoris officium eſſe arma curare, non ſacra, ſatis ſuperque à ſe datum, qui ſuam paſſi eſſent Eccleſiam Romanæ ſubjectam renunciari. Henricus relictis cum ſua pertinacia Græcis, ad Imperii conſtitutionem convertitur.* Idem habet Georgius Logotheta hujus temporis Auctor Græcus in ſuo Chronico, quod Leo Allatius latinitate donavit, & notis illuſtravit, cap. 17. ubi tamen, utpote ſchiſmaticus, Pelagii Legati ſeveritatem exaggeravit, ut illum crudelitatis notaret.

LXXXII. *Idem Legatus veſtimentis purpureis amiciebatur.*

De Pelagio Legato hæc habet dictus Georgius Logotheta loco laudato: *Sub uno Byzantii imperante ad Reginam urbium à ſummo Pontifice Præſul, ipſi Legatum indigitant, Pelagius nomine Papæ prærogativas omnes referens, ablegatur: namque calceos rubros induebat, neque diverſicoloribus indumentis amiciebatur, quin imò equi ſagulum, & fræna eodem inficiebantur veneno.* Ex his verbis Henricus Spondanus ad annum 1213. num 14. obſervat, purpuram proprium fuiſſe colorem Legatorum à latere, etiam antequam communis facta eſſet omnibus Cardinalibus in Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. Poſtea tamen ad annum 1244. num. 4. in Concilio Lugdunenſi proprium inſigne, ut equo ſedentes, galerum ſeu capellum rubrum geſtarent, Cardinalibus ab Innocentio IV conceſſum, dicit ſcribere Platinam, Gaguinum, Sabellicum, Æmilium & Onuphrium in Adnotatione ad Platinam; tandemque addit, jam ipſos antehac, ſeu ante Concilium Lugdunenſe, reliqua veſte purpuratos, multorum eſſe aſſertionem, quos tamen non citat. Sed ſi Spondanus in priori loco, loquens de purpura, intelligatur, ut intelligendus videtur, de veſtimentis purpureis, memoria labitur, nam cum eo in loco dicat, purpuram omnibus Cardinalibus factam eſſe communem in Concilio Lugdunenſi, Auctores tamen quos citat poſtea ad annum 1244. loquuntur tantum de galero rubro, non verò de veſtimentis purpureis, quæ Ciaconius dicit Cardinalibus data eſſe à Bonifacio VIII: *Cardinalatûs dignitatem*, inquit, *admodum auxit, graviſſimas pœnas iis irrogans, qui Cardinalem re, aut verbo,*

Digitized by Google

bo, aut opere læſiſſent, quibus & purpurei coloris veſtimenta dedit. Verùm cum Ciaconius nullus hujus rei teſtem adducat, dici poſſe mihi videtur, jam tempore Innocentii III Cardines calceis rubris & ejuſdem coloris veſtimentis uſos eſſe; ac verba ſuperius laudata Georgii Logothetæ ad omnes Cardinales extendi debere. Hinc Henricus Oſtienſis in Summa de pœnitentia §. cui confitendum, verſ. cui Cardinales, deſumſiſſe videtur, Cardinales debere eſſe rubicundiores ebore antiquo, quoad Charitatem & paſſionis Chriſti memoriam; eoſdemque vitam exponere pro Chriſtiano nomine augendo, arctari; hoc enim denotat purpureus color. Henricus autem Oſtienſis floruit ante Bonifacium VIII, cum creatus fuerit Cardinalis ab Urbano IV, & obierit ante annum 1274. quo Petrus de Tarantaſia, ut Epiſcopus Oſtienſis interfuit Concilio Lugdunenſi. Attamen cum Henricus Oſtienſis explicari poſſit de galero rubro, hanc conjecturam aliis diſcutiendam relinquo, nihil enim hac de re certi deffiniri poteſt.

SEC. XIII. Innocentius III.

Concilium Lateranenſe IV Generale. XII.

LXXXIII. *Innocentius PP. omnes ad ſacrum bellum hortatur.*

INnocentius III Pontifex è tribus arduis negotiis, quæ tanquam vir animoſus & confidens in domino, ut loquitur Urſpergenſis Abbas, explere diſpoſuerat, videlicet depoſitione Ottonis à culmine Imperiali, provectione ſuccursûs Terræ ſanctæ, & convocatione Concilii univerſalis: primo jam expleto, ut ſuperius viſum eſt; cetera promovere cœpit, dum initio anni milleſimi ducenteſimi decimi tertii afflictiſſimæ Eccleſiæ animum adjiciens, literas pro ejuſdem Terræ Sanctæ ſubſidio ſcripſit encyclicas ad univerſos fideles, cum indulgentia remiſſionis peccatorum, & innovatione ſententiarum latarum contra eos, qui aliquid opis, aut mercis Saracenis deferrent; ac denique ad implorandum divinum auxilium, certas preces cum jejuniis & eleemoſynis indicens; tanquam etiam præparatorias ad Concilium Generale, quod pro ejuſdem Terræ ſanctæ ſubventione, & aliis Eccleſiæ neceſſitatibus, ac morum reformatione indixit. Literæ illæ encyclicæ ſunt ordine 28. lib. 4. Regiſtri XVI, ſeu anni 1213. ex quibus conſtat, ſubſidium Terræ Sanctæ Innocentio adeo cordi fuiſſe, ut propter illud revocaverit omnes indulgentias conceſſas iis, qui procederent contra Mauros in Hiſpaniam, vel contra hæreticos in Provinciam: *Propter eamdem cauſam,* inquit, *remiſſiones & indulgentias hactenus à nobis conceſſas procedentibus in Hiſpaniam contra Mauros, vel contra Hæreticos in Provinciam revocamus*, id eſt procedentibus contra Albigenſes.

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. LXXXIV. *Concilium Later. IV, Generale XII indicit.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio litteris *Laterani XIII Kalend. Maii Pontificatûs* ejus *anno ſexto decimo* datis Archiepiſcopo & Epiſcopis, Abbatibus ac Prioribus per Viennenſem provinciam conſtitutis, quæ ſunt ordine 30. & aliis ordine 34. Patriarchæ Alexandrino, ac tandem aliis ad univerſos per orbem Antiſtites exaratis, Innocentius Synodum Oecumenicam, ad eamdem expeditionem promovendam, & Eccleſiam ab hæreſibus & pravis moribus repurgandam indixit, anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto, Kalendis Novembris Romæ celebrandam: *Univerſitati veſtra*, inquit, *per Apoſtolica ſcripta præcipimus, quatenus vos taliter præparetis, quod à præſenti dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo tertio decimo anno uſque ad duos annos & dimidium, præfixis vobis pro termino Kalendis Novembris, noſtro vos conſpectui præſentetis cum modeſtia & cautela.* Incipit hæc prior Epiſtola his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*, ejuſque exemplaria ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Abbates & Priores totius orbis Chriſtiani tranſmiſſa ſunt.

LXXXV. *Numerus Patrum Concilii.*

Concilio interfuiſſe Epiſcopos Quadringentos & duodecim, ac inter eos duos Patriarchas, Conſtantinopolitanum ſcilicet & Jeroſolymitanum, Latinos utique, & Archiepiſcopos ſeptuaginta & unum, vel ſeptuaginta ſeptem, ſcribunt Urſpergenſis Abbas, Pariſius & Chronographus Mailroſenſis apud quos legitur, eos omnes fuiſſe numero CCCCXII, in eo non computatis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum & capitulorum abſentium procuratoribus, quorum tantus non fuit numerus. Legatorum verò Friderici Regis Siciliæ, in Romanorum Imperatorem electi, Henrici Imperatoris Conſtantinopolitani, Regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Jeroſolymorum, Cypri, Aragoniæ, necnon aliorum Principum & Magnatum, civitatum & aliorum virorum *tam ingens affuit multitudo, ut præ nimia multitudine Magnatum Epiſcopus quidam expiraverit. Quod cum ad aures Domini Papæ deveniſſet, juravit per Sanctum Petrum, quod mauſoleum ejus lapide marmoreo ſignaretur,* inquit Chronographus Mailroſenſis, qui addit cum Pariſio, Antiochenum Patriarcham gravi infirmitate detentum venire non potuiſſe, ſed miſiſſe pro ſe Vicarium ſuum Anthedarenſem Epiſcopum, Alexandrinum verò ſub Saracenorum dominio conſtitutum miſiſſe pro ſe Germanum Diaconum ſuum.

LXXXVI. *Locus & tempus Concilii.*

Concilium celebratum fuiſſe in Baſilica Lateranenſi, ſeu ſancti Salvatoris, quæ *Conſtantiniana* appellatur, teſtantur iidem Auctores, qui & diſertè aſſerunt, illud habitum anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto, menſe Novembri, præſidente eidem Innocentio Papa tertio, Pontificatus ejus anno decimo octavo. Annaliſta Mailroſenſis: *Celebratum eſt*, inquit, *Concilium generale apud Romam per XV dies ad Kalendas Novembris*; ideoque ſupponit Concilium, quod ad Kalendas Novembris indictum fuerat, eo die cœptum eſſe; ſed Godefridus Monachus Coloni-

Colonienſis, qui Annales ſuos terminat anno 1237. Concilium habitum eſſe ait, à feſto Sancti Martini, ſeu à die undecima Novembris, uſque ad feſtum Sancti Andreæ, ſeu diem trigeſimum ejuſdem menſis. Verum major fides videtur habenda Mailroſenſi, qui Concilium incœptum ſcribit Kalendis Novembris, nam præterquamquod ad illum diem indictum fuerat ab Innocentio; cum in Concilio actum ſit de cauſa Stephani Cantuarienſis Archiepiſcopi teſte Matthæo Pariſio, & Epiſtola Innocentii ſcripta univerſis Eccleſiæ Cantuarienſis ſuffraganeis, qua confirmat ſententiam in eum latam, data ſit *Laterani pridie Nonas Novembris*, poſt tractatum ſuper hoc in Concilio habitum, apparet die quarta menſis Novembris Stephani Cantuarienſis cauſam jam in Concilio fuiſſe agitatam, & conſequenter illud cœptum eſſe ante diem undecimum ejuſdem menſis. Ex dicendis tamen infra ex Richardo de Sancto Germano, Concilium à feſto Sancti Martini ad feſtum Sancti Andreæ ter congregatum eſt. Vide dicenda num. XCIX ubi oſtendam in Concilio actum de rebus Imperii. SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

LXXXVII. *In eo expeditio in Terram ſanctam decernitur.*

In eo Concilio egregias habuit Innocentius Pontifex, pro rerum neceſſitate & dignitate, ad patres admonitorias atque hortatorias Orationes, in quarum priori, in hæc verba Chriſti Lucæ 22. *deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*, ait, ſe triplicis Paſchatis celebrationem deſiderare; corporalis, ſpiritualis & æterni: corporalis, ut fieret tranſitus de loco ad locum pro miſerabili Jeruſalem liberanda: ſpiritualis, ut fieret tranſitus de ſtatu in ſtatum pro univerſali Eccleſia reformanda: æterni, ut fieret tranſitus de vita ad vitam pro cœleſti gloria obtinenda. Poſt hæc, *multa*, inquit Annaliſta Mailroſenſis, *ad extirpationem vitiorum ad deſtructionem hæreticorum, ad confirmationem etiam fidelium & emendationem morum, Spiritu ſancto inſpirante, ſunt conſtituta. Inter quæ etiam ſtatutum eſt, & approbante ſacro Concilio auctoritate Apoſtolica firmiter præceptum, ut ad ſubſidium Terræ Sanctæ omnes omnino in Eccleſiis beneficiati tam ſubditi quàm Prælati viceſimam partem omnium eccleſiaſticorum proventuum per ſubſequens triennium integrè conferrent per manus eorum, quos ad hoc opus Apoſtolica aſſignaret providentia, exceptis quibuſdam Religioſis, & iis qui perſonaliter in Terram ſanctam eſſent profecturi. Ipſe autem dominus Papa & omnes Cardinales ne in humeros aliorum onera importabilia imponere viderentur, decimam omnium proventuum ſuorum perſolverunt. Præter hæc etiam dominus Papa tringinta millia librarum DCCC ſignatis aſſignavit.* Hæc eadem habentur in Expeditione pro recuperanda Terra ſancta, Actis Concilii ex codice Mazarino ſubjuncta Tomo XI Concil. pag. 224. in qua & additur, Pontificem Cruceſignatos ab oneribus publicis immunes eſſe juſſiſſe, & ſub Apoſtolicæ ſedis protectione ſuſcepiſſe: ipſorum creditores ad remittendas illis uſuras, & præſtitum de illis ſolvendis juramentum,

Eccle-

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. Eccleſiaſtica cenſura cogi mandaſſe: piratas & eorum fautores, item Chriſtianos, qui Saracenis arma, naves, aut machinas bellicas ſuppeditant, vel in piraticis Infidelium navibus curam gubernationis exercent, anathemate perculiſſe: torneamenta ſub eadem pœna ad triennium prohibuiſſe: pacem denique ſeu treugam per quadriennium toto orbe Chriſtianorum imperaſſe: *Omnibus autem*, inquit Pontifex, *qui laborem propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus*, &c. *Omnibus etiam piè proficientibus in hoc opere in communi univerſalis Synodus omnium beneficiorum ſuorum ſuffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad ſalutem.* Initio autem jam dixerat, ſe *ſacro approbante Concilio* diffinire, ut Cruceſignati conveniant in regnum Siciliæ *in Kalendis Junii ſequentis poſt proximum*, ideſt, Kalendis Junii anni MCCXVII, ut illa verba denotant, & expreſsè habet Mailroſenſis, qui ait: *Præceptum eſt etiam ut anno ſecundo ſequenti, ideſt, anno ab Incarnatione Domini MCCXVII omnes cruce ſancta ſignati ab univerſis mundi partibus congregati in Kalendis Junii in regno Scotia* (legendum Siciliæ) *adunarentur.*

LXXXVIII. *Albigenſium & Almarici hæreſes damnantur.* Septuaginta canones in hoc eodem Concilio conditi ſunt, quorum primo, poſt explicatam primùm Catholicam fidem contra varios hæreticorum errores damnata eſt Albigenſium hæreſis: & ſpeciatim vocabulum Tranſubſtantiationis panis & vini in carnem & ſanguinem Domini in ſacrificio miſſæ, ad cavendas tollendaſque omnes hæreticorum tergiverſationes, receptum eſt, ejuſque antiquiſſima doctrina confirmata. Canone ſecundo damnati fuêre Almarici ſeu Amalrici Hæreſiarchæ impia dogmata, quæ recenſent Robertus Gaguinus lib. 6. ſub Philippo Rege, Genebrardus lib. 4. Chronologiæ & Prateolus, ac tandem Natalis Alexander ſeculi XIII cap. 3. art. 2.

LXXXIX. *Joachimi Abbatis libellus contra Petrum Lombardum etiam damnatur.* Eodem canone ſecundo damnatus eſt liber Joachimi Abbatis Florenſis contra Petrum Lombardum de unitate ſeu eſſentia Trinitatis, in quo Joachimus appellat, *ipſum hæreticum & inſanum, pro eo quod in ſuis dixit ſententiis quoniam quædam ſumma res eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens*; ex eo enim Joachim Abbas credidit Petrum Lombardum in divinis quaternitatem inducere, tres perſonas & communem inſuper aſſerendo eſſentiam: nam ſic à Lombardo eſſentiam dici exiſtimabat, quaſi aliquid à tribus perſonis diſtinctum, quæ veluti quarta res dici poſſet. Negabat autem unitatem eſſentiæ trium perſonarum eſſe veram, realem & ſimplicem, aſſerens eam ſimilitudinariam duntaxat & collectivam, quaſi ex pluribus congregatam, ſicut multi homines unus populus & multi fideles una Eccleſia dicuntur: *Si quis igitur*, inquiunt Patres, *ſententiam ſeu doctrinam præfati Joachimi in hac parte defendere vel approbare præſumpſerit*:

tan-

tanquam hæreticus ab omnibus confutetur. Ex his autem male quis inferret Joachimum hæreſis nota inurendum, nam pertinax in errore non fuit & Eccleſiæ judicio ſuas omnes aſſertiones & ſcripta ſubjecit; poſt præfata enim verba Patres in Concilio ſubdunt: *In nullo tamen per hoc Florenſi monaſterio, cujus ipſe Joachim extitit inſtitutor, volumus derogari: quoniam ibi & regularis inſtitutio eſt & obſervantia ſalutaris, maxime cum idem Joachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandaverit, Apoſtolica ſedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda: dictam Epiſtolam propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, qua cunctorum fidelium, diſponente domino, mater eſt & magiſtra.* Quare Honorius III Innocentii ſucceſſor literis à Jacobo Græco Monacho Florenſi, qui ſeculi proxime elapſi initio Joachimi vitam ex variis monumentis collegit, cap. 5. relatis vetuit, ne propter libellum illum in hoc Concilio Lateranenſi damnatum, ipſi aut Florenſi Ordini detrahatur; & Albericus Monachus Trium Fontium in Chronico ad annum 1201. ea damnatione narrata, ſubdit: *Tamen cetera Joachim opuſcula & vitam ejus religioſam & morum inſtitutionem & eruditionem, quam in Florentino* (legendum Florenſi) *Monaſterio idèm Joachim reliquerat, Papa Innocentius III non improbavit, ſed approbando commendavit.*

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

XC. *Ioachimus Congregationem Florenſem inſtituit.*

Sed quia hic beatus doctor Joachimus, à quibuſdam Sanctus, Doctor, ac Propheta, à quibuſdam verò illuſor, hypocrita & pſeudo-Propheta dictus, quædam hìc de eo referre abs re non erit, ex quibus patebit, præfati libelli ejus damnationem ſanctitati ejus non officere. Joachimus Abbas Curatii, monaſterii Ordinis Ciſtercienſis in calabria citeriori, ac diœceſi Materana poſiti, à ſuis Ciſtercienſibus exagitatus, quaſi divinationibus fictitiis & ſuperfluis, quæ ad ipſum non ſpectarent, diffunderetur; res ad Clementem III delata eſt, qui literis Pontificatûs anno primo *Laterani ſexto Idus Junii* datis, ideoque anno 1188. & à Jacobo Græco laudato cap. 4. relatis, eum hortatus eſt, ut expoſitionem Apocalypſis, & Opus Concordiæ, jubente Lucio III inchoata, & poſtmodum mandante Urbano III ejus ſucceſſore compoſita, compleret & diligenter emendaret, ac poſtea diſcuſſioni Apoſtolicæ ſedis & judicio ſe ſe præſentaret. Quare Joachimus Curatienſi Abbatiæ renunciavit, & ut injunctum opus ad debitum finem perduceret, aliò migravit, in deſerta ſcilicet Silæ, ubi monaſterium *de Flore* dictum conſtruxit, quod deinceps Regum Siciliæ, Ducumque Calabriæ, atque Imperatorum munificentia crevit; eique cetera ejuſdem Congregationis cœnobia ſubjecta eſſe voluit Joachimus, poſtquam Ciſtercienſes reliquit, & novam Congregationem à Ciſtercio diviſam, atque *Florenſem* à primo ejus cœnobio cognominatam, inſtituit.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

XCI. *Quidam ejus libellum interpolatum credunt.*

Manricus in Annalibus Ciſtercienſibus ad annum 1188. cap 4. exiſtimat hinc originem cœpiſſe longa Joachimi diſſidia cum Ciſtercienſibus, quæ ultra ejus mortem producta ſunt, Ciſtercienſibus in eum acriter invectis, quaſi male ſcripſiſſet de Trinitate, atque accuſantibus in Concilio Lateranenſi recèns defuncti libros, quod ipſe vivens videtur prophetaſſe, in ſuo ſcilicet Opere ſuper Jeremiam cap. XI, ubi juxta interpretationem Jacobi Græci, quam & aliqui Citercienſes amplectuntur, prædixit nominis & ordinis ſui diffamationem, ac libelli præfati damnationem. Unde non ſine magno fundamento ſuſpicantur aliqui, Congregationis Florenſis inimicos libellum illum ſub Joachimi nomine publicaſſe, ut ea aboleretur: *An vero aliquid*, inquit Jacobus Græcus laudatus cap. 5. *fuiſſet appoſitum in opere illo, antequam Concilio præſentaretur, Dei judicio examinandum relinquatur. Nam hoc ipſum apertiſſime idem Joachim prædixiſſe videtur in caput XI ſuper Jeremiam.* Hæc conjectura firmari poteſt ex eo, quod Papebrocius ad diem XXIX Maii in Commentario prævio ad Vitam B. Joachimi §. 4. loquens *de Pſalterio Decachordo*, ab eo compoſito, oſtendit, Joachimum magna verborum, exemplorumque claritate myſterium Trinitatis doctiſſime elucidare, ac eas ſcripturas atque ſimilitudines, quas in libello ut perperam uſurpatas damnat Concilium, in pſalterio neutiquam ſic uſurpari, ut redargui poſſint.

XCII. *Joachimi Abbatis virtutes.*

Sed quidquid ſit de ſuppoſitione, ſeu potius interpolatione præfati libelli contra Petrum Lombardum, Manricus in laudatis Annalibus Ciſtercienſibus Tom. 1. & 2. & Papebrocius loco citato, pluribus Auctoribus in medium adductis, & ejus vitâ accurate examinatâ, oſtendunt, in Joachimo prophetiæ donum, comprobaſſe eventus; ſanctitatem, miracula; doctrinam, libros. Lucas Archiepiſcopus Cuſentinus in Calabria citeriori, ipſius Joachimi olim ſcriba familiaris, apud Papebrocium laudatum §. 3. ſcribit, ſe eum vidiſſe *anno ſecundo Pontificatus Lucii Papæ*, ſubditque: *Tunc coram eodem domino Papa & conſiſtorio ejus cœpit revelare intelligentiam Scripturarum, & utriuſque Teſtamenti concordiam, à quo & licentiam ſcribendi obtinuit, & ſcribere cœpit*, &c. *Mox verò ut me cognovit intelligere aliquid & notarium eſſe Abbatis mei, rogavit eum, ut me ſibi concederet ſcriptorem, quod & actum eſt.* Refert poſtea ſe miniſtraſſe ei celebranti miſſam, & pietatem ejus eſſe miratum, cum nonnumquam illum lachrymantem vidit tam in celebratione miſſæ, quàm cum in ea *paſſio Dominica* legeretur. Varia habet de ejus vigiliis, ſobrietate, caſtitate, conſtantia in oratione, & jejunii rigore, teſtaturque ejus meritis ſolutam ſibi fuiſſe linguam, depulſam febrim, & repreſſam intempeſtivi potûs appetentiam.

XCIII. *Ejus miracula.*

Gregorius Laurus, ſeu de Lauro, ſeu de Laude, Sagitiarienſis Abbas Ordinis Ciſtercienſis in Apologia B. Joachimi pag. 303. refert, *Matthæum*

theum Guerram, poſt probatam in Concilio Tridentino operam ſuam, propter egregiam qua excelluit Theologiæ canonumque peritiam, Fundanum creatum Epiſcopum, indeque ad Epiſcopatum Sancti Marci in Calabriam patriam ſuam tranſlatum, in ſuis ſuper Pſalterium B. Joachimi notulis MSS. hæc de eo ſcribere: *Ego Matthæus Guerra ſcripſi. Abbas Joachim compatriota meus Cœlici natus* (locus diſtat à civitate Conſentina quatuor milliaribus) *Monachus Ciſtercienſis, Inſtitutor Ordinis Florenſis, in vita, in morte, & poſt mortem miraculis claruit.* Certè in loco ubi mortuus, & primùm humatus fuit, aſſerunt aliàs lampades, & in monaſterio Floris ſimili honore cultum fuit novum ejus ſepulchrum, ad quod auxilii cauſa, tum energumenos, tum alio quocumque morbo laborantes accedere ſolitos & juvari plura exempla manifeſtant. Abbates & Monachi Ordinis Florenſis anno 1346. in monaſterio Florenſi congregati, unum ex ſuis Romam miſêre, qui peteret, Epiſcopos delegari, qui inquirerent de miraculis in vita & poſt mortem à Joachimo factis. Et in hoc uſque ſeculum ſepulchrum ejus veneratum fuit viſitantium concurſu, & celebratum miraculis.

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

XCIV. *Ejus prædictiones & annus mortis.*

Quod attinet ad ejus prædictiones, cum varia ſpiritu prophetico prænunciaſſe, quæ poſtea evenêre, certis exemplis demonſtrant iidem Manricus & Papebrocius laudati, indeque contigiſſe credunt, ut aliquas fictitias prorſus atque inanes prædictiones quidam ei adſcripſerint, quarum nugacitas effecit, ut ſuſpenſi hæſerint viri etiam ſapientiſſimi, quo loco haberent Joachimum, vel quid de ſpiritu illius ſtatuerent. Qua de re Auctores citari legendi. Tandem, ut quæ Joachimum ſpectant, abſolvam, Gregorius de Laude in ejus Apologia citata detexit ex Actis publicis, Joachimum anno milleſimo ducenteſimo ſecundo ad cœleſtem patriam migraſſe, quod confirmat laudatus Lucas Conſentinus Archiepiſcopus, dicens quod ob ſingularem beati Joachimi devotionem, qua erga quindenam dominicæ paſſionis afficiebatur, *forte ei datum ſit, ut in ſabbato quo Sitientes cantatur, mortalis vita dolore arderet, & verum adeptus ſabbatum, ut cervus ad fontes properaret aquarum.* Cum autem Gregorius de Laude ſcribat, Joachimum die trigeſima menſis Martii ad æternam felicitatem tranſmigraſſe, & anno MCCII ſabbatum dominicam Paſſionis præcedens, quando Introitus miſſæ incipit, *Sitientes venite ad aquas*, incidat in diem XXX Martii, cum Paſcha celebratum ſit die XIV menſis Aprilis, apparet Joachimum eo anno mortuum eſſe. Quare Albericus in Chronico, annum à Paſchate incipiens, mortem ejus conjungit cum anno 1201. ſicuti & Auctor magni Chronici Belgici, qui Albericum exſcripſit pag. 210. Ex iis corruunt quæ contra Joachimum à quibuſdam dicuntur, conſtatque libellum quidem ejus de Trinitate in Concilio Lateranenſi damnatum fuiſſe, ſed tamen eum virum Catholicum, & ſanctæ fidei ortho-

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

orthodoxæ ſectatorem declaratum eſſe. Quæ de celebri adeo viro, occaſione canonis ſecundi Concilii Lateranenſis IV, relata Lectori forsàn tædioſa non erunt.

XCV. *Innocentius PP. in Concilio Lateran. Patriarchalium ſedium ordinem & privilegia renovat.*

Canon Quintus Lateranenſis Concilii antiqua Patriarchalium ſedium privilegia renovat; ſtatuitque ut *poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote mater univerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Jeroſolymitana quartum locum obtineant.* Jura verò Patriarcharum explicat in eo poſita, ut poſtquam à Romano Pontifice pallium acceperint, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ juramento, pallium & ipſis ſuis ſuffraganeis conferre poſſint, recipientes per ſe profeſſionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Ut in provinciis omnibus, eorum jurisdictioni ſubjectis, ad eos, cum neceſſe fuerit, appelletur: *Salvis appellationibus ad ſedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.* Denique ipſis permittitur; ut *dominicæ Crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in urbe Romana, & ubicumque Summus Pontifex præſens extiterit, vel ejus Legatus utens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis.* Alii Concilii canones explicantur à Natali Alexandro Seculi XIII diſſert. 1. art. 1.

XCVI. *In eodem Concilio Comitis Toloſani ditio Simoni Montisfortis conceditur.*

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo decimo quarto Petrus Beneventanus Apoſtolicæ Sedis Legatus Concilium apud Montem peſſulanum celebravit, cui adfuêre quinque Archiepiſcopi, Epiſcopi viginti & octo, Abbatum, aliorumque virorum Eccleſiaſticorum ingens numerus, in quo dominium civitatis Toloſanæ, totiuſque ditionis quæ fuerat Raymundi Comitis excommunicati & depoſiti, Simoni Comiti Montisfortis hæreticorum Albigenſium debellatoris, cujus virtute & armis hæ ditiones partæ erant, collatum eſt, ut num. LX jam diximus. Cum autem Synodi poſtulatis annuiſſet Pontifex, eamque conceſſionem confirmaſſet, uſque ad futuram Synodum univerſalem Laterani celebrandam anno 1215. eamdem conceſſionem in hoc Concilio confirmavit, ut diſertè ſcribit Petrus Vallis-Sernenſis Hiſt. Albig. cap. 83. *Anno Verbi Incarnati MCCXV*, inquit, *menſe Novembri dominus Papa Innocentius III ..... in Lateranenſi Eccleſia celebravit in urbe Roma generale Concilium & ſolemne.* Et poſt pauca: *Dominus etiam Papa approbante pro majori parte & ſaniori ſacr ſancto Concilio, in hunc modum ordinavit de negotio memorato. Statuit ſiquidem & providit, quod Toloſa civitas & aliæ terræ à Cruceſignatis obtentæ, concederentur Comiti Montisfortis, qui in prædicto negotio viriliter & fideliter laboravit ſupra omnes: terram verò quam Comes Toloſanus habuerat in Provincia, cuſtodiri voluit Summus Pontifex, ut de illa fieret proviſio in parte, vel in toto, filio dicti Comitis Toloſani: ſi tamen per certa fidelitatis & bonæ converſationis indicia oſtenderet ſe miſericordia dignum*

Digitized by Google

dignum eſſe. Decretum hac de re editum ex Spicilegii Dacheriani Tomo VII tranſlatum eſt in Tomum XI Concil. editionis Labbeanæ pag. 234.

XCVII. *Sententia ſuſpenſionis in Cantuarienſem Archiep. in eodem confirmatur.*

Stephanus Langtonus, quem ab Innocentio Papa anno 1207. conſecratum Archiepiſcopum Cantuarienſem & Cardinalem Presbyterum tit. Sancti Chryſogoni creatum, ſuperius num. XLIX vidimus, accuſatus fuit in hoc eodem Concilio à procuratoribus Angliæ Regis, quod ipſius favore & concilio, Barones Angliæ Regem à ſolio depellere molirentur: Cumque à Sede Apoſtolica literas accepiſſet, quibus jubebatur, ut cenſuris Eccleſiaſticis dictos Barones ad pacem & obedientiam Regi exhibendam revocaret, Pontificii mandati negligens illis connivere viſus erat, ideoque Wintonienſis Epiſcopus, aliique auctoritate Apoſtolica delegati, ipſum à divinorum celebratione ſuſpenderant. Re ad Concilium delata, *Archiepiſcopus quaſi convictus, & non mediocriter confuſus, nihil reſpondit, niſi quod à ſuſpenſione petiit abſolvi. Cui Papa cum indignatione tale fertur dediſſe reſponſum: Frater per Sanctum Petrum non ita de facili beneficium abſolutionis impetrabis, qui non ſolum ipſi Anglorum Regi, verum etiam Romanæ Eccleſiæ tot & tales injurias irrogaſti. Volumus quoque cum plena Fratrum noſtrorum deliberatione decernere, qualiter tam temerarium puniamus exceſſum. Tandem habito ſuper hoc cum Cardinalibus tractatu, ſuſpenſionis ſententiam in ipſum Archiepiſcopum ſubſcriptis literis confirmavit*, inquit Matthæus Pariſius pag. 189.

XCVIII. *Angliæ proceres excommunicantur.*

Excommunicati ſunt pariter in eodem Concilio Anglicani proceres, eorumque fautores, qui Joannem Angliæ Regem regno privare moliebantur, quod conſtat ex Epiſtola, quam Innocentius Pontifex ſcripſit Abbati de Albedunte, Archidiacono Pictavienſi, & Magiſtro Roberto Officiali Norwicenſis Eccleſiæ ab eodem Pariſio pag. 192. relata, in qua ait: *Ad veſtram volumus notitiam pervenire quod nos nuper in Generali Concilio conſtituti excommunicavimus & anathematizavimus ex parte Omnipotentis Dei, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ac noſtra Barones Angliæ, cum adjutoribus & fautoribus ſuis, qui Joannem illuſtrem Regem Anglorum, Cruceſignatum & vaſſallum Eccleſiæ Romanæ perſequuntur, molientes ei regnum auferre, quod ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere.* Excommunicati ſunt etiam omnes, qui ad occupandum vel invadendum regnum, aut impediendum auxilia ipſi deſtinata, operam vel opem impenderent. Terras denique conjuratorum procerum interdicto ſubjecit. Epiſtola data eſt *Laterani XVII Kal. Jan. Pontificatûs* eius *anno XVIII*, ideoque non multò poſt Concilium eodem anno 1215. non verò anno conſequente 1216. ut legitur Tomo XI Concil. pag. 237. anno enim 1216. die decima quarta Decembris jam mortuus erat Innocentius ut ex dicendis conſtabit.

SEC. XIII.
INNOCENTIUS III.
XCIX.
Friderici electio in Imperatorem confirmatur.

Actum eſſe in eodem Concilio de rebus Imperii, quod Friderico aſſertum eſt, rejecto Ottone, Richardum à Sancto Germano Auctorem coævum in Chronico MS. aſſerere, ſcribit Odoricus Raynaldus, dicens ex eodem Auctore omnium Principum Nuncios ad Concilium illud confluxiſſe; miſiſſeque Oratores ſuos, Ottonem, ac Fridericum; alterum, ut obtenta veniâ, Imperium recuperaret, à quo dejectus fuerat; alterum, ut ſibi aſſereret: atque etiam aſperioribus animis utrimque certatum; adeo ut nunciis ex utraque parte objecta diluere ac retorquere nitentibus, exulcerati animi in aſperiora verba proruperint. *Quo viſo*, inquit, *Innocentius aſſurgens è Pontificio ſolio, manu ſilentio indicto ſacrum Senatum dimiſit. Cumque à B. Martini, ad S. Andreæ feſtum ter Concilium coegiſſet; electionem Principum, qui Fridericum ſalutarant Imperatorem confirmavit.* Ita Raynaldus ex Richardo à Sancto Germano, ex quo conſequenter habemus, Concilium uſque ad feſtum Sancti Andreæ, ſeu diem trigeſimum Novembris duraſſe.

C.
Agitur etiam in eo Concilio de Eccleſiis Cypriis.

Stephanus Luſinianus in Hiſtoria Cypria, quam Gallicè ſcripſit, docet nos in eodem Concilio actum eſſe de Eccleſiis Cypriis, *abſente enim*, inquit, *Hugone Luſiniano Rege, & bellis adversùs Saracenos occupato, ejus conjux Aloiſia Regina nuncios ad Lateranenſe Concilium cum mandatis miſit, qui peterent, ut quies reſtitueretur Eccleſiæ Cypriæ, tum valde perturbatæ, quod Græcis Epiſcopis qui in inſulam omnem, poteſtatem exercebant, par re Latini nollent. Item ut Salaminus Archiepiſcopus, qui everſa Salamine Famaguſtam translatus fuerat, Nicoſiam Famaguſta transferretur, in qua nobilitas univerſa, reginſque comitatus & Latini omnes verſabantur. Annuit Concilium Reginæ poſtulatis, Nicoſiam translatus Archiepiſcopatus: creatus Latinus Archiepiſcopus, qui Latinis tantum præeſſet, cui & Græci ipſi paruerunt, ſublato è vivis Archiepiſcopo Simone. Tres alii Latini Epiſcopi inſtituti, Famaguſtanus, Nemoſienſis, Paphius: & Græci Epiſcopi quatuordecim ad Latinorum numerum redacti, iiſdemque in urbibus. Quibus defunctis eorum Eccleſiæ ac decimæ Latinis attributæ ſunt: certo tantum ſtipendio Græcis conceſſo.* De iiſdem Græcorum & Latinorum pacificandis & ordinandis Eccleſiis, edita eſt poſtea Cypria Conſtitutio Alexandri IV quæ extat Tomo XI Concil. pag. 2352. & ſeqq.

CI.
Quædam alia in Concilio geſta, & ejus finis.

Fuiſſe præterea quædam alia in hoc Concilio agitata, Scriptores alii aſſerunt. De Toletano primatu controverſiam diſcuſſam eſſe ex Toletanæ Eccleſiæ codice MS. refert Garſias Loaiſa in Notis ad decretum Gundimari, qua de re vide dicta in Urbano II num. VII. Approbatum eſſe ab eodem Concilio Minorum Ordinem refert Wadingus, teſteſque profert multos, quorum aliquot nondum typis editi ſunt. Sanctum etiam Dominicum huic Concilio interfuiſſe, & Innocentium approbaſſe ejus conſilium inſtituendi Prædicatorum Ordinem refert Theodoricus in ejus Vita lib. 1. cap. ult. qua de re ſuperius num. LXVII

actum

Digitized by Google

actum eſt. De eiuſdem ordinis confirmatione dicetur in Honorio III. Tandem Concilium duraſſe uſque ad feſtum Sancti Andreæ num. LXXXVI vidimus. Sed ex mox dictis, die XIV Decembris jam finitum erat ab aliquot ſaltem diebus, cum Pontifex in Epiſtola ea die data, de qua num. XCVIII afferat, ſe *nuper* in Concilio generali excommunicaſſe Barones Angliæ.

CII. *Poſt Concilium Innocentius Romæ aliquanto tempore remanet.*

Innocentius Pontifex abſoluto Concilio Lateranenſi, multo adhuc tempore Romæ remanſit, antequam ex ea urbe exiret ad reconciliandos Piſanos cum Genuenſibus, quorum bello præcipitatum fuiſſe Concilii exitum, ideoque nihil in eo decerni potuiſſe, Summo Pontifice ad eas lites componendas evocato, fruſtrà ſcribit Platina in Vita Innocentii. Cum enim ex dictis Concilium ſolutum fuerit exeunte menſe Novembri, ſeu in feſto Sancti Andreæ anni 1215. Innocentius tamen dominica poſt Octavas Epiphaniæ, ſeu die decima ſeptima Januarii anni inſequentis 1216. adhuc Romæ erat, quod conſtat ex Matthæo Pariſio, qui ad annum illum ſcribit, Innocentium *quem vacillantis Eccleſia cura ſollicitabat, effigiem vultûs Domini, quæ Veronica dicitur, ut moris eſt, de Eccleſia Sancti Petri verſus hoſpitale Sancti Spiritûs reverenter cum proceſſione* bajulaſſe. Cumque effigies in locum ſuum reportaretur; ipſa ſe ſe ſponte vertice deorſum invertit: idque Pontificem, ut triſte præſagium horrentem, quandam orationem in ejuſdem Sanctæ Imaginis honorem compoſuiſſe, decemque dierum indulgentiam recitantibus eam conceſſiſſe. Non refert quidem Pariſius diem ejus eventûs, ſed illum habemus ex Actis Innocentii, in quibus numero ultimo ex editione Baluzii, de eo legitur: *Inſtituit autem apud Hoſpitale prædictum* (ſcilicet Sancti Spiritus, cujus fundationem jam retulerat Auctor Actorum) *ſtationem ſolemnem dominica poſt octavas Epiphaniæ, in qua populus illic confluit Chriſtianus ad videndum & venerandum ſudarium Salvatoris, quod cum hymnis & Canticis, pſalmis & faculis à baſilica Sancti Petri ad locum illum proceſſionaliter deportant, & ad audiendum & intelligendum ſermonem exhortatorium, quem ibi facere debet Romanus Pontifex de operibus pietatis, & ad promerendam & obtinendam indulgentiam peccatorum, quam exercentibus ſe ad opera miſericordiæ pollicetur: ad quæ ut alios non ſolum verbis provocet, ſed exemplis, egenis omnibus ad illas ſpirituales nuptias concurrentibus, panes, carnes & denarios conſtituit elargiri: quorum omnium rationem idem prudentiſſimus Præſul expoſuit in homilia, quam ſuper illius diei evangelium exaravit.* Cum itaque dominica poſt octavam Epiphaniæ, qua canatur Evangelium, *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*, anno 1216. concurrat cum die decima ſeptima Januarii, Pontifex eo die adhuc Romæ erat.

CIII. *Stationem ſolemnem ad venerationem ſacræ Imaginis Veronicæ dictæ inſtituit.*

Hujus ſudarii, ſeu veli, quod à pia fœmina *Veronica*, ſeu Berenice dicta, capiti ſuo detractum Chriſto Domino crucem magna anguſtia bajulanti, ad cruentam faciem tergendam porrectum fuiſſe, antiquam ferre tradi-

Digitized by Google

SÆC. XIII. INNOCENTIUS III. traditionem, graviſſimorum Auctorum teſtimonio confirmatam, ſcribunt Onuphrius & alii recentiores, idem Matthæus Pariſius meminit ad annum 1249. ubi poſt quam dixit, Prædicatores attuliſſe quandam petram albi marmoris, quæ à tempore Chriſti in Terra ſancta veſtigium impreſſionis Salvatoris protendebat, ſubdit: *Taliter etiam dicitur Chriſtus ipſam impreſſionem faciei ſua, qua Veronica dicitur, feciſſe, ut videlicet ſui memoria haberetur in terris.* Meminit & ejusdem Imaginis antiquus Chronographus Methodius Epiſcopus apud Marianum Scotum in Chronico ad annum Chriſti 39. & Baronius ad eumdem annum teſtatur, extare in Bibliotheca Vaticana libellum manuſcriptum de translatione ejus Romam facta. Vetera autem monumenta ejus translationis extant apud Jacobum Grimaldum qui commentarium de eo velo conſcripſit, de quo & legendus Gretzerus in Syntagmate de Imaginibus non manufactis cap. 17. De ſudario illo loquitur Pollicitus, qui vixit ſub Innocentio II in ordine Romano XI apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici pag. 122. *Poſtea*, inquit, *vadit* (ſc. Pontifex) *ad ſudarium Chriſti, quod vocatur Veronica, & incenſat.* Petrus Mallius in libro inedito de Baſilica S. Petri ad Alexandrum III, & ante eum Romanus Sancti Petri Canonicus, qui vixit ſub Eugenio III, *ſudarium Chriſti*, inquit, *quod vocatur Veronica*, & in cap. 25. *Oratorium Sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, quod vocatur Veronica, ubi ſine dubio eſt ſudarium Chriſti, in quo ante paſſionem ſuam ſanctiſſimam faciem, ut à noſtris majoribus accepimus, exterſit, quando ſudor ejus factus eſt ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Cum tempore Innocentii IV Abbatiſſa & moniales Ciſtercienſis Conventus Monaſterioli, ſeu Monſtrolii ad radices montis Laudunenſis, à Jacobo de Trecis, tunc Archidiacono Leodienſi, atque Innocentii IV capellano, poſtmodum Papa ſub Urbani IV nomine, petiiſſent, ut ſibi depingi curaret *faciem & figuram noſtri Salvatoris* ſecundum illam, *quam* in ſua haberet *cuſtodia*, Jacobus optatam miſit Imaginem, cum literis, quibus eas obnixè rogat, ut propter reverentiam illius quam repræſentat, recipiant eam *ut Sanctam Veronicam, ſeu veram ipſius imaginem & ſimilitudinem. Actum Romæ anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono.* Ex quibus, inquit Mabillonius Tomo 1. Muſei Italici pag. 88. & ſeq intelligitur Veronicæ vocabulum eſſe imaginis, non mulieris, tracto inde etymo, quaſi diceretur *vera icon*, ſeu *iconia*, & contractis in unum vocabulum literis, *Veronica.* Quid porrò, vel utrum quid hujuſmodi aſſerta ſacræ imaginis inverſio, de qua Matthæus Pariſius num. ſuperiori laudatus, portenderit, non conſtat.

CIV. *Romà exit pro pace Genuenſium & Piſanorum, ſed Peruſii moritur.*

Sed ex dictis convincitur, Innocentium Papam longe poſt Concilium Lateranenſe Romà diſceſſiſſe; cum enim ſacræ expeditioni totus intentus eſſet, ut Piſanos conciliaret & Genuenſes, Peruſium venit, ut facilius ſua præſentia urgeret concordiam; at ibi infirmatus, eodem anno milleſimo

mò ducenteſimo decimo ſexto, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti defunctus eſt. *Innocentius Papa*, inquit Richardus de Sancto Germano in Chronico, *Urbem exiens Peruſium vadit, ubi menſe Julio, XVII Kal. Auguſti languore correptus feliciter expiravit.* Urſpergenſis Abbas in Chron. diem ſepulturæ cum die mortis confundens, *anno Domini MCCXVI*, inquit, *Innocentius Papa obiit apud Peruſium XVI. Kal. Auguſti Pontificatûs ſui anno decimo nono.* Cauſam ejus profectionis aperiunt Martinus Polonus in Chron. & Sabellicus Ennead. 9. lib. 6. *Demum*, ſcribit Martinus, *cum Papa propter ſubventionem Terræ ſanctæ, inter Piſanos & Genuenſes & Longobardos pacem intenderet facere, in itinere ad hoc conſtitutus, apud Peruſium eſt defunctus, ibique in Eccleſia Sancti Laurentii eſt tumulatus.* Sabellicus verò poſtquam locutus eſt de Concilio Lateranenſi, dixitque in eo relatum eſſe de Aſiatica expeditione, ſubdit: *Satis conveniebat de bello adverſus impios decernendo, ſed quominus res parari poſſet, Genuenſium & Piſanorum obſtabat diſcordia, qui maritimo inter ſe bello diſceptabant; jam & Ciſalpina Gallia inteſtinis armis laborare cœperat per idem tempus, ad quos motus mature ſedandos, ex Roma Pontifex profectus Peruſii fato deceſſit.* Præter Richardum de Sancto Germano Pariſius affirmat, eum mortuum XVII Kal. Auguſti quare Auctores ſic conciliandi ſunt, ut alii de die obitus, alii de die ſepulturæ intelligantur, ita ut Innocentius obierit die decima ſexta menſis Julii anni 1216. & poſtridie ſepultus ſit, ideoque ſedit annos duodeviginti, menſes ſex, dies novem, computatos à die ejus electionis, quæ facta eſt die octava Januarii anni 1198. vel annos duodeviginti, menſes quatuor, dies viginti quinque, ſi initium ducatur ab ejus conſecratione quæ peracta eſt eodem anno 1198. die vigeſima ſecunda Februarii. Sepultus eſt in Eccleſia Cathedrali S. Laurentii Peruſii.

CV. *Pauperibus abundè ſubveniebat.*

Innocentium ab ipſo ſui Pontificatûs initio pia opera ſibi præſcripſiſſe, ejus Vitæ Acta ſæpius laudata narrant num. 143. nempe eum ad eleemoſynas deputaſſe univerſos proventus ad ſe pertinentes de oblationibus Baſilicæ Sancti Petri: ac præterea de cunctis proventibus ſuis integram decimam in opus eleemoſynæ ſeparaſſe: ac de reſiduo, licet occultas, ſæpiſſime tamen largas eleemoſynas impendere conſueviſſe: univerſaſque oblationes, quæ ſecundum antiquam conſuetudinem ad pedes ipſius proveniebant, eleemoſynario deſtinaſſe erogandas: *Faciebat ergo*, inquiunt Acta, *famelicos refici, nudos veſtiri, virgines pauperculas maritari, parvulos expoſitos nutriri. Subveniebat frequenter Monachis & Monialibus indigentibus, & recluſis, & eremitis. Domos etiam religioſas viſitabat multotiens, & à debitis liberabat. Circuibat & inveſtigabat diligenter eleemoſynarius ejus, pauperes ac debiles, maxime nobiles; dabatque illis ſigilla, ut per eos qui ipſa referrent ſingulis hebdomadibus pecuniam reciperent ad victum; & ſæpiſſime talibus quindecim libras per hebdomadam impendebat: exceptis*

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

illis qui quotidie recipiebant aut cibos, aut nummos, aut veſtes. Permittebat etiam idem benigniſſimus Pontifex pauperculos parvos ante menſam ſuam poſt finem refectionis venire, ipſiſque de his, quæ coram eo remanſerant victualia exhiberi. Sabbatis quoque faciebat mandatum, lavans ac tergens & oſculans pedes duodecim pauperum, & ſingulis duodecim nummos impendens, faciens refectionem omnibus miniſtrari.

CVI. *A calumnia vindicatur.*

Innocentio itaque avaritiæ labem iniquè aſpergit Matthæus Pariſius, quem verba ſuperius allata Auctoris coævi ejus geſtorum, calumniæ convincunt, ſicuti & quæ habet idem Auctor num. 41. *Inter omnes itaque peſtes*, inquit, *habuit venalitatem exoſam, cogitans qualiter eam poſſet à Romana Eccleſia extirpare. Statim ergo fecit edictum ut nullus officialium Curiæ ſuæ quicquam exigeret, præter ſolos ſcriptores & bullatores, quibus tamen certum modum præfixit, diſtrictè præcipiens ut ſinguli ſuum officium gratis impenderent, recepturi gratanter, ſi quid eis gratuitò donaretur.* Denique Innocentium ab omni avaritiæ labe immunem fuiſſe ſatis ſuperque oſtendunt, quæ in iiſdem Actis leguntur, ubi narrantur quamplurima omnis generis donaria ſacra, vaſa & ornamenta pretioſa, argentea, aurea, gemmea ſingulis Urbis Eccleſiis, aliiſque per diverſas provincias, nec non & monaſteriis ac prælatis collata: præter ingentem vim auri quam in ſubſidium Terræ ſanctæ erogavit.

CVII. *Innocentii virtutes.*

Innocentii doctrinam, Juris divini humanique peritiam, pietatem, charitatem, conſtantiam, zelum fidei & diſciplinæ; ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, & curæ animarum, ac concordiæ Principum; probatiſſimos mores, felicitatem denique laborioſiſſimi regiminis, præclara ejus ſcripta ſatis teſtantur; decreta innumera, geſtaque abunde probant; omnium ferè Auctorum laudationes cumulatiſſime confirmant. *Innocentius Papa*, inquit Rigordus Auctor hujus temporis, *celebravit Romæ Concilium, vir clari ingenii, magnæ probitatis & ſapientiæ, cui nullus ſecundus tempore ſuo.* Sanctus Bonaventura cap. 3. Vitæ S. Franciſci Innocentium, virum ſapientia clarum nominat. Virtute & ingenio ante tempus ad Romani Pontificatûs apicem evectus, in Pontificatu talis fuit, ut haud dubiè poſt illum Petri ſedem æque nullus honeſtaverit, teſte Petrarcha Epiſt. Rer. Senil. lib. 15. Epiſt. 9. Ejus vita adeo probata fuit, ut etiam Platina & Nauclerus agnoſcere compellantur, poſt ejus mortem nihil eorum, quæ in vita egit, laudavit, improbavit, immutatum fuiſſe. Quare non immeritò Sanctus Antoninus part. 3. tit 19. cap. 1. *poſt innumera*, inquit, *opera egregia virtutum, demum beato fine quievit*; & Paulus Nangius in Chronico Citizenſi, *Innocentius Papa obdormivit in Chriſto.*

CVIII. *Ejus ſcripta.*

Innocentii denique III eximiam eruditionem ejus opera teſtantur; *fecit ante Pontificatum*, inquiunt ejus Vitæ Acta, *libros de miſeria conditionis humanæ, de Miſſarum myſteriis, & de quadripertita ſpecie nuptiarum, & poſtil-*

SEC. XIII. INNOCENTIUS III.

& peſtillam ſuper ſeptem pſalmos : poſt pontificatum autem libros ſermonum, epiſtolarum, regeſtorum & decretalium. Verùm iis plura Innocentius elaboravit, nempe librum unum de ſacramento Baptiſmi, tres de veneratione Sanctorum, Homilias quatuor de conſecratione Pontificis ; librum item unum de eruditione Principum in Bibliotheca Patavini cœnobii Sanctæ Juſtinæ MS. proſam, *ſtabat mater doloroſa*, & hymnum rithmicum incipientem, *Ave mundi ſpes Maria.* Quibus, à Ludovico Jacob in Bibliotheca Pontificia, à Guillelmo Cave in Hiſtoria literaria, & aliis, recenſitis, addo piam illam de Spiritu ſancto ſequentiam, *veni ſancte Spiritus*, quam ab Innocentio Papa III compoſitam aſſerit Ekkeardus Auctor Vitæ B. Notkeri, qui Innocentii tempore vivebat, apud Mabillonium Sec. V. Benedictino, ubi exhibet elogium B. Notkeri Monachi Sancti Galli pag. 18.

CIX. *Non eſt auctor elevationis ſacrorum myſteriorum in Miſſa.*

Latinos peracta conſecratione, Græcos paulò ante communionem in Miſſa, corpus dominicum & calicem elevare, ut à populo adoretur, omnibus manifeſtum eſt. Scriptores quidam Eterodoxi id primùm inſtitutum comminiſcuntur ab Innocentio III in Concilio Lateranenſi; ſed Cardinalis Bona lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 13. §. 2. probat, id ab antiquo tempore fieri ſolitum, indicare ſcriptores Græcos quos citat. Quoad Eccleſiam Latinam Stephanus quidem Durantus lib. 2. cap. 20. ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conſuetum putat Euchariſtiam in altum tollere Græcorum Patrum teſtimoniis ſuffultus, ſed hæc de Latinis ritibus nihil probant. Nec enim, inquit Bona, liquet quæ prima origo fuerit in Eccleſia Latina elevandi ſacra myſteria ſtatim ac conſecrata ſunt; cum nec in antiquis ſacramentorum libris, nec in codicibus ordinis Romani, tàm excuſis, quàm MSS. nec in priſcis rituum expoſitoribus Alcuino, Amalario, Walfrido, Micrologo, & aliis aliquod ejus veſtigium reperiatur. Hunc tamen ritum ante Innocentium III inſtitutum probat ſtatutum Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi cap. 14. de campana pulſanda, dum fuit elevatio : *Sicut aliàs*, inquit, *ſtatutum fuit, in celebratione miſſarum, quando corpus Chriſti elevatur, in ipſa elevatione, vel paulo ante campana pulſetur, ut ſic mentes fidelium ad orationem excitentur.* Et Juo Carnotenſis, qui eodem tempore vixit ejus ritûs meminit Epiſtola 142. qua gratias agit Mathildi Anglorum Reginæ ob campanas quas dederat Eccleſiæ B. Virginis, quarum ſonitu renovari ait in cordibus fidelium ipſius Reginæ memoriam tunc præſertim *quando illa ſalutaris hoſtia pro nobis redimendis in ara crucis oblata per novi ſacerdotii miniſtros in Domini menſa quotidie conſecratur.* Hildebertus etiam Cenomanenſis Epiſcopus, poſtea Archiepiſcopus Turonenſis ipſam elevationem commemorat in verſibus de ſacrificio miſſæ. Seculo itaque integro ante Innocentium III in Galliis ſacra myſteria elevabantur. Ipſo etiam initio Pontificatûs Innocentii III in Germania hic mos jam ante vigebat; Cæſarius enim Heiſterbacenſis lib. 9. Dialog. cap. 51. apud Odo-

SEC. XIII. INNOCENTIUS III. ricum Raynaldum anno 1203 num. 42. refert Guidonem Epiſcopum Præneſtinum *bonam illic conſuetudinem* inſtituiſſe, *ut ad elevationem hoſtiæ omnis populus in Eccleſia ad ſonitum nolæ veniam peteret, ſicque uſque ad calicis benedictionem proſtratus jaceret.* In Eccleſia autem Romana ante Bonifacium VIII nullam hujus elevationis mentionem inveni, in ordine enim Romano XIV apud Mabillonium lib. 2. Muſei Italici elevatio tam corporis, quàm ſanguinis Chriſti diſertè memoratur pag. 304. & ſeq hic autem ordo compoſitus eſt à Iacobo Caietano, ab eodem Bonifacio Cardinali creato.

CX. *Viſiones de pœnis Innocentii poſt mortem.* Licet Innocentius talis tantuſque fuerit apud homines, poſt talia tantaque in vita pro utilitate Eccleſiæ præſtita, mortemque etiam in proſecutione cauſæ fidei piiſſimè obitam, Auctor tamen Compilationis Chronologicæ, quæ extat Tomo 1. Rerum Germanicarum Piſtorii, refert hunc Pontificem viſum in tranſitu cuidam Abbati Ordinis Ciſtercienſis in prato quodam prope Peruſium obdormiſcenti, confugere ad Dominum in excelſo throno ſedentem, ab ingenti Dracone ipſum devorare nitente, & his verbis alta voce ſupplicare: *Miſerere mihi miſero, miſericordiſſime Deus*; Dracone ex adverſo clamante, *Juſte judica juſtiſſime Judex* Quam viſionem ſic indeciſam Abbati oſtenſam refert idem Auctor. Sed Thomas Cantipratenſis Sancti Thomæ Aquinatis condiſcipulus, qui obiiſſe dicitur anno 1263. in Vita B. Lutgardis Monialis, quæ extat apud Surium die XVI Junii refert, Innocentium poſtea Lutgardi tum viventi apparentem ſignificaſſe, ſe tres ob cauſas pœnis atrociſſimis uſque ad diem judicii addictum eſſe, quæ etiam æternis ſuppliciis ipſum juſtiſſime addixiſſent, niſi per interceſſionem piiſſimæ matris Dei, cui monaſterium extruxiſſet, in extremis ipſum pœnituiſſet. Addit Thomas Cantipratenſis tres ſe illas cauſas à B. Lutgarde didiciſſe, ſed pro tanti Pontificis reverentia referre nolle. Has viſiones ab invidis fictas ſcribit Odoricus Raynaldus ad annum 1216. de iis tamen non dubitare videtur Cardinalis Bellarminus, qui in libro de Gemitu Columbæ lib. 2. cap. 9. facile ſibi perſuaderi ait, tantum Pontificem, qui in oculis omnium non probus, & prudens ſolum; ſed etiam ſanctus & imitatione dignus habitus eſt, non potuiſſe lethalia peccata committere, niſi ſub ſpecie boni deceptum ab adulatoribus & domeſticis Quare harum & hujuſmodi viſionum veritatem vel falſitatem aliis examinandam relinquimus, hîc enim narrantis officium, non diſceptantis ſuſcepimus.

HONO-

HONORIUS III *Pontif.* CLXXVII.

Anno Domini MCCXVI.

I. *Honorius III eligitur Pontifex Peruſii.*

EXrepto ex hac vita Innocentio III die decima ſexta menſis Julii anni milleſimi ducenteſimi decimi ſexti, & die ſequenti ſepulto, ſtatim, ſcilicet die decima octava ejusdem menſis Cencius Presbyter Cardinalis SS. Pauli & Joannis tit. Pammachii, electus eſt Peruſii Romanus Pontifex, cum ceſſaſſet *Papatus per unum diem*, ut ſcribit Martinus Polonus in Chronico, & Bernardus Guido in Speculo Hiſtorico Romanorum Pontificum confirmat, ubi cauſam tam feſtinatæ electionis nos docet: *Vacavit ſedes*, inquit, *per unam tantummodo diem*, *Peruſinis cauſa electionis Papæ ſtrictiſſimè arctantibus Cardinales.* Hanc electionem peractam eſſe die decima octava Julii, ſeu die tertia à morte Innocentii, teſtatur ipſemet Cencius, qui in Pontificatu Honorii III nomen ſumſit, in Epiſtola prima ſui Regiſtri, qua ſuam electionem & conſecrationem Jeroſolymitano Regi ſignificat: *Felicis recordationis*, inquit, *Innocentio Papa prædeceſſore noſtro decimo ſeptimo Kal. Auguſti, ſoluto debito carnis, ad regionem ſanctorum ſpirituum, ut credimus, evocato, & ſequenti die celebratis exequiis, ac cum honore debito collocato ipſius corpore in ſepulchro; unà cum fratribus noſtris ad eligendum convenimus ſucceſſorem; & die tertio Spiritûs ſancti gratia invocata, ſuper hoc tractavimus diligenter, & poſt tractatum divinum placuit fratribus univerſis humeris noſtris quamvis inſufficientibus, imponere onus iſtud.*

II. *Ibidem conſecratur.*

Licet Honorius III die decima octava Julii electus fuerit, dilata tamen eſt de more ejus conſecratio ad diem vigeſimum quartum ejuſdem menſis, quæ cum Dominica concurrebat: *Nono Kalendas Auguſti conſecratus eſt*, inquit Auctor Chronici Foſſæ Novæ ad annum 1216. Eumdem diem conſecrationi ejus aſſignant Sanctus Antoninus part. 3. tit. 19. cap. 3. Onuphrius Panuinius & alii. Hunc ritum celebratum eſſe in Eccleſia Sancti Petri Peruſii, teſtatur ipſemet Honorius in literis ordine 1020. lib. 2. quas ad Ciſtercienſes Monachos ſcripſit anno 1218. ut habet Odoricus Raynaldus ad annum 1216. num. 17.

III. *In ejus electione non eſt cœptus mos incluſionis Cardinalium in conclavi.*

Ciaconius in Honorio III ſcribit, Innocentio mortuo, cum res Chriſtiana, non ſolum propter Aſiaticum bellum, ſed & propter civiles Italicas diſſenſiones, graviſſimis eſſet expoſita periculis, & cum in novo Pontifice eligendo nonnihil Cardinales diſſentire cœpiſſent, ne Sedis vacatio in longum progrederetur, illicò Cardinales in Comitio ſe recluſiſſe, & ſummum Pontificem elegiſſe. *Hinc cœptus*, inquit, *mos laudabilis fuit incluſionis Cardinalium, ut citius Papam crearent, neque moras necterent, & cibus in dies parcior & imminutior fieret ſtimulus celeriter electionem*

SEC. XIII. HONORIUS III.

nem Pontificis maturandi, ut cavetur in cap. ubi periculum *de elect. in 6.* Sed ut obſervavit Andreas Victorellus in Notis ad vitam Gregorii X, hæc iis adverſantur, quæ poſtea ſcripſit idem Ciaconius, nempe ante Gregorium X Cardinales nequaquam fuiſſe incluſos in conclavi, quod deſumpſit ex Onuphrio Panuinio, in Nota ad Vitam Gregorii X à Platina ſcriptam; quod certè verum eſt; lex enim illa, *ubi periculum* à Gregoriio X in Concilio Lugdunenſi lata eſt anno 1274. Vide in eodem Gregorio X quæ dicemus de Cardinalibus in conclavi incluſis.

IV. *Honorii genus, primordia & doctrina.*

Honorium III fuiſſe patria Romanum, Sabella gente oriundum, filiumque Americi ſeu Almerici aſſerunt Sanctus Antoninus & Panuinius laudati. Ex publicis autem actis & aliis ſcriptoribus conſtat, eum munere Camerarii S. R. E. functum, ac primùm Sanctæ Luciæ in via Lata Diaconum Cardinalem tit. S. Luciæ in Silice à Cœleſtino III creatum, & deinde ab Innocentio III Presbyterum Cardinalem SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii, ut ipſemet aſſerit, in laudatis ad Ciſtercienſes Abbates, qui generales Ordinis conventus habebant, literis. *Succeſſit Honorius III,* inquit Urſpergenſis, *qui prius fuerat Centius nominatus, fueratque Camerarius Cardinalium, & pecunias ipſis collatas inter eos fideliter & provide diſtribuebat.* Ejus doctrinam & morum probitatem prædicat Annaliſta Mailroſenſis, qui relata Innocentii morte, ſubdit: *Cui ſucceſſit vir venerabilis, tam ſcientiâ quam ætate maturus, dominus Honorius Epiſcopus & Cardinalis XIII Kal. Auguſti*, ſeu die XX Julii. Errat tamen in die electionis, niſi dicamus hæc verba Honorii Epiſtolæ ad Regem Jeroſolymorum num. 1. relata, *Et die tertio Spiritus Sancti*, &c. non referri ad diem tertium à morte Innocentii, ſed ad diem tertium poſtquam Cardinales de electione tractare cœperunt, quam explicationem juvare videntur ſequentia verba, *poſt tractatum diutinum placuit fratribus univerſis*, &c. quo caſu electio Honorii conveniret cum die vigeſima Julii. Sed huic Chronologiæ obſtant Martinus Polonus & Bernardus Guido, qui ſcribunt ſedem vacaſſe *per unam tantummodo diem.* Verùm quidquid ſit de die electionis ſufficiat ſcire diem ejus conſecrationis, à qua eum annos ſui Pontificatûs in ſuis Epiſtolis exorſum eſſe, inter alias probat libri 7. Epiſtola 37. apud Raynaldum anno 1221. num. 38. *Data Laterani XIV Kal. Auguſti anno VI*, qui fuiſſet dicendus annus VII, ſi pridie, ideſt anniverſario die ſuæ electionis cœpiſſet novum annum numerare, inquit Papebrocius, cujus conjectura certa eſt, ſuppoſito quod electio Honorii facta fuerit die XVIII Julii, ſed corruit, ſi contigerit die XX. Doctrinam porrò & morum Honorii integritatem prædicat etiam Joannes Nauclerus, qui generatione 41. ſcribit: *Anno 1216. Innocentio mortuo ſucceſſit illi Honorius ejus nominis III, patria Romanus, vir doctus & morum integritate ſanctiſſimus.*

Honorius,

Honorius, poſtridie ejus diei quo conſecratus eſt Pontifex, octavo ſcilicet Kalendas Auguſti, ſuam promotionem Jeroſolymorum Regi ſignificavit, pollicituſque eſt omnem ſe operam ac ſtudium daturum, ut Terræ ſanctæ auxiliares copiæ ſubmitterentur. Scripſit & ad Epiſcopos Galliarum, eoſque monuit, ut Cruceſignatos, Innocentii morte conſternatos erigerent, confirmarentque; ſe perducendis prædeceſſoris conſiliis tota animi & operæ intentione incubiturum: atque adeo ſuſcipiendæ expeditioni ſtrenuè ſe accingerent. Scripſit & ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, atque Abbates: & ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, quem Catholicæ Eccleſiæ gubernaculis ſe admotum docet, aperitque ingens deſiderium edomandi ſchiſmaticorum faſtus, Imperiique Orientalis contra Græcorum impetus firmandi, muniendique, ex quo veluti ex arce firmiſſima in Saracenos, ac Terræ ſanctæ invaſores excurrendum ſit, ac demum ad priſtinam in Romanam Eccleſiam reverentiam, amoremque ſervandum cohortatur. Pari ratione Siciliæ Regi, deſignato Imperatori, Poloniæ Ducibus, aliiſque ſingulis Regibus & Principibus Honorium Papam ſcripſiſſe, refert Raynaldus ex lib. 1. Regiſtri Honorii ad annum 1216. num. 18. & ſeqq.

SEC. XIII. HONORIUS III. V. *Honorius pro belli ſacri promotione ad Principes ſcribit.*

Peruſii manſit Honorius Pontifex uſque ad exeuntem menſem Auguſtum ejuſdem anni milleſimi ducenteſimi decimi ſexti, quo iter in Urbem eſt aggreſſus, nimirum pridie Kalendas Septembris, ut ad eum annum affirmat Auctor Chronici Foſſæ Novæ his verbis: *Pridie Kal. Septemb. reverſus eſt apud Romam ad Sanctum Petrum. Pridie Non. Septemb. receptus eſt in Eccleſia Lateranenſi cum tanto gaudio & veneratione, gloria & jucunditate, quod omnes videntes dixerunt, quod nullus de prædeceſſoribus ſuis in receptione ſimilis ei fuiſſet.*

VI. *Romæ cum pompa recipitur.*

Sanctus Dominicus, quem Innocentius III Toloſam ad fratres ſuos remiſerat in Concilio Lateranenſi, ut Regulam aliquam approbatam ſimul deligerent, quam profiterentur, à ſe poſtea confirmandam, anno milleſimo ducenteſimo decimo ſexto Romam iterum profectus eſt; ſed cum Innocentius è vivis exceſſiſſet, Honorius ejus ſucceſſor diplomate dato *Romæ apud S. Sabinam XI Kal. Jan. Pontificatus anno primo* novum Prædicatorum ordinem confirmavit ſub Regula Sancti Auguſtini, quam Dominicus, qui eam olim inter Canonicos Oxonienſes profeſſus fuerat, elegit. Incipit diploma, *Religioſam vitam*, extatque in Bullarii Tomo 1. *Nos attendentes, fratres Ordinis tui*, inquit Pontifex, *futuros pugiles fidei & vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum, cum omnibus caſtris & poſſeſſionibus habitis & habendis, & ipſum Ordinem, ejuſque poſſeſſiones & jura ſub noſtra gubernatione & protectione ſuſcipimus.* Ex quo refelluntur, qui ſcribunt, Sanctum Dominicum, ante confirmatum Ordinem poſſeſſiones abdicaſſe. Id enim duntaxat factum eſſe poſt quadriennium ab Ordinis confirmatione, in primis Comitiis generalibus Bononiæ

VII. *Prædicatorum Ordinem confirmat.*

SEC. XIII. HONORIUS III. Bononiæ celebratis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tradunt ejuſdem Ordinis Scriptores.

VIII. *Abſtinentiæ relaxationis uſum in Natali Domini probat.*

Sacratiſſimum Natalis Chriſti domini diem inter ea meritò cenſeri debere, quæ primis Eccleſiæ ſeculis inſtituta ac celebrata fuêre, conſtat ex iis quæ diximus in Julio primo. Ad tantæ ſolemnitatis lætitiam ſpectat uſus ea die jejunium ſolvendi & abſtinentiam relaxandi, quando concurrit cum feria ſexta. Qui uſus jam obtinebat tempore Honorii III, qui ea de re interrogatus ab Epiſcopo Pragenſi ita reſpondit: *Explicari præterea poſtulaſti, utrum illis ſit licitum, qui nec voto, nec regulari obſervantiæ ſunt adſtricti, carnes comedere, quando in ſexta feria dies dominicæ nativitatis occurrit. Ad hoc tale damus reſponſum, quod illi, qui nec voto, nec regulari obſervantiæ ſunt adſtricti in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis dominicæ ipſo die venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam uti poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Generalis: nec tamen ii reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere.* Conſuetudo itaque illa jam quidem obtinebat ante Honorium III, ſed nulla lege firmata erat. Hujus Honorii Epiſtolæ partem refert Raynaldus ad annum 1216. num. 45.

IX. *Petrum Corteniacum Imperatorem CP. coronat.*

Henrico Conſtantinopolitano Imperatore, tertio Idus Junii ejuſdem anni milleſimi ducenteſimi decimi ſexti abſque ulla prole defuncto apud Theſſalonicam, vel, ut quidam habent, apud Byzantium; Petrus Corteniacus, Comes Altiſſiodorenſis, qui Iolantam ejuſdem Henrici ſororem, in uxorem duxerat, patruelis Philippi Francorum Regis, utpote filius alterius Petri, qui frater fuerat Ludovici Junioris patris Philippi, duxeratque uxorem Iſabellam Corteniacam, in locum Henrici ſororii ſuffectus eſt, dictuſque Imperator Conſtantinopolitanus. Petrus Conſtantinopolim progreſſurus unà cum Jolanta conjuge, domo in Italiam concedens, Romam è Galliis advolavit, ut à Romano Pontifice Imperatoria inunctione delibutus, majorem ſibi apud Conſtantinopolitanos auctoritatem conciliaret, de cujus adventu & conſecratione hæc habet Auctor Chronici Foſſæ novæ: *MCCXVII menſe Aprilis, quidam Comes Francigena nomine Petrus de Alſunla à Græcis vocatus & electus in Imperatorem Conſtantinopolitanum, applicuit Romam cum uxore & filiis, & alio comitatu, honoroficè à domino Papa Honorio, & à Clero, & à cuncto populo Romano eſt receptus, V Idus prædicti menſis in Eccleſia Sancti Laurentii foris murum cum magna gloria & decore coronatus eſt à Summo Pontifice cum uxore ſua.* Petrus porrò coronatus & conſecratus eſt extra muros Romanæ urbis, ne ſi intra Urbem fieret coronatio, quid juris hebere videretur in Imperium Occidentale, ut ſcribit Bellefortius in Annalibus Franc. lib. 3. cap. 82.

X. *Id excuſat apud Patriarcham CP.*

Ne autem Conſtantinopolitani Patriarchæ juribus inungendi Orientis Imperatoris detractum putaretur, Honorius Pontifex literis ad eum

ſcriptis

ſcriptis, & datis *Laterani II Idus Aprilis* ejuſdem anni, Patriarchæ ſignificavit, ſe id feciſſe ad inſtantem Petri ſupplicationem, & multiplices aliorum interceſſiones, poſtquam id pluries denegaſſet: feciſſe demum de poteſtatis plenitudine, ſine præjudicio vel contemptu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſed quod timeret, ne grave diſpendium univerſo Imperio immineret, ſi Petrus incoronatus abſcederet à Sede Apoſtolica, ad quam ea de cauſa acceſſiſſet. Rogavitque ac monuit, ut quod ab ipſo ſic factum eſſet, imò per miniſterium ſuum dominus operari voluiſſet, gratanter acciperet, & ipſum Imperatorem ad ſolium ſuum accedentem benignè ſuſciperet. Cui de cetero Honorius injunxit, ut Patriarchæ & Eccleſiæ ejus de omnibus juribus & conſuetudinibus plenariè ſatisfaceret. Ex quibus, inquit Spondanus ad annum 1217. num. 1. videas, minime conſueviſſe Pontifices, quod blaterant hæretici & novatores, auctoritatem ſibi ceterorum Epiſcoporum uſurpare, niſi cum ratio aut neceſſitas poſtulat. Extant Honorii Papæ literæ apud Raynaldum ad annum 1217. num. 6. & ſeq. Petrum porrò Corteniacum Imperatorem à Theodoro Comneno Græco Epyri Dynaſta captum & in vincula conjectum unà cum Joanne Columna Apoſtolicæ ſedis Legato ab Honorio Papa miſſo, narrant Auctores hujus temporis.

SEC. XIII. HONORIUS III

XI. *Ad Cruceſignatos Meſſana congregatos Legatum mittit.*

Innocentius III in Concilio Lateranenſi ſtatuerat, ut Cruceſignati Kalendis Junii anni 1217. convenirent in regnum Siciliæ, ad quod propoſuerat perſonaliter accedere, ut ipſius conſilio & auxilio diſponeretur populus Chriſtianus, cum benedictione divina & Apoſtolica profecturus pro ſubſidio Terræ ſanctæ. Quare mortuo Innocentio ſuſpenſus tum erat univerſus Orbis Chriſtianus expectatione exitûs ſacræ hujus expeditionis in eodem Concilio Lateranenſi decretæ. Sed non reſponderunt votis & expectationi ſucceſſus, ſacræ Synodi piis conſiliis, funeſtis caſibus præpeditis; Petro enim Conſtantinopolitano Imperatore capto, nulla è Conſtantinopoli auxilia ſubmiſſa: Germania, lite adhuc pendente inter Ottonem & Fridericum de Imperio, vires ſuas effundere non poterat: Anglia civili bello laborabat: Gallia partim Albigenſium rebellione fluctuabat, partim copias in Angliam tranſmiſerat, partim de Campaniæ principatu Theobaldum inter & Erardum ambigua, ancipiti contentione diſtinebatur: Aragonia pro reſtituendo Toloſano Comite bellum movebat: reliqua Hiſpania Mauris pellendis intenta erat: Italia denique non omninò pacata. Cruceſignatis tamen Meſſanam anno 1217. ut conſtitutum erat, adeuntibus, Honorius Pontifex Cuſentinum Archiepiſcopum illuc legavit, ipſos pro concione hortaturum, ut armis ſe tum ſpiritualibus, tum militaribus prudenter inſtruerent; ſeque invicem Chriſtiana charitate complecterentur. Præcepit Legato, ut Meſſanam ſe conferret, hortaretur Cruceſignatos ad piratarum & Saracenorum eludendas inſidias, ut conjunctis agminibus iter ſuſciperent,

SEC. XIII. HONORIUS III.

atque intentato anathemate vetaret, ne quis ſepulchrum Domini adire auderet, cum Chriſtiani exuerentur opibus, quibus Saracenorum potentia creſceret.

XII. *Rationem reddit cur Meſſanam non perrexerit.*

Id conſtat ex Epiſtola 500. libri primi Regiſtri Honorii Papæ, in qua & rationem reddit, cur Meſſanam non perrexerit, quo Innocentius III promiſerat ſe iturum, ad fauſtè Crucesignatis precandum: *Sane*, inquit, *cum felicis memoriæ Innocentius Papa prædeceſſor noſter, inſpirante domino, aſpirans ad ſubſidium Terræ ſanctæ diſpoſuerit perſonaliter hoc tempore accedere in Siciliam, ſi dominus annuiſſet, ut ipſius conſilio & auxilio diſponeretur ſalubriter populus Chriſtianus, cum benedictione divina & Apoſtolica profecturus, nos qui eidem in onere ſucceſſimus & honore, ſi viderimus aliquatenus expedire, libenter illuc perſonaliter veniſſemus, utpote qui ad promovendum tantum Chriſti negotium modis omnibus aſpiramus; ſed cum gens ſine duce, ac ſine capite procedere videatur, non fuit de Fratrum noſtrorum vel aliorum conſilio, ut nunc in Siciliam accedere deberemus, ne ſi hac vice non impleretur deſiderium populi Chriſtiani, crederetur de cetero res penitus deſperata. Ceterum ne ibi omnino reputemur abſentes, abſentiam noſtram per tui præſentiam* (ſcilicet Archiepiſcopi Cuſentini) *providimus compenſandam*, &c. Deinde Albanenſi Epiſcopo Legationem Apoſtolicam committit, ut vice ſua Chriſti negotium, prout idem inſpiraverit, ordinet & diſponat.

XIII. *Publicas preces habet in quibus Petri & Pauli Apoſt. capita nudis pedibus geſtat.*

Non multo poſt Honorius Pontifex accepto Andream Hungariæ Regem cum Luipoldo Auſtriæ Duce, pluribuſque aliis Principibus viris in Orientales oras trajeciſſe, & in Saracenorum ditiones ingreſſos; ad divinum implorandum auxilium ſolemnem in Urbe ſupplicationem habuit, paremque à ſingulis Epiſcopis aliarum civitatum celebrari præcepit, in eaque SS. Petri & Pauli capita nudis pedibus geſtavit. Id conſtat ex ejus Epiſtola 739. lib. 2. *data Laterani VIII Kal. Decembris Pontificatus anno ſecundo*, in qua ait: *Quia de meritorum noſtrorum qualitate diffidimus, tam Clerum, quàm populum Urbis convocavimus in Baſilica Salvatoris, atque inde ad venerandam glorioſæ matris ejus Eccleſiam prælatis capitibus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli pedibus nudis proceſſionaliter ivimus, ut præfatis Jeſu Chriſti athletis ejus genitricis obtentu ſupernum impetraremus auxilium, ad quod noſtra non ſufficere merita ſciebamus.* Integram Epiſtolam recitat Raynaldus ad annum 1217. num. 27. & ſeq.

XIV. *Corſica partem Genuenſibus tradit ſub cenſu annuo.*

Corſicam inſulam Romanæ ſedi medio ſeculo nono fuiſſe ſubditam inſinuavimus in Leone IV num. VIII. Sed eâ duas in partes diviſâ, altera earum Genuenſibus ab Honorio III eodem anno 1217. ea lege data eſt, ut ſacramentum fidelitatis Romano Pontifici præſtarent, & quotannis libram auri penderent. Id conſtat ex Epiſtola 418. lib. 1. Regiſtri Honorii apud Raynaldum num. 98. & ſeqq. qua, poſtquam Metropolicam digni-

dignitatem, ab Innocentio II Genuenſi Eccleſiæ, ut in ejus Pontificatu oſtendimus, conceſſam confirmavit, *Ad hæc*, inquit, *Janvenſi civitati medietatem inſulæ Corſicæ ad exemplum eorundem prædeceſſorum noſtrorum concedimus, ita ſcilicet, ut nobis, noſtriſque ſucceſſoribus Januenſis populus, cum exinde fuerit requiſitus, fidelitatem juret, & pro penſione unam libram auri ſingulis annis nobis & ſucceſſoribus noſtris exolvat, ſalvis nimirum feudis, tam veſtris, quàm Piſanorum, ſicut à decem annis, & ſupra obtinuiſſe noſcuntur.* SEC. XIII. HONORIUS III.

Eâdem Epiſtolâ non ſolum Eccleſiæ Genuenſi Metropolicam dignitatem confirmat Honorius, ſed alia privilegia eidem concedit: *Communicato Fratrum conſilio*, inquit, *ad exemplar jam dictorum Alexandri, Clementis, Cæleſtini & Innocentii prædeceſſorum noſtrorum legationem tranſmarinam tibi* (Archiepiſcopo ſcilicet Genuenſi) *tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum duximus concedendam.* Et infra: *Denique ut Januenſis civitas, quæ cœleſtis numinis adjuta favore de inimicis Crucis Chriſti triumphum frequenter & victoriam reportavit, & plurimas eorum urbes mira quadam & invincibili potentia ſubjugavit, ampliori honoretur faſtigio dignitatis; equo albo cum nacto albo* (de nacto vide dicta in Eugenio III) *in proceſſionibus uti, & Crucem, vexillum ſcilicet dominicum per ſubjectam vobis provinciam portandi, ſicut prænominati anteceſſores conceſſiſſe noſcuntur, tibi tuiſque ſucceſſoribus licentiam damus, & liberam vobis facultatem concedimus.* Epiſtola dicitur data *Laterani VIII Kal. Maii, Indictione VI, Incarnationis dominicæ anno milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo, Pontificatûs vero Domini Honorii Papæ III anno primo*, ſed loco, *Indictione VI*, legendum, *Indictione V* quæ currebat anno 1217. quo Epiſtola data. XV. *Eccleſia Genuenſi privilegia conceditur.*

Cum Henricus Angliæ Rex, qui Joanni patri anno milleſimo ducenteſimo decimo ſexto mortuo ſucceſſerat, Berengariæ viduæ Richardi olim Regis dotalitia bona à dicto Joanne Rege ex pacto roborata, & à Sede Apoſtolica confirmata eripere conaretur, Honorius Pontifex anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo hortatus eſt Henricum Regem ab ejus infeſtatione ceſſare, recuſantemque cenſuris compellere injunxit Gualoni Cardinali Legato, & Epiſcopo Wintonienſi. Quodque timeret Berengaria, ne quis Epiſcopus inſtinctu Regis cenſuras in ipſam aliquo prætextu exereret, tam illam, quàm etiam Iſabellam, dicti Joannis Regis relictam, quæ & ipſa Pontificem pro ſuis juribus interpellaverat, hoc metu Pontifex exemit, ſublata cuivis Antiſtitum omni poteſtate in eas, earumque res, Eccleſiæ vindictam exercendi, quin etiam utrique indulſit, ut tempore generalis & particularis interdicti poſſent ſacris intereſſe, dummodo cauſam ipſæ interdicto non dediſſent. Hæc conſtant ex pluribus Epiſtolis lib. 2. Regiſtris Honorii à Raynaldo laudatis. XVI. *Reginarum viduarum Angliæ patrocinium ſuſcipit.*

SEC. XIII. HONORIUS III. XVII. *Savarico nobili Anglo cudenda moneta jus confirmat.*

Ex libro autem Cenſuum Eccleſiæ Romanæ habemus Joannem Angliæ Regem, dum in vivis eſſet, ſpectatiſſimæ nobilitatis viro Savarico è Malaleone, ob navatam egregiè in ejus obſequio operam, percutiendæ monetæ in ejus ditione poteſtatem feciſſe: dictumque Savaricum hujuſmodi privilegii confirmationem à Pontifice flagitaſſe, quam & obtinuit, perſolvendæ Apoſtolicæ Sedi unius marchæ auri lege impoſita: *Sicut tua nobis exhibita petitio*, inquit Pontifex *continebat*, *idem Rex penſatis tuæ devotionis obſequiis, in terra tua cudenda moneta tibi liberam deliberatione regia concesſerit facultatem*, *ſicuti in ejus literis plenius continetur. Nos conceſſionem hujuſmodi gratam habentes*, *eam tibi ſicut ipſam juſtè obtines & quietè auctoritate Apoſtolica confirmamus*, *marcham auri annis ſingulis*, *quibus moneta ipſa cuditur*, *nobis & ſucceſſoribus noſtris exſolvens. Dat. Later. XII. Kal. Maii*, *Pontificatûs noſtri anno II*, ideoque anno 1218.

XVIII. *Congregationem S. Antonii Magni ad Religionis ſtatum evehit.*

Cum Jocelinus ex ſtirpe Comitum Pictavienſium oriundus corpus S. Antonii Magni Conſtantinopoli, quo ex Thebaide aſportatum fuerat, in Franciam tranſtuliſſet, & Guigo ejus filius apud Motam Sancti Deſiderii, oppidum non longe ab urbe Viennenſi in Delphinatu poſitum collocaſſet, frequentiori concurſu cœpit cultus ejuſdem ſancti exeunte ſeculo undecimo, occaſione peſtilentiæ, qua anno 1089. teſte Sigeberto in Chronico, *multi ſacro igne interiora conſumente computreſcentes*, *exeſis membris inſtar carbonum nigreſcentibus*, *aut miſerabiliter* moriebantur, *multi verò nervorum contractione diſtorti* tormentabantur. Huic *miſeriæ horrendæque calamitati præſentaneum atque efficaciſſimum remedium afferre perſpecta eſt devota imploratio patrocinii: atque interceſſionis beatiſſimi Antonii*, inquit Aymarus Falco in Hiſtoria Ordinis S. Antonii part. 2. cap. 31. ubi ſubdit, Motam ob ſuſceptam à divo illo patre illuſtrationem dictam eſſe oppidum *Sancti Antonii*; concurrentibus enim undique populis, locus ille apud omnes clarior fieri, longeque illuſtrior haberi cœpit, præſertim cum Gaſto vir nobiliſſimus Viennenſis provinciæ, & Girinus ejus filius ſacro igne tacti, & ſanitate S. Antonii meritis recuperata, ſtatim ſe & ſua pietatis operibus exercendis dedicarunt, quibus in hoc ſancto propoſito octo viri ſe ſe adjunxêre, & piiſſimam inter ſe ſocietatem & fraternitatem iniêre anno Chriſti milleſimo nonageſimo quinto, quæ fraternitas dicta eſt ordo miniſtrantium infirmis in hoſpitali S. Antonii: qui cum laici eſſent, pro inſignibus Thau ſignum ſibi ſumſerunt. Hæc fraternitas ſeu ſocietas paulatim ſublimiùs provecta, poſtquam cuſtodiam corporis Sancti Antonii adepta, Regulam Sancti Auguſtini amplexa eſt, hujuſque inſtituti plurima monaſteria paulatim erecta ſunt per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, aliaſque orbis Chriſtiani provincias, ut pluribus refert Aymarus laudatus. Illi Antoniani dicti, Xenodochii S. Antonii curam geſſêre uſque ad annum 1298. & præ-

Digitized by Google

præfecturam Falconis, proprio carentes templo, in quo privatis pietatis exercitiis poſſent incumbere. Poſtea Falco Eccleſiam conſtruere cœpit, cui Benedictini, ad quos S. Antonii prioratus pertinebat, obſtiterunt; ſed Humbertus Archiepiſcopus Viennenſis, utriuſque partium compromiſſarius cauſam Antonianis adjudicavit, & Innocentius III ejus ſententiam confirmavit. His non contentus Falco ſuos ſolemnibus votis obſtringere meditatus eſt, idque ab Honorio III Papa anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo obtinuit; à quo ideo tempore Antoniana congregatio, quæ per centum viginti tres annos aut circiter nulla vota emiſerat, ad ſtatum Religionis & Ordinis S. Antonii evecta eſt. Sed, ut ea quæ tunc Ordinem ſpectant uno tenore referam, Bonifacius VIII anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, bulla ſua quarto Idus Junii data, quæ incipit *in diſpoſitione*, Tomo 1. Bullarii Romani, prioratum S. Antonii Abbatiam eſſe voluit, ejuſque Præfectum Abbatem generalem totius Ordinis, cujus religioſos declaravit Canonicos, & ut Regula Sancti Auguſtini ab illis deinceps ſervaretur, ſtatuit, cum obligatione deferendi de antiqua conſuetudine in veſtitu ſignum T. quod potentiam vocant, eoque pacto prioratum Sancti Antonii Viennenſis à ſuperioritate & ſubjectione monaſterii Montis majoris Arelatenſis exemit, & tunc Aymo primus Abbas Ordinis S. Antonii inſtitutus, ut Aymarus laudatus narrat. SEC. XIII. HONORIUS III.

XIX. *S. Guiellelmo Archiep. Bituric. ſacros honores decernit.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo Honorius Pontifex Sanctum Guillelmum Bituricenſem Archiepiſcopum cœlitibus annumeravit. Superiori enim anno ab ejuſdem ſedis Præſule & Capitulo rogatus, ad inquiſitionem de vita & miraculis Guillelmi delegavit Autiſſiodorenſem Epiſcopum & duos Abbates Ciſtercienſes, qui inquiſitionem, prout in mandatis acceperant, ad Pontificem tranſmiſerunt, qua in pleno conſiſtorio ſolemniter recitata, miraculis ad examen revocatis, deque ejus vitæ ſanctitate oculatis teſtibus ſacramento adactis, ſacros illi honores decrevit. Qua de re diploma Apoſtolicum Clero, populoque Bituricenſi exaravit, quod extat lib. 2. Regiſtri Epiſt. 1097. datum *Romæ apud S. Petrum XVI. Kal. Junii Pontificatus anno ſecundo.* Obierat hic Sanctus Præſul anno milleſimo ducenteſimo nono die decima Januarii, ejuſque vita extat in Faſciculo ſanctorum Ordinis Ciſterc. lib. 1. diſtinct. 10. Ejuſdem canonizationis meminit Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali lib. 30. cap. 185. Aliis autem literis ordine 1098. Archiepiſcopo Bituricenſi poteſtatem fecit Pontifex collocandi in honorificentiori loco ſacra ejus oſſa, & fidelibus tranſlationis pompam cohoneſtantis præſentia ſua, vel ſingulis annis eo recurrente die ad ejus ſepulchrum acceſſuris, quadraginta dierum indulgentiam propoſuit epiſtolâ ordine 1099.

SEC. XIII. HONORIUS III.

XX. *Vicecancellarium Eccleſiæ Rom. Patriarcham Antiochiæ conſecrat.*

Poſtero anno milleſimo ducenteſimo decimo nono Honorius Pontifex Eccleſiæ Antiochenæ paſtore ſuo, ſcilicet Rodulpho quarto Antiocheno Patriarcha Latino viduatæ, præfecit Rainerium de Caſtro Veteri diœceſis Tudertinæ, ex Canonico Regulari & Priore Sancti Fridiani Lucenſis ac Vicecancellario Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quem propriis manibus conſecravit, non quidem in locum Rodulphi, ſed Petri Capnani, Petri olim Sancti Marcelli presbyteri Cardinalis è fratre nepotis, quem antea huic Eccleſiæ deputaverat, quemque hoc eodem anno Cardinalem creaverat, ut conſtat ex ejuſdem Honorii Epiſtolis 417. lib. 3. & 631. lib. 4. in qua ultima diſerte appellat Rainerium *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium*, eâque data *Viterbii VII Id Decemb. Pontif. anno IV* præcipit Antiochenſibus, ut Rainerium debito honore proſequantur, illiuſque monitis obtemperent.

XXI. *Vicecancellariatûs S. R. E. origo.*

Hunc Rainerium fuiſſe primum, qui commodiori vocabulo pro *Cancellarii vices agente*, appellatus fuerit *Vicecancellarius*, obſervat Onuphrius, jam enim hoc erat officii nomen, ut ex dicta Honorii Epiſtola conſtat, & eruitur etiam ex eo, quod cum Rainerius etiam poſt Patriarchatum adeptum, per aliquot dies eo munere fungeretur, ſe ſe iterum *Cancellarii vicem agentem* vocitarit, quod non amplius *Vicecancellarii* haberet officium. Hoc tamen fuiſſe idem cum officio Cancellarii obſervat idem Onuphrius Panuinius in Gregorio VIII. Cancellarii munus ſolis Cardinalibus demandari conſueverat, ſed cum Albertus Cancellarius ſub nomine Gregorii VIII anno 1187. dictus eſt Pontifex, nullum Cardinalium ſuffecit in Cancellarii officium, verùm quidam Dominus Moyſes, Lateranenſis Canonicus Regularis S. R. E. Subdiaconus, ad id munus aſſumptus eſt, qui quòd Cardinalis non eſſet, non Cancellarius, ut Cardinales ſe appellare conſueverant; ſed Cancellarii vices agens dictus eſt, cum tamen reipſa Cancellarii munere fungeretur, proventuſque & regalia omnia Cancellariis dari ſolita à Pontifice perciperet: fuitque hic primus, qui poſt longa tempora, cum non eſſet Cardinalis, functus eſt munere Cancellarii, quod poſtea rediit ad Cardinales, ſed ſub nomine Vicecancellariatus, quæ præcipua eſt dignitas ſedis Apoſtolicæ poſt Pontificalem. Hinc manavit Vicecancellarii origo, cujus officium diverſum fuiſſe ab officio Bibliothecarii diximus in Gregorio VII.

XXII. *Honorius PP. Ordinem Vallis Scholarium confirmat.*

Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico confirmationem Ordinis Vallis Scholarium ab Honorio III Papa factam conjungit cum anno 1217. Pontificatus Honorii primo; ſed Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali lib. 30. cap. 123. eam confert in annum 1219. Hic ordo paulò ante inſtitutus fuerat in diœceſi Lingonenſi ex diverſis aliis Religionibus approbatis, juxta B. Auguſtini Regulam à Guillelmo quodam; qui cum literis operam dediſſet Pariſiis, indeque in Burgundia docuiſſet, unà cum nonnullis è ſuis Scholaribus in eremum ſecedens, auctoritate

Guillelmi

Guillelmi Lingonenſis Epiſcopi Ordinem inchoavit. Quod anno Domini 1212. ſub Innocentio tertio Honorii prædeceſſore, auctoribus *Guillelmo* Anglico & fratre *Richardo* de Marcio, totumque ordinante prædicto Epiſcopo Lingonenſi, contigiſſe, ſcribit Auctor Magni Chronici Belgici.

XXIII. *Regulo inſulæ Man Eccleſiæ Rom. vaſſallo facto protectionem impertitur.*

Pandulphus hoc tempore Apoſtolicæ ſedis Legatus erat in Anglia & electus Epiſcopus Norwicenſis, in cujus manibus eodem anno 1219. reperitur facta donatio inſulæ Man Romanæ Eccleſiæ & Honorio Papæ à Reginaldo Inſularum Britanniæ adjacentium Regulo, qui eam impoſterum poſſidendam accepit ab eodem Pandulpho ſub cenſu annuo duodecim marcharum ſterlingorum. Cujus inſtrumentum publicum factum *Londonia in domo militiæ Templi X. Kalend. Octobris anno domini milleſimo ducenteſimo decimo nono* ſe vidiſſe ſcribit Spondanus in collectione Nicolai Cardinalis Aragonii, ejuſque partem refert Raynaldus ad annum 1219. num. 44. *Noverit ſancta paternitas veſtra*, inquit in eo Reginaldus, *quod nos, ut participes ſimus bonorum quæ fiunt in Eccleſia Romana, ad monitionem & exhortationem dilecti patris Domini P...... Norwicenſis electi Camerarii & Legati veſtri dedimus & obtulimus ei nomine Eccleſiæ Romanæ & veſtro & Catholicorum veſtrorum ſucceſſorum inſulam noſtram de Mari, quæ ad nos jure hæreditario pertinet, & de qua nulli tenemur aliquod ſervitium facere, & deinceps nos, & hæredes noſtri in perpetuum tenebimus in feudum dictam inſulam ab Eccleſia Rom. & faciemus ei per hoc homagium & fidelitatem, & in recognitionem dominii nomine cenſus nos, & hæredes noſtri in perpetuum annuatim ſolvemus Eccleſiæ Romanæ duodecim marchas ſterlingorum in Anglia apud Abbatiam de Furnis Ciſtercienſis Ordinis, in feſto Purificationis B. Mariæ. Et ſi non eſſet ibi aliquis ex parte veſtra, vel ſucceſſorum veſtrorum, deponentur dictæ duodecim marchæ per nos & hæredes noſtros penes Abbatem & Conventum Eccleſiæ Rom. nomine. Hanc donationem & oblationem dominus Legatus recepit ad voluntatem & beneplacitum veſtrum, & poſt receptionem factam ab eo ſic ipſe dominus Legatus dictam inſulam dedit mihi & hæredibus meis in feudum perpetuò poſſidendam & tenendam nomine Eccleſiæ Rom. & me inde per annulum aureum inveſtivit*, &c. *Actum Londoniæ in domo*, &c. ut ſupra. Extat illud inſtrumentum, teſte Raynaldo in Regiſtro Honorii lib. 4. Epiſt. 629. & lib. 7. Epiſt. 189. quo etiam, inquit Spondanus, prædictus Rex Honorium Pontificem rogavit, ut protectionem, quam aliis Regibus cenſualibus & vaſſallis Eccleſiæ Romanæ concedi mos eſſet, etiam ipſi impertiret. Eſt porrò hæc inſula, *Eubonia* Gildæ dicta, Gallicè *l'isle de Man*, in mari Hibernico, in qua ſunt parochiæ XVII, & oppida quatuor, & inſulæ Epiſcopus ſuffragatur Archiepiſcopo Eboracenſi. Hoc tempore Regem habebat proprium; nunc autem Comes Derbienſis hujus Inſulæ Regulus dicitur, ſub dominio tamen Regis Angliæ.

Anno

SEC. XIII.
HONORIUS III.

XXIV.
Hugonem Epiſc. Lincolnienſem SS. faſtis adſcribit.

Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo Honorius Pontifex Sanctum Hugonem Lincolnienſem in Anglia olim Epiſcopum in ſanctorum numerum retulit, teſte Matthæo Pariſio in Chronico ad eum annum: *Eodem anno*, inquit, *& die Sanctus Hugo Lincolnienſis Epiſcopus à Papa Honorio canonizatus eſt, & in catalogo Sanctorum admiſſus: facta prius miraculorum ejus inquiſitione à Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo & Abbate de Fontibus Joanne, ſicut in hoc ſequenti Domini Papæ authentico continetur.* Refert poſtea Epiſtolam Honorii hac de re univerſis Chriſti fidelibus datam *Viterbii XIII Kalendas Martii Pontificatus* ejus *anno quarto*. Eamdem refert Raynaldus ad eumdem annum, apud quem tamen loco, *XIII Kal. Martii*, legitur, *XIII Kal. Maii.*

XXV.
Sancti Hugonis vita ſummarium.

Sanctus Hugo ex Monacho Cartuſiano anno circiter 1186. creatus Epiſcopus Lincolnienſis, Richardo Regi reſtitit, qui Epiſcopos ac Prælatos Angliæ in unum convocari juſſerat à Cantuarienſi Archiepiſcopo, ut illis indicaret Regem pecuniis indigere, cupereque ab illis adjuvari. Cum enim hic Sanctus Præſul animadvertiſſet pauperculam plebem ea ratione gravari, coram omnibus perorans adverſus ejuſmodi exactionem, ceteris eam admittentibus, ipſe omninò negavit Regi in eo acquieſcere. Unde Rex iratus miſit qui eum ſede pellerent, & bona ejus Eccleſiæ fiſco addicerent. At ille juſſit omnes in vicinis parochiis, pulſatis campanis excommunicatos denunciari, qui nutu divino territi, continuò receſſerunt. Ipſe verò ad Regem properans, ab eo quaſi invito pacem & oſculum extorſit, adeoque ipſum ſua magnanimitate perculſit, ut & mitiſſimo animo ipſius acres objurgationes acceperit. Quo abeunte Rex ad ſuos converſus: *Si omnes*, inquit, *Epiſcopi tales eſſent, nihil adverſum eos poſſent ſive Reges, ſive Principes*; unde & dictus eſt *Regum malleus*. Hæc conſtant ex ejus Vitæ Actis apud Surium die XVII Novembris, & ex Rogerio Hovedeno in Annalibus, apud quem & legitur; hunc ſanctum Epiſcopum, cum veniſſet anno 1191. ad Abbatiam Sanctimonialium de Godaſtove, & vidiſſet in Eccleſia tumbam in medio chori ante altare ſericis pannis velatum, & lampadibus ac cereis circumdatum, audiſſetque eſſe tumbam Roſamundæ, quæ fuerat amica Henrici ultimi Regis, cujus amore ipſe multa bona illi Eccleſiæ contulerat: ſubitò præcepiſſe auferri illinc, quia ſcortum fuerat, & ſepeliri extra Eccleſiam, ne Chriſtiana religio vileſceret, & ut exemplo illius ceteræ mulieres exterritæ caverent ſibi ab illicitis & adulterinis concubitibus. Obiit tandem Sanctus hic præſul decimo quarto Kalendas Decembris anni milleſimi ducenteſimi, cumque ejus corpus à civibus Londinenſibus deferretur Lincolniam ſepeliendum, mirandum illud accidit, ut cum cerei in exitu civitatis ante corpus fuiſſent accenſi, per quatuor dies jugiter arſerint, licet tempus ex aëris intemperie multoties eſſet vento & pluvia turbulentum. Cum autem eodem tempore ibidem conveniſſent Lincolniæ Joannes Rex Anglorum

rum & Willelmus Scotorum: iidem ſimul obviam procedentes ſanctiſſimo corpori Hugonis, illud unà cum principibus ſuis deportaverunt propriis humeris uſque ad atrium Eccleſiæ Cathedralis: ubi à tribus Archiepiſcopis & tredecim Epiſcopis ſuſceptum, delatum eſt uſque ad chorum. Qui plura de hoc ſancto cupit, præter vitam ejus & Hovedenum, legat etiam Matthæum Pariſium & Chronica Carthuſienſia. SEC. XIII. HONORIUS III.

Eodem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo Fridericus, quem in Innocentii III Vita, Imperatorem electum vidimus, è Germania Romam venturus ad coronam Imperii ab Honorio Papa recipiendam, quinto die Septembris, ut habet Donatus Boſſius in Chronico Mediolanenſi, Italiam intravit, petiitque priùs à Mediolanenſibus coronâ ferreâ, exemplo majorum, inſigniri, quod obtinere non potuit. Quare diſſimulatâ irâ Romam profectus eſt, præmiſſis tamen Legatis, qui Honorii Papæ conſenſum rogarent, quo accepto illuc magno apparatu proceſſit. Octavo Kalendas Octobris in caſtris apud S. Leonem coram Apoſtolicæ Sedis Legato juramentum de more præſtitit de Eccleſiæ Romanæ juribus illæſis conſervandis; ejuſque privilegia omnia, bonaque ac poſſeſſiones confirmavit, & Fundanum Comitatum iterùm attribuit. Tum unà cum uxore Conſtantia Urbem ingreſſus, in Baſilica Sancti Petri Dominica proxima ante Adventum Domini, ſeu die XXII Novembris, in feſto Sanctæ Cæciliæ, ab Honorio Papa coronam Imperii ſuſcepit; non verò ab Hugolino Cardinale Epiſcopo Oſtienſi, ut pleriſque ſcribunt; nam præterquamquod nullus huc uſque Imperator dictus eſt, antequam ab ipſo Romano Pontifice inunctionem & coronam Imperialem ſuſceperit, ipſemet Honorius Papa in Epiſtola, quam hac de re ſcripſit, quæ extat apud Raynaldum ad annum 1220. num. 53. & ſeq. ait: *Chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus Romanorum Imperator illuſtris & Rex Siciliæ nuper in dominica, quæ præcedit dominicam de Adventu, in omni pace ac tranquillitate ſuſcipiens de manibus noſtris Imperii diadema*, &c. Data eſt Epiſtola *Laterani V Kal. Decemb. Pontificatus anno V*, ideoque die ſexto poſt Friderici coronationem. Conſtantiam Reginam unà cum Friderico, eodem die, *in feſto* videlicet *B. Cæciliæ Imperii diademate* etiam inſignitam, aſſerit Richardus de Sancto Germano in Chronico. Tum Fridericus vota votis accumulans de manu Hugolini Cardinalis Oſtienſis Epiſcopi crucem accepit ad tranſfretandum illicò in Ægyptum adversùs Saracenos, ex pacto collati ſibi Imperialis diadematis, ſed poſtea cauſatus difficultatem navigationis hiberno tempore, inducias ad aliquod menſes obtinuit à Pontifice, quas & ſubinde variis prætextibus, prorogari petiit. Leges tamen ab eo latæ ipſo ſuæ coronationis die contra hæreticos, & pro immunitate & libertate Eccleſiaſtica, cum approbatione & confirmatione Honorii Papæ, quæ extant Bullarii Tomo 1. Honorii III Conſtit. 1. & poſt Cod. Juſtin. in fin. Feudor. & alibi. XXVI. *Honorius PP Fridericum II Imp. coronat.*

Digitized by Google

SEC. XIII. HONORIUS III. XXVII. *Occiſores Podienſis Epiſc. admittit ad pœnitentiam*

Prætereundum ſilentio non eſt ſeverioris Eccleſiaſticæ diſciplinæ documentum ab eodem Honorio Pontifice eodem anno 1220. editum in Bertrandum de Cares & ejus conſortes, qui Epiſcopo ſuo cruentas manus intulerant. Erat hic Robertus Anicienſis Vellaunorum, ſive Podienſis in Gallia Epiſcopus, qui à dicto Bertrando occiſus eſt, quod ab eo, ob injurias Eccleſiæ ſuæ irrogatas, vinculo anathematis conſtrictus eſſet. Quod graviſſime ferens populus, domos & caſtella homicidæ, ejuſque cognationis diruit: Regeque facinus perſequente, tota progenies regno pulſa eſt. Erat enim Robertus nobili proſapia, nobilioribuſque moribus: ac præſertim virginitatis cultor egregius, cùm eſſet vultu ſpecioſus, quem etiam ſignis claruiſſe ferunt. Hæc ex Altiſſiodorenſi in Chronico, & ex Belleforrio in Philippo Auguſto. Ex Epiſtola verò 810. lib. 4. Regiſtri Honorii apud Raynaldum anno 1220. num. 28. & ſeqq. ad Epiſcopos Vivarienſem & Tricaſtinenſem *data apud Urbem Veterem VI Id. Julii Pontificatus anno IV*, habemus Bertrandum Epiſcopi occiſorem & ejus conſortes ad Sedem Apoſtolicam confugiſſe, conſcientiæ ſtimulis cruciatos, ante fores palatii excubaſſe diſcalceatos & nudos longo tempore, tandemque Honorium Pontificem, eorumdem ſe ad ſatisfactionem omnimodam offerentium recipi feciſſe juramenta, & eiſdem beneficium abſolutionis impendiſſe, talem eis injungendo pœnitentiam.

XXVIII. *Eos abſolvit pœnis publicis indictis.*

Quod videlicet omnes qui convenerant ad inſidias contra Epiſcopum, nec tamen præſciverant eum debere interimi, nec ejus interitum procurarant, reſignarent ſine dilatione Anicienſi Eccleſiæ, ſi quis eorum in feudum teneret aliquid ab eadem, nec illud unquam de cetero repeterent. Ad hæc in civitate Podienſi, ſi ſecure poſſent, facerent quadrageſimam oſtiatim induti ſaccis, vel ciliciis ac detonſis capitibus mendicantes, in pane & aqua bis in hebdomada jejunantes. Quod ſi fortè ſecure non poſſent eſſe in civitate prædicta, eam quadrageſimam facerent in aliqua de civitatibus vicinis, qua peracta ultra mare tranſirent, in Terræ ſanctæ ſervitio per biennium moraturi, ac omnes ſextas ferias jejunatur in pane & aqua toto tempore vitæ ſuæ, niſi eos evidens infirmitas excuſaverit, vel ſolemnitas Nativitatis domini occurrerit eo die. Quod ſpectat ad Bertrandum, cujus deteſtabilis erat culpa, ſtatuit, ut reſignato, ſecundum quod ſuperius dictum eſt, feudo, ſi quod ab Eccleſia ipſa teneret, ac depoſito cingulo militiæ, contra Chriſtianum nunquam arma ferret. Tres quadrageſimas in civitate Podii, vel in aliqua ex vicinioribus faceret, indutus ſacco, reſperſus cinere, tonſo capite, diſcalceatus, & oſtiatim mendicans, ac pane ſolo & aqua contentus tribus diebus qualibet ſeptimana. Inſuper per tres quadrageſimas ſupradictas omni die Dominica toti Clero & populo civitatis in qua ipſas faceret, nudum ſe offerret cum virgis, quas in manu deferret ad verberandum: quibus peractis ultra mare tranſiret per ſeptennium moraturus ibidem in ſervitio

Terræ

Terræ ſanctæ, ac in ſuo reditu Apoſtolico conſpectui ſe præſentaret cum literis Patriarchæ, ac aliarum authenticarum perſonarum, continentibus qualiter ibi per illud ſeptennium fuiſſet converſatus. Toto inſuper vitæ ſuæ tempore duas in anno faceret quadrageſimas, & ſextas ferias ac ſolemnes vigilias in pane & aqua jejunaret, niſi certa corporis infirmitas præpediret, vel occurreret dominicæ nativitatis ſolemnitas. A communione quoque corporis & ſanguinis domini abſtineret ſeptennio, niſi eſſet in articulo mortis conſtitutus. Si denique poſt tres quadrageſimas peractas, ad Carthuſienſem, vel Ciſtercienſem ordinem tranſire legitime poſſet, & tranſiret, à ſupradicta pœnitentia eſſet excuſatus. Epiſtolam illam ſic claudit: *Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eos ad agendam pœnitentiam ſupra ſcriptam, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, ſi neceſſe fuerit, compellatis.* SEC. XIII. HONORIUS III.

XXIX. *Inſignem ad populos Septentrionis legationem mittit.*

Eodem tandem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo Honorius Pontifex rogatus, ut Legatum à latere mitteret ad Reges & populos ſeptentrionales Daniæ, Sueciæ, Boëmiæ & Poloniæ, qui res illarum Eccleſiarum ordinaret, elegit ad tantum opus Gregorium tit. S. Theodori Diaconum Cardinalem, patriâ Romanum, ex antiqua Creſcentiorum familia, aliis jam legationibus Apoſtolicæ Sedis egregiè functum, virum utique, ut loquitur ipſe Pontifex in literis ad eorum populorum Reges ſcriptis ſub finem anni 1220. capto jam quinto Pontificatûs anno, prudentia & honeſtate conſpicuum, & inter ceteros Cardinales, ſuis exigentibus meritis, ipſi Pontifici ſpecialiter charum, concedens ei plenæ legationis officium, ac plenariam poteſtatem, ut extirparet noxia & plantaret ſalubria, evelleret ac deſtrueret, prout quæque ſecundum datam ſibi à Deo prudentiam videret facienda. Ad eas itaque Eccleſias viſitandas, & res in iis componendas egregiam navavit operam Gregorius Cardinalis anno 1221. & ſequentibus; cum etiamſi res publicæ ſatis commode procedere viderentur, eſſent nihilominus quamplurimæ privatæ diſcordiæ, ſerpentia vitia, mores corrupti tam eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, rerum ſacrarum profanationes, dogmatum contentiones, barbari ritus, & alii nocui vepres, quibus ordinandis neceſſaria omninò videbatur manus Apoſtolica, ut referunt earum gentium ſcriptores, inter quos Pontanus lib. 6. Rerum Danicarum narrat, Gregorium anno 1221. Concilium Sleuvici in Dania celebraſſe, in quo inter alia ad reſtitutionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatuta, decrevit Sacerdotes, & quicumque eccleſiaſtici ordinis eſſent, cælibes vivere, ac ne liberi eorum hæreditatem adirent: cum plurimi ut rem Sacerdotibus etiam licitam exiſtimatam, matrimonia inirent, eaque de re à Pontifice, qui hunc abuſum per Epiſcopos auferri curaverat, ad Concilium jam ante provocaſſent. Hæc porrò corruptela non in iis ſolum regionibus, ſed & in Anglia inſoleſcebat, ut Clerici ducta uxore ſacerdotia retinere præſumerent, quos Honorius Papa data Cantuarienſi

Digitized by Google

SEC. XIII. HONORIUS III. & Eboracenſi Archiepiſcopis, atque etiam Epiſcopo Dunelmenſi Epiſtola 583. lib. 5. gradu ac ſacerdotiis deturbari præcepit, quod idem jubet Epiſtolâ 290. lib 6. Vigornienſi Epiſcopo data, quæ extat in jure Pontificio cap. *ex. parte ex de offic. vicar.* Ceterùm hujus Concilii apud Sleuvicum celebrari nulla in editione Conciliorum mentio reperitur.

XXX. *Fridericum Imp. urget ad transfretandum pro ſubſidio Terra ſancta.* Damiatâ, quæ olim Peluſium dicebatur, quæque nobiliſſimum totius Orientis in Ægypto emporium erat, mercibus extremo ab orbe importandis, ac totum in orbem terrarum dividendis, à Cruceſignatis anno milleſimo ducenteſimo decimo nono expugnatâ, ingenti lætitia perfuſus fuerat Honorius Papa; ſed cum anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo ea civitas tanto ſanguine, totque laboribus parta, Saladino Ægypti Sultano, menſe Septembri pactis conditionibus reſtituta fuiſſet, idem magno dolore percitus, confeſtim Fridericum Imperatorem acerbioribus literis, quæ extant in ejus Regiſtro, datis XIII Kalendas Decembris arguit, de ejus contra fidem ſæpius datam, & juramento firmatam, itineris orientalis comperendinatione, qua factum videbatur, ut amiſſæ res in Ægypto eſſent; impenſiùſque inſtitit, ut abjecta omni cunctatione illud ſuſciperet, minas etiam intentans ſi differret: ſignificavitque concredidiſſe ſe ad id operis legationem Apoſtolicam Hugolino Cardinali Epiſcopo Oſtienſi, ſummæ auctoritatis & prudentiæ viro, à quo, ut ſuperius diximus, Fridericus Crucem acceperat.

XXXI. *Reſtitutionem terra Comitiſſa Mathildis, & alia ab eo obtinet.* Sed Fridericus inſtantiſſimas neceſſitates cauſatus, reſpondit ſe nonnullos Imperii Principes cum valida militum manu præire juſſiſſe cum Hugolino, ſubſecuturumque ipſummet brevi cum potentiſſimo exercitu: interimque ut Honorium deliniret, qui etiam illum monuerat de reſtitutione terræ Comitiſſæ Mathildis, aliarumque Eccleſiæ Romanæ poſſeſſionum, id præſtitit, reſignans eas in manus Nuncii Apoſtolici, qua de re Raynaldus ad annum 1221. num. 29. ait, extare Imperiale diploma in Bibliothecæ Vaticanæ libro Cenſuum, tum in Bullario MS. apud ſe extante. Alia rurſum confirmavit Fridericus, quæ jam antea conceſſerat, promiſeratve: quæque contra hæreticos & pro immunitate perſonarum Eccleſiaſticarum ſanciverat. Denique ſpoliari regno Siciliæ præ ſe ferens, illud de conſenſu Pontificis, filio ſuo Henrico, duodecim ferme annorum puero, quem anno 1215. Regem coronari fecerat, contulit: quod tamen nunquam, ac nec etiam poſt necem filii adminiſtrare ceſſavit. Nam ne quis exiſtimaret regnum illud, non Eccleſiaſtici, ſed Imperii juris eſſe, Honorius Papa de electione ſua anno 1216. ad Fridericum Romanorum Regem ſcribens, monuerat, ut eo regno ſe exueret. Ad quæ reſpondens Fridericus, ſpoponderat ſimul atque Imperii diademate ornatus foret, emancipaturum ſe filium ſuum Henricum, & Regem Siciliæ declaraturum, ſi Sedes Apoſtolica conſentiret, ut de his conſtat ex literis tunc ea de re ſcriptis quæ habentur in Regiſtro Honorii lib. 1.

Poſtero

Poſtero anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo Honorius Papa, quem Fridericus Imperator alebat fallaci ſpe extruendæ novæ expeditionis in Terram Sanctam, Anagniam profectus Imperatorem excivit, cum quo diebus quindecim, ut ſcribit Richardus de Sancto Germano in Chronico ad eum Chriſti annum, Verulis colloquium celebravit, decretumque ab iis, ut Veronæ Chriſtianorum omnium Principum ampliſſima Comitia haberentur, quibus de Terra ſancta recuperanda, perdomandisque Saracenis ageretur; indeque Imperatorem, data Pontifici jurataque fide, quod certo tempore exercitum in Syriam duceret, in Siciliam advolaſſe, ut Mirabeti Saracenorum Ducis inſulam infeſtantis conatus coerceret. Richardo de Sancto Germano ſuffragantur Epiſtolæ tum Pontificis, tum Imperatoris, Verulis datæ eodem anno menſe Aprili; Raynaldus enim num. 4. refert, adſcriptam eſſe ex eo loco Pontificis literis ordine 347. lib. 6. quintam decimam diem Kalendarum Maii, in Imperatoriis verò ad Siculos datis, nonum Kalendarum ejusdem menſis, poſteroque die Honorium diploma ad Germaniæ Epiſcopos eo argumento dediſſe. Ex quibus conſtat, illud colloquium Verulis habitum anno 1222. poſt Paſcha, quod cum die tertia Aprilis concurrebat, & jam inchoatum die decima ſeptima Aprilis, nondum fuiſſe finitum die vigeſima quarta ejuſdem menſis. In eo colloquio Fridericum Pontifici juraſſe, ſe exercitum in Syriam ducturum, aſſerit ipſemet Pontifex in Epiſtola, quam Verulis ſcripſit die vigeſima quinta Aprilis ejuſdem anni Pelagio Albanenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato: *Id autem fraternitati tuæ*, inquit, *volumus eſſe notum, quod ipſe Imperator volens propoſitum & deſiderium ſuum ſuper dicta Terræ ſanctæ negotio facere manifeſtum, & ad ſublimitatis ſequelam alios animare, in jam celebrato colloquio publicè in conſpectu multitudinis Prælatorum, & Baronum ac aliorum, qui ad colloquium ipſum convenerant, manu propria, ſpontanea voluntate juravit, quod iter transfretandi arripiet termino, quem ſibi, ſeu in colloquio apud Veronam, ut duximus celebrando, ſeu circa tempus, quo colloquium ipſum indictum eſt, duxerimus præfigendum.*

SEC. XIII. HONORIUS III. XXXII.

Verulis cum Imp. colloquium habet pro Terra ſanctæ negotio.

In eo itaque colloquio Verulis habito, indictum eſt aliud colloquium Veronæ celebrandum circa feſtum Sancti Martini, ad quod Pontifex & Imperator perſonaliter eſſe decreverunt, & ad illud Chriſtianos Principes convocare. Quod conſtat ex dicta Honorii Epiſtola ad Pelagium Albanenſem: *Denique nos & ipſe* (nempe Imperator, inquit Pontifex) *ad celebrandum id unanimiter intendentes; celebre colloquium nuper habuimus ſpecialiter pro negotio memorato, & poſt multos tractatus ſuper hoc diligentiſſime habitos, demum concorditer diſpoſuimus aliud colloquium in Lombardia in civitate Veronenſi circa feſtum B. Martini proximum celebrare, in quo Nos & ipſe Imperator perſonaliter eſſe decrevimus, domino annuente, & ad illud Chriſtianos Principes tam eccleſiaſticos, quàm mundanos, & fideles alios, quos expedire*

XXXIII.

Aliud colloquium Veronæ pro eadem cauſa ad celebrandum indicit.

 videbimus

videbimus convocare, ut proſecutio dicti negotii, quod Chriſtianos tangit communiter univerſos, cum deliberatione in tanto negotio neceſſaria ordinetur. Poſtea Pontifex ad illud Colloquium invitat Joannem Jeroſolymorum Regem, ipſumque Pelagium Legatum. Data eſt Epiſtola *Verulis VII Kal. Maii Pontificatûs* ejus *anno VI.* Illud Veronenſe Colloquium celebratum fuiſſe nullus Antiquorum prodit; ſed ſi revera habitum fuerit, Pelagius Legatus ei non interfuiſſe videtur; occupatus enim reperitur eo ipſo anno 1222. componendis in Cypro controverſiis de decimis ac bonorum immobilium poſſeſſione, quibus Rex & nobiles Eccleſiam & Sacerdotes privare conabantur. Quæ ita Legatus die XVIII Septembris ſententia ſua terminavit, ut causâ Clero adjudicatâ, ceteris excommunicationem intentatit, ſi res vel perſonas eccleſiaſticas violare præſumerent, ut habent Boſius in Hiſt. Hoſpital. lib. 16. & Sanutus lib. 1. part. 11. cap. 10.

XXXIV. *Moliſmenſibus permittit celebrandi officium de B. Roberto.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo Honorius Pontifex Epiſtola 132. libri ſexti, Abbati & Conventui Moliſmenſibus permiſit, ut beatum Robertum primò Moliſmenſem Abbatem, ac poſtea Ciſtercienſis Ordinis fundatorem, cujus reliquiarum operâ, quæ in Eccleſia Moliſmenſi quieſcebant, res miræ patrabantur, in eadem Eccleſia ſolemni ritu, ceremoniiſque colerent. Moliſmus ſylva erat in Epiſcopatu Lingonenſi ſita, ubi Robertus cœnobium condidit, & *diſcipulos magnæ religionis aggregavit*, inquit Ordericus lib. 8. Beati Roberti nomen adſcriptum eſt Martyrologio Romano ad diem XXIX Aprilis, ejuſque vita extat in Actis Sanctorum Bollandianis ad eumdem diem, ut diximus in Urbano II, ubi & plura de eodem beato, ordiniſque Ciſtercienſis fundatione.

XXXV. *Colloquium habet in Campania cum Imp. & aliis pro negotio Terræ ſanctæ.*

Honorius Papa, qui in Colloquio Verulis habito, celeberrimum Principum colloquium circa feſtum B. Martini anni 1222. Veronæ celebrandum indixerat, ut mox oſtenſum eſt, ad quod Joannem Jeroſolymorum Regem & Pelagium Albanenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis in Syria Legatum invitaverat, ut de bello ſacro redintegrando cum Friderico Imperatore communibus conſiliis ageretur, anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio ineunte, eumdem Joannem Regem, Patriarcham Jeroſolymorum, & magiſtros ſacrorum Ordinum militarium Templariorum & Hoſpitalariorum benigniſſime & honorificè ſuſcepit, cum quibus ac cum Friderico Imperatore aliiſque viris Principibus apud Ferentinum in Campania Conventum fecit, in quo Imperator promiſit, ſe intra biennium expeditionem ſuſcepturum ad recuperationem Terræ ſanctæ, jam etiam ſibi debitæ dote Jolentæ Joannis Jeroſolymorum Regis filiæ, quam, Conſtantia priori conjuge defuncta, in uxorem ducere jurejurando promiſit. Id conſtat ex Honorii Papæ Epiſtolâ 176. lib. 7. ad Philippum Francorum Regem data, in qua ait: Fridericus Imp. *venit ad nos in Campaniam nobiſcum de prædicta Terra ſubſidio tractaturus, ibique præſen-*

præſentibus venerati fratre noſtro Patriarcha, & chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne illuſtri Rege Jeroſolymitano, Bethlehemitano Epiſcopo, magiſtro Hoſpitalis, præceptore Templi, & magiſtro domus Theutonicorum & aliis, quos ad tractatus hujuſmodi è diverſis mundi partibus credidimus adhibendos, ſingulis quæ natura negotii requirebat, diligenti meditatione penſatis, idem Imperator ad noſtrum beneplacitum & conſilium prædictorum transfretandi terminum in feſto B. Joannis Baptiſtæ poſt biennium proximè ſecuturo prompta voluntate ſuſcepit, corporale ſuper hoc exhibens ſpontaneus juramentum. Denique ut ad id plenius ſuum manifeſtaret affectum, & plus fidei daretur negotio, ac omninò ſuſpicionis contrariæ ſcrupulus tolleretur, ad inſtantiam Patriarchæ prædicti & aliorum Orientalium in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia, & multitudinis hominum, qui ad colloquium venerant, ſe ducturum in uxorem legitimam filiam Regis ejuſdem jusjurandi religione firmavit. Hanc Epiſtolam refert Raynaldus ad annum 1223. num. 1. & ſeqq. ex libro 7. dicitque datam Laterani. Sed Spondanus ad eumdem annum num. 1. ſcribit, extare Honorii Papæ Literas ad Philippum Francorum, alioſque Chriſtianos Reges ſcriptas 3. *Id. April. anni Pontificatus ſeptimi*, ex quo temporis charactere evincitur, Conventum illum ipſo anni 1223. initio celebratum eſſe, certe ante tertium Idus Aprilis. Colloquium quod Honorius dicit habitum in Campania, Ferentini celebratum diſerte aſſerit Gregorius IX, Honorii III ſucceſſor, in literis quas ad Epiſcopos & Principes dedit, poſtquam Fridericum excommunicavit, quas referunt Matthæus Pariſius ad annum 1228. & Raynaldus anno 1227. num. 31. & ſeqq poſtquam enim in iis locutus eſt de colloquio Verulis habito, ſubdit: *Exinde apud Ferentinum in colloquio ſimili duorum annorum transfretandi elegit ſibi terminum.* Ex quibus etiam conſtet, ut id obiter notem, Ferentinum tunc non fuiſſe in Latio, ut ſcribit Ferrarius in Lexico Geographico, ſed in Campania.

SEC. XIII. HONORIUS III.

XXXVI. *Principes Chriſtianos & Epiſcopos ad idem negotium excitat.*

Porrò Honorius Pontifex, qui miro ardebat deſiderio, ut Pontificatu ſuo, quod ſemper ſperaverat, Terra ſancta à Chriſtianis recuperaretur, Philippum Regem Francorum, alioſque Chriſtianos Principes, de iis quæ deliberata fuerant, iis literis certiores reddens, quanto potuit effectu hortatus eſt ad eamdem cum Imperatore expeditionem. Quapropter & Nuncios per diverſas provincias miſit, qui crucem prædicarent, diſcordias Principum ac populorum componerent, & abitum indicerent in feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ anni 1225. Laudat itidem Raynaldus loco citato num. 8. literas ejuſdem Pontificis ad Landgravium Thuringiæ, ad Ducem & populum Venetum, ad Auſtriæ Ducem, ad Archiepiſcopum Piſanum, & ad alios Chriſtiani orbis Epiſcopos, quibus etiam præcipit, ut expeditionem ſacram indicerent, & pro concionibus promulgarent; & quemadmodum laici pecuniam ad ſubſidium Terræ ſanctæ conferre tenebantur, qua de re ad Galliæ, ceteroſque Re-

ges.

Digitized by Google

SEC. XIII. ges ſcripſit; ita Clericos quoque ad idem præſtandum impellerent. Quoad impedimentum conſanguinitatis in quarto gradu, quod intercedebat inter Fridericum Imperatorem & Jolantem filiam Joannis Briennii Jeroſolymorum Regis, de eo diſpenſavit Pontifex diplomate, quod extat lib. 8. Epiſt. 7. & apud Raynaldum num. 7. dato *Signiæ Nonis Auguſti Pontificatus* ejus *anno VIII*, ideoque anno 1223. Ex quibus tandem omnibus deſtruitur id quod Joannes Villanius Hiſt. lib. 6. cap. 1. & 15. Sanctus Antoninus tit. 19. cap. 6. Nauclerus generat. 41. ſcribunt, Fridericum ſcilicet anno 1221. vel 1222. primò excommunicationis, deinde depoſitionis ſententia fuiſſe perculſum.

HONORIUS III.

XXXVII. *S. Franciſci Regulam confirmat.* Eodem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio Honorius Papa Regulam Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci, jam ante ab Innocentio III deceſſore ſuo approbatam, rurſumque eidem Sancto Patriarchæ divinitus traditam, ad literam & ſine gloſa obſervandam confirmavit diplomate dato tertio Kalendas Decembris Pontificatûs ſui anno octavo, quod extat in Regiſtro Pontificio, de quo, ſicuti & de tribus Ordinibus ejus inſtituti, nempe horum *Fratrum Minorum*, ac *ſuorum Monialium*, quæ *Sanctæ Claræ* dictæ ſunt à Sancta Virgine Clara, quæ prima omnium fœminarum inſtitutum illud, à Sancto Franciſco contemptum mundi edocta, ſuſcepit; ac tandem *Tertiariorium* tam regularium, quàm ſecularium (quos *fratres pœnitentiæ* vocant) eorum Regulis, eorumque diviſionibus, ac mitigationibus legendi Annales Minorum à Luca Wadingo conſcripti.

XXXVIII. *VVillelmo Abbati Roſchildenſi SS. honorem cultumque decernit.* Abſolon Roſchildenſis in Dania Epiſcopus Paganorum maximus perſecutor, & Ordinis Clericalis ornamentum, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo primo Willelmum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Victoris, Pariſiis in Daniam evocavit, eumque Abbatem Roſchildenſis monaſterii Sancti Thomæ de Paraclito creavit, ut collapſam Canonicorum in Dania diſciplinam reſtitueret, quod & præclare ab eo præſtitum eſt, ingentibus ſuperatis ingenti conſtantia, atque patientia difficultatibus, ut legitur in ejus Vita à quodam ejus diſcipulo ſcripta, & in Actis ſanctorum Bollandianis ad diem VI Aprilis recita, ex qua habemus, hunc Sanctum Abbatem, poſt oſtenſum ſibi divinitus obitûs diem, ad cœleſtem patriam migraſſe *octavo Idus Aprilis, anno Chriſti MCCII; ætatis verò ſuæ XCVIII, à ſuſcepto verò Abbatis officio XL.* Cum autem Honorius Papa de vita, fama & miraculis prædicti Willelmi, per Gregorium Sancti Theodori Diaconum Cardinalem è legatione ſua reducem certior factus fuiſſet, ipſum literis datis *Laterani duodecimo Kalendas Februarii, Pontificatûs* ſui *anno VIII*, ideoque anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto, ſanctorum catalogo adſcripſit, ut conſtat ex iiſdem literis, quæ ſunt 208. lib. 8. & quarum pars extat apud

SEC. XIII. HONORIUS III.

apud Raynaldum anno 1224. num. 30. Nomen Sancti Willelmi inſcriptum eſt Martyrologio Romano ad diem VI menſis Aprilis.

XXXIX. *Item Laurentio Dublinenſi Archiep.*

Idem Honorius Pontifex anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, tertio Idus Decembris in Sanctorum numerum itidem retulit Laurentium Archiepiſcopum Dublinenſem in Hibernia, filium Regis olim Hiberniæ, virtutibus & miraculis, ac ſeptem mortuorum, quorum unus triduanus erat, ſuſcitationibus inſignem, ut conſtat ex diplomate canonizationis dato *Reate III Idus Decembris*, Pontificatûs Honorii anno decimo. Sanctus hic præſul ſub Henrico ſecundo Angliæ Rege, in Normanniam Galliæ ad eum, concordiæ inter ipſum & Regem Hiberniæ conciliandæ causâ transfretans, mortuus eſt in vico Augenſi diœceſis Rotomagenſis circa annum milleſimum centeſimum octogeſimum primum, ejuſque corpus ibidem in Eccleſia Sanctæ Mariæ requieſcit. Ejus res præclare geſtæ & ſincerè ſcriptæ extant apud Surium ad diem XIV Novembris: nomen autem ejus relatum eſt in Tabulas Eccleſiæ Romanæ ad eumdem diem.

XL. *Indulgentias in canonizatione SS. primus dare incipit.*

Et tunc primùm Honorius III indulgentiam dierum aliquot in canonizationibus ſanctorum dare cœpit, hactenus enim nullus inventus eſt à D. Phæbæo, qui tali occaſione indulgentias largitus ſit, hic autem in literis canonizationis, *omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Augo, ubi corpus ejus feliciter requieſcit, in die ſolemnitatis ejuſdem glorioſiſſimi Confeſſoris, vel infra octavas, cum devotione acceſſerint, ejus orationum ſuffragia petituri, viginti dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer* relaxat, quod poſtea imitatos eſſe Romanos Pontifices ſuis locis oſtendemus. Anno quidem 1218. Sanctum Guillelmum Archiepiſcopum Bituricenſem canonizaverat Honorius, verum nullam in ea canonizatione indulgentiam conceſſerat, ſed tantum poſt canonizationem Epiſtolâ 1098. libri 2. poteſtatem fecit oſſa ejus in honorificentiori loco collocandi, ac fidelibus pompam translationis cohoneſtaturis præſentiâ ſuâ, vel ſingulis annis eo recurrente die ad ejus ſepulchrum acceſſuris, quadraginta dierum indulgentiam propoſuit Epiſtolâ 1099 ſed hæc indulgentia conceſſa fuit propter translationem, non propter canonizationem, quam tamen, propter majorem ſolemnitatem, indulſit in canonizatione Sancti Laurentii Dublinenſis.

XLI. *Conſtitutionem edit in eos qui Cardinales gravioribus injuriis afficiunt.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto conſtitutionem edidit Honorius Papa contra eos qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales injuriis violare non verebantur, in quos graviſſimas pœnas ſtatuit: *Si quis*, inquit, *in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quod S. R. E. Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit vel favorem, aut poſtea receptaverit, vel defenſaverit ſcienter eumdem, ſicut reus læſæ majeſtatis perpetuò ſit infamis, diffidatus nihilominus & ban-*

SEC. XIII. HONORIUS III. *ditus, ſit inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alienjus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocetur, quatenus ab omni ſucceſſione repulſus, publicaque repulſa conſuſus minus inveniat ſua malitia ſucceſſorem.* Statuit prætcrea ut nullus ei debita reddere, nullus reſpondere in judicio tentatur: ut quidquid in bonis invenietur ipſius, fiſci vel reipublicæ dominio applicetur: ſi qua verò feuda, locationes, officium vel beneficium ſpirituale, vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo jure privatus. Eaſdem ferè pœnas in poſteros derivavit. Poſtea decernit pœnitentiam ipſis injungendam qui reſipuerint, ut ſcilicet per omnes illius loci Eccleſias principales, vicinorumque locorum diebus dominicis & ſolemnibus incedant nudi coram populo, fœmoralia tantum habentes, & virgas ferentes in manibus, cum quibus per eaſdem Eccleſias publicè fuſtigentur, ituri poſtmodùm ultra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus; nec exinde poſtmodùm reverſuri abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Si quis verò vel per ſe, vel per alium occiderit Cardinalem, vel evidentem dederit cauſam mortis, ultra quam præmiſſa contineant, *ſic in eum poteſtas juriſdictionis exurgat, ſic rigor ultionis inſiliat, quod contra vita ſubſidium mortis ſolatium invocet, vivens pena non culpa, vindicta ſpeculum non offenſa.* Integram Conſtitutionem refert Raynaldus ad annum 1225. num. 50. & ſeqq. dicitur autem data *Reate duodecimo Kal. Decemb. Pontificatûs anno X.*

XLII. *Friderico Imp. tempus expeditionis Ieroſolymitana prorogat.* Jolanta Joannis Briennii Jeroſolymorum Regis filia, ejuſdemque regni hæres eodem anno 1225. ſi Sigonio lib. 17. de Regno Italiæ fides, ex Syria advecta, ab Honorio Papa Auguſta coronata eſt, & Friderico Imperatori præſenti conjugio copulata. Cum autem interim Fridericus biennium ad Orientalem expeditionem ſuſcipiendam ſum ptum jam advenire videret, Joannem Jeroſolymorum Regem ſocerum ad Honorium Papam miſit, ut ab eo profectionis tempus prorogandum poſtularet, cauſis cur proficiſci non poſſet explicitis, & inter cetera præ ſe tulit vereri, ne ſe abſente Lombardia Mediolanenſium & Bononienſium inſtigatione deficeret. Cum verò & his operâ Honorii Pontificis ei reconciliatis, rurſum alia prætexeret; demum miſſis ad eum à Pontifice in Apuliam Pelagio Epiſcopo Albanenſi, & Guallone Presbytero tit. Sancti Martini, S. R. E. Cardinalibus, nonnullæ leges ipſi propoſitæ, quas ſi violari contingeret, anathemate devinctus eſſet. Quare Fridericus apud Sanctum Germanum menſe Julii, præſentibus omnibus ſuis ex Germania Principibus, Sacris Evangeliis manu tactis, juravit ſe intra biennium *ab inſtanti Auguſto præſentis tertia decima indictionis ad duos annos*, in Orientem ſine ulla excuſatione properaturum, multaque circa id bellum præſtaturum, quæ referuntur in publico ea de re confecto inſtrumento, quod extat apud Raynaldum ad annum 1225. num. 4. & ſeqq.

ſeqq. diciturque datum à Friderico *apud S. Germanum anno dominica In-* SEC. XIII.
carnationis milleſimo ducenteſimo viceſimo quinto, menſe Julii tertia decima HONORIUS
indictionis. Ex eo etiam conſtat, eum in animam ſuam jurare alios juſ- III.
ſiſſe, ſe ſingula completurum, & ſponte conſenſiſſe in ſe & regnum ſuum ſententiam ferri, ſi qua eorum conditione receſſiſſet. Quo facto Cardinales in conſpectu Procerum ac populi circumſtantis anathema in eum auctoritate Apoſtolica protuliſſe, ſi officio deeſſet, eruitur ex Richaido de Sancto Germano in Chronico.

Willelmus Eboracenſis Archiepiſcopus, anno milleſimo centeſimo XLIII.
quinquageſimo quarto, ut dictum eſt in Pontificatu Anaſtaſii IV, de- *VVillelmum*
mortuus, miraculis ſtatim clarere cœpit; quibus crebreſcentibus Ho- *Archiep. Eborac.*
norius Pontifex anno 1223. committit Epiſcopum Elienſem, duoſque *Sanctorum*
Ciſtercienſis familiæ Abbates, qui de eis inquirerent, ut ſanctis annu- *catalogo adſcribit.*
merari poſſet. Cum verò nonnulla in informatione deſiderarentur, anno inſequenti 1224. literis III Idus Aprilis datis, rurſus ad eoſdem ſcripſit Honorius, juſſitque ut inquiſitionem ſolemnem facientes, iterum quæ ſinguli teſtium depoſuiſſent, reſcriberent, eademque ſententia ad Archiepiſcopum Eboracenſem & Capitulum Apoſtolicas literas miſit, quarum priores recitat Raynaldus ad eum annum num. 47. & ſeqq. Tandemque anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto literis *Laterani XV Kal. April.* datis, ab eodem Raynaldo num. 49. relatis, Willelmum Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit, ſtatuens, *ut in anniverſario ejus annuatim feſtum ſolemniter celebretur*. Eum Eboracenſis Eccleſia, die octava Junii, qua obiit, venerata eſt, & hodie Anglicano Martyrologio inſcribitur. De hoc Sancto Præſule vide dicta in Cœleſtino II, Eugenio III & Anaſtaſio IV.

Dum Honorius Pontifex gloriæ Chriſti, Eccleſiæque amplificandæ XLIV.
incumberet, decimo quinto Kalendas Aprilis anni milleſimi ducenteſi- *Diem ſuum*
mi vigeſimi ſeptimi diem ſuum obiit. Annum mortis notarunt Conra- *obit.*
dus Abbas Urſpergenſis, Albertus Stadenſis & Matthæus Pariſius in Chronicis, quibus alii plures Auctores ſuffragantur; diem verò mortis ejus certò nos docet Epiſtola Gregorii IX ejus ſucceſſoris, quæ extat apud Raynaldum ad annum 1227. num. 17. *Bonæ memoriæ Honorius Papa*, inquit, *prædeceſſore noſtro XV Kal. Aprilis ſoluto debito carnis, de præſenti ſeculo nequam erepto*, &c. Cum itaque, ex dictis, Honorius electus fuerit die decima octava menſis Julii anni 1216. & mortuus ſit die decima octava menſis Martii, ſedit annos decem & menſes octo, ſi numeremus à die ejus electionis; ſi verò numeremus à die conſecrationis, quæ peracta eſt die 24. Julii, ſedit annos decem, menſes ſeptem, dies viginti quatuor. Sepultus autem eſt in Eccleſia Sanctæ Mariæ majoris prope altare præſepis, ut diſerte ſcribit Martinus Polonus in Chronico.

SEC. XIII. HONORIUS III. XLV. *Non iſtituit ſolemnitatem in qua defertur Veronica.*

Inſtitutam ab Honorio III ſacram in Xenodochio Romano, cui Sancti Spiritûs in Saxia nomen eſt, celebritatem, in qua maximas eleemoſynas fundere ſtatuit: & juſſiſſe, ut inſtructo religioſo agmine Canonici Sancti Petri Veronicam, dominica quæ prima poſt evolutum Epiphaniæ octavum diem occurrit, deportarent, ſcribit Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, ſine teſte. Sed id invictè refellitur ab Auctore Actorum Innocentii III, qui num. ultimo ex editione Baluzii de eo ſcribit: *Inſtituit autem apud hoſpitale prædictum* (ſcilicet Sancti Spiritûs in Saxia, cujus fundationem jam retulerat) *ſtationem ſolemnem dominica poſt octavas Epiphaniæ, in qua populus illic confluit Chriſtianus ad videndum & venerandum ſudarium Salvatoris, quod cum hymnis & canticis pſalmis & faculis à Baſilica S. Petri ad locum illum proceſſionaliter deportant,* deinde ſubdit, Innocentium, egenis omnibus ad illas ſpirituales nuptias concurrentibus panes, carnes & denarios conſtituiſſe elargiri, & eorum omnium rationem expoſuiſſe in homilia quam ſuper illius diei evangelium idem Innocentius exaravit, ut diximus in ejus Vita num. CII. Sudarium itaque Salvatoris, ſeu Veronica, jam dominica poſt octavam Epiphaniæ, qua cantatur Evangelium, *nuptiæ factæ ſunt in cana Galilææ,* proceſſionaliter deportabatur à Baſilica Sancti Petri ad hoſpitale Sancti Spiritus, & eleemoſynæ elargiebantur tempore Innocentii III, & conſequenter Honorius III non poteſt dici inſtitutor hujus ſolemnitatis.

XLVI. *Ejus ſcripta.*

Honorium III non ſolum integritate morum, ſed & doctrin aclaruiſſe oſtendimus ejus Pontificatûs initio ex Annaliſta Mailroſenſi & ex Nauclero. Unde Ludovicus Iacob in Bibliotheca Pontificia obſervat, eum ſermones aliquot ſcripſiſſe Sancto Dominico Ordinis prædicatorum fundatori dicatos, & alios ad Clerum & populum Romanorum, Abbati Ciſtercii dicatos: item Vitam Cœleſtini III: cenſuum Romanæ Eccleſiæ prægrande volumen: pro defenſione libri Abbatis Joachim adverſus Petrum Lombardum Epiſtolam ad Epiſcopum Lucaniæ: Epiſtolas decretales in Juris Canonici libros: ac tandem ceremoniale Eccleſiæ Romanæ, quod nuper à Mabillonio Tomo 2. Muſei Italici publici juris factum eſt.

GREGORIUS IX *Pontif. CLXXVIII.*

Anno Domini MCCXXVII.

CUm Pontifex Honorius III *XV Kalend. Aprilis, hoc eſt quinta feria ante Lætare Jeruſalem* deceſſiſſet, ut ſcribit Albericus in Chronico; *in craſtino juxta morem celebratis exequiis, & ipſius corpore ad tumulum deportato, unà cum fratribus noſtris ad eligendum convenimus ſucceſſorem; & miſsâ, ut moris eſt in honorem Sancti Spiritus devote ac ſolemniter celebratâ, poſt aliquantulum tractatum de ſubſtitutione Pontificis omnes pariter ad imbecillitatem noſtram quaſi divinitus inſpirati oculos direxerunt*, inquit Gregorius IX Honorii ſucceſſor in literis, quas de ſua electione ſcripſit apud Raynaldum anno 1227. num. 17. in quibus jam dixerat, Honorium mortuum die XVIII Aprilis. Ugolinus itaque Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, natione Campanus, de civitate Anagnia, patre de Comitibus Signiæ, dominum Innocentium Papam III conſanguinitatis tertio gradu attingens, ut ait ejus Vitæ Auctor mox laudandus, electus eſt in Romanum Pontificem die decima nona menſis Martii ejuſdem anni milleſimi ducenteſimi vigeſimi ſeptimi, quæ cum feria ſexta concurrebat, ut notavit idem Vitæ ejus Auctor: *Defuncto*, inquit, *pia memoria Honorio III, feria ſexta, hebdomade verò majoris Quadrageſimæ quinta* (legendum tertia) *de communi & inpræmeditata fratrum concordia non minus electione canonica, quàm divina inſpiratione, lacrymabili & clamoſa contradictione recuſans, inter votivas eligentium manus, pia veſtium laceratione graſſatus, in domo B. Gregorii, Gregorius ejus imitator aſſumitur apud Septem ſolia*, ſumſit enim nomen Gregorii IX. Locum illum Septem ſolia explicat Baronius anno 1084. num 5. Porrò dixi, legendum eſſe in præfato Auctore, *hebdomade tertia*, quia anno 1227. dominica hebdomadæ tertiæ Quadrageſimæ concurrebat cum die decima quarta Martii, & littera dominicali exiſtente C, feria ſexta, quæ eſt dies electionis Gregorii IX, concurrebat cum die decima nona Martii, qua ejus electionem contigiſſe, ex dictis manifeſtum eſt. I. *Gregorius IX eligitur Pontifex.*

Gregorium eadem die decima nona Martii inthronizatum fuiſſe habet idem Auctor Vitæ ejus, qui, teſtante Odorico Raynaldo, extat ad calcem *perantiqui codicis Vaticani, qui liber cenſuum inſcribitur*; poſt laudata enim verba ſubdit: *Summi Pontificii ſolium fratrum inſtantia devictus aſcendens, demum verò cum Romanis exultantibus populis & Clero jubilante præ gaudio, irruentibus etiam catervatim utriuſque ſexûs hominibus, Pontificali decoratus infula in Lateranenſi palatio magnifice cathedratur. Tum lugubres veſtes mutavit Eccleſia, & Urbis ſemidiruta mœnia priſtinum receperunt fulgorem.* Juxta morem itaque antiquum, eadem die ſuæ II. *Inthronizatur & benedicitur.*

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

electionis Gregorius inthronizatus eſt in Eccleſia Lateranenſi. Sed quia conſecratio, ſeu benedictio Pontificis fiebat etiam de more in Eccleſia Vaticana die dominica poſt electionem, Gregorius diſtulit ſuam benedictionem uſque ad diem vigeſimum primum Martii, qui concurrebat cum dominica quarta Quadrageſimæ, quæ cantatur, *Lætare Jeruſalem*, Paſcha enim incidebat in diem XI Aprilis. *Sequenti autem dominica die*, ſubdit idem Auctor, *Sanctiſſimi Benedicti* (ſeu in qua celebrabatur feſtum Sancti Benedicti Abbatis) *pater benedictus Prælatorum comitatus obſequiis, aſſiſtente innumerabili multitudine Romanorum in Principis Apoſtolorum Baſilica venerandus Princeps magnifico ſuſceptus tripudio, ex Apoſtolicæ Sedis more, ſuſcepit pallium plenæ poteſtatis inſigne* (dum enim Epiſcopus in Papam eligebatur, non conſecrabatur denuò, ſed benedicebatur, ut conſtat ex Ordine Romano XIV apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici, & ex ordine XIII ibidem relato, in quo pag. 226. prima & præcipua benedictionis pro Epiſcopo in Papam electo, ceremonia, eſt impoſitio pallii per priorem Diaconorum Cardinalium) *Itaque miſſarum peractis ſolemnibus ſummus Pontifex gemmis circumtectus & auro, ad palatium Lateranenſe proceſſit.*

III. *Solemniter coronatur.*

Sed cum non dicat Auctor Gregorium à Sancto Petro ad Lateranum proceſſiſſe coronatum, ut moris erat, & die Reſurrectionis dominicæ Miſſarum ſolemnia celebrarit non in Eccleſia Sancti Petri, in qua fiebat coronatio ſolemnis Pontificis recèns electi & ordinati, ſed in Baſilica Sanctæ Mariæ, licet ex ea proceſſerit eo die coronatus, exiſtimo tamen ſolemnem ejus coronationem dilatam eſſe uſque ad diem ſecundum feſti Paſchatis. Hæc conſtant ex verbis ejuſdem Auctoris immediatè ſubſequentibus, ſubdit enim: *Die verò Reſurrectionis dominicæ ſubſequentis Miſſarum myſteriis in Virginis glorioſæ Baſilica ſolemniter celebratis revertitur cum tripudio coronatus* (quolibet enim anno eo die coronari Romanum Pontificem diximus in Alexandri III Vita). *Feria quidem ſecunda in Albis* (ſeu feria ſecunda feſti Paſchalis) *in prædicta Petri Baſilica divinis Miſſarum officiis reverenter expletis duplici diademate coronatus, ſub fulgoris ſpecie in Cherubini transfiguratus aſpectum, inter purpuratam venerabilium Cardinalium, Clericorum & Prælatorum comitivam innumeram, inſignibus papalibus præcedentibus, equo in phaleris pretioſis evectus, per alma urbis miranda mœnia pater Urbis & Orbis deducitur admirandus. Hinc cantica concrepant, inde præconia populi jubilantis exurgunt, & per vicos ſingulos Clamorum reſonat, Kyria eleiſon. Aureis argenteiſque plateæ diſtinguitur tapetis, pictis in Ægypto conſtrata, & tinctis Indiæ coloribus ordinate compoſita, diverſorum aromatum ſuavitate fragrabat. Tubarum clangore turba concutitur, ſe certatim mutuis clamoribus exhortando judices & tabelliones cappis fulgebant ſericis, aureis veſtibus legione procerum decorata. Græcorum atque Hebræorum caterva non modica, Chriſti*

Vicario

Vicario ſuis linguis & ritibus laudis munia perſolvebant, & puerilis lingua garrulitas procaci feſtivitate cantabat; ſicque incredibili multitudine populi cum palmis & floribus præcedente, Senatore ac Præfecto Urbis almiſica, non equis evectis, ſed pedibus Pontificalis equi lora trahentibus, ſub arcuatis platearum ordinibus micantium ſyderum imitantibus ſpeciem, ſanctiſſimus Pontifex perducitur ad Patriarchium Lateranenſe. Quæ ceremoniæ eodem fere modo referuntur faciendæ in coronatione ſolemni Romani Pontificis electi & conſecrati, in Ordinibus Romanis XII, XIII & XIV apud Mabillonium laudatum, ad quorum ſupplementum eas hîc referre viſum eſt. Ex quibus corruit quod ait Papebrocius, Gregorium ſcilicet IX coronatum eſſe die XXI Martii, ita explicans Martinum Polonum, qui ait, eum electum *menſe Martio die IX poſt feſtum S. Gregorii*, quod ipſe explicat de coronatione, cum potius explicandum ſit de conſecratione, ſeu benedictione ejus, ut ex dictis liquet. SEC. XIII. GREGORIUS IX.

IV. *Comitantibus Cardinalibus purpurâ indutis.*

Ceterùm ſi Auctor ille anonymus Vitæ Gregorii IX, quem, ut jam diximus, *ad calcem perantiqui codicis Vaticani*, extare ait Raynaldus, hoc ſeculo decimo tertio vixerit, ex eo certum eruitur argumentum, jam tunc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales purpureis veſtimentis fuiſſe indutos, quod jam ſuſpicatus fueram, cum Innocentii III vitam ſcriberem; hic enim Auctor diſertè aſſerit, Gregorium IX in ſua coronatione *inter purpuratam venerabilium Cardinalium comitivam, duplici diademate* coronatum perductum eſſe ad Lateranum. Certè id non videtur improbabile, cum ipſe Urbis Præfectus tempore Centii Camerarii, ſeu Honorii III, quando Papa dabat Preſbyterium, indueretur manto pretioſo & duobus calceis, quorum unus erat rubri coloris, quod conſtat ex ejuſdem Centii Ordine Romano XII apud Mabillonium, in quo num. 3. pag. 170. ait, loquens de præfecto Urbis: *Qui videlicet Præfectus ab Eccleſia ſancta virginis Mariæ uſque ad palatium indutus manto pretioſo & calceatus zanca una aurea, ideſt una caliga, altera rubea, eodem die & ſecunda die, & etiam in duabus diebus Paſchæ, & quando Papa eligitur, juxta dominum Papam collateraliter nullo medio equitando incedit.* Forma hujuſmodi zancæ ſeu calcei, aliorumque Præfecti Urbani ornamentorum habetur in libro Felicis Contelorii de Præfecto Urbi, inquit Mabillonius ibidem. Quid igitur mirum ſi Cardinales tunc, ſaltem in coronatione Romani Pontificis purpureis veſtimentis uterentur. Quoad duplex illud diadema, quo coronatum fuiſſe Gregorium IX, aſſerit idem Auctor anonymus, fateor mihi aquam hærere, niſi quis velit, jam tunc tiaram Pontificalem fuiſſe cum duplici coronamento, quem nodum aliis ſolvendum relinquo. Fatendum tamen eſt ex his meritò inferri poſſe, hunc Auctorem poſt ſeculum decimum tertium vixiſſe, ſi verum ſit, quod ſine teſte ſcribit Ciaconius, nempe Bonifacium VIII ſtatuiſſe ut Cardinales purpureis veſtimentis uterentur, eumdemque Pontificem primum

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

mum fuiſſe, qui duplicis coronamenti tiara uſus eſt, quod ex Sugerio Abbate ſe alias notaſſe ait Victorellus in Notis ad Bonifacii VIII Vitam. Sed longe ante Bonifacium VIII Cardinales purpureis veſtimentis uſos eſſe innuere videtur Urbanus IV, qui cum ſiniſtra quædam audiſſet de Simone Paduano, quem ad Cardinalatum evexerat, ſanxit ut antequam in presbyterum promotus eſſet, nec *capellum rubeum*, nec *alia Cardinalatus inſignia* geſtaret, ut videbimus in ejus Vita num. VII. Ex quo deducitur tempore Urbani IV ſeu anno 1261. Cardinales præter capellum rubeum habuiſſe alia Cardinalatûs inſignia, quæ par eſt credere fuiſſe veſtimenta purpurea, liretum enim rubeum acceperunt tantum ſub Paulo II, qui anno 1464. dictus eſt Pontifex. De purpureis Cardinalium veſtimentis vide dicta in Innocentio III num. LXXXII.

V. *Gregorii virtutes & munera.*

Gregorii IX virtutes & munera ante Pontificatum his verbis refert idem Auctor anonymus: Erat *forma decorus & pervenuſtus affectu, perſpicacis ingenii, & fidelis memoriæ prærogativa donatus, liberalium artium atque utriuſque juris peritia eminenter inſtructus, fluvius eloquentiæ Tullianæ, ſacræ paginæ diligens obſervator & doctor, zelator fidei, diſciplina veritatis, rectitudo juſtitiæ, ſolatium miſerorum, religionis plantator & cultor, caſtitatis amator, & totius ſanctitatis exemplar; de capellania Domini Innocentii Papæ III in honorando collegio, in Cardinalem S. Euſtachii modica interjectione promotus, non multo poſt in Oſtienſem Epiſcopum ordinatus.* Eum ante Pontificatum Ugonem fuiſſe nuncupatum, Albertus Stadenſis in Chronico, & Godefridus Monachus in Annalibus affirmant; Conradus verò Urſpergenſis, Richardus de Sancto Germano & alii eum Ugolinum, ſeu Hugolinum appellant Dum adhuc Sanctus Franciſcus viveret, eum in ſui Ordinis protectorem adſciverat, ut oſtendit Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1217. num. 6. qui & num. 10. oſtendit, eumdem ſanctum ei Pontificatum auguratum eſſe, eaque de cauſa ita ſubſcripſiſſe literas, quas ad eum dirigebat: *Reverendo patri ac Domino Hugoni totius mundi Epiſcopo, & patri gentium futuro, &c.* Sanctus etiam Antoninus part. 3. Chron. tit 19. cap. 3. aliique idem tradunt, ſanctum ſcilicet Franciſcum, ipſi ſacræ Minorum familiæ dilatandæ ſtudioſiſſimo prædixiſſe ad ſummi Pontificatûs apicem evocatum iri. Gregorium denique *venerabilis vita & multa prudentia* virum vocat Paulus Langius in Chronico Citizenſi.

VI. *Gregorius Fridericum Imp. monet ut in Terram ſanctam proficiſcatur.*

Gregorius Pontifex ſtatim poſt ſuam conſecrationem, Chriſtiani orbis Præſules, uti mos erat, de ſua electione certiores fecit literis encyclicis datis die XXII menſis Martii, quæ extant apud Raynaldum num. 17. quibus, poſtquam ſe eorum precibus commendavit, cunctoſque hortatus eſt, ut munus paſtorale ſumma vigilantia obirent, præcipit, ut intentata cenſurarum religione omnes Cruceſignatos ad capaſſendum iter Jeroſolymitanum impellant; nihil enim altius menti ejus impreſſum erat,

erat, quàm bellica undique contracta auxilia ad loca ſancta ſubmittere, *SEC. XIII.*
quod oſtendit eius Epiſtola 2. libri 1. eodem die ad Fridericum data, qua GREGO-
eum hortatur ad transfretandum: *Alioquin*, inquit, *quantumcumque te* RIUS IX.
ſincera diligamus in Domino charitate, & tibi quantum cum Deo poſſumus deferre velimus, id diſſimulare nulla poterimus ratione. Et infra: *Sic precibus & monitis noſtris obtempera, quod nequaquam nos & te ipſum in illam neceſſitatem inducas, de qua forsàn te de facili non poterimus, etiamſi voluerimus, expedire.* Poſt hæc Gualonem religioſum Ordinis Prædicatorum, Legatum ad eum miſit, literiſque aliis ſub anathematis pœna ei præcepit, primo quoque tempore ad recuperandam à Saracenis Jeroſolymam cum exercitu proficiſci; utrarumque literarum meminit Raynaldus ad eumdem annum 1227.

VII. *Eum, votum exequi recuſantem excommunicatum declarat.*

Sed cum Fridericus ægritudinem ſimularet, imò fama ferret, eum immani flagitio Ludovicum Landgravium Thuringiæ, qui cum parte Cruceſignatorum jam Hydruntum pervenerat, veneno interemiſſe, Gregorius Pontifex, de Friderici ludificatione, doloris acerbitate tactus, apud Anagniam exiſtens, *penultimo menſis Septembris die, in feſto dedicationis Archangeli* Michaëlis, *pronunciavit Imperatorem in latam dudum apud S. Germanum excommunicationis ſententiam incidiſſe*, ut ſcribit Richardus de Sancto Germano in Chronico. Huic quoad diem ſuffragatur Auctor Vitæ Gregorii: *Feſto S. Michaelis Archangeli*, inquit, *in majori Eccleſia, Pontificalibus de more indutus, aſſiſtentibus venerabilibus fratribus Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliarum Eccleſiarum prælatis*, &c. *Fridericum Imperatorem frequenti monitione præmiſſa votum exequi recuſantem excommunicatum publicè nunciavit. Qui ſententiam excommunicationis, à Felicis memoria Honorio Papa III latam, cui publicè* (legendum forte, ſponte) *ſe ſubjecit, incurrerat pro eo quod voluntariè ſigno Crucis aſſumpto*, &c. Gregorius itaque Fridericum in execrationes illas, quas ipſi, niſi paruiſſet, Honorius intentarat, & ipſe in ſe receperat, incidiſſe pronunciavit, & excommunicatum publicè denunciavit, mandans ab omnibus arctius evitari; contra ipſum, ſi contumacia ejus exigeret, gravius proceſſurus: eamque ſententiam, miſſis ad omnes Principes, & Antiſtites de his, quæ hactenus cum illo circa expeditionem Syriacam tractata fuerant, literis promulgavit: quarum exemplar ad Archiepiſcopum Cantuarienſem miſſum recitat Matthæus Pariſius ad annum 1228. & maximam earum partem Raynaldus ad annum 1227. num. 30. & ſeqq. apud quem dicuntur datæ *Anagniæ ſexto Idus Octobris Pontificatûs* ejus *anno primo*, & apud Pariſium, *Laterani Pontificatus* ejus *anno ſecundo*, ſed mendosè, ut videtur, nam cum ſententia lata ſit Anagniæ die 29. Septembris anni 1227. & annus ſecundus Pontificatûs Gregorii inchoetur die tantum 19. Martii ſequentis anni 1228. probabile non videtur, Gregorium tandiu diſtuliſſe eam ſententiam in Angliam mittere.

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

VIII *Romam redit.*

His ita geſtis Summus Pontifex Anagniâ movens, Romam ſtatim reverſus eſt, & quidem per Velletrum, ut tradit Richardus de ſancto Germano in Chronico MS. & confirmat ejus Vitæ auctor his verbis: *Sub mitiori cœlo grata redeunte temperie Urbem regreditur venerandus Antiſtes à Clero & populo magnifica veneratione ſuſceptus, religioſis, viduis atque egenis ſubventionis largam manum extendens, nec devotione nobilium dimiſſa irremunerata.* Eum Romam adventaſſe ipſo menſis Novembris initio eruitur ex Epiſtola ejus 154. lib. 1. apud Raynaldum num. 61. Ludovico Francorum Regi data *Laterani Idibus Novembris anno* I, ſcilicet Pontificatûs, ideoque ante diem decimum tertium Novembris Romam jam pervenerat.

IX. *Fridericum ad pœnitentiam ſollicitat.*

Gregorio Romam reverſo, Fridericus ad ſolitas artes confugit, miſitque Oratores ad eum, qui factum excuſarent: ſed illorum fucos deſpexit Pontifex, nulloque Imperialis indignationis & potentiæ terrore frangi ſe paſſus, paternis monitis ad officium revocare conatus eſt, ipſum Apoſtolicis literis ordine 165. lib. 1. adhortans, ut citiſſime ad Eccleſiæ ſinum provolaret, tandemque funeſta illa vincula abrumperet, quibus non ſine incredibili ſuo dolore teneretur. Has literas refert Raynaldus ad annum 1227. num. 41. Sed Fridericus ad omnes Principes & Prælatos ſcribens, cauſam omiſſi officii in adverſam valetudinem retulit; Gregorium verò acriter increpavit; & in omnes Pontifices Romanos graviſſimè atque atrociſſimè intonuit; ardenteſque & aculeatas literas, calumniis contumeliiſque refertas ſpargere ac diſſeminare cœpit, quarum plures extant apud Petrum de Vineis, qui Friderico à ſecretis fuit, ac nonnullæ à Pariſio afferuntur, qui licet Romanis Pontificibus ceteroquin iniquiſſimus, hæc tamen de expeditione ſacra à Friderico turpiter deſerta, ſcribit: *Quod factum Imperatoris damnosè nimis redundavit in dedecus & in præjudicium totius negotii Crucifixi. Ob hanc ergo cauſam juxta multorum opinionem oſtendit ſe, ut prædictum eſt, mundi Salvator in cruce clavis confixum, & cruore conſperſum populo Chriſtiano; quaſi ſingulis ac univerſis ſuper injuria ſibi ab Imperatore illata quereretur.*

X. *Eum in Synodo Rom. anathemate percellit.*

Summus itaque Pontifex Gregorius, animadverſa Friderici pertinacia, Epiſcoporum Concilio anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo Romæ coacto adverſus ipſum, in die Cœnæ Domini, quæ cum die vigeſima tertia Martii concurrebat, anathema fulminavit. Hujus Concilii meminit Auctor Vitæ Gregorii: *Tum*, inquit, *prælatorum Lombardiæ, Tuſciæ, totius patrimonii, ac Apuliæ, & aliorum, qui pro ſuarum proſecutione cauſarum ad curiam venerant, convocata ad Concilium multitudine, poſt hujus profundi ſermonis decurſum:* Quis mihi tribuet adjutorem, &c. *reſpondentibus ſingulis vota ſua, qualiter contra dictum Imperatorem procederet, ordinavit.* Fridericum de hujus Concilii ſententia in die Cœnæ Domini anathemate fuiſſe perculſum, docent Gregorii literæ ad Apulos Præſules miſſæ, quæ extant apud eumdem Raynaldum ad annum 1228.

num. 2. quibus poſtquam Gregorius inſeruit quantam operam, diligentiamque Sedes Apoſtolica adhibuiſſet, ut eum ad officium adduceret, addit: *Ne videremur deferre homini contra Deum, ecce juſtitiam in judicium convertentes, in proximo præterito feſto Cœnæ Dominicæ, in prædictum Imperatorem excommunicationis ſententiam ſolemniter duximus promulgandam, tum pro eo quod, ut præmiſſum eſt, non transfretavit in ſubſidium Terræ ſanctæ*, &c. *tum quia venerabilem fratrem noſtrum Tarentinum Archiepiſcopum ad ſedem propriam accedere non permittens, eum populum ſuum non patitur viſitare*, &c. *Adjecimus quoque ut loca qualibet ad quæ ipſe pervenerit, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ut quandiu præſens fuerit, ibidem nulla officia celebrentur*, &c. Ipſum denique minatur regno Siciliæ jure exutum iri: *Si non ceſſaverit*, inquit, *ab oppreſſione populorum, orphanorum & viduarum, ſeu nobilium & aliorum hominum regni, vel ejus deſtructione, quod ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter noſcitur pertinere, pro quo etiam prædeceſſoribus noſtris & Eccleſiæ Rom. juramentum fidelitatis exhibuit, & homagium præſtitit, meritò poterit formidare, ſe jure feudi privandum.* SEC. XIII. GREGORIUS IX.

At Fridericus in priſtino ſcelere obfirmatus, in communionem ſuam adſcivit quoſdam nobiles Romanos, & inter eos Frangipanes, ut habet Urſpergenſis in Chronico, qui Gregorium, dum in ſolemnitate Paſchali ſacrum faceret, ſibilis appetiêre, eumque Urbe expulêre: *Populus Romanus*, inquit Pariſius, *in Papam Gregorium ſeditionem excitavit, & in ſolemnitate Paſchali illum ejecerunt ab Urbe, inſequentes eum uſque Viterbium caſtellum ſuum. Ubi fortiter invaleſcentes, fugaverunt uſque Peruſium.* Diem notat Auctor Vitæ Gregorii, nempe ſecundam Paſchalis ſolemnitatis: *Inter ejusdem Pontificis*, inquit, *jam anni ſecundi primordia, feria ſecunda Reſurrectionis Dominicæ ad B. Petri Baſilicam effrænata rabie properantes, dictum patrem & præſulem ſuper corpus Apoſtoli devotione ſolita miſſarum ſolemnia celebrantem clamore, vel latratu potius, adjectis comminationibus impetebant.* Urſpergenſis Pariſio adſtipulatur: *Cum Papa*, ait, *rurſus excommunicaret Imperatorem, fecerunt, ut à populo pelleretur turpiter extra civitatem; unde apud Peruſium eo anno & ſequenti permanſit.* Idem denique ſcribunt Albertus Stadenſis in Chronico, & Richardus de Sancto Germano, qui aſſerit, Gregorium poſt tertium Paſchatis diem Urbe exiiſſe. XI. *Friderici operâ Urbe pellitur.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo Gregorius Pontifex Peruſio Aſſiſium perrexit, ubi exeunte Junio, vel ineunte Julio, ſanctum Franciſcum Ordinis Minorum inſtitutorem, qui anno 1225. die quarta Octobris ſanctè obierat, Cœlitûm faſtis adſcripſit. *Gregorius Papa*, inquit Richardus de S. Germano, *de Peruſio vadit Aſſiſium, ubi fratrem Franciſcum Minorum fratrum Ordinis inventorem, propter duo quæ fecerat miracula, in aperto, in cæco videlicet uno & claudo, quibus viſum* XII. *S. Franciſcum Cœlitum faſtis adſcribit.*

 & greſ-

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

& greſſum reddiderat, canonizavit, & Peruſium rediens ibi anniverſarium magnificè celebrat Innocentii Papæ prædeceſſoris ſui, qui dies anniverſarius in diem decimum ſextum, vel decimum ſeptimum Julii incidit, ideoque & ante eum diem canonizatus eſt S. Franciſcus, imò & ante diem nonum ejusdem menſis, quo Pontifex ad Gallicanos Præſules literas dedit *Peruſii VII Idus Julii Pontificatus anno 2.* ut eum cœlitum honoribus proſequerentur. Eas literas refert Raynaldus eo anno num. 36. qui & num. 29. alias ejusdem Pontificis literas recitat ad profeſſores Theologiæ Pariſienſes datas *Peruſii Nonis Julii Pontificatus anno ſecundo*, ideoque die ſeptima Julii Peruſii erat, cum tamen Peruſio Aſſiſium reverſus ſit *poſt triduum* canonizationis, ut ſcribit Auctor Vitæ Gregorii apud eumdem Raynaldum num. 33. ex quibus evincitur S. Franciſci canonizationem à Gregorio Papa, vel Junio exeunte, vel Julio ineunte peractam eſſe, non verò die decima ſexta Julii ut habet Wadingus in Annalibus Minorum anno 1228. num. 4. neque die quarta Octobris, ut ſuſpicatus eſt Ciaconius. Ideo autem dixi S. Franciſcum mortuum eſſe anno 1225. non verò anno 1226. quia, ut ait S. Bonaventura in ejus legenda, tranſiit ex hac vita *quarto Nonas Octobris, die ſabbati in ſero; ſepultus in die dominica*, quod idem ſcribit Matthæus Pariſius in Hiſt. Angl. Eumdem diem, ſcilicet quartum Octobris, ejus morti aſſignat Gregorius Papa in literis quas ad univerſos fideles ſcripſit apud Raynaldum num. 35. datis *Peruſii XIV Kal. Auguſti Pontificatus anno ſecundo*, in quibus ait: *Ipſum adſcribi decrevimus Sanctorum catalogo venerandum, ſtatuentes, ut IV Nonas Octobris, die videlicet, quo à carnis ergaſtulo abſolutus, ad ætherea regna pervenit, ab univerſali Eccleſia natalitia ejus devotè ac ſolemniter celebrentur.* Cum itaque conſtet ejus obitum contigiſſe die quarto Octobris in ſabbato, neceſſariò conjungendus eſt cum anno 1225. quo dies quartus Octobris concurrebat cum ſabbato, anno autem ſequenti 1226. concurrebat cum die dominica: ex quibus ſequitur errorem irrepſiſſe in textum S. Bonaventuræ, in quo annus 1226. legitur; character enim ſabbati, & in eo & in Matthæo Pariſio expreſſus rem extra omne dubium ponit. Ad quem errorem, mirum eſt Wadingum Auctorem diligentem, animum non advertiſſe.

XIII. *Novum ritum in ea canonizatione adhibet.*

Formam & Pompam canonizationis Sancti Franciſci plures Auctores adnotarunt, præſertim ex inſolitis ceremoniis; nam eò uſque, recitatis, approbatiſque, vel in Conciliis, vel in ſecreto Cardinalium conſiſtorio, miraculis, beatus aliquis ſanctorum numero adſcribebatur, abſque tanto apparatu. Sed in Canonizatione Sancti Franciſci Gregorius novum ritum adhibuit, quem deſcribunt Albertus Stadenſis in Chronico, & Krantzius lib 7 Metropol. cap. 45. ac lib. 8 Saxoniæ cap. 4. *Papa Gregorius veniens Aſſiſium, canonizavit ibi in conſpectu maximæ multitudinis, quæ de diverſis regionibus confluxerat, B. Franciſcum, ſic dicens alta*

voce;

Digitized by Google

voce: „ Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris & filii, & Spi- SEC. XIII.
„ritus Sancti, & glorioſæ Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum GREGO-
„ Petri & Pauli & ad honorem Eccleſiæ Romanæ beatiſſimum patrem RIUS IX.
„ Franciſcum, quem Dominus glorificavit in cœlis, venerantes in ter-
„ ris, de conſilio fratrum noſtrorum & aliorum Prælatorum in catalo-
„ go decrevimus Sanctorum adnotandum, & feſtum in die obitûs ſui celebrari. *Statim Cardinales* Te Deum laudamus *incipiunt*, *& populi in laudes voces depromunt. Papa de ſolio deſcendit, & cum Cardinalibus ſanctum corpus levavit de tumba.* Alias circunſtantias hactenus non viſas refert Auctor Vitæ Gregorii: *Anno ſui Pontificatûs ſecundo*, inquit apud Raynaldum num. 33. *cum venerabilium Cardinalium & Prælatorum diverſo collegio, pretioſis ornatus veſtibus* (ſcilicet Gregorius Papa) *cum palmis & cereis de mundi partibus multitudine populi congregata, poſt ſermonis profundi decurſum, cujus tale ſumſit exordium:* Quaſi ſtella in medio nebulæ, & quaſi ſol lucens in diebus ſuis, ſic iſte fulſit in Domo Domini; *poſt miracula recitata & diligenter expoſita, beatiſſimus Præſul profuſis lachrymis B. Franciſcum Crucifixi miniſtrum, cujus corde & corpore ſtigmata portabat, decrevit in Catalogo Sanctorum annumerandum, & poſt triduum Peruſium eſt reverſus.* Aderat huic canonizationi Raynaldus ex Comitibus, Pontificis nepos, qui ante Cardinalatum Franciſco familiaris fuit, & in viventis corpore ſtigmata perſpexit, velut ipſe jam Pontifex ſub Alexandri IV nomine publica concione dixit ad populum, ut refert Wadingus laudatus, qui & poſtea miracula in eo conſeſſu perlecta ad compendium redacta recitat. Verùm non ſolum ex hac parte eſt ſingularis hæc canonizatio, quod tum primùm facta eſt coram magna multitudine, Pontifice pretioſis ornato veſtibus, cum palma & cereis, quod nuſquam antea factum legimus, ſed etiam, inquit Wadingus laudatus, ex tanta Pontificis dignatione, ut perſonaliter cum tota curia venerit ad hoc munus Aſſiſium, atque ipſe ſancti viri vitam & laudes ad populum dixerit, plurima recenſens magna animi teneritudine, quæ viventem adhuc feciſſe vidit, aut cognovit ex arcta cum eo neceſſitudine. Tertiò ex præſentia corporis ipſius ſancti, quod nulli canonizatorum eveniſſe exiſtimo à ſeculo decimo deſinente, quo canonizationes ſolemnes ſanctorum ab Apoſtolica Sede factæ ſunt. Quartò denique ex plurima atteſtatione & conclamatione hominum, ipſorumque Cardinalium, qui ante triennium ſanctum virum viderant, cognoverant, & ſtigmatizatum probarant.

Interea Fridericus Imperator menſe Auguſto ejuſdem anni milleſimi XIV.
ducenteſimi vigeſimi octavi, tam ſibi timens à Joanne Brennenſi ſocero, *Ioannis Ieroſolymorum*
quem Jeroſolymorum regno ſpoliarat, & quem Gregorius Papa Ro- *Regis opera*
mandiolæ & Marchiæ tuendæ præfecerat; quàm ſe futilem haberi, & *utitur contra Fride-*
multis odioſum eſſe conſpiciens; amicorum denique precibus & diris *ricum Imp.*
Gregorii Pontificis preſſus, Syriam verſus contendit, maxima copiarum

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

parte in regno Siciliæ ad Eccleſias convellendas Rainaldo Spoletani Ducis filio relicta. Quod ut Gregorius audivit, multò vehementius in eum inflammatus, quod neglectâ abſolutionis gratiâ, & ſatisfactionis remedio, ad ſacrum bellum veluti per ludibrium & contemptum proceſſiſſet, prædictum Joannem Brennenſem adverſus Rainaldum immiſit, ceteras verò Eccleſiaſtici Dominii provincias per alios Duces defendere inſtitit, Lombardis non ſolum auxiliantibus, verùm etiam amicas Friderici civitates bello adorientibus, ut Godefridus in Annalibus, Sanutus lib. 3. part. 11. cap. 11. Nauclerus generat. 41. & Sigonius ſcribunt. A quo tempore, præter alios Æmilius & Sigonius obſervant, Italiam apertè in duas partes diſtractam; aliis Imperii, ſub nuncupatione *Gibellinorum*; aliis Eccleſiæ auctoritatem *Guelſorum* nomine ſequentibus. Quæ duæ factiones deſumtæ ex vetere Germaniæ diſſenſione familiarum Bavaricæ & Suevicæ, quarum illa *Welfa*, ſeu *Guelfa* dicta à Welſone Duce, quem Rogerius Rex Siciliæ Innocentii II beneficiarius ejuſdem Pontificis nomine miſit adverſus Conradum Imperatorem: iſta *Gibellina* nuncupata à loco nativitatis, ſive educationis ejuſdem Conradi Imperatoris. Cum ſub Friderico Ænobarbo, hujus Friderici avo Italiam primò occupaſſent; iſtæ duæ factiones, non omnino ſub Henrico ejus filio obliteratæ, demum ſub iſto Friderico effuſius erumpentes, ingentes in multa poſt tempora ſtrages in Italia edidêre, ſumpto, ut plerique volunt, apud Piſtorienſes initio. Ita Spondanus, qui tamen fatetur plures harum duarum factionum initium poſt decennium memorare.

XV.

Scribit ad Epiſcopos & Principes de probroſa pace Friderici cum Sultano Babylonia.

Fridericus in Cyprum appulſus præmiſit in Syriam Magiſtrum militiæ, qui ſecretò de pace cum Sultano Babyloniæ ageret, deinde Ptolemaidem navigavit, Japhamque ſeu Joppen munire velle præ ſe ferens, cum ſane tempus opportunum urgeretur, non ſolùm regnum Jeroſolymitanum recuperandi, ſed etiam Saracenos tota Syria pellendi; quod ipſimet barbari perſpiciebant & timebant; nihilominus Balianum Dominum Tyri & Thomam Comitem ad Sultanum cum amplis muneribus miſit, qui ſignificarent, non ſe bellandi animo, aut Dominium dilatandi adveniſſe, ſed ſanctorum locorum gratia & regni Jeroſolymæ, quod filio ſuo, hæreditario jure debebatur; & cum eodem Sultano, nec quicquam Magiſtris Hoſpitalariorum & Templariorum reclamantibus, turpe & exitioſum Chriſtianæ rei fœdus iniit, cujus capita in Epiſtola Geroldi Patriarchæ Jeroſolymitani ad Gregorium Papam, & in Epiſtola ipſius Gregorii ad Auſtriæ Ducem, quæ utraque extat apud Raynaldum ad annum 1229. legere eſt, quibus conſtat, Fridericum gladium ex altari B. Petri ſumptum Sultano tradidiſſe; Templum Domini Saracenica ſuperſtitione inquinari permiſiſſe; Orientalium Chriſtianorum terras Paganorum furori ac tyrannidi expoſuiſſe; Jeroſolyma nullis propugnaculis muniviſſe, Sanctamque civitatem Sultani Damaſceni, cum quo

quo nullas pepigerat inducias, expoſitam incurſionibus & vaſtitati reliquiſſe. Clàm autem ex Urbe Jeroſolyma aufugit Fridericus die prima Maii, anni milleſimi ducenteſimi vigeſimi noni, ut conſtat ex laudata Gregorii Papæ ad Auſtriæ Ducem Epiſtola, quæ 38. libri tertii, dataque eſt XV Kal. Auguſti anno tertio Pontificatûs. Quare Gregorius Pontifex de his edoctus etiam ante receptas literas Patriarchæ VII Kal. Martii datas, ſuas promulgavit ad Archiepiſcopum Mediolanenſem & ſuffraganeos ejus datas *Peruſii Idibus Junii*, & poſtea alias circulares ad Principes, quibus opprobrium rei Chriſtianæ aperuit, eique eluendo novam ſuſcipere in Syriam expeditionem hortatus eſt.

XVI. *Antea ejus ſubditos à præſtito Friderico fidelitatis ſacramento abſolverat.*

Sed quod ſcribit Odoricus Raynaldus & poſt eum Natalis Alexander, Gregorium nempe Papam omnes Friderici ſubditos, ſacramenti religione quo erant obſtricti, tunc abſolviſſe, mihi videtur à veritate alienum; id enim revera Gregorius præſtitit antequam fœdus Friderici cum Sultano accepiſſet, ut conſtat ex anathematiſmis Gregorii tum contra hæreticos, tum contra Fridericum, tum contra ipſi adhærentes, in quibus de eo probroſo fœdere non loquitur, ſed tantum de aliis ab eo antea perpetratis; illud fœdus non omiſſurus, ſi revera jam ictum ad ejus notitiam perveniſſet. Cum ergo in præfatis ad Archiepiſcopum Mediolanenſem & ad Ducem Auſtriæ literis de illa indigna pace, & de ejus conditionibus diſertè loquatur, in prædictis verò anathematiſmis, quibus inter alia ſubditos ipſius præſtiti illi ſacramenti religione abſolvit, de ea nulla ſit mentio, perſpicuum eſt illos à Gregorio vibratos anno 1228. ſtatim ac reſcivit, Fridericum ad ſacrum bellum, neglecta abſolutionis gratia, veluti per ludibrium & contemptum proceſſiſſe; licet enim hæc anathematiſmi forma, quæ extat apud Raynaldum anno 1229. num 37. & ſeqq. præmiſſa ſit Epiſtolæ 47. ad Lucanum Epiſcopum datæ XIII Kalend. Septembris, nulla tamen temporis nota conſignatur. Præter autem illas literas, Gregorius in varias provincias nuncios miſit, qui impia Friderici facinora, ac turpem cum Sultano initam ſocietatem renunciarent, urgentes Eccleſiæ neceſſitates exponerent, & auxilia poſtularent.

XVII. *Ejus pro pace oratores ſuſcipit.*

Sed Fridericus, qui die prima Maii Sanctis Apoſtolis Philippo & Jacobo ſacra, nemine ſalutato, à nemine ſalutatus, mare clanculum ingreſſus, cum duabus ſolis triremibus, Accone navigaverat Cyprum, & inde in Italiam, extremo menſe Maio, evocatis è Germania novis copiis, hoſtes paulatim ex Apulia ejecit, & qui ultrò ad eos tranſierant ſuppliciis affecit. Interim tamen ejus inceſſit animum metus, & tot malis jam fractus, pejora timens, cœpit agere de pace cum Pontifice; ac primò quidem per Archiepiſcopum Meſſanenſem, & Magiſtrum Teutonicorum, ut Gregorii Vitæ Auctor ſcribit, vel per Archiepiſcopos Reginum & Barenſem, ut Richardus de Sancto Germano in Chronico

SEC. XIII. GREGORIUS IX. nico ait; tum per Patriarcham Aquileienſem, Archiepiſcopum Saltzburgenſem, Epiſcopum Ratiſponenſem, & Lupoldum Auſtriæ Ducem, ut tradit Urſpergenſis, qui Chronicon ſuum abſolvit, antequam pax confecta eſſet, quæ inita eſt tantum menſe Auguſto anni milleſimi ducenteſimi trigeſimi, ut mox dicetur, prius enim agendum eſt de quibuſdam aliis, quæ illius pacis tractationem præceſſerunt.

XVIII. *Raymundum Comitem Toloſanum Legati ſui operâ Eccleſiæ reconciliat.* In Concilio Oecumenico Lateranenſi IV ſub Innocentio III diximus, ſtatutum eſſe, ut Toloſa civitas & aliæ terræ à Cruceſignatis obtentæ concederentur Comiti Montisfortis; terra verò quam Raymundus Comes Toloſanus habuerat in Provincia cuſtodiretur, ut de illa fieret proviſio filio dicti Comitis Toloſani, ſi ſe miſericordia dignum oſtenderet. Raymundo Comiti anno 1122. demortuo ſucceſſit filius Raymundus Junior dictus, qui cum jam ſucceſſione paterna à Legato Pontificio exutus fuiſſet, quòd hæreticorum fautor exiſteret, tandem, non anno ſecundo Pontificatûs Gregorii IX, ut plerique omnes ſcribunt, Chriſti 1228. ſed anno 1129. Gregorii Papæ tertio, in eas pacis conditiones deſcendit, quas Sanctus Ludovicus Franciæ Rex, & Romanus ejuſdem Pontificis in Francia Legatus præſcribere voluerunt, facta earum tractatione & tranſactione Meldis primò, deinde Pariſiis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, menſe Aprili, quarum ſumma hæc fuit: Ut Comes foret deinceps Eccleſiæ Romanæ, Regique ac ſucceſſoribus ejus devotus & fidelis: crucem in Saracenos indueret, tranſiturus proxima expeditione, ac per quinquennium militaturus: Joannam filiam unicam nuptum daret uni ex Regis fratribus, & ſi nulli ex eo matrimonio liberi naſcerentur, omninò tamen comitatus Toloſæ, poſt mortem eorum, ac Raymundi ad Regem ejuſque ſucceſſores tranſiret. *De omnibus ſupradictis*, inquit Ludovicus Rex in Tractatu ea de re habito, qui ex libro 2. Hiſt. Comitum Toloſæ translatus eſt in Tomum XI Conciliorum, *dictus Raymundus faciet nobis homagium, ligium & fidelitatem ſecundum conſuetudinem Baronum regni Franciæ. Totam aliam terram, quæ eſt citra Rhodanum in regno Francorum .... abſolute quitavit nobis & hæredibus noſtris in perpetuum.* Terram autem quam poſſederat Raymundus pater in Provincia, quæ nunc dicitur comitatus Venaiſcinus Romanæ Eccleſiæ dimiſit Raymundus Junior, ſubdit enim Rex poſt laudata verba: *Terram autem quæ eſt in Imperio ultra Rhodanum, & omne jus, ſi quod ipſi Raymundo competit, vel competere poſſet in ea, præciſe & abſolute quitavit dicto Legato nomine Eccleſiæ in perpetuum.* His Raymundus Comes juratis, *in die Paraſceves*, ut ait Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico ad annum 1228. introductus fuit in Eccleſiam, & à Legato excommunicationis ſententia abſolutus: *Eratque pietas*, inquit, *virum tantum videre, qui tanto tempore, tot & tantis nationibus poterat reſtitiſſe, duci nudum in camiſia; & braccis & nudis pedibus ad altare.*

Omnes

Omnes Scriptores huc uſque, non animadvertentes annum à Guillelmo de Podio Laurentii, & à Sancto Ludovico Rege, à Paſchate inchoari, in errorem inducti ſunt, prædictumque tractatum conjunxerunt cum menſe Aprili anni 1228. licet revera factus fuerit anno 1229. ante Paſcha, quod eo anno celebratum eſt die XV menſis Aprilis, his enim verbis clauditur: *Actum Pariſius anno domini MCCXXVIII, menſe Aprili, regni verò noſtri tertio*, ſcilicet Sancti Ludovici, qui cùm Ludovico VIII patri ſucceſſerit menſe Novembri anni 1226. tertium regni ſui numerare non poterat anno 1228. menſe Aprili, bene verò anno 1229. menſe Aprili, quo menſe tractatum eſſe actum conſtat, & poſtea Raymundum *in die paraſceves* Eccleſiæ reconciliatum, ideoque aliquo anno, quo dies paraſceves incidebat in menſem Aprilem, anno autem 1228. paſcha celebratum eſt die 26. Martii, & conſequenter dies paraſceves concurrebat cum die 24. ejuſdem menſis: anno verò 1229. paſcha celebratum eſt die XV menſis Aprilis, quo menſe tractatus ſubſcriptus eſt, & Raymundus Eccleſiæ reconciliatus, currente anno tertio Ludovici Regis, qui anno 1228. erat tantum ſecundus menſe Aprili. Cum itaque Guillelmus de Podio Laurentii cap. 39. & Chronicon incerti Auctoris, quod Catellus edidit ſub hoc titulo *praclara Francorum facinora*, & quod anno 1311. deſinit, aſſerunt, Raymundum Comitem ſubſcripto & jurato illo tractatu reconciliatum eſſe Eccleſiæ in die paraſceves anni 1228. omninò intelligendi ſunt de anno illo finiente, quod uterque iiſdem fere verbis docet: *Poſt pacem autem Pariſius celebratam in fine anni, ſub anno domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, menſe Julii per magiſtrum Petrum de Colle-medio gerentem vices Legati, fuit reconciliata civitas Toloſa*, &c. Pax ergo illa menſe Aprili, deſinente anno 1228. ſancita eſt anno 1229. ante Paſcha, quo anno Raymundus tempore Paſchali erat Pariſiis, tempore autem Paſchali anni 1228. in Occitania erat, idem quippe Chronographus & Bernardus Guidonis aſſerunt illum *circa tempus Paſchale* caſtrum Sarracenum recuperaſſe anno 1228. Quo recepto, inquit Chronographus, *diſpoſuerunt talare & deſtruere vineas Toloſæ civitatis: convocatiſque viribus ..... circa feſtum nativitatis S. Joannis Baptiſtæ verſus Toloſam dirigunt iter ſuum*, &c. Scribit poſtea veniſſe de Francia Abbatem Grandis-ſilvæ offerentem pacem, quæ primùm Meldis, dein Pariſiis tractata & concluſa eſt, ideoque menſe Aprili anni 1229 ante Paſcha, quo menſe dicti Auctores numerabant adhuc annum 1228. Denique Chronographum, annum à Paſchate inchoare, conſtat ex eo quod ſcribit, Gregorium IX electum eſſe Papam *decimo tertio Kalendas Aprilis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto: ſecundum illos, qui annos dominicæ incarnationis incipiunt in Annunciatione* (ſeu Nativitate) *Domini computare, dicitur anno domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo*. Quæ paulò fuſius diſcuſſa ſunt, quia omnes hactenus

SEC. XIII. GREGORIUS IX. XIX. *Reconciliationis hujus epocha.*

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

Scriptores, hanc Raymundi Comitis reconciliationem, & comitatus Venaiſcini ceſſionem cum anno 1228. conjunxerunt.

XX. *Gregorius PP. à Romanis in Vrbem revocatur.*

Cum Tiberis ineunte menſe Februario anni milleſimi ducenteſimi trigeſimi inundaſſet, Romani divinæ vindictæ terrore perfuſi, Gregorium Pontificem Peruſio in Urbem excitum, magna honoris pompa ſuſceperunt. Romani, inquit Auctor Vitæ Gregorii, *divinæ ultionis judicium de offenſa matris Eccleſiæ venire cognoſcentes, Cancellarium & Pandulphum de Suburra tanquam Proconſules & Legatos apud Peruſium ad pedes Summi Pontificis pro impetranda venia, & eodem ad Urbem reducendo Pontifice cum honorificentia debita deſtinarunt. Qui benignus pater & dominus non elatus...... circa ſui anni quarti* (legendum tertii) *exitum, menſe Februarii, habdomada majoris Quadrageſimæ prima* (quæ incœpta erat die 24. Februarii) *in Urbem cum gloria & in exiſtimanda lætitia populi exultantis intravit.* His non diſſimilia ſcribit Richardus à Sancto Germano: *Primo*, inquit, *die Februarii Tyberis fluvius per abluvionem uſque adeo inundavit, quod occupavit de domibus Urbis uſque ad S. Petrum, & uſque ad S. Paulum. Quod tanti cauſa timoris Romanis omnibus extitit, ut mox de communi conſilio, metu mortis, Dominum Papam, ad Urbem de Peruſio revocarent; qui rediens, à Senatu populoque Romano ingenti cum gaudio eſt receptus.*

XXI. *Munificentiam ſuam in eos explicat.*

Cum verò illa inundatio homines non paucos & jumenta deleviſſet, frumento multo & vino deperditis, lectis & innumerabili vaſorum multitudine devexis in mare, Gregorius Pontifex Romanis *exhauſtis & famis attritis inedia, frumenta de vicinis partibus eo mandante collecta pia liberalitate donavit, alias etiam de ubertate matris Eccleſiæ, quæ ſuper afflictis pia geſtare viſcera conſuevit, eorum mœrori compaſſus, manus mirificæ ſubventionis extendit*, inquit laudatus geſtorum ejus Auctor apud Raynaldum ad annum 1230. num. 2. Addunt alii ſubſecutam ſæviſſimam peſtem, quæ neminem ferè intactum reliquit; quod verò Phyſici tunc cenſuerunt, tabem illam non tam ex Tiberis alluvione, quàm ex aquis quæ in concavis cavernoſiſque in Urbe locis reſederant, proceſſiſſe; Gregorium cloacas veteres purgari, novaſque ſubſtrui curaſſe; nihilque omiſiſſe, quo Urbis valetudini ſimul & dignitati conſuleret.

XXII. *Cum Friderico Imp. concordiam init.*

Tractatio pacis inter Gregorium Papam & Fridericum Imperatorem anno 1229. incœpta, anno 1230. continuata, tandemque perfecta, his paucis verbis ab eodem Auctore anonymo complexa eſt; ubi enim ſcripſit, Fridericum ex Oriente rediiſſe, ac Gregorio Papæ Legatos Archiepiſcopum Meſſanenſem & Hermannum Magiſtrum Theutonicorum ad exorandam pacem miſiſſe, adjicit: *Quod tandem ſummus Pontifex multorum inſtantia devictus aſſumit per venerabilium patrum Cardinalium obſequium ſtudioſum compoſitione firmata, & ſigillo Imperialis teſtimonii communita*,

nita, terram demum tot acquiſitam laboribus eidem quaſi nova infeudatione concedit, in ſignum domini; quibuſcumque ſibi munitionibus reſervatis, quas eidem poſtmodum adjectis conditionibus commendavit nec ipſius vulnere ſolidato rancoris. Sed hæc ex Regeſto Pontificio paulò fuſius explicanda. Miſſi ſunt à Pontifice Joannes Epiſcopus Sabinenſis, & Thomas Presbyter S. Sabinæ, Cardinales Legati, ita cum Bertholdo Patriarcha Aquileienſi, Eberardo Archiepiſcopo Saltzburgenſi, Siffrido Epiſcopo Ratiſponenſi & quibuſdam Germaniæ Ducibus apud Sanctum Germanum in finibus Campaniæ convenerunt: ut ante omnia Fridericus promitteret ſtare præciſe & abſque ulla conditione mandatis Eccleſiæ pro omnibus ob quæ excommunicatus fuerat. Hocque ab illo, eodem loco exiſtente, aurea bulla firmato, eidem injunxerunt, ut quæcumque Eccleſiæ Romanæ, aliiſque Eccleſiis ac monaſteriis, lociſque ac perſonis ſacris, cunctiſque qui Eccleſiæ ac Pontificis partibus adhæſiſſent, per ſe ſuoſve eripuiſſet, omnino reſtitueret, Epiſcopos pulſos revocaret, jura & privilegia Eccleſiæ Romanæ, aliarumque in regno Siciliæ integra conſervaret, pro damnis Sedi Apoſtolicæ illatis centum millia unciarum auri perſolveret; & ad Pontificem Anagniam ſupplex accederet. Poſt hæc, ut inquit Richardus de Sancto Germano, *Imperator in caſtris ante Ceperanum in capella S. Juſti die mercurii in feſto B. Auguſtini per Sabinenſem eſt Epiſcopum ab excommunicationis vinculo abſolutus, ſimiliter & omnes ſui.* Quæ omnia concordata eſſe menſe Julio & Auguſto anni 1230. conſtat ex Regeſto ejuſdem Gregorii Pontificis, & ex laudatis Richardi de Sancto Germano verbis. SEC. XIII. GREGORIUS IX.

XXIII. *Eum Anagnia honorificè ſuſcipit.*

Ex eodem Gregorii Regeſto habemus Fridericum Imperatorem Anagniam exeunte menſe Auguſto venientem, poſt pedum Pontificis oſcula, anathemate à Pontifice ſolutum eſſe, omnibus Imperii & regnorum ſuorum juribus reſtitutum, & ad convivium, eamdemque menſam cum Pontifice adhibitum: *Inter autumni primordia*, inquit Auctor Geſtorum Gregorii, *prafatus Imperator ex inſperato pervenit circa ſalam ſalientis aquæ fontem irriguum caſtrametatus magnifice, cum honorabili comitiva. In craſtino autem aſcendens Anagniam ad pedes venerandi Pontificis, rejecto pallio, veneranter acceſſit, & oſculo dato, aliquandiu moratus ibidem, in palatio majoris Eccleſiæ noctis ſpatium pertranſivit. Sequenti verò die in ejuſdem patris paterno palatio ſimul uterque Princeps in una menſa diſcubuit, Principum & Magnatum ibidem militia magnificè conveſcente; quo die per longos tractatus & publicos, per ſecreta familiaritatis alloquia votivè decurſo, Cæſar ad tentoria rediens properavit in regnum.* Tempus ſuo more præcisè deſignat Richardus de Sancto Germano in Chronico ad annum 1230. *Prima die Semptembris*, inquit, *Cæſar invitatus à Papa cum eſſet in caſtris in pede Anagniæ magnifice comitatus à Cardinalibus & nobilioribus civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa ſedit in menſa, & ſolus cum ſolo, Magiſtro tamen Theutonicorum præſente, in Papali camera conſilio longo ſe*

tenuêre diu: ac die Lunæ ſequenti (nempe ſecunda Septembris) *cum gratia Papæ & Cardinalium in caſtra reverſus eſt.* Poſt hæc Gregorius Pontifex Sanctum Ludovicum Francorum Regem literis ſuis optatæ pacis certiorem fecit, ut in illum pariter communis gaudii partem derivaret; ad alios etiam Principes Chriſtianos literas exaravit, quibus initam concordiam ſumma gratulatione ſignificavit.

XXIV. *Romam redux palatium Lateran. amplificat.*

His Anagniæ ineunte menſe Septembri peractis, Gregorius tamen Pontifex ante menſem Novembrem Romam non remigravit, ubi ingenti populi Romani lætitia exceptus eſt, qua de re Vitæ ejus ſcriptor ait: *Summus autem Pontifex propinqua jam hyeme ad Urbem rediit, à Romano populo congaudente ſuſceptus. Tunc in Lateranenſi palatio domos conſtruxit altiſſimas, & palatium nobile pauperum uſibus deputatum: Romanis grandia beneficia elargitur.* Richardus de Sancto Germano ſignantius tempus exprimit, ſcribens Gregorium *menſe Novembri* à Senatore revocatum. Certè exeunte Octobri adhuc Anagniæ erat, ut conſtat ex ejus Epiſtola apud Raynaldum anno 1230. num 20. data *Anagniæ V. Kalend. Novemb. Pontificatûs anno IV.* Ceterùm cum Spondanus in Annal. Eccleſ. continuatione ex Platina, Blondo, Sabellico & aliis, Tiberis inundationem, de qua mox diximus contigiſſe ſcribat anno 1231. ad eum pariter tantum annum, reditum Gregorii Romam ex Urbe Peruſina revocat; ſed invictè refellitur ex Epiſtolis Gregorii menſe Aprili, & menſe Junio anni Pontificatûs quarti, & conſequenter anno 1230. Laterani datis, quarum una Carnotenſi Epiſcopo, quæ eſt 4. lib. 4. apud Raynaldum num. 29. dicitur *dat. Laterani IV. Non. April. Pontificatus noſtri anno IV*; alia verò quæ eſt 39. ejuſdem libri 4. apud eumdem Raynaldum num. 22. dicitur *dat. Laterani XVI Kalend. Julii Pontificatus noſtri anno IV*, qui characteres certò deſignant annum 1230. quo ideo jam Romam revocatus fuerat Gregorius, quove ideo hæc Tiberis inundatio contigit, & concordia inter Sacerdotium & Imperium inita.

XXV. *Fridericum hortatur ut conditiones pacis impleat.*

Meminerunt porrò hujus concordiæ plerique omnes Annalium & Chronicorum Scriptores, inter quos Blondus lib. 2. decad. 7. & Krantzius lib. 8. Saxoniæ cap. 3. etiam queruntur, Pontificem, mitiorem quàm debuit, decuitque in Fridericum ſe ſe exhibuiſſe. Nec ſane diu fuit, cum repetendæ fuerunt in eum expoſtulationes, tum ob alia, tum præcipue quod perſeverans in odio ſemel contra Hoſpitalarios & Templarios concepto, etiamſi illi nominatim comprehenſi fuiſſent in pactis conventis, nihilominus tamen non ſolum ablata eis non reſtituerat, verùm etiam quibuſdam quæſitis prætextibus; novis ſpoliationibus depauperaret, imò ipſos expelleret, & quod ſpecie mittendi ſubſidia in Syriam, plurimos eorum qui Eccleſiæ contra ſe adhæſerant, ad Crucem ſumendam etiam nolentes cogeret, ut hac occaſione longe relegaret, & periculis exponeret. Quibus de rebus anno 1231. Pontifex

primò

primò Abbatem Caſæmarii, tum Epiſcopum Mutinenſem ad eum miſit, ut ad debitam ſatisfactionem & moderationem eum adducerent.

SEC. XIII. GREGORIUS IX. XXVI. *In Reatinam civitatem proficiſcitur.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo ſive ad colligendam ſalubriorem auram, ſive ob horrendum terræ motum, quo Urbs concuſſa eſt, Gregorius Pontifex ad Reatinam urbem ſe contulit, in qua diu commoratus eſt: *Jam quidem prædictus Pontifex*, inquit Vitæ ſeu Geſtorum ejus Auctor, *æſtatis proxima ſuſpicione permotus, quinto ſui Pontificatûs anno ad civitatem ſe contulit Reatinam, ubi præ eminentia loci, & aquarum fluentium copia, frigidioris aëris potitus obſequio, longi temporis ſpatium percurrit, ibidem multis & variis Eccleſiæ negotiis expeditis.* Richardus verò de S. Germano innuere videtur Pontificem Româ diſceſſiſſe ob terræ motum, quem contigiſſe ait Kalendis Junii, circa meridiem, die dominica: *Eo die quo terræ motus ipſe fuit, Gregorius Papa Urbem exiens vadit Reate.* Addit Richardus quaſſatam adeo terram, ut domus corruerent, & inquilinos opprimerent, eamque concuſſionem à Capua Romam immani fragore excurriſſe, menſemque integrum tenuiſſe, unde incolarum pars maxima deſertis domibus aliò tranſmigravit.

XXVII. *Antonium de Padua Sanctorum catalogo adſcribit.*

Non ſolum religio Minorum ſed & tota Eccleſia, eodem anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, valde illuſtrata eſt felici tranſitu *Antonii* Ulyſſiponenſis, qui *Patavini*, ſeu *de Padua* cognomen ſortitus eſt ab urbe Patavio, in qua obiit Idibus Junii. Crebreſcentibus poſt ejus mortem miraculis, cum ab ejus obitu necdum menſis effluxiſſet, actum eſt de ejus canonizatione, vixque ſeptem effluxerant menſes, cum Commiſſarii in proceſſu efformando à Sede Apoſtolica deputati, Pontifici proceſſum remiſerunt. Gregorius itaque confirmata proceſsûs validitate & miraculorum veritate, concordantibus tandem omnibus Cardinalibus ſtatuit canonizationis diem penultimum Maii, ſub ipſo feſto Pentecoſtes anni ſequentis milleſimi ducenteſimi trigeſimi ſecundi, in quo Spoleti concurrente ex multis Europæ regionibus innumera hominum multitudine, lecta ſunt ex alto ſuggeſto coram omni populo complura à ſancto viro patrata miracula, quæ ſub compendio recitat Wadingus ad annum 1232. num. 3. & ſeqq. Auctoribus verò quos laudat, duo addi poſſunt, ſcilicet Richardus de Sancto Germano hoc ipſo tempore vivens, & Henricus Stero qui floruit anno 1300. Prior in Chronico ad eum Chriſti annum habet: *Apud Spoletum Gregorius Papa quemdam fratrem Antonium de Ordine fratrum Minorum canonizavit & Sanctorum catalogo mandavit aſcribi.* Poſterior verò apud Caniſium Tomo I. pag. 161. *Sanctus Antonius de Ordine Minorum Fratrum apud Paduam ſignis coruſcans à domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer poſt obitum ſuum eſſet elapſus.* His conſentanea ſcribunt ejus Vitæ Auctor apud Surium, & apud Papebrocium die XIII Junii, Sanctus Antoninus & alii veteres Scriptores, de quibus Lucas Wadingus, apud quem

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

plura de hoc ſancto, quem Gregorius Papa aliquando concionantem audiens, *Arcam teſtamenti & ſacrarum Scripturarum armarium* nuncupavit. In literis porrò quas Pontifex dedit de ea canonizatione *Spoleti III Nonas Junii Pontificatûs anno ſexto*, cupiens ſepulchrum tanti Confeſſoris frequentari congruis honoribus, *omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, illud in feſtivitate ipſius uſque ad octavum diem, annis ſingulis cum reverentia debita viſitantibus, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli auctoritate, annum unum de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer* relaxat. Cujuſmodi indulgentiarum conceſſionem in canonizatione Sanctorum ab Honorio III primùm inductam diximus in ejus Vita loquentes de canonizatione S. Laurentii Dublinenſis Archiepiſcopi.

XXVIII. *Patriarcha Græcorum CP. literas recipit pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Rom.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo quinque Religioſi Ordinis Minorum poſt multa à Turcis in Oriente tolerata mala, Nicæam in Bithinia pervenerunt, ubi Patriarcha Conſtantinopolitanus Græcorum, captâ à Latinis Conſtantinopoli, ſedem collocarat, ibique hoſpitaliter excepti à Germano tunc Patriarcha, occaſione arrepta egerunt cum eo efficaciter de unione Eccleſiæ Græcæ cum Romana, à qua jampridem Græci, turbulentorum quorundam hominum ſuaſu, levi occaſione receſſerant. Adeo autem efficaciter egerunt, ut Germanum impulerint, per ipſos & per nuncium ſpecialem à ſe miſſum ſcribere ad Gregorium Papam literas, quibus imprimis agnoſcens primatum Romanæ Eccleſiæ, & quorum culpa, Græcorum an Latinorum, ortum eſſet ſchiſma, vel apud quos veritas fidei reſideret, affirmare nolens, maximopere hortatus eſt ad harum rerum utrimque inquiſitionem; nullique ſe parſurum labori, nec fatiſcentem cauſaturum ætatem, aut viæ longitudinem, quominus hæc unio optatum conſequeretur effectum. Epiſtolæ inſcriptio talis eſt: *Sanctiſſimo & excellentiſſimo Papæ Veteris Romæ & Apoſtolicæ ſedis Rectori, Germanus miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ.* Hanc Epiſtolam tranſcripſit Matthæus Pariſius anno 1237. quam tamen certò conſtat, & datam, & Pontifici redditam anno 1232. ut probat Wadingus ex reſcripto Pontificis eo anno dato, quod extat in Regiſtro Vaticano, in quo & habetur ipſa Germani Epiſtola, in quibuſdam ab excuſa apud Pariſium diſſentiens, ex quo oſtendit quædam putida mendacia, vel ab ipſo Pariſio, vel ab iis, qui eum ediderunt, ei addita eſſe. Scripſit pariter Germanus ad Cardinales, eademque inculcavit, ſed nonnihil acerbius, jactans in fine multitudinem populorum, qui fidem Eccleſiæ Græcæ ſectabantur in Oriente. Inſcriptio Epiſtolæ hæc eſt: *Germanus miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ, ſanctiſſimis & diſcretiſſimis & egregiis Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis decori.*

Quid

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

Quid Cardinales reſponderint invenire ſe non potuiſſe ſcribit Wadingus; eos autem non reſcripſiſſe exiſtimat Spondanus; quoniam, inquit, quæ Gregorii eſt per duos ex dictis Minoribus reddita ad Germanum Epiſtola, communis eſt reſponſio ad utramque illius; quod certum exiſtimo, in ipſius enim initio ait Pontifex: *Fraternitatis tuæ literis nobis & fratribus noſtris per tuum nuncium præſentatis*, &c. ubi loquitur tam de Epiſtola Germani ad ſe ſcripta, quam de ea quam ſcripſit *fratribus* ſuis, ſcilicet Cardinalibus, & ad utramque reſpondet: inſcriptio autem eſt: *Venerabili fratri Archiepiſcopo Græcorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Non vocat eum Patriarcham aut Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, talem enim eum non agnoſcebat, quòd ibi ſederet orthodoxus Patriarcha Latinus. In ea Epiſtola ſpondet primò Pontifex, miſſurum ſe ad eum viros religioſos, vitæ laudabilis & probatæ ſcientiæ, qui verba vitæ deferrent, & ſuam ac fratrum ſuorum Cardinalium voluntatem exponerent; interea firmavit Petri Apoſtoli, ejuſque ſedis primatum, quem Germanus comparatione Pauli, & perſtrictione negationis Petri, ſcribens ad Cardinales vellicare viſus fuerat. Deinde quis Eccleſiam ſcidiſſet, vel ex eo intelligi poſſe ſignificavit, quod poſtquam Græcorum Eccleſia à Romanæ ſedis unitate receſſiſſet, ſtatim privilegio caruiſſet Eccleſiaſticæ libertatis, & quæ fuerat libera, facta eſſet ſecularis poteſtatis ancilla: ut juſto Dei judicio, quæ nollet divinum recognoſcere in Petro primatum, toleraret invita ſeculare dominium; ſub quo paulatim decidens, fidemque informem profitens, à fraterna charitate tepeſcens, ſine alicujus reprehenſione licentius diſcurrere cœpiſſet: ac demum gravi oratione hortatus eſt ad gremium matris Eccleſiæ reverti. Data eſt Epiſtola *Reate 7. Kalend. Aug. anno ſexto* Pontificatus, ideoque anno 1232. Hanc etiam refert Pariſius & Gerardus Voſſius ex Vaticano tranſcripſit, ac notis illuſtravit. XXIX. *Reſpondet ad dictum Patriarcham.*

Gregorius Pontifex memor promiſſi Germano Græcorum Patriarchæ facti de tranſmittendis ei viris doctis & virtute conſpicuis, qui de unione utriuſque Eccleſiæ ſeriò tractarent, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio miſit ex Prædicatoribus duos Hugonem & Petrum, ex Minoritis totidem Aymonem Anglicum, poſtea ſui Ordinis Generalem Miniſtrum, & Rodulphum, quos *virtutis religione viros conſpicuos, morum honeſtate præclaros, & Scripturarum ſacrarum ſcientia præditos* in ſuis literis vocat, per quos graviſſimam ad Patriarcham miſit de duplici gladio Eccleſiæ, & utriuſque uſu ſpirituali & temporali Epiſtolam; de unica agnoſcenda Eccleſia; deque Euchariſtiæ uſu in azymo & fermentato, diverſo ritu à Latinis & Græcis frequentari ſolito; quæ Epiſtola Græcè & Latine extat apud Wadingum anno 1233. ex codice Vaticano MS. & ex Gerardo Voſſio, qui ad eamdem ſcholia dedit in libello. XXX. *Ad eum Legatos mittit pro unione utriuſque Eccleſiæ.*

SEC. XIII. GREGORIUS IX. lo de præcipuis monumentis Gregorii noni, dataque dicitur *Laterani decimo quinto Kalendas Junii Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.* Quid iſti miſſi, ſeu Apocriſarii egerint, plenè continetur in ipſorum Relatione, quam poſt reditum ſuum tradidêre Pontifici, quæ extat integra in codice Vaticano, ex quo Wadingus in compendium redegit, ex eaque conſtat, præcipuè actum eſſe inter Miſſos illos & Græcos de duobus ſeparationis prætextibus, videlicet proceſſione Spiritus ſancti ex Patre & Filio, & conſecratione Euchariſtiæ in azymis: habitaque per multos dies Nicææ collatione, cum Patriarcha ſuos causâ cadere videret, ultimum excogitaſſe ſuæ preſſuræ remedium, hanc cauſam dirimere ad ſe ſolum non ſpectare, ſed vocandos etiam Patriarcham Jeroſolymitanum Antiochenum & Alexandrinum, ejuſdem ritûs & ſchiſmatis ſocios, cum quibus celebrandum foret Concilium, quod apud Nymphæam, ejuſdem Bithyniæ oppidum ad Pontum Euxinum, celebratum eſt, ad quod Apocriſarii per literas & Nuncios Patriarchæ & Imperatoris rogati tandem acceſſerunt. Sed poſtquam in eo fruſtrà diſputatum eſſet de conſecrationis materia & de proceſſione Spiritû. ſancti, Imperator valde unionis ſtudioſus, ſeorſum Apocriſariis perſuadere tentavit, concordiam iniri poſſe, ſi Latini ſuam de proceſſione Spiritûs ſancti à Filio ſententiam facerent, & Græci approbarent conſecrationem Latinorum in azymis: ſed negantibus illis quicquam de proceſſione à Filio tolli poſſe, & aſſerentibus inſuper nequaquam propter uſum fermentati, Græcos à Latinis rejici, Concilium re infecta ſolutum eſt, & Græci Apocriſarios redeuntes inſecuti, minis & vi eis abſtulerunt ſcriptum de fermentato quod dederant; dederunt vero profeſſionem fidei Patriarcharum & Synodi de proceſſione Spiritûs ſancti ex ſolo patre, deferendam ad Gregorium Papam, quæ locis citatis ita prolixa extat, ut vix alibi eam quæſtionem à Græcis adeo diffusè tractatam reperire ſit.

XXXI. *Virgilium Epiſc. Saltzburgenſem Sanctorum catalogo aggregat.* Sancti Virgilii quondàm Saltzburgenſis Epiſcopi ſepulchrum anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo revelatum eſſe, & ad illud miracula coruſcare cœpiſſe, nos docet non ſolum liber ejus miraculorum, ab Auctore anonymo ſeculo duodecimo ſcriptus, quem ex Tomis 2. & 6. Antiquarum Lectionum Caniſii exhibet Mabillonius Sec. 3. Benedictino part. 2. ſed etiam Chronographus Reicherspergenſis eodem ſeculo deſinente vivens. Rogatus itaque Gregorius IX ut dictum Epiſcopum catalogo ſanctorum adſcriberet, Epiſcopo Brixinenſi ac nonnullis Ciſtercienſis familiæ Abbatibus, rerum admirabilium illius beneficio divinitus editarum veritatis inquirendæ munus impoſuit literis datis *Anagniæ III Id. Septemb. Pontificatûs anno IV*, ideoque anno 1230. earum partem recitat Raynaldus ad eumdem annum num. 26. & anno 1233. refert etiam num. 55. partem literarum ejuſdem Pontificis, quibus eumdem Virgilium ſanctorum

ctorum honoribus donat, quæ datæ dicuntur *Laterani XIV Kal. Julii* anni 1233. ad quem annum Richardus de Sancto Germano in Chronico ſcribit: *Menſe Junio de quodam Sancto Virgilio miracula multa in ſcriptis redacta de Alemannia miſſa ſunt ad Dominum Papam.* Eumdem annum ſignat Henricus Stero in Annal. apud eumdem Caniſium Tomo I. pag. 262. *Nos autem*, inquit Pontifex, *cupientes ſepulchrum tanti confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis illud in feſtivitate ipſius* (quam jam ſtatuerat celebrandam quinto Kalendas Decembris, quo die ad cœleſtia regna pervenit) *uſque ad octavum diem annis ſingulis cum reverentia viſitantibus* .... *quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.* Hujus canonizationis non meminit Mabillonius laudatus in obſervationibus prævïis ad vitam S. Virgilii. Hic porrò non omittendum errorem cubare in literis Gregorii Papæ laudatis, Brixinenenſi Epiſcopo & quibusdam Abbatibus Ciſtercienſis familiæ directis, in iis enim perperam legitur: *Sicut frater noſter Salisburgenſis Archiep. expoſuit coram nobis, tanta dominus ſanctæ memoriæ Virgilium Salisburgenſem Archiepiſcopum prævenit, & proſecutus eſt gratia, quod cum jam à ſeptingentis annis obierit, nunc diebus his*, &c. cum ſanctus Virgilius ad Deum migrarit anno ſeptingenteſimo octogeſimo quinto, ut ad eum annum probat Annotator Baronii num. XI,. ideoque anno 1230. quo Gregorii IX literæ datæ, nondum quingenti anni à Virgilii obitu effluxerant. In iisdem literis Virgilius dicitur *Saltzburgenſis Archiepiſcopus*, licet fuerit tantum Epiſcopus, & quidem ordine quintus ejusdem Eccleſiæ, quæ Archiepiſcopalis dicta non eſt ante annum 798. ut in Leonis III Pontificatu oſtendimus.

XXXII. *Tum S. Dominicum Ordinis Prædicatorum inſtitutorem.*

Sequenti anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto idem Gregorius Pontifex fama miraculorum Sancti Dominici Ordinis prædicatorum inſtitutoris excitatus, præmiſſa anno antecedenti debita miraculorum inquiſitione, cœlitûm faſtis eum etiam adſcripſit, de quo graviſſimas literas ad Eccleſiarum Prælatos dedit *Reate V. Nonas Julii anno VIII* Pontificatus, ideoque anno 1234. Obierat ſanctus vir anno vigeſimo primo ſupra milleſimum ducenteſimum Bononiæ, & quidem die ſexta Auguſti, ait enim Pontifex in iis literis: *Statuentes firmiter, & univerſitati veſtræ pr ſentibus injungentes, ut Nonis Auguſti ante diem, quo poſita carnis ſarcina dives meritis penetravit in ſancta ſimilis ſanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari.* Ex quo conjicere eſt feſtum Sanctæ Mariæ ad Nives non fuiſſe tunc ſolemniter celebratum, vel ejus celebrationem fuiſſe intermiſſam, ſi verum eſt quod ſcribit Raynaldus anno 1223. num. 22. Honorium ſcilicet Papam juſſiſſe illud *agitari*; cum enim Pontifex Sancti Dominici ſolemnitatem celebrari præceperit die quinta Auguſti, quæ immediate præceſſerat diem

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

ejus obitûs, qui concurrebat cum ſolemnitate Transfigurationis Domini, evidens eſt diem quintam Auguſti non fuiſſe ſolemnem ob feſtum S. Mariæ ad Nives, alioquin Gregorius ad alium diem transtuliſſet Sancti Dominici feſtivitatem, quam ad diem ante ejus obitum retraxiſſe videtur, quia mortis ejus dies ſacer erat Transfigurationi Domini, quod feſtum longe ante hæc tempora celebratum oſtendemus in Calliſto III. Nec dici poteſt cum Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum ideo Gregorium IX ſtatuiſſe, ut S. Dominici ſolemnitas die quinta Auguſti in Eccleſia ageretur, quia eo die relatus eſt inter Sanctos, ex ſententia enim ipſiusmet Baronii, ſanctorum catalogo adſcriptus eſt Dominicus anno octavo Gregorii IX, idcoque anno 1234. & literæ Canonizationis datæ ſunt Reate *V Nonas Julii*, & conſequenter ante diem quintam menſis Auguſti. Nulla itaque alia hujus rei mihi videtur poſſe aſſignari cauſa, quam mox à nobis aſſignata, quod ſcilicet cum dies mortis Dominici concurreret cum feſto Transfigurationis Domini, Pontifex ejus ſolemnitatem fieri præcepit, die ejus obitum antecedente, nempe quinta Auguſti; quæ ideo non erat impedita feſto S. Mariæ ad Nives. Ex quo & inferri poteſt longe poſt hæc tempora feſtivitatem S. Mariæ ad Nives in univerſa Eccleſia fuiſſe celebratam, & ideo Paulum IV feſtum S. Dominici retraxiſſe ad diem quartam Auguſti, quia tunc dies quinta ejuſdem menſis coincidebat cum ſolemnitate S. Mariæ ad Nives, quæ in univerſa Eccleſia agebatur.

XXXIII. *Decretalium Collectionem promulgat.*

Juris quoque Eccleſiaſtici curam gerens Gregorius Papa operâ Raymundi Pennafortii Ordinis Prædicatorum, eximiæ pietatis & ſcientiæ viri, à Joanne Cardinali Epiſcopo Sabinenſi ex Hiſpania Romam anno 1229. ducti, quem capellanum ſuum, ſeu cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorem, & Pœnitentiarium creaverat, decretales Romanorum Pontificum literas, variis Conciliis atque libris ſparſis, ad communem omnium utilitatem, in ordinem & compendium, quinque libris ſub titulo decretalium, redigi curavit, additis etiam illis, quæ ipſe Gregorius eatenus edidiſſet, quod volumen anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto promulgavit, easque decretales in judiciis ſervari, & in gymnaſiis publice doceri juſſit, quo argumento extat lib. 8. Regiſtri ejus Epiſtola 218. ad Pariſienſis Eccleſiæ doctores Nonis Septembris ejuſdem anni Spoleti data.

XXXIV. *Sacram adverſùs Infideles expeditionem promulgat.*

Gregorium Papam ſacram adverſùs Aſiaticos infideles expeditionem univerſo orbi eodem anno 1234. indixiſſe, tradit Vitæ ejus Auctor apud Raynaldum num. 27. *Ibidem* (nempe Spoleti) *primò crucis verbum in Terra ſancta ſubſidium in majori platea civitatis, utriuſque ſexûs populo congregato, lachrymabiliter & devote proponens, eorum turbam non modicam cum lachrymarum profluvio crucis charactere inſignivit, per mundi climata crucis prædicatoribus paſſim deſtinatis.* Addit Raynaldus in Epiſtolis 183. & 304.

Digitized by Google

&c 304. lib. 8. Regiſtri ad Syros ſcriptis, Gregorium teſtari ſe coëgiſſe Antiſtitum Conventum, cui Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Antiochenus, atque Jeroſolymitanus unà cum Imperatore interfuerunt, ad hanc expeditionem ſuſcipiendam. Id autem factum eſt menſe Auguſto, vel Septembri, quo tempore Spoleti erat Pontifex, ut conſtat non ſolum ex laudatis numero ſuperiori literis ejus ad Pariſienſis Eccleſiæ doctores, ſed etiam ex aliis ordine 213. apud eumdem Raynaldum num. 17. dat. *Spoleti III Kal. Septemb.* & aliis num 51. ibidem laudatis, *dat. Spoleti V Kal. Sept. Pont. noſtri anno VIII*, & tandem aliis num. 32. relatis, *dat. Spoleti VI Id. Aug. Pont. noſtri anno VIII.* SEC. XIII. GREGORIUS IX.

XXXV. *Urbe exire cogitur à Romanis.*

Eodem enim anno 1234. cum Romani in Pontificem Gregorium conflaſſent ſeditionem, eum Urbe exire coegerant, cùm non potuiſſent obtinere lites quaſdam de jure Urbi, illi intentatas. Pontifex itaque Romà egreſſus poſt diem ſecundum Maii, quo Epiſtolam à Raynaldo num. 13. relatam dedit *Laterani VI Non. Maii anno VIII*, in Reatinam urbem, inde Spoletum, & tandem Peruſium profectus, propriis copiis, ac Friderici Imperatoris auxiliis uſus, villas Romanorum, qui quædam ejus ædificia diruerant, evertit. Romani verò Urbe cum ingenti numero militum erumpentes, Viterbium Pontificis oppidum invaſerunt: verùm à Pontificiis excepti, & ſummo prælio decertare compulſi, ingenti clade accepta inceptum reliquerunt, ac pacem rursùs cum Pontifice anno ſequenti 1235. confirmarunt, cujus conditiones refert Raynaldus ad eumdem annum ex Auctore anonymo Vitæ Gregorii, ex quo & conſtat, Fridericum Imperatorem, ubi decertandum fuit, militibus ſuis ab exercitu Pontificio ſe ſubtrahere juſſiſſe, ipſumque cum hoſtibus Eccleſiæ fœdus pepigiſſe, ut ipſo inde, certo die recedente, illi ad arma conſurgerent, & B. Petri patrimonium occuparent: Gregorium verò poſt receſſum Friderici magnis præmiis Germanos milites ad ſe allexiſſe, ſuaque omnia recuperaſſe, indeque tandem anno 1235. ut jam dixi, pacem ſancitam eſſe.

XXXVI. *Confirmat Ordinem S. Mariæ de Mercede.*

Sedente Honorio III anno 1218. vel ut quidam non improbabiliter ſcribunt, anno 1223. Jacobus Aragoniæ Rex, ut ait Surita in Rebus Aragonenſibus lib. 1. & Mariana de Rebus Hiſp. lib. 12. cap. 8. ſive voti reus, quod Montionis arce captivi inſtar à ſuis puer detentus, didiciſſet quantum eſſet captivitatis malum: ſive quod multi terra marique Chriſtiani homines capti à Mauris, & in ſervitutem abacti, vitæ acerbitate à fide deficerent; ſacrum Ordinem Barcinonæ inſtituit Sanctæ Mariæ de Mercede, ſeu de miſericordia Redemptionis captivorum, cujus profeſſores corrogatis undique eleemoſynis ſtipem colligerent, qua Chriſtianos à barbaris & Infidelibus redimere, priſtinæque libertati reſtituere deberent. Uſus eſt autem hac in re conſilio Raymundi Pennafortii Barcinonenſis tunc Canonici, Regi à confeſſionibus, & deinde Ordinis

SEC. XIII. GREGORIUS IX. Dominicani Magiſtri generalis, ac Petri Nolaſci nobilis Galli è regione Sancti Papuli in Gallia Narbonenſi, qui primus omnium ejus inſtituti habitum de manu ejusdem Raymundi ſolemni ceremonia, cum duodecim ſociis, videlicet ſex Clericis pro officiis divinis & miniſterio chori, & ſex equitibus laicis pro redemptionis miniſterio, habitum Regularem ſuſcepit, veſtem nempe candidam cum cucullo, ac cum regiis Aragoniæ inſignibus, & cruce argentea ſuper impoſita in rubro clypeo; eodemque tempore Magiſter Generalis creatus, præſcriptis legibus Ordinem temperavit. Ejusdem autem Ordinis Annales tradunt, tam Jacobum Regem, quàm Petrum ac Raymundum divinis beatiſſimæ virginis viſionibus & hortationibus, ad hujus ordinis inſtitutionem impulſos fuiſſe. Hunc Ordinem à Gregorio nono, decimo ſexto Kalendas Februarii anni 1230. confirmatum, ſcribit Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, eique poſtea anno 1235. decimo itidem ſexto Kalendas Februarii Sancti Auguſtini Regulam ab eodem Pontifice præſcriptam, quod ultimum conſtare ſcribunt Spondanus & Raynaldus ex ejus ea de re conſtitutione 16. Kalend. Februarii, ipſius Pontificatûs anno octavo, quæ extat in Bullarii Tomo 1. in Gregorio IX Conſtit. 9. Duplicis porrò generis in hoc Ordine ſodalibus, militibus ſcilicet, ſive equitibus, & Monachis unus hodie præeſt Magiſter Generalis Barcinonæ reſidens & quidem Sacerdos ex decreto Clementis quinti & Joannis XXII, cum olim ſuum ſinguli habuiſſent Præfectum & moderatorem.

XXXVII. *Elizabetham Hſſam SS. catalogo adſcribit.* Ludovico Thuringiæ Landgravio Hydrunti, quò cum parte Cruceſignatorum jam pervenerat, anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo, mortuo, vel, ut fama ferebat, Friderici Imperatoris operâ veneno necato, Elizabetha Andreæ Hungariæ Regis filia eidem Ludovico connubio juncta, poſt multa graviſſima & indigniſſima ab ejus cognatis paſſa, & ſumma patientia tolerata, totam ſe mirabilibus pietatis, caritatis & abjectionis ſuæ operibus dedens, tertio Sancti Franciſci inſtituto ſuſcepto, multiſque editis miraculis obdormivit in Domino anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo. Hæc miracula probatiſſimis documentis confirmata Gregorium Pontificem excitarunt, ut poſt diligentiſſimam tantæ rei diſcuſſionem, eam magnifico apparatu Peruſii in cœnobio fratrum Prædicatorum, ſexto Kalendas Junii, in ipſo Pentecoſtes die, anno 1235. in Divarum retulerit numerum; ibidemque primo die ſequentis menſis graves dedit literas ad univerſos Eccleſiarum Prælatos, quibus factam hanc canonizationem denunciat, & diem feſtum Sanctæ Elizabethæ coli præcipit decimo tertio Kalendas Decembris, *die videlicet*, inquit, *quo eadem mortis abſoluta vinculis, ad fontem ſuperna prodiit voluptatis*; deinde omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad ejus ſepulchrum acceſſerint annis ſingulis, in memorato feſto, & uſque ad octavas ipſius, *unum annum & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia*

tia relaxat. Data eſt Epiſtola *Peruſii Kalendis Junii anno nono Pontificatûs.* SEC. XIII. GREGORIUS IX.

Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto magna contentione deſudatum eſt à Gregorio Pontifice, ut Regis Tuneti in Africa nepotem, nuper per fratres Prædicatores in fide Chriſtiana inſtructum, dum Romam ptoperaret ad ſuſcipiendum à Pontifice baptiſmum, & Siciliam prænavigantem à Siculis captum, ſpoliatum & in cuſtodia poſitum, ex ea liberaret; qua de re graves ad Imperatorem Fridericum & ad Siculos literas dedit Interamnæ nono Kalendas Julii, ut libertati reſtitueretur. De hoc Tunetani Regis nepote ad Pontificem pergentem, ut Chriſtiana ſacra amplecteretur, in vinculis tento, loquitur Auctor Vitæ Gregorii, his aculeatis verbis pro hac detentione Fridericum carpens: *Nuper Regis Tuneti fratrem* (legendum, nepotem, ut conſtat ex Epiſtolis Gregorii) *ad ſedem Apoſtolicam accedentem, ſacramentum baptiſmatis recepturum, detentione jam longa prohibuit, in voto perſecutus alterius, quod in ſuo factus apoſtata deteſtatur*, Fridericus enim, ut Saraceni Principis gratiam ſibi conciliaret, hunc Tuneti Regis nepotem ſubornatum fuiſſe, dicere non expavit, unde Pontifex aliâ Epiſtolâ datâ *Reate X Kalend. Novembris, Pontificatûs anno X* has quetelas ingeminat: *Quia indignè ſeductus aſſeritur, qui ad notitiam veræ fidei, aliquo inducente, vel Deo potius inſpirante vocatur; quin potius quantum probationes quod præter offenſam Regis ejuſdem & non circumventus ad nos accederet, recepturus baptiſmatis ſacramentum, expoſtulas, aperte colligitur, & idem clara multorum voce utinam non dicatur, quod Apoſtolos & diſcipulos veritatis non ſine magiſtri injuria manifeſta innuis ſeductores, qui inimicos crucis Chriſti ad agnitionem lucis æternæ monitis invitarunt ſalutaribus & invitant. Et ex eo tacitè aſſeris non debere Deo contra hominem obediri, quod dictum nepotem credis debuiſſe præfati Regis licentiam præſtolari, cum tibi non liceat ignorare, quod tantus eſt favor baptiſmatis, ut etiam ſervos, ſicut à jugo criminis, ſic invitis Dominis infidelibus, & eos converti nolentibus à catena eximat ſervitutis*, & cetera apud Raynaldum ad annum 1236. num. 23. legenda.

XXXVIII. *Imperatorem monet pro liberatione nepotis Regis Tuneti.*

Annus Chriſti milleſimus ducenteſimus trigeſimus ſeptimus maximam univerſæ Eccleſiæ lætitiam attulit, non ſolum ex converſione Patriarchæ Jacobitarum orientalium, ſed etiam ex ſolemni legatione Romanorum, Gregorium Papam ad ſuam ſedem revocantium. Converſionem Patriarchæ Jacobitarum refert Matthæus Paris ad eumdem annum ex Epiſtola Philippi Dominicanorum in Terra Sancta Prioris, cujus hortationibus & prædicationibus Patriarcha Catholicorum inſtituta ſectatus eſt, ad Gregorium Papam ſcripta, in qua ait, illum, cum magno Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Monachorum ſuæ ſectæ comitatu, Jeroſolymam venientem ad loca ſancta viſitanda, in proceſſione ſolemni, quæ die Palmarum in deſcenſu montis Oliveti fieri conſueverat, anti-

XXXIX. *Gratulatur Patriarchæ Iacobitarum Orient. ad Eccleſiam redeunti.*

SEC. XIII. GREGORIUS IX.

quâ abjuratâ hæreſi, promiſiſſe obedientiam Romanæ Eccleſiæ, & confeſſionem ſuam in literis Chaldæis & Arabicis in teſtimonium ſempiternum ſibi tradidiſſe. Subdit Philippus, eamdem abjurationem & obedientiæ profeſſionem, imitatos eſſe duos alios Archiepiſcopos, alterum Jacobitam Ægyptium, Neſtorianum Orientis alterum; ipſoſque eorum Patriarchas aliorum fratrum Prædicatorum operâ id ipſum præſtare promiſiſſe. *De alio quoque*, inquit, *qui praeſt omnibus, quos Neſtoriana hæreſis ab Eccleſia ſeparavit, cujus prælatio per Indiam majorem & per regnum Sacerdotis Joannis, & per regna magis proxima Orienti dilatatur, jam plures recepimus literas, quod fratri Willelmo de Monteferrato....... promiſit quod velit obedire & redire ad gremium Eccleſiaſticæ unitatis.* Tam felici nuncio accepto Gregorius Pontifex ingenti gaudio delibutus, gratulatorias literas ad eumdem Jacobitarum Patriarcham dedit *Viterbii V Kal. Aug. Pontificatûs anno XI*, quibus hortatus eſt, daret operam, ut commiſſi ipſius curæ populi ad Eccleſiæ ſinum ſe conferrent. Verùm hunc Patriarcham, Tartarorum timore perculſum hæc præſtitiſſe, & poſtea à fide catholica reſiliiſſe ſcribit Matthæus Paris laudatus. Porrò, ut nos docet Jacobus de Vitriaco Cardinalis, qui his iisdem temporibus vixit, & in Oriente verſatus eſt, in Hiſt. Orient. cap. 76. & ſeq. Jacobitarum tunc præcipui errores fuerunt, quod Circumciſione una cum Baptiſmo uterentur: confeſſionem peccatorum non Sacerdotibus, ſed ſoli Deo ſecretò facerent, ponentes thus juxta ſe in igne, tanquam cum fumo peccata ſua aſcenderent ad Dominum: parvulos ſuos ante baptiſmum ferro candenti in frontibus, vel genis, aut temporibus cruce ſignarent, putantes eos per ignem materialem expiari, eò quòd in Evangelio Joannes Baptiſta de Chriſto dixerit; Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & Igne: unam denique naturam in Chriſto, quemadmodum unam perſonam aſſererent.

XL. *Romam redux magna pompa excipitur.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo Gregorius Pontifex, poſt multorum annorum abſentiam, ingenti exultatione & veneratione ſuſceptus eſt à Romanis, in Urbem accitus per Jacobum Capacium, nobilem ac præpotentem virum: fruſtrà obnitentibus Petro Frangipane Friderici Imp. fautore, & Joanno Ciucio Senatore Urbis, ab eodem Friderico pecuniis corrupto, ut Pontificis regreſſum impediret: *Ipſe ingratitudinis filius* Fridericus Imp. inquit Auctor Vitæ Gregorii, *non matris ſauciatus anguſtiis eam à patrio lare proſcribere cogitans, Joannem Cincii tunc Urbis corruptibilem Senatorem corrumpit juramento recepto, ut regreſſum Summi Pontificis impediret, qui Eccleſiæ Principem, per quem de ruſticano tugurio prætorium Senatoris aſcenderat, & Chriſti Vicarium pecunia mercede commutans, ne Petri Urbem Petri ſucceſſor intraret, portas Urbis & muros curabat, quibus poterat conatibus cuſtodire. Sed devoti filii patris ſuſpirantes adventum, proditoris eliſâ verſutiâ capitalium potanter aggreſſi, propulſis*

pulſis exinde turpiter hoſtibus, nobilem virum Jacobum Capucium, & alios potentiores Vrbis ad reducendum eorum patrem & præſulem deſtinarunt. Suſceptum à Romanis Gregorium magna pompa ac lætitiæ ſignificatione ſcribit Richardus de Sancto Germano in Chronico. Reditus autem èjus Romam conſignari debet poſt menſem Julium, ex dictis enim numero ſuperiori, die vigeſima octava Julii ſcripſit ad Patriarcham Jacobitarum Viterbio. Sed Romam pervenit ante diem ſecundam menſis Novembris, ea enim die dedit Epiſtolam 184. libri 11. ad Fridericum Imp. *Laterani IV Nonas Novembr. ann. XI*, quæ extat apud Raynaldum num. 80. Epiſtola verò Gregorii ejusdem libri 172. ad Patriarcham Jacobitarum Orientalium extat ibidem num. 87.

XLI. *Gneſnenſi Archiep. Crucis præferendæ privilegium concedit.*

Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo octavo Gregorius Papa Archiepiſcopo Gneſnenſi, quòd contra perſecutores Eccleſiæ inceſſanter laboraret, privilegium conceſſit, ut vexillum crucis præferri ſibi juberet, cum Sedis Apoſtolicæ Legatus in Polonia non verſaretur: *Nos attendentes*, inquit 136. libri 12. *quod non ſunt tibi armaturæ cæleſtis inſignia denegandæ, qui contra ſuæ perſecutores Eccleſiæ certamine ferè inceſſanter labores, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut per tuam provinciam ante te deferri facias Crucis ſignum, niſi cum Apoſtolicæ Sedis Legatus in Polonia fuerit conſtitutus, ut in hoc ei deferas, tanquam à noſtro latere deſtinato*, &c. *Dat. Laterani II Nonas Junii anno XII*, ſcilicet Pontificatûs, qui inœptus erat die XIX Martii anni 1238.

XLII. *Romanos quoſdam ab Imp. ſubornatos reprimit.*

Quo eodem anno, circa menſem Julium Anagniam properavit Gregorius Pontifex, ut ſalubriorem per æſtatem auram efflatet, quo tempore Fridericus Imperator quosdam Romanos rebelles in eum concitavit, quos tamen Pontifex brevi repreſſit, ut ſcribit Auctor Vitæ Gregorii, qui de ejus Anagniam profectione prælocutus, ait: *Anno poſtmodum duodecimo Pontificatûs ſui Anagniam properans ſuſpecti aëris declinavit inſultus. Porrò tortuoſus ille coluber Cæſar in pacis & naturum reconciliatione commotus, concepta venena quæ prius ſub ſquammarum tegebat velamine, interdum punctionibus occultis immiſſa jam aperta læſione revelans, Bobucienſem & Ægidium Brethi & quosdam de Vrbe potentes, foro venalitatis expoſitos plus offerentis arbitrio applicandos, pecunia propitiante corrupit, & auri ſacra fames publico proclamata præconi impudicos filios de ubere matris ſic avulſit, ut contra Chriſti Vicarium ſe potenter armarent muniti charactere Antichriſti. Quorum ſolvit colligationes iniquas manus erudita Pontificis, & per devotum Joannis de Judice tunc Senatoris obſequium turres hoſtium, & operoſo marmore tabulata palatia, nobile veſtigium prioris ætatis, in opprobrium ruinæ redegit. Tum Cæſaris ceſsêre præconia non auro non aſtutia revelata.* Dixi Pontificem profectum Anagniam circa menſem Julium, quia exeunte Junio adhuc Romæ erat, ut conſtat ex ejus Epiſtola data *Laterani VI Kal. Iulii anno XII* apud Raynaldum num. 34. anni 1238. apud quem

eodem

eodem anno extant etiam aliæ ejus Epiſtolæ datæ Anagniæ menſe Auguſto.

XLIII. *Ingentia Dona Eccleſiis confert.*

Deferbeſcente æſtate Pontifex Romam regreſſus ingentia dona Eccleſiis contulit; idem enim Auctor anonymus poſt laudata verba, ſubdit: *Jam quidem æſtatis ſuſpicione cedente ad Urbem Summus Pontifex regreditur grandi veneratione ſuſceptus. Qui licet innumeris vexatus anguſtiis, erat tamen in divini nominis contemplatione robuſtior & prædeceſſorum ſolicitudinem devincens & actus, electiſſimi ſerici tinctura mirabilia indumenta multiplicia Pontificalis officii, auro & gemmis pretioſis contexta, in opus ſacerdotale diſtribuit ea juxta varietatem colorum ſolemnitatibus temporum allegorica conſideratione conformans, ad altaris ornatum in auro & nitore gemmarum: quarum nobilius cum ſmaltis aureis pomorum quantitate conformibus gemmis electioribus & auro contextum mille librarum æſtimatione probatur; & operis diſtinctione multimoda velamina pretioſa conceſſit. Crucem auream triginta ſex auri marchis appenſam opere interraſili gemmarum varietate diſtinctam, quod pretii æſtimationem non capit grandem pretioſi ligni vivificæ crucis quantitatem ingenio nobilis artificis contegentem, ejuſdem deputavit obſequio; cujus pes argenteus aurea ſuperinductione contectus, & capſa multa ſoliditatis argentea viginti marcharum publico pondere appenduntur: ſicque totius operis æſtimatio præter inæſtimabile lignum crucis mille marcharum argenti puriſſimi conſideratione malleatoris excedit. Libros contulit electioris litteræ ac picturæ decoros.* Hæc Auctor ille de ornamentis & Donis à Gregorio IX Eccleſiis conceſſis.

XLIV. *Sacras preces in Eccleſia cantari ſtatuit.*

Sed & eodem tempore pias preces in honorem beatæ Virginis Gregorium Pontificem decantari juſſiſſe, refert idem Auctor: *Hic conſtituit,* inquit, *ut ſemper in ſexta feria in veſperis completo ſolito curſu cantetur: Salve Regina miſericordiæ mater; & in nocte Antiphona: B. Dei Genitrix Maria, ſecuta oratione: Deus qui de B. Maria, &c. & quod ante corpus Domini & cum idem conficitur campana pulſetur.* Ejus porrò Antiphonæ ſeu Cantici *Salve Regina* auctor fuiſſe dicitur Hermannus Contractus Monachus Sancti Benedicti anno 1059. qui cum omnis politioris literaturæ expets omninò eſſet, B. Virginis interceſſione in virum alterum mutatus, tanta deinceps doctrinæ laude reſplenduit, ut nulli ſuo tempore ſecundus haberetur. Cum autem Spirenſes Clerici illud decantarent, S. Bernardus Clarævallenſis Abbas ad Germanos Apoſtolicus Legatus, poſtrema illa verba, ter genua flectens adjunxit, *ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria,* ut ſcribit Guillelmus Eiſengrenius in Chronico Spirenſi lib. 12. ad annum 1147. floruit autem Eiſengrenius anno 1560. Quod attinet ad pulſationem campanæ cum corpus domini conficitur, vel cum in miſſa elevatur, ea longe ante hæc tempora in uſu erat, tum in Gallia, tum in Germania, ut oſtendi in Pontificatu Innocentii III num. CIX. Ciaconius addit, Gregorium etiam inſtituiſſe, *ut in elevatione ſanctiſ-*

ſima

ſima Euchariſtia in miſſa, & ſive ad infirmos deferretur, ſive in ſupplicationibus geſtaretur, pulſarentur campana. Verùm uſus pulſandi campanam cum deferretur Euchariſtiæ ſacramentum ad infirmos jam invaluerat ſaltem in Germania; cum enim Guido Epiſcopus Præneſtinus Apoſtolicæ Sedis legatione in Germania fungeretur, præcepit, *ut quoties deferendum eſſet ad infirmum, ſcholaris, ſive campanarius Sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet; ſicque omnis populus tam in ſtratis, quàm in domibus Chriſtum adoraret*, ut inquit Cæſarius Eiſterbatenſis lib. 9. dialog. cap. 51. apud Raynaldum anno 1203. num. 42. SEC. XIII. GREGORIUS IX.

Cum anno eodem 1238. Fridericus Imperator partem Sardiniæ inſulæ, quæ ab antiquo juris Eccleſiæ Romanæ fuerat, occupaſſet, velut ad Imperium, cujus jura recuperare juraſſet, pertinentem; ad eamque Henricum, ſive Enſium filium ſuum ex concubina natum, ut eam Sardiniæ Regis titulo contra edicta Pontificia retineret, miſiſſet; Gregorius Pontifex hac de cauſa, ac multis aliis offenſis exulceratus, eumdem Fridericum non ſolum de iis ſatisfacere renuentem, ſed & Eccleſiaſticas minas ita ſpernentem, ut nulla amplius reſipiſcentiæ ejus atque emendationis ſpes ſupereſſet, publicè ac ſolemniter anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, præſentibus Cardinalibus anathematis mucrone feriit die vigeſima menſis Martii, ſeu in die Palmarum, ut ſcribit Matthæus Paris, omneſque jusjurandi religione ſolvit, qua Imperii, Regnique ratione tenerentur ei quomodolibet adſtricti. Cum tamen Albertus Stadenſis, Richardus de Sancto Germano & alii excommunicationem à Pontifice latam dicant die Cœnæ domini, ſeu die 24. Martii, ex eo & literis ipſius Friderici ad Richardum Cornubiæ Comitem, de quibus mox, quidam inepte collegerunt, Gregorium tempus hiſce actibus conſuetum anticipaſſe excommunicationem promulgando in die palmarum, ne Legati Imperatoris rem impedirent; cum tamen ex eo tantum colligi debeat, Pontificem in die Palmarum excommunicationem promulgaſſe, eamque renovaſſe in die Cœnæ Domini, de eo enim queritur Fridericus ipſe in literis eodem anno datis ad Richardum Cornubiæ Comitem, quæ extant apud Pariſium: *In nos ſupremum Chriſtianorum principem*, inquit, *die dominica Palmarum, contra ſolemnem morem ſacroſanctæ matris Eccleſiæ: & in Cœna domini poſtmodum præcipitavit ſententiam:* imò Stero excommunicationem promulgatam ait & in die Palmarum, & in die Cœnæ domini, & in Paſcha, & conſequenter male ſupponitur anticipatam eſſe ſententiam, ne Friderici Legati eam impedirent. XLV. *Fridericum Imp. excommunicat.*

Hujus ſententiæ formulam in Hiſtoriam ſuam verbatim retulit Pariſius, cujus ſenſus & ſumma hæc fuit, ut eum excommunicaverit, quòd Romanum Pontificem à ſede ſua repellere, ſeditione excitata in Urbe, tentaverit; & contra privilegia dignitates & honores, Apoſtolicæ Sedis libertatem, necnon & Eccleſiaſticam proculcare: quòd Cardina- XLVI. *Rationes excommunicationis.*

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS IX. dinalem Epiſcopum Præneſtinum, à Sede Apoſtolica ad Albigenſium partes pro fidei corroboratione miſſum, ne in ſua legatione procederet, impedierit: quòd non permitteret in regno Siciliæ & Apuliæ pleriſque Eccleſiis vacantibus Paſtores & Antiſtites ordinari, aliaſque reparari; quin imò multæ deſtruerentur & profanarentur, Clerici caperentur; carceribus manciparentur, proſcriberentur, occiderentur; Eccleſiæ & monaſteria ſuis bonis ſpoliarentur, atque tributis & exactionibus premerentur: quòd nepotem Regis Tuneti, Romam pro ſuſcipiendo baptiſmo venientem, nec non Petrum Saracenum à Rege Angliæ ad Pontificem miſſum, captos detineret, nec ire permitteret: quòd multas terras Eccleſiæ contra proprium juramentum occupaverit, & devaſtaverit: quòd Templariis & Hoſpitalariis bona erepta non reſtituerit: quòd contra tenorem pacis, illi omnes, qui adhæſiſſent Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati exulare cogerentur, uxoribus eorum ac liberis captivatis: quòd impediret negotium Terræ ſanctæ & reparationem Imperii Conſtantinopolitani. Et quoniam de eodem Friderico ubique ferebatur, eum de fide Catholica non bene ſentire; addidit Gregorius in fine ſententiæ, ſe circa hæc ſuo loco & tempore ordine juris proceſſurum. Ipſam ſententiam ad omnes ubique Principes Chriſtianos, univerſoſque Antiſtites confeſtim tranſmiſit Gregorius, & coram populis promulgari præcepit.

XLVII. *Gregorius Papa Friderici mendacia refellit.* Cum hæc ſententia tertiâ die Paſchæ Friderico Patavii tunc exiſtenti innotuiſſet, dum ab Eccleſia magna pompa rediret, ipſe facie ad ſimulatam animi quietem compoſita, concionem in palatium advocans, poſtquam multa de ſua juſtitia, deque rei indignitate diſſeruit; pro tribunali ſedens, Petrum de Vineis ſuarum magiſtrum Epiſtolarum, magna, ut illa ætas ferebat, facundia virum, de iiſdem prolixiorem ſermonem habere juſſit, qui orationem habuit, laudibus Friderici, ejuſque de Romana Eccleſia, deque Romanis Pontificibus meritis, horumque in ipſum injuſtitia redundantem. Idemque poſt hæc Fridericus Tarviſium profectus, die vigeſima menſis Aprilis ſcripſit ad Romanos, graviter expoſtulans, quòd ſe innocentem in urbe ſua publicè condemnari paſſi eſſent, quam Epiſtolam recitat Pariſius, habeturque inter eas Petri de Vineis. Cum verò ad omnes Principes literas eodem ferme exemplo miſiſſet, quibus ſemetipſum purgans, variis Pontificem maledictis aſpergebat, & accuſationibus impetebat, quas pariter refert Pariſius: Gregorius iis ſingulatim reſpondens, apertiſſimi mendacii arguit, prolixis ſcriptis circularibus literis decimo tertio Kalendas Junii, quas ad Balduinum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Reges Galliæ, Hiſpaniarum, Angliæ, Hungariæ, ceteroſque omnes Chriſtianos Reges ac Principes ſeculares, ſacros Antiſtites, proceres ac nobiles, populoſque omnes Catholicos tranſmitti curavit: præcipiens ſpeciatim Eccleſiarum Prælatis

Digitized by Google

tis, ut eas unà cum edicto excommunicationis in Fridericum prolatæ ubique publicarent. *SEC. XIII.* GREGORIUS IX.

XLVIII. *Horrendas ejus blaſphemias aperit.*

Iis in literis Pontifex vitam, mores, ingratitudinem, fraudulentiam, malitiam, immanitatem, impietatemque Friderici ab ipſis penè incunabulis aperit, rurſumque cauſas inſinuat, propter quas in eum neceſſariò inſurgere habuerit: *præambulum* etiam *Antichriſti* eum appellans, qui hæreſim aſſereret, non potuiſſe ſe per Gregorium tanquam Chriſti Vicarium vinculo excommunicationis aſtringi; eoque modo affirmans, non eſſe apud Eccleſiam à Domino, beato Petro & ejus ſucceſſoribus ligandi atque ſolvendi traditam poteſtatem: ac denique has omnium deterrimas ei blaſphemias objecit, quod ferretur aliquando aſſeruiſſe, à tribus baratatoribus, ſeu impoſtoribus, ſcilicet Chriſto Jeſu, Moyſe & Mahometo, totum mundum fuiſſe deceptum; & duobus eorum in gloria mortuis, ipſum Jeſum in ligno ſuſpenſum manifeſte proponens: omneſque fatuos eſſe qui crederent, naſci de virgine potuiſſe Deum, qui creavit naturam & omnia; cum nullus naſci potuerit, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præceſſerit; & homo nihil aliud credere debeat, niſi quod poteſt vi & ratione naturæ probare. Hanc quidem blaſphemiam de tribus ſeductoribus, ut calumnioſè ſibi objectam diluere conatus eſt Fridericus publicis ſcriptis literis ad univerſos Prælatos, quæ extant lib. 1 Epiſt. Petri de Vineis ordine 31. ſed eam blaſphemiam revera prolatam fuiſſe à Friderico, diſertè aſſerit Auctor Compilationis Chronologicæ Francofurti anno 1583. ex Bibliotheca Joannis Piſtorii editus, apud quem pag. 743. legitur de Friderico: *Hic iniquitatem in excelſo locutus eſt, ponens in cœlum os ſuum dixit, audiente Henrico Landgravio: Tres, inquit, ſeduxerunt omnem mundum, videlicet Moyſes Hebræos, Chriſtus Chriſtianos, Machometus barbaros.* Idem pariter refert Albericus Monachus Trium fontium ad annum 1239. in Chronico, qui & poſtea addit de eodem Friderico: *Sed & die quadam fertur dixiſſe uni de ſuis, cum vidiſſet Sacerdotem corpus domini ad quendam infirmum deferentem, heu me, inquit, quamdiu durabit truffa iſta?* Auctor verò Compilationis Chronologicæ poſt laudata verba ſubdit, dixiſſe Fridericum: *Quamobrem ſi Principes Imperii inſtitutioni meæ aſſentirent, ego utique meliorem modum credendi & vivendi cunctis nationibus ordinare vellem.* Denique has blaſphemias à Friderico in Francofordienſi Conventu prolatas, non obſcurè indicat Auctor Hiſtoriæ Landgraviorum Thuringiæ cap. 50. quæ extat eodem Tomo rerum Germanicarum Piſtorii.

XLIX. *Gregorio adhærentes perſecutionem à Friderico patiuntur.*

Fridericus furore in Gregorium Pontificem, eoſque qui ei adhærerent, ardens, quoſcumque potuit exiliis, carceribus, tormentis, ferro, flamma, nullo non pœnæ, cruciatus, ac crudelitatis genere perdidit: præcipuam tamen iram transfudit in Prælatos, ceteroſque Eccleſiaſti-

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS IX. cos, Templariosque ac Hoſpitalarios, & loca ſacra: adeo ut nec Epiſcopo Catanenſi, à quo ab infantia educatus fuerat, nec celeberrimo, ac religioſiſſimo Sancti Benedicti Caſſinenſi monaſterio pepercerit; illum enim ingratiſſime relegavit; illud verò, vi ac convicio ejectis Monachis, aureiſque & argenteis vaſis in nummos redactis, ſatellitibus in habitationem & ruinam tradidit. Hæc conſtant ex Auctore anonymo Vitæ Gregorii, aliiſque earumdem rerum Scriptoribus. Tuncque maximè invaluerunt per univerſam Italiam factiones Guelforum & Gibellinorum; quorum priores à Pontifice acriter ſtantes, Friderico ejuſque aſſeclis ſummo niſu obſtiterunt; poſteriores, Friderici partes eadem animoſitate tutati ſunt; de quarum factionum origine jam ſuperius num. XIV dictum eſt.

L. *Gregorius Fridericum Romam aggredientem cum dedecore repellit.* Gregorius Pontifex ne ſibi & Eccleſiæ deeſſet, imprimis nuncios & Legatos in omnia regna & provincias miſit, qui excommunicationem in Fridericum promulgarent, & præſidia afflictis Eccleſiæ rebus implorarent. Præter quæ cum Lombardis, Venetis & Genuenſibus fœdus percuſſit, & Lombardiæ Legatum præfecit Gregorium de Montelongo Ferrarienſem, Protonotarium Apoſtolicum, virum ſtrenuiſſimum: qui populos armans & animans, adeoque & Clericos adhibens adverſus Friderici perſecutionem, multum ejus conatibus obfuit, nec paucis cum aut parvis cladibus affecit. Contra hunc Legatum acres ſunt apud Pariſium Friderici querelæ, qui his felicibus Montelongi in Lombardia ſucceſſibus exacerbatior redditus, in ipſam Romam, Pontificemque vindictam transferre decrevit: finitimiſque oppidis in ſuam ditionem adductis, tantum timorem Pontifici intulit, ut omni humana ſpe depoſita, ad divinam implorandam opem Clero & populo advocato, ſacra Apoſtolorum Petri & Pauli capita deferens, præmiſſa cruce, cui ligni ſalutiferi portio inerat, à Laterano in Vaticanum proceſſerit, ubi orationem ex ambone commiſeratione plenam habens, periculum quòd à Friderico Eccleſiæ inferretur, oſtendit; & capita Apoſtolorum brachiis tenens, ſe non illa abſque Romani populi virtute, cui ſe & illa committebat, defendere poſſe, uberibus lachrymis conteſtatus, commoto ad hæc populo, decretum promulgavit, quo præmia ſalutis æternæ omnibus pollicebatur, qui crucem adverſùs Fridericum ſumpſiſſent; ac plurimos ad eam ſumendam accendit: non ſine miraculo divino, ut qui aliàs ſeditioſe, & non multo ante à Romanis pulſus fuiſſet, in ea hoſtis potentiſſimi propinquitate, cujus largitione corruptos atque etiam conjuratos eſſe primores quoſque, potentioreſque conſtabat, eoſdem Romanos potuerit in ſuam defenſionem armare. Quare & factum eſt, ut cum Fridericus mox infeſta in Urbem ſigna ferens, legiones Cruceſignatorum integras obviam adverſum ſe exiiſſe vidiſſet, ad eius rei aſpectum adeo territus fuit, adeoque in furorem & veſaniam verſus, ut poſt graviſſimum certa-

certamen, quos vivos è Romanis Cruceſignatis habere potuit, inauditis ſuppliciis affecerit. Spem tamen Româ potiundi deſerens, tertio quam advenerat die mœrens frendenſque abſceſſit, & quacumque tranſiit obvia cuncta urens diruenſque devaſtavit, quæ omnia prolixè proſequitur Auctor Vitæ Gregorii, ex quo eruitur id contigiſſe circa finem anni 1239. vel potius anno 1240. non multum provecto. *SEC. XIII. GREGORIUS IX.*

LI. *Concilium œcumenicum indicit.*

Quo eodem anno 1240. cum perlatum eſſet in Italiam, Cruceſignatos in Syria rem parum ſecundo ſucceſſu geſſiſſe, inde Fridericus occaſionem arripuit invehendi in Pontificem, quod eos compuliſſet abſque ipſo Friderico, intempeſtivè properare; eaque de re publicas ſcripſit literas, quarum exemplar ad Regem Angliæ Pariſius inſeruit hiſtoriæ ſuæ. His autem motus Pontifex, & quòd mala creſcerent in dies in Italia, de Cardinalium conſilio, ad remedia laboranti Reipublicæ Chriſtianæ opportuna exquirenda, Concilium generale convocare decrevit; literiſque ejus indictionis, quæ extant in ejus Regiſtri anno XIV, primò quidem quinto Idus Auguſti, tum inde Idibus Octobris ad Balduinum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Regeſque Franciæ, Angliæ, Boëmiæ, Scotiæ, Sueciæ, Norvegiæ, Portugalliæ, Aragoniæ, Caſtellæ & Legionis, Hungariæque; ac Duces Poloniæ, Venetorum, Sclavoniæ, ac reliquos omnes; imprimiſque ad univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates ac Prælatos ſcriptis, præcepit, ut omnes ubique terrarum Antiſtites Romæ in diem dominicæ Reſurrectionis anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo futurum adeſſent. Legatos in diverſa regna & provincias recèns deſtinatos, alioſque qui jam in aliis variis occaſionibus antea miſſi reperiebantur, ſedulò monuit, ut quot omninò poſſent ad Concilium ſecum adducerent.

LII. *Illius celebrationem Fridericus impedit.*

Sed Fridericus, qui indictioni Concilii conſenſerat, ut Pariſius fatetur, imò qui ejus indictionem petierat, ut diſertè habet Innocentius Gregorii ſucceſſor in ſententia depoſitionis Friderici; poſtea publicis literis promulgare non erubuit, revocare ſe omninò ſecuritatem quam promiſerat adeundi Romam ad Concilium, eâ prætextâ excuſatione, quod præfuturus ei eſſet hoſtis publicus Imperii. Anno itaque 1241. Prælati minacibus literis à Friderico prohibiti Romam accedere, & à Pontifice nihilominus properare moniti, mandatis Pontificiis parere æquius cenſentes, quamplurimi ex Gallia, Anglia, Italia, aliiſque regnis ac provinciis, Genuam unà cum Jacobo Prænestino, & Othone Sancti Nicolai, Cardinalibus Legatis antea in Gallias & Angliam miſſis; necnon Gregorio de Montelongo Apoſtolico in Lombardia Legato convenerunt, & Genuenſium freti fiducia, Romam ſe eos claſſe incolumes ducturos pollicentium, naves conſcendere decreverunt. At Fridericus Entium filium ſuum nothum, quem Sardiniæ Regem dixerat, & mari præfecerat, monuit ut eos adoriens manu caperet, vel ſubmer-

geret, vel alia ratione opprimeret. Entius rem impigrè gerens, Piſanorum auxilio adjutus, die tertia menſis Maii, juxta inſulas, quæ vulgò vocantur Gilium & Planoſa, ut ait Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii IV, apud Baluzium Tomo 7. Miſcellaneorum cap. 3. non verò, ut quidam aiunt, menſe Junio, navali certamine commiſſo, Genuenſes devicit, ac Legatos, Prælatos, & nuncios civitatum, paucis tantum elapſis, aut captivos fecit, aut mari ſubmerſit. Captivi autem à Friderico Neapolim miſſi, quaſi viliſſima capita conſtricti vinculis, fame, ſiti, ſqualore ferè omnes miſerè perierunt; ipſeque Fridericus, tanquam de re præclare geſta, ad omnes Principes literas ſcripſit, quibus Deum cauſæ ſuæ tanta conceſſa victoria ſuffragatum eſſe jactavit, quas literas recitat Pariſius ad annum 1241.

LIII. *Gregorii Papæ mors.* Tantum ex hoc vulnere inflicto dolorem concepit Gregorius, ut tot tantiſque calamitatibus feſſus, paulò poſt ex hac vita migrarit, die nempe duodecimo Kalendas Septembris ejuſdem anni milleſimi ducenteſimi quadrageſimi primi, poſtquam ſediſſet annos quatuordecim, menſes quinque, dies duos; electus enim fuerat & inthronizatus die decima nona Martii anni 1227. Menſem mortis Gregorii nos docet ipſe Fridericus in literis quas ad Regem Angliæ, aliosque Reges ac Principes exaravit apud Rainaldum anno 1241. num. 83. *Victorioſo exercitu noſtro*, inquit, *Romanis finibus inſidente, ad quos aviditate componendæ pacis & voto gravis diſſidii ſpecialiter celſitudo noſtra pervenit, publicus ad caſtra noſtra rumor exivit, quòd die .... præſentis menſis Auguſti Gregorius Papa noviter eſt rebus humanis exemptus*, &c. Diem mortis in iis literis deletum, nobis conſervavit Richardus de Sancto Germano in Chronico, ubi de Friderico, qui Cryptæ Ferratæ caſtra metatus, adjacentia Romæ loca vaſtabat, ſcribit: *Et tunc de Gregorio Papa, quod obierit Roma XXI Auguſti, pro certo accepit*, nempe Fridericus. Pariſius autem teſtatur eum annos centum proxime attigiſſe. Sepultus eſt ad Sanctum Petrum juxta Nicolaum de Curbio in Vita Innocentii IV cap 5.

LIV. *Ejus ſcripta.* Gregorium IX fuiſſe magnæ religionis, & libertatis Eccleſiaſticæ conſtantiſſimum adſertorem, pauca quæ de eo narravimus, non obſcure oſtendunt. Eum etiam fuiſſe divini & humani juris peritiſſimum demonſtrant libri decretalium, quos operâ Sancti Raymundi de Pennafort publicaſſe diximus num. XXXIII. Quædam ex ejus decretalibus Epiſtolis vulgatæ ſunt Græcè & Latine anno 1587. à Gerardo Voſſio Præpoſito Tungrenſi; ſunt autem, 1°. de primatu Pontificis Romani & unione Græcorum cum Eccleſia Latina. 2°. de duplici gladio Pontificis Romani, deque legatione Apocriſariorum Gregorii ad Græcos. 3°. Apocriſariorum Gregorii definitio, quod Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat. Illuſtrantur hæc notis ipſius Voſſii, uti etiam literæ canonizationis

nis SS. Franciſci, Dominici, Antonii Patavini & Elizabethæ Hungaricæ. Conſtitutionem edidit Gregorius pro Benedictinis, quæ prodiit Pariſiis anno 1619. Omnia ejus opera prodierunt Antuerpiæ cum Jacobi Pamelii notis. SEC. XIII. GREGORIUS IX.

COELESTINUS IV *Pontif.* *CLXXIX.*

Anno Domini MCCXLI.

GRegorii Papæ IX mortem cum accepiſſet Fridericus Imperator, in caſtris apud Cryptam Ferratam prope Romam poſitus, permiſit Cardinalibus qui extra Urbem erant, ut ad eam redirent pro ſucceſſoris electione, ut diſertè aſſerit Richardus de Sancto Germano hujus temporis Auctor in Chronico, ubi enim dixit, Fridericum Cryptæ Ferratæ caſtra metatum eſſe, ſubdit: *Et tunc de Gregorio Papa quod obierit Roma XXI Auguſti pro certo accepit, de cujus licentia Cardinales omnes, qui extra Urbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Urbem redeunt.* Et infra: *Cardinales, qui in Urbe ad Papæ electionem convenerant, per Senatorem & Romanos apud Septemſolium includuntur, ut ad creandum Papam inviti procedant.* Matthæus Paris & Albertus Stadenſis Scriptores etiam coævi ſcribunt, Cardinales decem in duas partes diſcedendo, quinque ex iis Gaufridum ſeu Gaufredum Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem elegiſſe; tres verò *Romanum*, quem idem Stadenſis vocat *Epiſcopum Portuenſem*; ex quo conſtat deceptum Pariſium quando ſcripſit, Stephanum filium Comitis, Epiſcopum Portuenſem fuiſſe unum ex illis qui Gaufridum elegerunt; nam Ciaconius & Ughellus *Romanum* agnoſcunt Portuenſem Epiſcopum, pluribus hanc in rem ejus Actis allegatis. Cum autem is ſolum deberet Papa haberi, cujus electioni duæ partes electorum conſenſiſſent juxta Alexandri III decretalem, Cardinales mentibus & corporibus infecto negotio diſperſos fuiſſe, ſcribit idem Pariſius. Albertus Stadenſis poſtea ſubdit, Cardinalibus iterum convenientibus, *ambo ceſſerunt & iterum Cardinales elegerunt unum, ſed non de ſuo collegio; Romaniſque requirentibus quis eſſet, nomen illius exprimere noluerunt*, quod non habet Matthæus Pariſius, & cum nullibi reperiatur, videtur fabuloſum. Sed quidquid ſit de duplici illa electione, cum Albertus Stadenſis, illum cujus Cardinales nomen exprimere noluerunt, vocet *Jufridum*, Spondanus rectè conjicit, hunc Jufridum, ſeu Gaufridum eſſe ipſum Cœleſtinum IV, qui Gregorio IX ſucceſſit, & revera Auctor Compilationis Chronologicæ Joannis Piſtorii, vocat eum *Jumfridum*. I. *Cardinales in electione Pontificis inter ſe diſſident.*

Eo-

SEC. XIII. COELESTINUS IV. Eodem enim anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, ut inquit Pariſius, *poſt multas diſceptationes & diverſa ſchiſmata, Cardinales jam pauci facti* (ideſt, *numero imminuti*, vel *animis defecti*, ut ait Papebrocius) *à tribulatione & dolore, Magiſtrum Galfridum Mediolanenſem in Papam elegerunt, virum moribus præditum & ſcientia, ſed in ætatem ſenilem jam declinantem & debilitatum.* Gaufridus itaque, ſeu Galfridus Caſtilionea nobili familia Mediolanenſi, patre Joanne, matre Caſſandra Cribella, Urbani Papæ tertii ſorore ortus, quem ex canonico & Cancellario illius Eccleſiæ, privatæ vitæ ſtudio factum Monachum Ciſtercienſem legitur in Additionibus ad Ciaconium; deinde Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Marci, ac tandem Epiſcopum Sabinenſem à Gregorio IX creatum omnes conſentiunt; electus eſt Romanus Pontifex omnibus Cardinalium votis, ac Cœleſtinus ejus nominis IV dictus. Menſem ejus electionis nos docet Richardus de Sancto Germano laudatus: *Menſe Octobri*, inquit, *Goffridus Mediolanenſis in Cœleſtinum Papam eligitur.* Ex quo corruit quod ſcribit Onuphrius Panuinius, eumque ſecuti Ciaconius & Annotatores ejus, Cœleſtinum nempe electum, vel IX, vel X Kalendas Octobris. Nicolaus de Curbio Auctor hujus temporis in Vita Innocentii IV cap. 5. apud Baluzium lib. 7. Miſcellaneorum, narrata Gregorii IX morte, de electione Cœleſtini hæc habet: *Poſt cujus obitum ſtatim qui in urbe Roma tunc reperti ſunt Cardinales in carcerali ergaſtulo apud Septemſolium per Senatorem Urbis pariter ſunt recluſi. Ubi tùm propter neceſſariorum ſubſtractionem, tùm propter æſtus fervorem, qui tunc temporis abundavit, tùm propter moram diutinam ibidem contractam, quidam ſunt ibi mortui, utpote dominus Robertus Anglicus Sancti Griſogoni Diaconus Cardinalis.* (qui, ut legitur in ejus epitaphio apud Ciaconium, obiit VI Kalendas Octobris) *Quidam graviſſime infirmati, inter quos dominus Sinibaldus tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis* (poſtmodum Papa ſub Innocentii IV nomine) *tam gravi ægritudine preſſus fuit, ut eſſe in mortis faucibus putaretur & ipſe. Et volentes ipſi domini Cardinales Eccleſiæ providere de ſubſtitutione Summi Pontificis dominum Goffredum Mediolanenſem Sabinenſem Epiſcopum communiter elegerunt; cujus mutato ex more ſolito nomine vocatus eſt Cœleſtinus.* Goffrido Mediolanenſi *Papa Gregorius propheticè prædixerat, quod futurus eſſet ipſe Papa, ſicut beatus Franciſcus præfato Gregorio cum eſſet Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis*, inquit Auctor Compilationis Chronologicæ.

II. *Cœleſtinus IV eligitur.*

III. *Moritur antequam conſecretur.* Joannes Nauclerus ex Flavio Blondo ſcribit, Cœleſtinum miſiſſe ad Fridericum Legatos, & multis illum de futura pace pollicitationibus delinire conatum eſſe: ſed priuſquam Fridericus reſpondere potuerit, Cœleſtinum ipſum die decimo octavo ſui Pontificatûs defunctum eſſe. Quod verum exiſtimo, ſicuti & quod ſcribit Panuinius, & ex eo Ciaconius

Digitized by Google

conius ac ejus Annotatores, Cœleſtinum nempe obiiſſe antequam coronatus eſſet, utrumque enim confirmat Nicolaus de Curbio laudatus, qui narrata ejus electione, ſubdit: *Qui morte præventus, pallium non ſuſcepit more Papali, munus conſecrationis non habuit, neque bullam, & infra XVII dierum ſpatium obdormiens in Domino diem clauſit extremum.* Sed quoad menſem ejus mortis falluntur Panuinius & ejus Annotatores, ſcribentes, eum mortuum die octava menſis Octobris; Richardus enim de S. Germano poſtquam dixit, eum electum menſe Octobri, ſubdit: *Menſe Novembri Cœleſtinus Papa apud S. Petrum obiit*, poſtquam dies XVII ſediſſet. Matthæus Paris eum vix ſexdecim dies ſediſſe & potionatum obiiſſe tradit: *Cum jam vix ſexdecim diebus ſediſſet, præmatura morte præventus naturæ debitum perſolvens, utinam non (ut dicitur) potionatus! ſedem Papalem, imò univerſam Eccleſiam reliquit deſolatam.* Sed quidquid ſit de veneno ipſi præbito, certum eſt ex ipſomet Pariſio ſuperius laudato eum cum electus eſt *in ætatem ſenilem jam* declinaſſe, & *debilitatum* fuiſſe. Sepultus eſt autem in Eccleſia S. Petri, ut mox ex Martino Polono oſtendemus. SEC. XIII. COELESTINUS IV.

IV. Ejus virtutes & doctrina.

Cœleſtinum pacis & pauperum Clericorum fuiſſe ſtudioſiſſimum, aſſerunt Joannes Nauclerus & Auctor Compilationis Chronologicæ: *Dederat*, inquit Nauclerus, *hic Pontifex magnam inſtaurandæ pacis ſpem, & apud Imperatorem profeciſſet, ni ſubito vita deceſſiſſet. Erat ei frequens in ore, difficilius in ſecundis rebus, quam in adverſis eſſe moderatum.* Auctor verò Compilationis Chronologicæ de eo ait; quod *cum Cardinalis Epiſcopus eſſet, negotia pauperum Clericorum frequenter & diligenter intuitu miſericordiæ promovit apud Papam Gregorium.* Eum etiam ſcientia & doctrina inclaruiſſe non ſolum Matthæus Paris num. 2. laudatus aſſerit, ſed & ipſe Martinus Polonus in Chronico: *Hic Epiſcopus Sabinenſis*, inquit, *vita & ſcientia laudabilis ſenex & infirmus electus citò moritur & in Eccleſia S. Petri ſepelitur.* Scripſiſſe Cœleſtinum pias & devotas orationes, dum in Altæcumbæ cœnobio Monachum degeret, aſſerit Guido Clarævallenſis. Epiſtolas etiam ejus varias extare dicit Antonius Nigrinus in Elogiorum libro quem edidit de Caſtilleonea familia, ubi & refert ad ſepulchrum ejus in Vaticana Baſilica tunc exaratum ejus epitaphium, quod legi poteſt apud Ciaconium in Additione Ferdinandi Ughelli, quem ſicuti & Oldoinum miratur Papebrocius, non advertiſſe animum ad agnoſcendam illius novitatem & antiquitatem refutandam.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

INNOCENTIUS IV *Pontif.* CLXXX.

Anno Domini MCCXLIII.

I. *Diuturna poſt Cœleſtini mortem Sedis vacatio & unde.*

POſt Cœleſtini IV obitum, qui contigit menſe Novembri anni 1241. ſedem Romanam vacaſſe uſque ad exeuntem menſem Junium anni milleſimi ducenteſimi quadrageſimi tertii inter omnes fere convenit; ſed hujus diuturnæ vacationis cauſam nonnulli referunt in diſcordias paucorum Cardinalium, quòd alii Friderici, alii Eccleſiæ cauſam in ſuffragio ferendo ſpectarent. Platina tam diuturnam vacationem inde proceſſiſſe ait, quòd Cardinales cenſuerint, non prius Pontificem eligendum, quàm quos Fridericus captivos detinebat, dimitteret. Blondus verò ex eo vacationis diuturnitatem eveniſſe vult, quòd Cardinales tenti carcere, proteſtati eſſent, ne ipſis abſentibus electio fieret: iiſque collegas facile aſſenſiſſe, videntes omnem Italiam Friderici motibus quaſſatam eſſe, & per ſingulos dies periculum imminere, ne urbem Romam caperet, cum diligentem curam adhibuiſſet, ut maria undique, undique itinera latrociniis infeſtarentur, ne prælato cuipiam aut viro excellenti à Regibus, Principibuſque Chriſtianis, ad Urbem eſſet acceſſus, ut creando Pontifici auxilium ſuaſioneſque adderet. Ita Blondus ex quodam Parmenſi Theologo Ordinis Minorum, qui omnia vidiſſe ſcribit. Toto itaque anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo Eccleſia Romana ac univerſalis perſtitit in viduitate Paſtoris, Friderico, qui interim circa Romam caſtra habebat, fictè inſtante electioni Pontificis, cui re ipſa impedimentum inferebat.

II. *Fridericus liberat Cardinales captivos.*

Sed tandem anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio male habens Fridericus vulgò jactari ſe impedimento eſſe, quominus Sedi Apoſtolicæ diutina vacatione languenti Pontifex crearetur; ſemel atque iterum Cardinales, qui ſupererant pungentibus literis urſit ad id coire. Reperiuntur hæ literæ apud Petrum de Vineis, qui eas dictavit lib. 1. Epiſt. 14. & 17. Cum autem & inter hæc Balduinus Imperator Conſtantinopolitanus, in tantas rerum anguſtias redactus, ut etiam de retinenda Conſtantinopoli deſperaret, in Italiam appuliſſet, cum Friderico agere cœpit, ut Cardinales, quos in cuſtodia habebat, libertati reſtitueret: ceteri enim firmiter conſtitutum habebant, nequaquam ſe electioni Pontificis operam daturos, quin omnium votis ſimul in unum collatis res ageretur. Demum Fridericus, ſeu cedens Balduino, qui probe ſciebat auxilia à Chriſtianis Latinis fruſtra expectari aut peti poſſe, quibus mittendis Romani Pontificis deeſſet & opera & auctoritas; ſeu ipſorum Cardinalium compulſus exprobrationibus, ut ſi tantopere electionem Pontificis expeteret, detentos Cardinales remitteret; eos ægrè dimiſit.

Cum

Cum igitur omnes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales conveniſſent Anagniæ, die vigeſima quarta menſis Junii, in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ anni milleſimi ducenteſimi quadrageſimi tertii communibus ſuffragiis Sinibaldum Cardinalem Presbyterum tituli Sancti Laurentii in Lucina ſummum Pontificem renunciarunt. Menſem electionis refert Richardus de Sancto Germano in Chronico: *Menſe Junio*, inquit, *Sinibaldus tit. S. Laurentii in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus eſt voluntate & conſenſu omnium Cardinalium.* Diem verò quo electus eſt notarunt Nicolaus de Curbio Ordinis Minorum Innocentii IV Capellanus & Confeſſor in ejus Vita à Baluzio Tomo 7. Miſcellaneorum edita, & Matthæus Pariſius; Nicolaus enim ita ſcribit cap. 6. *Ad ſummum Sacerdotii apicem anno Domini MCCXLII* (legendum MCCXLIII) *VI die exeunte Junio extitit ſublimatus, &, ſicut moris eſt, proprio antiquate nomine fuit Innocentius nuncupatus.* Pariſius verò ait: *Ipſo quoque anno* (nempe 1243.) *die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ creatus eſt in Papam Dominus Sinibaldus Cardinalis poſtquam vacaverat ſedes Papalis per annum & novem menſibus.* Differunt tamen Nicolaus & Pariſius in die, nam dies ſextus exeuntis Junii eſt dies XXV ejuſdem menſis, & tamen Pariſius dicit electionem factam die XXIV, ſed major fides videtur adhibenda Nicolao, ei enim ſuffragatur Bernardus Guidonis in Chronico MS. apud eumdem Baluzium ibidem pag. 405. ubi ait de Innocentio: *Eligitur in Papam Anagniæ in craſtino S. Joannis Baptiſtæ anno Domini MCCXLIII.* Sed tam Matthæus Pariſius, quam Nicolaus de Curbio, vel ejus exſcriptores errarunt, dicentes ſedem vacaſſe *per annum & novem menſibus*, vel *per annum & decem menſes & dies ſex*, ut legitur in Nicolao, niſi dicamus hunc numerare vacationem ſedis à die XXI Auguſti anni 1241. quo obiit Gregorius IX, ad diem XXVIII Junii anni 1243. quo, ex mox dicendis conſecratus eſt Innocentius IV, & hoc quia ipſemet Nicolaus jam dixerat Cœleſtinum IV Gregorii IX ſucceſſorem nunquam fuiſſe conſecratum. Ceterùm à morte Cœleſtini ad electionem Innocentii intercurrerunt tantum menſes XIX, ut ſcribit ex aliquo ſine dubio probo Auctore Joannes Nauclerus Generat. 42. *Vacat*, inquit, *tum ſedes menſibus XIX.* Error irrepſit etiam in Martini Poloni Chronicon in quo legitur ſedem vacaſſe *viginti menſibus & diebus XIV*, cum teſtimonium Richardi de S. Germano tunc in Italia viventis ſit omni exceptione majus, hic autem dicens Cœleſtinum IV obiiſſe menſe Novembri anni 1241. & Innocentium IV electum menſe Junio anni 1243. unius anni & menſium tantum ſeptem vacationem admittit. Diſcrepant etiam Auctores in die conſecrationis Innocentii, plures enim extare dicit Raynaldus num. 6. qui eam conjungunt cum die XXVIII Junii, licet Pariſius eam alliget diei XXIX, *Die Apoſtolorum Petri & Pauli*, inquit, *confirmatus &*

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV. III.

Innocentius IV eligitur & conſecratur Pontifex.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

conſecratus eſt, & vocatum eſt nomen ejus Innocentius IV. Verùm præter Auctores à Raynaldo laudatos, Nicolaus de Curbio poſt citata verba, ait: *Poſtmodum IV Kal. Julii feliciter conſecratus* eſt, & quidem rectè, anno enim 1243. dies XXVIII Junii concurrebat cum Dominica, qua de more Romani Pontifices conſecrabantur, quamvis fatendum ſit diem XXIX Junii, utpote memoriæ Apoſtolorum Petri & Pauli dicatam, conſecrationi fuiſſe idoneam.

IV. *Innocentii genus & primordia ante Pontificatum.*

Innocentium IV, dictum Sinibaldum, Patria Genuenſem, ex nobili Fliſcorum Lavaniæ Comitum genere ortum, non ſolum Martinus Polonus, ſed & alii omnes conſentiunt. Hunc Gregorius nonus ex Canonico Eccleſiæ Cathedralis Parmenſis, quòd eſſet Juris conſultiſſimus, Auditorem literarum contradictarum & Vicecancellarium creavit, unde & *Pater Juris* appellari meruit, ejuſque conſtitutiones ac ſingularia opera à Bartolo ſummo Juris interprete ſæpe citantur. Deinde idem Pontifex Sinibaldum Presbyterum Cardinalem tit. S. Laurentii in Lucina renunciavit, non verò Diaconum Cardinalem, ut ſcribit Henricus Stero in Annalibus apud Henricum Caniſium Antiq. Lect. Tomo 1. pag. 267. cujus ſententia refellitur ex Epiſtola 109. libri 14. Regiſtri Gregorii ad Sinibaldum tum Piceni præfectum data; difficillimis enim Reipublicæ Chriſtianæ temporibus agro Piceno ſumma cum laude ante Pontificatum præfuit. Nicolaus de Curbio in ejus Vita aſſerit, eum creatum eſſe à Gregorio IX Cardinalem ad titulum S. Laurentii in Lucina, qui titulus erat Presbyteri non Diaconi, unde cap. 6. vocat eum Presbyterum Cardinalem.

V. *Innocentius gratulatorias Friderici literas & Legatos recipit.*

Innocentius die ſecunda Julii, triduo poſt ſuam conſecrationem univerſis Chriſti fidelibus, encyclicis literis ſuam creationem ſignificavit, quæ in ipſius Regiſtro inſcriptæ ſunt Remenſi Archiepiſcopo, ejuſque ſuffraganeis. Fridericus verò, quia Innocentii electio in gratiam ejus procurata fuerat, quòd inter eum & Sinibaldum arcta eſſet amicitiæ conſuetudo, lætitiam præ ſe tulit, ut teſtatur Richardus de S. Germano, qui poſtquam de electione Pontificia locutus eſt, ſubdit: *Quo audito Imperator, qui tunc erat Melfiæ, ubique per regnum laudes juſſit Domino debitas decantari.* Tum menſe Julio exeunte Beneventi exiſtens, ad eum gratulandi cauſa honorificam legationem deſtinavit Girardi de Marpurg Magiſtri Theutonicorum, Arnaldi de Mati Imperii & regni Siciliæ Ammirati, Petri de Vineis, & Thadæi de Sueſſa magnorum Curiæ Imperialis Judicum, & Rogerii Porcaſtrellæ Meſſanenſis Decani capellani ſui, cum literis ordine 33. lib. 1. apud Petrum de Vineis, & apud Raynaldum num. 11. extantibus; quibus eum ex veteri amico novum ſibi creatum patrem lætabatur, atque tam ſe ipſum, quàm potentiam ſuam, Imperium ac regna ſua, ejus beneplacito, *ad honorem Eccleſiæ, ac favorem omnimodum Eccleſiaſticæ libertatis, quantum cum Deo ſalvis jure & honore*

Digitized by Google

honore ſacri Imperii & ſuorum regnorum poſſet, *obnixius* offerebat. Data eſt Epiſtola *apud Beneventum XXVI Julii primæ indictionis.* De illa legatione loqui videtur Richardus de Sancto Germano, licet tres tantum memoret Legatos, inter quos numerat Archiepiſcopum Panormitanum, de quo in literis Friderici nulla eſt mentio: *Menſe Julio*, inquit, *Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Berardum Panormitanum Archiepiſcopum, Magiſtrum Petrum de Vinea, & Magiſtrum Thadaum de Sueſſa, à quo benigne ſatis recepti ſunt, & benignum ad Principem retulerunt reſponſum.* Ex quibus deduci poteſt, nutare fidem eorum, qui ſcribunt, Fridericum, utpote improbæ ſuæ mentis conſcium, tanti viri electionem iniquiore animo tuliſſe, ac nunciantibus eam triſte reſponſum dediſſe, bonum ſe amicum Cardinalem in acerrimum hoſtem Pontificem commutaſſe.

VI. *Legatos pro pace ad eum mittit.*

Poſt hæc Innocentius, antequam Romam ſe conferret, Petrum Archiepiſcopum Rotomagenſem, Willelmum olim Epiſcopum Mutinenſem, atque Willelmum Sancti Fœcundi Abbatem, quem Ferdinandus Caſtellæ & Legionis Rex anno 1239. ad tentandam concordiam inter Gregorium Papam & Fridericum Imperatorem, Romam miſerat, Legatos ad eumdem Fridericum deſtinavit, ut de reconciliatione cum eo tractarent: petens imprimis, ut omnes Prælatos, Clericos & laicos, quos ſub Gregorio mari ceperat, liberos dimitteret: deinde proponens paratum ſe eſſe ad pacem Eccleſiæ eum recipere, ſi crimina illa purgaret, quorum damnatus à Gregorio fuiſſet; ac vice verſa ſi eum Eccleſia in aliquo contra debitum læſiſſet, ſatisfacere eidem, judicio atque arbitrio Regum, prælatorum ac Principum, tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, in aliquem tutum locum ad id in Concilium vocandorum. Hæc enim ita geſta & propoſita eſſe conſtat, non ſolum ex monitis Apoſtolicis Legatis traditis apud Raynaldum anno 1243. num. 14. ſed etiam ex ſententia depoſitionis in Fridericum poſtea in Concilio Lugdunenſi lata, cujus pars inſerta eſt libro ſexto Decretalium cap. *ad Apoſt. de ſent. & re jud. c. in 6.* integra verò reperitur apud Matthæum Pariſium, atque in Bullario Laërtii Cherubini Tom. 1. Conſt. 3. Innocentii IV, & Tomo XI Conciliorum Labbei. Hi porrò tres Legati ab aliquibus dicuntur Cardinales, quia non multo poſt, anno ſcilicet 1144. ab Innocentio antequam Româ in Galliam pergeret, in Cardinalium collegium cooptati fuêre. Dixi autem hos Legatos ab Innocentio miſſos Anagnia antequam Romam pergeret, non verò poſtquam Romam advenit, ut ad annum 1243. num. 5. ſcribit Spondanus, quia idem Raynaldus num. 17. & ſeqq. refert literas ejuſdem Pontificis ad eoſdem Legatos in Curia Friderici exiſtentes datas *Anagniæ VII Non. Septembris*, (legendum, *VII Idus ſeptembris*, tot enim dies ante nonas non habet menſis September) *anno I*, & num. 26. alteram Epiſtolam ejuſdem Pontificis refert datam *Anagniæ Nonis Octobris anno I.*

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV. VII. *Magno honore à Romanis recipitur.*

Sed Pontificem menſe tantum Octobri Romam profectum eſſe diſertè aſſerit Richardus de S. Germano in fine ſui Chronici: *Menſe Octobri*, inquit, *circa feſtum omnium Sanctorum Innocentius Papa Urbem intrat cum honore Senatûs populique Romani magno receptus, ad quem dictus Comes* (de Raymundo Comite Toloſano loquitur, quem anno 1242. ad Fridericum in Apuliam acceſſiſſe dixerat) *vadit tractans inter ipſum & Imperatorem bonum pacis*. Quibus verbis Richardus finem impoſuit Chronico ſuo, cui coronidis loco hæc adjecta eſſe ait Raynaldus num. 28. *Huc uſque Richardus Notarius de S. Germano hujus Hiſtoriæ Auctor, haſque perduxit relationes quæ ſuo tempore contigerunt*. Fallitur tamen Richardus dum ait, Innocentium Romæ receptum eſſe menſe Octobri, nam Nicolaus de Curbio, & diem ejus diſceſſus ex Urbe Anagnia, & diem quo Romæ receptus eſt, expreſsè notavit cap. 7. *Hyemali tempore ingruente*, inquit, *quia Romanorum Pontificum mos tenebat tunc temporis ad Urbem redire, XVII Kal. Novembris exiens de Anagnia, Romam ivit, ad quam cum perveniſſet, tam à Clero, quam à populo univerſo cum tripudii gaudio eſt receptus XVII Kal. Decembris. Sed revera ſicut hebdomada de palmis Judæi Chriſtum quanto honorabilius receperunt, tanto ignominioſius ſequenti ſexta feria tractaverunt, cui tunc ſua veſtimenta proſtraverunt, poſtmodum exuentes propria, & quem tunc laude multiplici benedixerant, poſtmodum blaſphemiarum & opprobriorum iaculis acriùs ferientes, ita & Romanorum quam plurimi mercatores, quamquam non de Nobilium voluntate, qui dominica medii Novembris* (ideſt XVII Kalend. Decembris, ſeu die XV Novembris, qui anno 1243. concurrebat cum Dominica, ex quo & ſequitur Nicolaum Innocentii IV electionem affixiſſe huic anno, non verò anno 1242.) *Cum tam honorifice ſuſceperant venientem ad Urbem, ſtatim ſequenti ſexta feria, qui Gregorio Papæ IX, LX millia fere mutuaverant marcarum inſtantiſſime ac procaciter mutuum repetebant, aulam palatii & cameras non minus infeſtis clamoribus, quam oneroſa multitudine replentes, & per multorum dierum ſpatium ipſum adeo anguſtantes, quod in menſa more ſolito manducare non poterat, potius ipſum oportebat in camera latitare*. Refert poſtea Nicolaus eos Pontificis patientia victos aliqua pecuniæ quantitate recepta receſſiſſe.

VIII. *Friderici juramentum de ſatiſfaciendo Eccleſiæ recipit.*

Fridericus interea Pontificis monita elata obſtinatione deſpiciens, effrenatiori furore incenſus, ſtatim portus atque itinera omnia, ut ſcribit Pariſius, terra marique diligenter cuſtodiri mandavit, ne quis à Pontifice ad tranſalpinos Reges & populos, vel ab iis ad Pontificem accederet: ac Fratres aliquot Minores, qui detecti ſunt aliquas literas ſecretò deferre fœdo amici ſuſpendio juſſit. Filius itidem ejus Conradus in Germania adeò vias obſtruxit, ut nec Fratribus Minoribus ac Prædicatoribus Romam ire deprehenſis parceret, quin uſque ad mortem variis cruciatibus torqueret. Quæ res ubi percrebuit, mirè animos omnium

Digitized by Google

nium commovit: & poſtquam Viterbienſes injuriis aſſiduis Præfectorum Friderici exagitati, ab eo deſciſcentes Romanis ſe junxerunt, & eumdem ipſum Fridericum opem ſuis arcem adhuc tenentibus ferentem turpiter fugarunt; multi alii pariter populi & Principes Italiæ ab eo receſsêre. Quare accepto ex vexatione intellectu, & aſſiduis amicorum hortationibus ſtimulatus, animum ad pacem cum Eccleſia faciendam adjecit. Raymundum itaque Toloſanum Comitem, Petrum de Vineis & Thadeum de Sueſſà Romam miſit, eiſque procuratorias partes impoſuit, ut ſolemni ſacramento ſe devincirent, ipſum Pontificis mandatis pariturum, omnibuſque damnis ac injuriis, ante & poſt inflictum anathema irrogatis Eccleſiæ facturum ſatis, & quidquid ei gererent, ratum habiturum, qua de re diploma publicum edidit, quod extat apud Pariſium anno 1244. & apud Raynaldum ibidem num. 22. Illi autem procuratores Friderici nomine, præſente Balduino Imperatore Conſtantinopolitano, Cardinalibus, multiſque aliis prælatis, Senatoribus Romanis ac populo, ſolemniter Innocentio Papæ jurarunt die Cœnæ Domini, quæ anno 1244. cum die ultima Martii concurrebat, Fridericum ſtaturum judicio Pontificis ſuper omnibus articulis, injuriis, damnis & offenſis ante & poſt excommunicationis ſententiam, qua à Gregorio Papa aſtrictus fuerat, Eccleſiis ac perſonis Eccleſiaſticis illatis, ut conſtat ex Epiſtola 645. libri 1. Regeſti Innocentii, quæ extat apud Raynaldum num. 21. dataque eſt *Laterani II Kal. Maii anno 1*, & directa *Nobili viro Landgravio Thuringiæ.* Matthæus Pariſius quamvis Pontificibus Romanis iniquior, diſſimulare tamen non poteſt Fridericum, literis Angliæ Regem rogaſſe, ut Oratores mitteret, qui inchoato Toloſani Comitis operà pacis tractatu; inter ſe & Eccleſiam, intereſſent, tumque recenſet capita contrahendæ concordiæ apud ipſum legenda.

IX. *Friderico à juramento reſiliente Cardinales creat.*

Sed Innocentius qui Friderici juramentum lætanter ſuſceperat, mœrorem ingentem confeſtim ex eo ſuſcepit, quòd mox Fridericus ad ingenium rediens, ſe hujuſmodi ſacramento, ut ſibi pernicioſo ſtare nolle contendit, ut ipſemet Innocentius teſtatur in ſententia depoſitionis Friderici, quæ ne quis ficta exiſtimet, adducenda ſunt verba Pariſii, quamvis Friderici fautoris acerrimi, qui poſt rem diſtinctè ex ipſiuſmet Friderici ſcriptis enarratam, ſubjungit: *Imperator Fridericus ſuperbiæ ſtimulis exagitatus, pœnitere cœpit, quod ſe Eccleſiæ, ut prædictum eſt, humiliaſſet & obligaſſet, & calcaneo Papali inſidias tetendit, & laqueos abſconditos, qui tamen poſtea apparuerunt manifeſti, de quibus Dominus Papa præmonitus, Imperatoris vulpinos mæandros, inquantum potuit, evitavit, nec ſe credebat ei, vel ſuis, cum noſſet omnes, futura præteritis comparando.* Innocentius itaque Friderici fraude agnita, ad confirmandas ſuas partes nonnullos Cardinales, nobilitate ac geſtis inſignes renunciavit; idem enim Pariſius poſt laudata verba ſubdit: *die verò Sanctæ Trinitatis* (ſeu die 19.

Maii,

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Maii, cum paſcha anno 1244. celebratum ſit die tertia Aprilis) *volens Dominus Papa partem ſuam melius roborare, quia paucos ſui laboris ſocios & ſollicitudinis habuerit participes, creavit decem Cardinales, videlicet Magiſtrum Joannem de Toleto, natione Anglicum, & quoſdam alios, moribus & ſanguine præclaros.* Sed fallitur Pariſius in die creationis Cardinalium, quæ facta eſt, non die S. Trinitatis, ſeu die 29. Maii, ſed die præcedenti in ſabbato quatuor Temporum, ut ſcribit Nicolaus de Curbio cap. 12. *Cernens igitur Dominus Papa ſe plurimùm fratrum indigere conſilio, cum non eſſent tunc niſi ſeptem in Eccleſia Cardinales, primo anno Pontificatûs ſui in Eccleſia beati Petri Apoſtoli de Urbe ſabbato infra Octavam Pentecoſtes XII Cardinalium, videlicet trium Epiſcoporum, & trium Presbyterorum, ac ſex Diaconorum ordinatione decentiſſimè Eccleſiam adornavit.* Deceptus eſt itaque Ciaconius ſcribens, Innocentium in quatuor Temporibus Adventus Domini Lugduni primùm tredecim Cardinales creaſſe. Ex his etiam corruit quod ſcribit Raynaldus anno 1244. num. 31. extare ſcilicet literas Innocentii IV eo anno die 8. Kalendas Junii datas, quibus conſtare dicit, Octavianum eo die jam fuiſſe dictum fuiſſe Cardinalem Diaconum S. Mariæ in via lata; niſi dicamus in iis literis pro 8. *Kal. Junii*, legendum, 8. *Idus Junii.*

X. *Friderici perſecutiones fugiens, Ianuam pergit, indeque in Galliam.*

Non multis diebus elapſis, nempe die ſeptima menſis Junii, non verò octavo die ante feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, ut ſcribit Pariſius, Innocentius Pontifex ad civitatem Caſtellanam acceſſit, ut propius de pace cum Friderico, qui Interamnam ſe contulerat, tractaret: *Et ſeptimo die Junii ſubſequentis*, ſubdit Nicolaus de Curbio *egrediens Urbem ad civitatem Caſtellanam illicò eſt profectus. Ubi dictus Imperator, qui apud Interamnam tunc erat, dicto Pontifici & fratribus occultas tendens inſidias, ipſoſque capere machinans, in ipſo civitatis egreſſu, adjecit iterum pacis ſimulare tractatum, ſolemnes tranſmittens nuncios, Magiſtrum videlicet Petrum de Vineis, Gualterium de Sora, qui eum ſub ſpecie tractatus pacis ſecurum redderent & incautum.* Sed Innocentius non ignarus ejus machinationum, *in prædicta civitate XIX dierum perſiſtens ſpatio*, cum nonniſi per Sutrium & Januam poſſet habere tranſitum ſecurum propter viarum diſcrimina & præcluſiones earum per mare & per terram, *religioſum virum & nobilem fratrem Boiolum nomine conſanguineum ſuum Ordinis fratrum Minorum miſit Januam pro galeis*, & XXII infra dies XVII cum duabus ſagittis & aliis octo lignis bene præparatis ad civitatem Vetulam Januâ advenientibus, cum ipſe Sutrium deveniſſet die 27. Junii, & die ſequenti Sutrio profectus prima noctis hora per devia & abrupta montium ac nemora tota nocte laboraſſet, multa laſſitudine prægravatus, in die feſtivitatis Apoſtolorum circa horam nonam, ad ipſam civitatem Vetulam eſt deductus; eademque die, ſcilicet 29. Junii *quarta feria circa horam veſpertinam mare intravit* & ſummo diluculo verſus Januam

Digitized by Google

Januam iter arripuit, ad quam civitatem, poſt innumeram procellarum *SEC. XIII.*
& tempeſtatum diſcriminoſam agitationem pervenit in die octava Apoſtolorum, ſeu die ſexta Julii; *ubi vicis omnibus, per quos fecit tranſitum pannis deauratis ac ſericis undique decoratis*, cum ingenti lætitia eſt receptus. Quæ conſtant ex capp. 13. & 14. ejus Vitæ ab eodem Nicolao de Curbio, qui eum comitabatur, conſcriptæ, quibus ſimilia ſcribit Matthæus Pariſius. Paucis evolutis diebus febri & diſſenteria ita gravari cœpit, ut de ipſius corporali ſalute medici communiter deſperarent; quare per trium fere menſium ſpatium in monaſterio S. Andreæ prope civitatem ei commorandum fuit. Verùm cum diutius ibi permanere non poſſet, reſumptis aliquantiſper viribus, de Janua egrediens, vectus hominum & equorum vehiculo ipſe decumbens in lectulo, apud caſtrum Stellæ pervenit. Cumque in dicto caſtro graviſſima eſſet ægritudine prægravatus, ibidem cum paucis de ſua familia pluribus diebus moram traxit; ſed infirmitate aliquantulum mitigata, IX Kalendas Novembris inde egrediens, apud Cararium devenit, nunc hominum, nunc equorum vehiculo ſupportatus: inde V Kal. ejuſdem menſis Cortomoliam vectus, aliquantulas vires reſumens apud S. Stephanum eſt portatus, dieque VIII Idus Novembris cum multitudine armatorum à Marchione Montisferrati directa, ad civitatem Aſtenſem, quæ tunc temporis erat Imperatori ſubjecta, conſtans & intrepidus venit. Inde verò recedens apud Seguſiam pervenit pridie Idus Novembris, & poſtmodum cum labore gravi & afflictione non modica, Lugdunum ſecunda die Decembris, ubi cum magna exultatione & gaudio à Clero & populo ſuſceptus eſt. Hæc ex cap. 15. ejusdem Vitæ ſummariè deſcripta.

INNOCENTIUS IV.

Concilium Lugdunenſe I,

Generale XIII.

Cum Innocentius IV anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto, prædonibus Friderici Imperatoris, qui vias obſederant, clu- XI.
ſis, in Galliam, conſuetum atque tutiſſimum Romanorum Pontificum azylum contendiſſet, ac Lugdunum ineunte Decembri appuliſſet, Concilium generale in eadem urbe celebrandum conſtituit, ideoque feſto Nativitatis dominicæ celebrato, dum in feſto beati Joannis Evangeliſtæ miſſam in Lugdunenſi Eccleſia celebraret, ac prædicaret populo verbum Dei, ibi publice nunciavit Concilium generale, in feſto S. Joannis Baptiſtæ proxime venturo anno 1245. inchoandum. Et tunc in prædicatione publica per ſe ipſum citavit dictum Imperatorem Fridericum, ut ibi per ſe vel ſufficientes procuratores futuro Concilio compareret, ut

Innocentius IV Concilium Lugdunenſe generale indicit.

 inquit

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

inquit Nicolaus de Curbio cap. 18. Vitæ ejuſdem Pontificis. Encyclicas eam in rem literas dedit *Lugduni tertio Nonas Ianuarii anno ſecundo* Pontificatus ſui, ideoque menſe Januario anni 1245. eaque de re Balduinum Imperatorem Conſtantinopolitanum, tunc, ut ſuperius dictum eſt, in Occidente exiſtentem, Reges Galliæ, Hiſpaniarum, Angliæ, alioſque certiores fecit, ſimulque univerſos & ſingulos obſecravit, ut vel coram intereſſent, vel Oratores mitterent ad Synodum.

XII. *Convocationis Concilii cauſa.*

Cauſæ convocationis Concilii exprimuntur ab Innocentio in encyclicis illis literis, in quibus ait: *Hinc eſt, quòd Nos, ut ipſa Eccleſia, per fidelium ſalubre conſilium, & auxilium fructuoſum, ſtatus debiti poſſit habere decorem, & deplorando Terræ ſanctæ diſcrimini, & afflicto Romano Imperio propere valeat ſubveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac perſecutores populi Chriſtiani: necnon pro negotio quod inter Eccleſiam & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Eccleſiarum, ac alios mundi Principes duximus advocandos.* Literæ convocationis incipiunt his verbis: *Dei virtus & Dei ſapientia*, extantque Tomo XI Concil. pag. 636. & pag. ſequenti ibidem habetur Vetus notitia eorum quæ hac in Synodo geſta ſunt, in qua ipſo fere initio legitur, Pontificem in prima ſeſſione prædicaſſe, & eaſdem convocationis Concilii cauſas adduxiſſe, ut mox dicetur. Has quinque fuiſſe cauſas convocationis ejus, ſcribunt etiam Henricus Stero in Annalibus apud Henricum Caniſium Tomo 1. Antiq. Lect. Albertus Stadenſis, & Matthæus Pariſius, qui fuſius ceteris Acta Concilii exponit; ſed cum Friderici fautor ſit acerrimus, & Pontificibus Romanis infenſus, Acta Concilii ex veteri illa notitia, & ex ſententia depoſitionis Friderici, hîc paucis explicanda ſunt, potius quam ex Pariſio, qui & in conſignandis diebus & locis trium ſeſſionum Concilii vel deceptus eſt, vel alios decepit, ut mox videbitur.

XIII. *Errores Matthæi Pariſii notantur.*

Et primò quidem fallitur Pariſius dum recenſens patres qui Concilio interfuerunt, Nicolaum Conſtantinopolitanum Patriarcham, ſupponit fuiſſe etiam Patriarcham Antiochenum, ex laudata enim Notitia, quam ſub nomine Actorum Vaticanorum citabimus conſtat, Nicolaum Patriarcham Conſtantinopolitanum fuiſſe diverſum ab Antiocheno, cum dicat tres Patriarchas Concilio adfuiſſe, Conſtantinopolitanum nempe, Antiochenum & Aquileienſem. Errat ſecundò Pariſius dum ait, primam Concilii ſeſſionem celebratam eſſe die lunæ proxima poſt nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ, ſcilicet die vigeſima ſexta Junii, *in Refectorio Religioſorum Sancti Juſti*; cum tamen Acta Vaticana, & quidem rectiùs, dicant primam ſeſſionem habitam *in vigilia Petri Apoſtoli*, ſcilicet die vigeſima octava Junii, *in Majori Eccleſia*; quis enim unquam audivit Concilia præſertim generalia, in refectoriis Religioſorum inchoata, cum omnia ſuperioribus ſeculis in Eccleſiis habita fuerint.

Inter-

Interfuerunt huic Concilio unà cum ſummo Pontifice Innocentio IV, præter Cardinales, Patriarchæ tres jam nominati, Archiepiſcopi & Epiſcopi centum quadraginta ex Galliis, Hiſpania, Italia, Anglia, Scotia, Hibernia. Interfuerunt inſuper plures abſentium procuratores, Abbates & Priores; & ex ſecularibus principibus Balduinus Imperator Conſtantinopolitanus, Raymundus Comes Toloſanus, Raymundus Berengarii Comes Provinciæ, & quidam alii, unà cum Friderici Imperatoris, Francorumque, Angliæ ac cæterorum Regum, Principumque Legatis. Ex Germania paucos acceſſiſſe Prælatos, ob turbas à Friderico excitatas, neminemque ex Hungaria, ob vaſtationem Tartarorum, rectè Pariſius habet: ſicuti neque de Terra ſancta, præter Waleranum Epiſcopum Beritenſem, qui adſuit occaſione legationis pro implorando ſubſidio anno ſuperiori 1244. ſuſceptæ. SEC. XIII. INNOCENTIUS IV. XIV. *Numerus patrum Concilii.*

Prima ſeſſio celebrata eſt in Vigilia Sancti Petri Apoſtoli, ſeu die vigeſima octava Junii in majori Eccleſia, in qua Pontifex miſsâ celebratâ, locum eminentiorem aſcendens, Imperatorem Conſtantinopolitanum ſedentem habuit ad dextram, & quoſdam alios Principes laicos ad ſiniſtram, & Diaconum Cardinalem Vicecancellarium magiſtrum Martinum Neapolitanum cum notariis, auditore & correctore, Capellanis, Subdiaconis & quibuſdam aliis. Inferius verò ſic Prælati ſederunt, ut ex oppoſito tres Patriarchæ eſſent, videlicet Conſtantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus & Aquileienſis tertius: quæſtio tamen mota eſt de iſto tertio à ceteris duobus negantibus illum cum ipſi ſedere debere, eò quod non eſſet de quatuor antiquis, adeoque amota eſt inde ab iis ſedes ejus; quam tamen ad vitandum ſcandalum Pontifex reſtituit. In navi verò Eccleſiæ ad dexteram & in eminentioribus locis ſederunt Epiſcopi Cardinales, ex altera Presbyteri Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi poſt eos: inque aliis ſedibus conſtitutis in eadem navi, aliqui alii Epiſcopi, Abbates, procuratores Capitulorum, Nuncii Regum & Imperatoris Friderici, atque alii multi. XV. *Ordo ſeſſionis primæ.*

Tum Innocentius Pontifex poſt invocationem Sancti Spiritus & Litaniarum recitationem ſermonem inchoavit ex Scriptura pſal. 93. *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes* &c. & dixit circumdatum ſe eſſe quinque doloribus: de prælatorum ac ſubditorum deformitate: de inſolentia Saracenorum: de ſchiſmate Græcorum: de ſævitia Tartarorum: de perſecutione Friderici; eoſque diffuſè explicavit, ac præſertim poſtremum de Friderico, ad cujus objectiones diſertiſſime reſpondit Thadæus de Sueſſa unus de nunciis Imperatoris, *ſed dominus Papa reſpondit ad ſingula bene ac ſi prævidiſſet, ſe & Eccleſiam excuſando. Et ſic illius diei ſeſſio fuit terminata.* XVI. *Pontificis in ea oratio.*

Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

XVII. *Secunda ſeſſio de rebus Friderici Imp.*

Secunda ſeſſio, ſubdunt Acta Vaticana, *fuit ad octo dies poſtea*, ideoque habita eſt die mercurii ſequenti, quinta ſcilicet menſis Julii (Pariſius die 28. Junii habitam dicit, ſcilicet die Mercurii poſt feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, quod maxime notandum) *& quoad ſeſſionem & officia idem factum fuit, quod & in prima.* Auditæ ſunt accuſationes nonnullorum Antiſtitum in Fridericum, ac præcipuè Hiſpanorum Pontificem in eum animantium, eaſque cum idem Thadæus refellere conatus eſſet, demum ſuppliciter poſtulavit, ut prorogaretur tertia ſeſſio, quò poſſet Fridericus adeſſe, quem jam Taurini eſſe, & iter arripuiſſe, ut veniret ad Concilium, audierat. Quare Pontifex Friderici adventum vehementer cupiens, ut pax firma ſanciretur, contra multorum Prælatorum voluntatem, & cum aliorum tædio, ac ſpeciatim militum Hoſpitalariorum & Templariorum, quibus cuſtodiam Concilii Innocentius commiſerat, *uſque ad diem lunæ, poſt octavam ſeſſionis ſecundæ, quæ fuerat in die mercurii prorogavit tertiam ſeſſionem*, ideſt uſque ad diem decimam ſeptimam menſis Julii, cum ſecunda ſeſſio celebrata ſit die Mercurii, quinta ejuſdem menſis. Matthæus Pariſius qui ſecundam ſeſſionem habitam dicit feria quarta poſt feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, ideoque die 28. Junii, ait conceſſas eſſe inducias Thadæo *fere duarum hebdomadarum*, quod idem eſt ac dicere conceſſas eſſe duodecim dierum inducias.

XVIII. *In tertia ſeſſione ſtatuitur Octavam Nativitatis B. Virginis ſolemniter celebrandam*

Iis induciis elapſis, cum nec Fridericus compareret, nec novi pro eo Legati cum ſpecialiori mandato, die Lunæ decima ſexta Kalendas Auguſti Pontifex *conſtituit tertiam ſeſſionem, & peractis officiis ut in prima, poſt multa dicta hinc inde & audita, antequam ad feſtum accederetur Nativitatis beatæ Virginis glorioſæ, ordinavit Octavam, ſacro Concilio approbante*, inquiunt Acta Vaticana. Quo ex loco Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium ſcribit, Cardinales ſede vacante, poſt Cœleſtini IV mortem, voto ſe obſtrinxiſſe celebrandi per orbem Octavam Nativitatis Virginis Mariæ, ſi eis daretur, ut concordes procederent ad electionem Romani Pontificis: ideoque Innocentium inſtituiſſe celebrari feſtum Nativitatis B. Mariæ die octava menſis Septembris, & ut diceretur Antiphona iſta, *Nativitas tua Dei Genitrix virgo gaudium annunciavit univerſo mundo.* Sed quoad feſtum Nativitatis Dei Genitricis, illud jam ſeculo ſeptimo fuiſſe celebratum conſtat ex eo quod Sergius primus, ut in ejus Pontificatu num. XXV diximus, ſtatutum fecit, quo in nativitate beatæ Mariæ Virginis Litaniam ab ejus Eccleſia ad S. Hadrianum fieri inſtituit. Idem feſtum recenſetur in Martyrologio Bedæ, in ſtatutis Sancti Bonifacii, quæ extant in Spicilegii Tomo IX, in ſtatutis Sancti Adalardi Abbatis Corbeienſis lib. 2. cap. 3. in Spicilegii Tomo IV & alibi. Quæ ſufficiunt ad probandum non ſolum Innocentium IV non inſtituiſſe feſtivitatem Nativitatis B. Mariæ, ſed & eam

eam ante ſeculum nonum inſtitutam, contra quod contendit Ludovicus Thomaſſinus in ſingulari Tractatu de feſtis lib. 2. cap. 20. Quod attinet ad octavam ejuſdem feſti, Innocentius in Concilio Lugdunenſi eam non inſtituit, ſed tantum *conſtituit ut octavâ beatæ Virginis Mariæ ab omnibus Clericis & religioſis annuatim ſolemniter* celebraretur, ut ait Auctor Compilationis Chronologicæ Joannis Piſtorii; longe enim antea in aliis quibuſdam Eccleſiis celebrabatur; nam Gaufredus Prior Voſienſis, qui circa annum 1180. florebat, in ſuo Chronico loquens de Pontio quondam Abbate Cluniacenſi, & de Petro Venerabili ejuſdem monaſterii Abbate, Romam ab Innocentio II evocatis, diſerte ait, tunc octavam Nativitatis B. Mariæ in monaſterio Voſienſi, in diœceſi Lemovicenſi ſito, inſtitutam eſſe: *Amlardus*, inquit, *Voſias deveniens in octavis Dei Genitricis, ejuſdem Nativitatis octavas ibidem inſtituit agi*; illud itaque ſolùm inſtituit Innocentius ſacro approbante Concilio, ut Octava ejuſdem Nativitatis à Clero & religioſis viris ſolemni ritu celebraretur in tota Eccleſia. Vigiliam huic feſtivitati cum jejunio fuiſſe inditam à Gregorio XI in ejus Vita oſtendemus. SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

XIX. *Quædam alia in eadem ſeſſione geſta.*

In eadem tertia ſeſſione, jubente Innocentio Papa, lectæ ſunt quædam conſtitutiones, quæ pro Terræ ſanctæ recuperatione, ſubſidioque Imperii Romaniæ, ſeu Conſtantinopolitani, & quæ contra Tartaros factæ fuerant: cuncta etiam privilegia Romanæ Eccleſiæ, à quibuſdam Principibus conceſſa, lecta ſunt, & in eis appoſita Prælatorum, qui aderant, ſigilla, ut vigorem haberent ſicut originalia. Nuncii deinde Regis Angliæ auditi ſunt de juribus regni ſui: & Thadæo de rebus domini ſui Friderici appellanti ad futurum Pontificem & Concilium generale, benigne reſpondit Pontifex, eſſe illud quod tum celebrabatur Concilium generale, quia tam Principes ſeculares, quàm Eccleſiaſtici ad illud fuerant invitati, & qui ſub ditione Friderici erant, fuiſſe impeditos ab eo ne accederent.

XX. *In eadem Seſſione Fridericus deponitur ab Imperio.*

Deinde Pontifex poſtquam multa dixiſſet de antiqua ſua in Fridericum dilectione, & indulgentia poſt initum Pontificatum, protulit ore tenus ſententiam, quâ eum omni honore, & Imperio, aliiſque regnis ſuis privavit, eamdemque mox ex ſcripto coram univerſa Synodo recitari fecit. Eâ vero lectâ, & cantato ab omnibus hymno *Te Deum laudamus*, fuit Concilium diſſolutum. Hæc ex veteri illa Notitia, ſeu ex prædictis Actis Vaticanis, ex quibus evidenter deducitur deceptum eſſe Pariſium, quando ſcripſit, ſecundam ſeſſionem habitam eſſe die Mercurii vigeſima octava Junii, & in ea conceſſa eſſe inducias *fere duarum hebdomadarum*, quibus elapſis, lata eſt in Fridericum ſententia, quæ eo pacto lata fuiſſet, ut quam tardiùs, die duodecima menſis Julii, cum tamen data ſit *decimo-ſexto Kalendas Auguſti anno tertio*, ſeu die decima ſeptima Julii anni tertii Pontificatûs Innocentii.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV. XXI. *Præcipue propter quatuor graviora crimina.* Eâdem ſententiâ Innocentius omnes qui Friderico juramento fidelitatis quocumque modo tenebantur adſtricti, ab hujuſmodi juramenti obligatione perpetuò abſolvit: quique deinceps velut Imperatori, aut Regi conſilium, auxilium, vel favorem præſtarent, eos ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjectos declaravit: illis verò ad quos electio Imperatoris ſpectaret, ſucceſſorem ei eligere poteſtatem fecit; de regno Siciliæ poſtea decreturus cum Cardinalium conſilio. Quamplurima autem refert Innocentius Friderici ſcelera atque flagitia, propter quæ ſententiam in eum protulit, tum maxime propter quatuor graviſſima, nempe frequentia *perjuria* atque molitiones contra Eccleſiam Romanam, cujus erat ratione Siciliæ beneficiarius, & à qua Imperium acceperat; cum non ſolum, ut ſæpius cum juramento promiſerat, non ejus jura ac bona ſervaſſet & protexiſſet, verùm etiam ejus Pontifices & homines dire perſecutus eſſet, poſſeſſioneſque occupaſſet atque diripuiſſet. Secundò propter *pacis* cum Eccleſia ſolemni ſacramento pluries firmatæ *violationem*; cum diverſis vicibus ob iniqua facinora excommunicatus, non ſolum nihil eorum præſtitiſſet, quæ pollicitus eſſet, ut excommunicatione ſolveretur; ſed etiam deteſtabiliora committens, Eccleſias regni Siciliæ expilaſſet, electiones impediſſet, Clericos ad judicium ſeculare traxiſſet, ſubire duella coegiſſet, patibulis affixiſſet; penſionem annuam mille ſquifatorum, ad quæ pro eodem regno tenebatur, per novem annos & amplius ſolvere prætermiſiſſet. Tertiò propter *ſacrilegium*, cum Cardinales Legatos, aliſque Eccleſiæ proceres ac religioſos viros ad Concilium Romam à Gregorio Papa vocatos comprehendiſſet, ſubmerſiſſet, variis modis ac cruciatibus necaſſet, aut in turpem ſervitutem redegiſſet. Denique propter *Hæreſim*, cum claves Eccleſiæ flocci faciens non ſolum jactaſſet, nihil ſe vereri excommunicationem & interdictum Pontificium, ſed etiam alios coegiſſet, has eorum cenſuras non ſervare; ac præterea conjunctus cum Saracenis amicitia, ipſorum ritus amplecteretur, aliorumque etiam Infidelium perniciοſis obſequiis contra fideles abuteretur; Ducem Bavariæ Eccleſiæ Romanæ devotum per aſſaſſinos occidi procuraſſet; Battacio Græcorum Imperatori, Dei & Eccleſiæ inimico, & à communione fidelium per excommunicationis ſententiam ſolemniter ſeparato, filiam ſuam in uxorem tradidiſſet. Hæc ſententia integra recitatur ex Regeſto Vaticano Innocentii IV Tomo XI Concil. in Actis Concilii, in Bullario Laërti: Cherubini & alibi.

XXII. *Sententia lata eſt à Pontifice ſacro approbante Concilio.* Quidam recentes Hiſtorici volunt, non Concilium, ſed Pontificem exauctoraſſe Imperatorem, quod præcipuè colligunt ex eo quod Innocentius in titulo ſententiæ illam à ſe ferri dicat, *ſacro præſente Concilio*, non verò, *ſacro approbante Concilio*, ut in quibuſdam ejuſdem Concilii canonibus legitur. Sed magna mihi ſuſpicio eſt hunc titulum, non eſſe

Google

eſſe ipſius Innocentii, ſed ab Exſcriptoribus, ut in ſimilibus ſæpe accidit, additum; cum enim antequam Friderici depoſitionem pronunciet, dicat: *Nos itaque ſuper premiſſis & compluribus aliis ejus nefandis exceſſibus, cum fratribus noſtris & ſacro Concilio deliberatione prehabita diligenti ...... memoratum Principem ...... omni honore & dignitate privatum à domino oſtendimus, denunciamus, ac nihilominus ſententiando privamus*, quis non videt hæc neceſſariò involvere Concilii approbationem. At quia hæc verba ita interpretanda volunt contrariæ opinionis aſſertores, ut per ea intelligi tantum debeat, quæſtionem de illius criminibus habitam, ut excommunicationi plecti poſſet, audiendus Matthæus Pariſius, qui ait: *Dominus igitur Papa & Prelati aſſiſtentes Concilio, candelis accenſis in dictum Imperatorem Fridericum, qui jam jam Imperator non eſt nominandus, terribiliter, recedentibus & confuſis ejus procuratoribus, fulgurarunt.* Quod ſi hoc reſpexiſſet tantum excommunicationem, inepte dixiſſet Pariſius, Fridericum poſt eam latam *Imperatorem non eſſe nominandum.* Et hanc reverà fuiſſe Pariſii mentem, Fridericum nempe non ſolum ab Innocentio, ſed etiam ab omnibus Prælatis Concilii excommunicatum & depoſitum, referenda poſteriora ejus verba pag. 458. relata, cum ſuperiora pag. 454. legantur: *Hec autem cum intellexiſſet*, inquit, *Magiſter Thadeus ab imo trahens ſuſpiria, ait:* Intelligo nullum remedium patere diſcrimini: *Ejulanſque & flens ſubintulit*: vere dies iſta, dies iræ: *ſicut antea dixerat, cum ad* CONCILIVM PLENUM OMNES PRÆLATI *candelas ſuas accenſas inclinarent, & extinguerent; excommunicatum Imperatorem Fridericum* DEPONENTES. Matthæo itaque Pariſio teſte, omnes Prælati Concilii Fridericum depoſuerunt, ideòque & ſententia ab Innocentio lata, non ſolum præſente, ſed etiam approbante ſacro Concilio. Denique id ipſum diſerte aſſerit Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii cap. 14. ubi poſtquam dixit, Pontificem ſententiam depoſitionis in Concilio pronunciaſſe, ſubdit: *Que fuit ab univerſis Eccleſiarum Prelatis in eodem Concilio reſidentibus approbata, ſicut liquere poteſt omnibus tam preſentibus quam futuris per ſubſcriptiones ipſorum, & eorundem ſigilla pendentia in eodem.*

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

XXIII. *Conſtitutiones pro reformatione in Concilio edita.*

Innocentius Pontifex ceteris doloribus, quibus ſe nimium afflictatum eſſe dixerat, mederi ſtudens, unà cum Synodo multas conſtitutiones edidit pro reformatione judiciorum Eccleſiaſticorum; deque reſcriptis, appellationibus, ſententia excommunicationis, electionibus, uſuris & aliis hujuſmodi, quæ inſertæ reperiuntur diverſis titulis libri ſexti Decretalium, ac referuntur Tomo XI Conciliorum Labbei, inter quas obſervandum illud Epiſcoporum privilegium, quod interdictum & ſuſpenſionem non incurrant niſi in ſententia ſint expreſſi: *Quia periculoſum eſt Epiſcopis & eorum ſuperioribus, propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo caſu interdicti, vel ſuſpenſionis incurrant ſen-*

Digitized by Google

ſententiam ipſo facto: Nos deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut Epiſcopi & alii ſuperiores Prælati, nullius conſtitutionis occaſione, ſententia, ſive mandati, prædictam incurrant ſententiam ullatenus ipſo jure, niſi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur.

XXIV. *Pro Terra ſancta ſubſidio.*

De negotio verò Crucis & ſubſidio Terræ ſanctæ multa ſimiliter piè prudenterque decrevit cum Patribus Innocentius, edita conſtitutione, quæ incipit his verbis: *Afflicti corde pro deplorandis Terræ ſanctæ periculis*, qua illa omnia renovavit, quæ olim in Concilio generali Lateranenſi IV fuerant ab Innocentio tertio ſtatuta; atque inter cetera, ut omnes Eccleſiaſtici, tam ſubditi, quàm Prælati vigeſimam Eccleſiaſticorum proventuum ad triennium conferrent; exceptis, præter nonnullos Religioſos, iis qui ſumpta cruce cum expeditione proficiſcerentur: ipſe autem Pontifex & Cardinales decimam omnino perſolverent.

XXV. *Item pro ſubſidio Imperii Cpolitani.*

Cum Conſtantinopolitani Latinorum Imperii res penè profligatæ eſſent à Battacio, ſeu Vattavio Græcorum Imperatore, ne Græci ſchiſmatici Latinos penitus obruerent, Innocentio Patribuſque Concilii è re Eccleſiæ viſum eſt, Balduino II Latinorum Imperatori ſubſidium decernere, edita conſtitutione, quæ incipit his verbis: *Arduis mens noſtra occupata negotiis*, qua deſtinatum eſt pariter ad triennium dimidium omnium proventuum Eccleſiaſticorum earum perſonarum, quæ in ſuis beneficiis reſidentiam non facerent perſonalem per ſex menſes; exceptis nonnullis quos enumerat: ipſo Pontifice decimam obventionum Romanæ Eccleſiæ perſoluturo, deductâ tamen prius decimâ ſuccurſui Terræ ſanctæ deſignatâ: atque inſuper iis omnibus, qui eidem Imperio aut armis, aut expeditionibus, aut alio quocumque modo ſubvenirent, eadem conceſſa ſunt privilegia, immunitates & indulgentiæ, quæ pro Terra ſancta concedebantur. Ex Pariſio autem conſtat anno ſequente 1246. Pontificem in ejuſdem Imperii Conſtantinopolitani ſubſidium, conceſſiſſe ea quæ fuiſſent per uſuras, aut aliàs male acquiſita, necnon relicta à morientibus in pios uſus, quæ non fuiſſent certis locis, aut perſonis deputata, quæque ab omni obligationis eſſent debito libera, data facultate in hæc per cenſuras inquirendi, qua de re extant in Regiſtro Innocentii literæ ad alias provincias ſcriptæ.

XXVI. *Et pro Tartaris reprimendis.*

Denique de Tartarorum comprimendo in Chriſtianos impetu conſilium initum eſt ac decretum, ut ad illorum cohibendos incurſus, Chriſtianorum terræ diligenter munirentur, ac de illorum motibus Sedes Apoſtolica certior fieret, quæ ſubſidium adversùs ipſos procurare, imperare ac deſtinare poſſet, Pontifex autem promiſit, ſe de ſuo amplè collaturum, ceteroſque Chriſtianos ad idem præſtandum hortaturum. Conſtitutio hæc de Tartaris incipit his verbis: *Chriſtiana religionis cultum*, & legitur etiam, ſicut prior pro ſubſidio Imperii Conſtantinopolitani Tomo XI Conciliorum Labbei.

Ray-

XXVII. *Innocentius recuſat diſpenſationem pro conjugio Raymundi Toloſani cum filia Comitis Provinciæ.*

Raymundum Comitem Toloſanum, & Raymundum Berengarii Provinciæ pariter Comitem Concilio interfuiſſe, licet Acta non referant, diſertè tamen aſſerit Guillelmus de Podio Laurentii cap. 47. ſui Chronici, ubi ait, eos ad Concilium perrexiſſe ad impetrandam à Pontifice diſpenſationem conſanguinitatis ſuper matrimonio contrahendo, inter eumdem Raymundum Toloſanum & Beatricem, minimam natu filiam Raymundi Berengarii Provincialis. Subdit, iis à Concilio reverſis, paucos poſt dies Comitem Provinciæ obiiſſe, conjugio inperacto, indeque obſtantibus tribus Beatricis ſororibus, ſcilicet Reginis Franciæ & Angliæ, ac Duciſſa Cornubienſi, poſtea Regina Germaniæ, Innocentium Pontificem diſpenſationem recuſaſſe. Beatricem autem poſtea uxorem duxit Carolus Andegavenſis, Sancti Ludovici Francorum Regis frater, poſtmodum Siciliæ Rex. Raymundo porrò Berengarii Provinciæ Comiti Lugduni exiſtenti Pontifex dono dedit Roſam auream, quam manu geſtarat dominica quarta Quadrageſimæ, ut ipſemet aſſerit in diplomate dato *Lugduni IV Idus April. anno ſexto*, quod extat apud Boucheum lib. 9. ſect. 2. Hiſt. Provinciæ; *Claræ memoriæ Raymundus Comes Provinciæ*, inquit Pontifex, *Sedem Apoſtolicam quam ſemper ſincero veneratus fuit affectu, nobis Lugduni manentibus perſonaliter viſitavit, cui Roſam auream in prædicta dominica* (ſcilicet dominica quarta Quadrageſimæ, qua canitur Lætare Jeruſalem) *juxta morem Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum delatam à nobis, pro ſuæ devotionis & fidei puræ mentis in ſignum dedimus benevolentiæ ſpecialis.*

XXVIII. *An ſit benedictionis Roſæ aureæ auctor.*

Roſam auream dominicâ quartâ Quadrageſimæ, ſeu Lætare Jeruſalem, muſco & balſamo plenam geſtaſſe Romanos Pontifices, quam poſtea ad aliquem Principem, aut magni nominis virum mittebant, diximus in Urbano II. Licet autem hunc ritum tàm Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. 6. cap. 53. quàm varii Ordines Romani, ante & poſt ſeculum XIII exarati, qui extant apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici, deſcribant; nulla tamen in iis reperitur mentio benedictionis illius Roſæ, *quam ab Innocentio IV inſtitutam fuiſſe tradit Auctor ipſius Vitæ apud Labbeum*, inquit Edmundus Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ diſciplina, cap. 19. num. 17. ubi recitat verba illius Auctoris: *Primus Roſam auream ſolemni ceremonia ac ritu benedixit, eamque Canonicis Sancti Juſti hoſpitibus ſuis Lugduni dono dedit.* Sed hæc verba, ni valde fallor, ſunt ipſius Labbei, vel Coſſartii, qui cujuslibet Pontificis vitam edidère in collectione Conciliorum; vel ſunt verba Cæſaris Eugenii Caracioli, qui teſte Theophilo Raynaudo in Tractatu de Roſa mediana, qui extat Tomo X ejus Operum, in Neapoli ſacra pag. 29. ſcripſit, Innocentium IV. fuiſſe primum qui Roſam auream benedixit, qui Cæſar Eugenius eſt Auctor ſeculi decimi ſeptimi; vel potius, hæc ſunt verba Ciaconii in Vita Innocentii, qui ea ſine dubio deſumſit,

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

ex Federico Federicio, qui ea refert in Tractatu de familia Fliſca, teſte Auguſtino Oldoino in Additionibus ad Ciaconium. Sed ſive Labbeus id ex Ciaconio, ſive ex Federico Federicio deſumſerit, ſive quiſpiam alius Auctor fuerit prædictæ Vitæ Innocentii, certè eſt Auctor valde recens, cum citet Platinam, qui exeunte ſeculo XV ſcripſit, ideoque maximam fidem non meretur; cum præſertim in Ordinibus Romanis laudatis, quorum unus eſt Centii Camerarii, & ultimus Petri Amelii, qui adhuc in vivis erat anno 1398. ut oſtendit Mabillonius in Adnotatione ad illum, ejuſmodi ſolemnis benedictionis ne levis quidem mentio reperiatur, ex quo non male quis deduceret, illius Roſæ benedicendæ conſuetudinem poſt annum 1400 invaluiſſe. Andreas quidem Victorellus in Additionibus ad Vitam Alexandri III Ciaconii ſcribit, de more benedicendi Roſam auream agere Durandum laudatum, Innocentium III Sermone in Dominica Lætare, & Petrum Bleſenſem Sermone 15. ſed neque in Durando, neque in Innocentio III, neque in Petro Bleſenſi, locis ab eo laudatis, ullum ejus benedictionis apparet veſtigium, ut legentibus manifeſtum eſt. Citat etiam Victorellus Auguſtinum Patricium, & Collectorem Antiquitatum Liturgicarum; ſed cum prior vixerit anno 1483. & collector ille ſit ſine dubio recentior, neuter officit noſtræ conjecturæ, eam ſcilicet conſuetudinem, Roſam auream ſolemniter benedicendi, inductam eſſe poſt annum 1400. cum Petrus Amelius Epiſcopus Senogallienſis, qui adhuc in vivis erat anno 1398. de ea non loquatur. Porrò, ut id obiter notem, liber Auguſtini Patricii de Ritibus Eccleſiæ Rom. nondum, quod ſciam editus eſt, licet Mabillonius Tomo 1. Muſei Italici pollicitus eſſet, ſe illum publici juris facturum. Denique idem Victorellus ibidem ait, Pontificem dum Roſam conſecrat, ſacris precibus uti, eam balſamo oblinire, muſco tangere, incenſo thure vaporare & luſtrali aqua conſpergere.

XXIX. *Roſam auream S. Juſti Canonicis Lugdun. dono dat.*

Ceterùm quiſquis ex illis Auctoribus primus ſcripſerit, Innocentium IV fuiſſe primum, qui Roſam auream benedixit, in quo deceptus videtur, in eo tamen non erravit, quod aſſeruit Innocentium Lugduni exiſtentem, quo anno incertum, cum totis octo annis ibidem reſederit, Roſam auream Canonicis Sancti Juſti hoſpitibus ſuis dono dediſſe; ipſemet enim Innocentius in diplomate poſtea dato Peruſii anno Pontificatûs nono, Chriſti 1254. quo indulgentias largitur Eccleſiæ Sancti Juſti, Theophilo Raynaudo mox laudato teſte, ait: *Dum Lugduni traheremus in clauſtro Eccleſiæ noſtra moram, in dominica, qua cantatur* Lætare Jeruſalem, *Roſam auream, quam propter diei ſolemnitatem more ſolito in noſtris manibus geſtabamus eidem Eccleſiæ noſtræ* duximus *concedendam.* Porrò Templo Sancti Juſti in magno illuſtrium Templorum Lugduni numero vix fuiſſe æquandum, antequam anno 1562. à Calviniſtis disjiceretur, ſcribit idem Raynaudus ſe accepiſſe ab iis qui illud videnrant;

Digitized by Google

rant; ejus nunc vix aliqua vidēra in ſuburbano ad urbis prope mœnia ſuperſunt. *SEC. XIII.* INNOCEN- TIUS IV.

Nicolaus Harpsfeldius in Hiſtoria Anglorum ſeculo 15. cap. 4. apud Theophilum Raynaudum loco laudato, refert ex diplomate Eugenii IV ad Henricum ſextum Anglorum Regem, juxta antiqua Romanorum Pontificum ſcita, non alio die quàm dominica *Lætare* admitti ſolitos Romanorum Reges in Auguſtos; nec niſi poſt Roſam auream illis eâ die à Pontifice traditam Imperii inſignia & diadema capere. Idem tradere Durandum in Rationali ſcribit idem Raynaudus, qui hujus rei unicum exemplum adducit, nempe Friderici, qui anno 1452. à Nicolao quinto Papa eadem die coronatus eſt Auguſtus. Verùm cum poſt Carolum Magnum nullus ex Imperatoribus eo die coronam Imperii acceperit, hæc obſervatio rejicienda, & Durandus aliter interpretandus. Hic poſtquam de Roſa aurea locutus eſt, diei dominicæ quartæ Quadrageſimæ ritum explicans, caput 56. libri 6. claudit: *Hac etiam die Chriſtianus coronatur Imperator, ut ſemper corona ſupernæ Jeruſalem meditetur, David ter*, &c. Sed ibi vult tantum Durandus, quod ſicut Pontifices Romani in præcipuis anni feſtivitatibus coronabantur, inter quas una erat dominica de Roſa, ſeu quarta Quadrageſimæ, ut oſtendimus in Alexandro III; & ſicut Reges Franciæ in præcipuis feſtis coronam ſolemni ritu accipiebant, ut diximus in Eugenio III; ita etiam Imperatores die dominica *Lætare Jeruſalem* corona Imperiali ſolemniter fuiſſe redimitos. Quare ipſemet Raynaudus fatetur, contrarium ab eo quod refert Harpsfeldius, haberi in ceremoniali Romano lib. 5. cap. 1. in quo legi aſſerit hæc verba: *Pontifex deſcendit ad gradus Baſilicæ cum Imperatore ſub eodem baldachino. Si eſt dominica Lætare Jeruſalem, Pontifex ſiniſtrâ portat Roſam auream; dextrâ benedicit aſſiſtentibus, hinc inde elevantibus fimbrias diaconibus. Hanc autem Roſam Pontifex antequam ad Eccleſiam deſcendat, in camera Papagalli benedicit cum balſamo & muſco, quod ſingulis annis fit in tali die. Si vero eſſet alius dies*, &c. Poſtquam itaque ipſius Roſæ benedictionis ritus inductus eſt, inaugurationem Regis Romanorum in Auguſtum non alligatam fuiſſe dominicæ quartæ Quadrageſimæ, conſtat ex ipſo Romano Ceremoniali.

XXX. *Imperatores dominica de Roſa ſolemniter coronabantur.*

Innocentium Pontificem Lugduni, vel in Concilio, vel extra illud ſtatuiſſe, ut Cardinales galerum ſeu capellum rubrum deferrent, communis eſt Auctorum aſſertio poſt Platinam, in cujus Adnotatione Onuphrius Panuinius eam in rem citat Martinum Polonum & Ptolomæum Lucenſem; verùm Martinus Polonus, ſaltem ex editione anni 1616. Coloniæ Agrippinæ curata, nihil tale habet; Ptolomæus verò Lucenſis, qui ad manum non eſt, à nemine alio citatus invenitur. *Cardinalium ſedes*, inquit Platina, *jam pridem vacuas optimo quoque in collegium cooptato replevit, ſtatuitque ut Cardinales equo in publicum veſti galero rubro*

XXXI *Purpureum Galerum Cardinalibus in Concilio tribuit.*

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

bro uterentur, honeſtandi ordinis cauſa. Idem habet Joannes Nauclerus generat 41. Sabellicus Ennead. 9. lib. 6. id ipſum aſſerit, non ſolum *ut major ipſi ordini accederet majeſtas*, ſed etiam ut denotaretur, Cardinales *ſemper paratos eſſe* debere *pro fidei defenſione ſanguinem effundere.* Neuter tamen id factum dicit in Concilio. Sed Robertus Gaguinus lib. 7. Hiſt. Franc. loquens de Innocentio Lugduni Concilium celebrante, docet, ipſum ſtatuiſſe non ſolum ut Cardinales equo vecti galero rubro uterentur, ſed etiam ut illum perpetuò deferrent: *Cardinalibus*, inquit, *inſigne dat, quod capite perpetuò deferant, hoc eſt rubrum galerum, idque diligenter ſervatur. Quo Pontifex eos admonitos eſſe voluit paratos omni tempore eſſe debere ſanguinem fundere pro Chriſtiani populi libertate tuenda.* Platinam ſequuntur Raphael Volaterranus lib. 22. Antropologiæ, & Paulus Aemilius in Ludovico IX. Sed nullus ex illis id ſtatutum dicit in ipſo Concilio, in quo tamen id decretum certò conſtat ex capite 21. Vitæ Innocentii à Nicolao de Curbio ſcriptæ. Hic enim loquens de colloquio quod Pontifex habuit cum Ludovico IX Francorum Rege anno 1246. diſerte docet, ordinatum quidem eſſe in Concilio, ut Cardinales capellis rubris uterentur, ſed iis tantum anno ſequenti uti incœpiſſe in ipſo ſcilicet colloquio: *Interim*, inquit, *Pontifex poſt Concilium anno ſecundo* (quia ſcilicet Concilium finitum eſt menſe Julio anni 1245. & Cluniaci habitum eſt colloquium menſe Novembri exeunte anni 1246. quo currebat annus ſecundus poſt Concilium) *Cluniacum ivit, cum Rege Franciæ & ipſius fratribus locuturus; ubi domini Cardinales primò capellos rubeos receperunt, ſicut in ipſo Concilio fuerat ordinatum.* De veſtimentis purpureis Cardinalium vide dicta in Innocentio III & dicenda in Bonifacio VIII.

XXXII. *Carmelitarum Regulam mitigat.*

Bernardus Guidonis in *Speculo Sanctorali*, ſeu Sanctorum, quod in Bibliotheca fratrum Prædicatorum Toloſanum ſe vidiſſe MS. dicit Spondanus, & Oudinus aſſerit etiam extare in Bibliotheca eorumdem Prædicatorum Avenionenſium, narrat ex Tractatu Stephani de Salagnaco de Regulis diverſarum Religionum, veniſſe Lugdunum ad Innocentium tempore Concilii aliquos ex patribus Carmelitanis pro difficultatibus Regulæ ſuæ: & Pontificem rem commiſiſſe Hugoni de Sancto Caro, tituli Sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali & Guillelmo Epiſcopo Antadarenſi ex ordine Prædicatorum; à quibus nova, mitior ac dilucidior data eſt eis Regulæ forma, quam Innocentius Conſtitutione, quæ extat Tomo 1. Bullarii ordine 6. confirmavit. De quibus, inquit Spondanus ad annum 1245. num. 22. plura Auctores, qui ex profeſſo de illo Ordine commentarios ediderunt, ſatis conciliatu difficiles, ob multiplices difficultates, quæ in ſerie ejus Ordinis occurrunt. Illam mitigationem diplomate etiam Apoſtolico communivit Alexander IV Epiſt. 75. lib. 1. Regiſtri ſui.

Con-

Digitized by Google

Concilio Lugdunenſi celebrato Pontifex proximo menſe Auguſto Odonem de Caſtro Rodulphi, Cardinalem Epiſcopum Tuſculanum, Legatum miſit, ut per totam Franciam Crucem prædicaret. Cumque ad hoc Ludovicus Rex Pariſiis menſe Octobri infra octavas Sancti Dionyſii generalem Conventum habuiſſet tam Præſulum, quàm Principum & Magnatum ſecularium, ad prædicti Legati prædicationem, ac Regis exhortationem, qui jam circa finem anni elapſi 1244. crucem ſumſerat, quamplurimi eorum eamdem ſuſceperunt. Poſt hæc Pontifex menſe Novembri Cluniacum contendit, ut congreſſum haberet cum eodem Ludovico Rege, qui ad illud eodem tempore acceſſit, & quidem circa feſtum Sancti Andreæ, Auctor enim Chronici quod extat in Bibliotheca Cluniacenſi col. 1514. teſtatur, Pontificem in feſto S. Andreæ miſſam ſolemniter in magno altari Cluniacenſis Eccleſiæ celebraſſe, & col. 1666. ait, fuiſſe cum Pontifice duodecim Cardinales, quos & nominat; Patriarchas Antiochenum & Conſtantinopolitanum, Archiepiſcopos Remenſem, Lugdunenſem, Biſuntinum; Epiſcopos quindecim quos recenſet; Abbates itidem plurimos tam Ordinis Cluniacenſis, quàm Ciſtercienſis. Illum quidem congreſſum factum eſſe Lugduni ſcribit Guillelmus Nangius de geſtis S. Ludovici IX Francorum Regis apud Ducheſnium Tomo V, ſed eſt hic error Exſcriptorum, qui pro Cluniaco poſuerunt Lugdunum. Nangius enim poſtquam dixit, Innocentium IV anno 1244. Lugdunum veniſſe, ibique anno 1245. Concilium celebraſſe, loquens de hoc colloquio, poſt Concilium, ut ipſe ait, habito, pag. 345. ſcribit: *Ipſe autem Rex nobiliſſimus cum incredibili & glorioſa multitudine militum regni ſui quarto agmine procedens, Lugdunum* (legendum Cluniacum) *ſic introivit. Ad quem locum univerſalis Eccleſiæ Pontifex ſummus acceſſerat, ut ibidem cum dicto Rege de negotiis ſanctæ matris Eccleſiæ loqueretur.* Cum autem dici non poſſit, Pontificem Lugdunum acceſſiſſe poſt Concilium, cum ibidem antea & poſt manſerit, neceſſariò concludendum eſt, Nangiacum de ejus acceſſu ad monaſterium Cluniacenſe locutum eſſe, ex quo, ut ſubdit idem Auctor, habito *inter eos ſecreto & latente conſilio idem Rex ſereniſſimus benedictione à Summo Pontifice percepta, eique humiliter valedicto in Franciam remeavit.* Sed rem extra dubium ponit Nicolaus de Curbio cap. 21. Vitæ Innocentii, in quo ait: *Interim dictus Pontifex poſt Concilium anno ſecundo Cluniacum ivit, cum Rege Franciæ & ipſius fratribus locuturus.* Ex quibus verbis eruitur non ſolum colloquium habitum eſſe Cluniaci, ſed & illud revocandum ad annum 1246. non verò, ut vult Spondanus, ad annum 1245. cum enim Pontifex Cluniaci eſſet in feſto S. Andreæ, ut ex Cluniacenſi Chronico diximus, non poteſt id explicari niſi de anno 1246. quo, exeunte Novembri, currebat annus ſecundus poſt Concilium; quod terminatum fuerat menſe Julio anni 1245. Ceterum idem Chronogra-

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV. XXXIII.

Cum S. Ludovico Rege apud Cluniacum congreſſum habet.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

nographus Cluniacenſis addit, fuiſſe cum Rege matrem ejus & ſororem, ac fratrem Comitem Arteſienſem, Imperatorem Conſtantinopolitanum, filios Regum Aragoniæ & Caſtellæ, Ducem Burgundiæ, Comitem Pontivenſem, ac multos alios Comites ac Principes. Intra ambitum autem monaſterii hoſpitium habuiſſe Pontificem cum Capellanis ſuis & omni privata familia; Regem cum matre, fratre, ſorore, & tota ipſorum familia privata; Imperatorem Conſtantinopolitanum, filios Regum Aragoniæ & Caſtellæ, ac tres Epiſcopos, unumquemque cum ſua familia; ac denique plures alios milites, Clericos, Religioſos: & tamen non propterea Monachos dimiſiſſe dormitorium ſuum, aut Refectorium, aut monaſterium, aut capitulum, aut infirmariam aut cellariam, aut coquinam, aut aliquam de officinis deputatis conventui. Ex quibus intelligitur quantæ amplitudinis eſſet illud monaſterium.

XXXIV. *Luſitaniæ Regem adminiſtratione regni privandum declarat.*

Alphonſo hujus nominis II *Craſſo* dicto, Luſitaniæ Rege anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto mortuo, ſucceſſit filius ejus Sanctius, hujus nominis ſecundus, cui, ſive quod remiſſioris & negligentis exiſtens animi magis ad quietem & monaſticam vitam aptus videretur, ſive quod caputii quodam genere ad inſtar Monachorum uteretur, *Capelli* cognomen inditum eſt, à cucullo ita vocato. Hic cum ea ingenii manſuetudine eſſet, ut in ſocordiam degenerare videretur, omnemque penitus regni adminiſtrationem concederet Menciæ uxori, cujus amoribus irretitus erat, quæ regiam auctoritatem indignis hominibus permittebat; proceres Luſitani moleſtè ferentes ignobilium hominum arbitrio Rempublicam agitari, & tam ſacra, quàm profana violari; id conjugium primùm divellere, & lege propinquitatis, & quoniam Regina infœcunda erat, fruſtrà conati; occaſione Concilii generalis Lugdunum amandarunt ad Innocentium Pontificem, Bracarenſem & Conimbricenſem Antiſtites, cum nonnullis proceribus, ac per eos miſerum regni ſtatum ſignificarunt, petentes ut Sanctius regno privaretur. Innocentius Sanctium quidem regno privandum non cenſuit, ſed declaravit Alphonſum ejus fratrem, qui Mathildem Boloniæ in Gallia duxerat uxorem, quique decedente ſine liberis Sanctio ſucceſſurus erat in regnum, Regis nomine Rempublicam gubernaret; ita tamen ut Regiæ Sanctii dignitati, quamdiu viveret, conſultum eſſet, & ſi liberos procrearet, eis regnum conſervaretur, ut conſtat ex literis ipſius Innocentii ad proceres Luſitaniæ datis *Lugduni IX Kalend. Aug. anno III Pontificatus*, ideoque anno 1245. quibuſdam diebus poſt Concilium ſolutum, quæ literæ extant apud Raynaldum ad eumdem annum num. 68. & ſeqq. & inſertæ ſunt libro ſexto decretalium *de ſupplend. neglig. Prel. cap.* 2. Legendus eadem de re Mariana lib. 13. cap. 4.

XXXV. *Henricum Thuringiæ Landgravium Regem Rom. eligi curat.*

Friderico Imperatore in Concilio Lugdunenſi depoſito, Innocentius Pontifex omnem operam adhibuit, ut novus Germaniæ Rex eligeretur, in

in Imperatorem poſtea promovendus. Raynaldus ad annum 1246. num. 1. refert ejusdem Pontificis literas ad principes electores quos hortatur, ut Henricum Landgravium Thuringiæ, divæ Elizabethæ, de qua in Gregorio IX, levirum, ad Eccleſiæ & Imperii defenſionem paratum eligerent, quæ literæ datæ ſunt *Lugduni XI Kal. Maii anno III*, ideoque anno 1246. Licet autem non deeſſent ex principibus Germaniæ, ad quos electio ſpectabat, qui Friderico faventes reclamarent, ut ſcribit Albertus Stadenſis, ad Papam non pertinere Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere; ſed electum à Principibus coronare: plures nihilominus ex illis, præcipuèque Eccleſiaſtici mandatis Pontificis obtemperantes, abnegato Friderico, eumdem Henricum Heſſiæ & Turingiæ Landgravium in Regem Germaniæ hujus nominis ſeptimum elegerunt, in die Aſcenſionis domini ejusdem anni 1246. quæ concurrebat cum die decima ſeptima menſis Maii; electum autem eſſe eo die ab Archiepiſcopis Moguntino & Colonienſi, ac quibusdam principibus juxta Herbipolim, teſtatur idem Stadenſis, & poſt eum Kranzius lib. 8. Saxoniæ cap. 13. *Anno Domini MCCXLVI*, inquit Stadenſis in chronico, *Henricus Landgravius Thuringiæ juxta Herbipolim in Aſcenſione Domini à Moguntino & Colonienſi, & quibusdam Principibus in Regem eligitur*.. SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Obſervandum eſt autem neque Henricum Landgravium, neque Wilhelmum Hollandiæ Comitem, qui ei ſucceſſit, nullumque alium ad Germaniæ licet coronæ culmen evectum, inter Reges Italiæ aut inter Imperatores ab Italis, aliiſque nonnullis numerari, quia nullus ex illis ab Archiepiſcopo Mediolanenſi Regiis, aut à Romano Pontifice Auguſtalibus inſignibus fuit coronatus; ideoque à depoſitione Friderici uſque ad electionem Rudolphi Habsburgenſis, quæ contigit anno 1273. ab illis conſtitui interregnum annorum 28. à quibusdam verò annorum tantum 23. nimirum ab obitu Friderici, qui contigit anno 1250. Rudolphus autem dictus eſt à quibusdam Imperator, licet nunquam à Romano Pontifice coronatus, quia juramentum ab Imperatoribus præſtari ſolitum, quo obedientiam & fidelitatem Pontifici & Romanæ Eccleſiæ Imperator ſpondebat, & confirmabat de more omnia jura, privilegia ac bona quæcumque Apoſtolicæ Sedi ab anteceſſoribus Imperatoribus data, primùm in Concilio Lugdunenſi II per Nuncium præſtitit anno 1274. illudque poſtea per ſe ipſum in manibus Gregorii X confirmavit anno 1275. Sed plures alii, omnes Germaniæ Reges, qui à depoſitione Friderici II ad Henricum VII, qui electus Romanorum Rex anno 1308. corona aurea ſolemni ritu in Eccleſia Lateranenſi coronatus & ſacro oleo inunctus eſt anno 1312. non reponunt in numero Imperatorum, ſed tantum Regum Germaniæ, uti revera non aliter indigitari potuerunt, cum coronatio Aquis- XXXVI. *Cur Henricus & alii ejus ſucceſſores non dicti Imperatores.*

gra-

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

granenſis candidatum duntaxat Imperii tunc faceret, non Imperatorem, qui nonniſi benedictione fiebat Pontificia, ut in Leone III diximus.

XXXVII. *Innocentius Henrici Oratores excipit, eique auxilium confert.*

Innocentius Pontifex, audita Henrici Landgravii electione, ingenti gaudio delibutus, gratias Deo egit, quia maxima ſpes affulgebat, novum Romanorum Regem, Friderici impetus compreſſurum; ac Moguntino Archiepiſcopo, qui rem diligenter promoverat, & de novi Regis creatione certiorem fecerat, reſcripſit Epiſtolam, quam refert Raynaldus ad annum 1246. num. 5. qua collaudato eximio ipſius ſtudio gratulatus eſt, concepta gaudia patefecit, injunxitque ut quoſcumque poſſet ad ipſius partes pelliceret, utque ab omnibus fulciretur incumberet, proximum Romanæ Eccleſiæ auxilium non defuturum ſpondens. Data eſt Epiſtola *Lugduni V Idus Junii anno III.* Novi Regis oratores non multo poſt perhumaniter excepit Pontifex, ad cujus promovenda felicia auſpicia, ut bellicum apparatum in Fridericum Eccleſiæ hoſtem adornaret, magna ſtipendia ſuppeditavit, ut refert Pariſius. Cum verò plurimùm ad permovendos populos poſſit religio, Henrici milites cruce inſigniri juſſit. Apoſtolicis etiam literis Germanos ad ejuſdem Henrici imperia traducere ſtuduit; ac nobilitatem Germanicam monuit, ſe Apoſtolicæ Sedis Legato, cenſuras in perduelles diſtringendi auctoritatem contuliſſe. Quid poſt hæc inter eumdem Henricum, quem Friderici ſectatores *Regem Clericorum* nominare conſueverant, & Conradum ejuſdem Friderici filium geſtum ſit, narrant Stadenſis, Pariſius, Nauclerus, Trithemius & alii.

XXXVIII. *S. Eadmundum Archiep. Cantuar. Cœlitum faſtis adſcribit.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto Innocentius Papa ſanctum Edmundum, ſeu Eadmundum, Cantuarienſem, dum viveret, Archiepiſcopum, Sanctorum faſtis adſcripſit *Dominica proxima ante Natale Domini, qua cantatur gaudete in Domino*, inquit Matthæus Pariſius, de cujus canonizatione extat apud Weſtmonaſterienſem, Apoſtolicum diploma datum *Lugduni III Idus Januarii Pontif. anno IV*, ideoque anno 1247. quo Pontifex patrata divinitus ejus apud Deum precibus miracula recenſet, cœcis nempe viſum reſtitutum, leproſos, lethalique morbo implicitos priſtinæ valetudini redditos. Tum recenſet, eum vitam ſanctiſſime duxiſſe; carnis aculeos ciliciis, jejuniis ac vigiliis atteriviſſe; gregem ſanctiſſime paviſſe, ingentes in pauperes eleemoſynas effudiſſe, puriſſimumque animum in cœlum continuis precibus transfudiſſe. Ex Pariſio autem & aliis Hiſtoricis Anglicis conſtat, Edmundum ex Canonico Saresberienſi anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio electum & conſecratum Archiepiſcopum Cantuarienſem, cum Eccleſias in Anglia ſpoliari, ac libertatem proteri lugeret, atque etiam in Regis odium adductus eſſet, voluntarium exilium elegiſſe, profectumque in Gallias ad Pontiniacum Ciſtercienſium cœnobium, quod & olim Sanctus Thomas ejus deceſſor azylum ſibi delegerat, ſe recepiſſe, in quo poſt multa veræ probitatis & integritatis exempla, confectus ærumnis

animi

animi & corporis auſteritatibus in morbum incidit, ac conſilio medicorum in Sociacenſem purioris aëris domum Canonicorum Regularium ſeceſſit, diemque illic obiit decimo ſexto Kalendas Decembris anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo. Ejus ſancti vita antiquitùs ſcripta extat apud Surium ad diem XVI Novembris, & Tomo XXV Bibliothecæ Patrum ejuſdem commentarius inſcriptus *Speculum Eccleſiæ*. SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Anno ſequenti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo Sancto Eadmundo majoris Britanniæ Archiepiſcopo Innocentius Pontifex conjunxit ſanctitate & miraculis illuſtrem Guillelmum Briocenſem in minori Britannia Epiſcopum, cui literis datis *Lugdani XVII Kalend. Maii anno IV*, à Raynaldo eodem anno num. 21. relatis Sanctorum cultum decrevit. Directæ ſunt literæ Archiepiſcopo Turonenſi & ejus ſuffraganeis, & in iis Pontifex ait, per ipſum, puerum mortuum ſuſcitatum: mulieri cuidam candidiorem ſolito reſtitutam mamillam, quam ſibi præ nimio infirmitatis dolore amputarat; & poſt quædam alia miracula ſubdit: *Lumen cæcis, auditus ſurdis, mutis loquela, greſſus claudis & paralyticis debitum membrorum officium, ad invocationem ſui glorioſi nominis ſubinde conferuntur: per quod ignorantium Deum tenebræ propulſantur; hæreticorum perverſum dogma confunditur & fidelium beata credulitas adaugetur.* Mandat denique feſtum ipſius celebrari IV Kalendas Auguſti, quo die ſpiritum reddidit domino, & omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad ſepulchrum ejus in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri *unum annum & quadraginta dies*; accedentibus verò infra ejuſdem feſti octavas, *quadraginta dies* de injunctis pœnitentiis relaxat. Obiit autem hic Sanctus Præſul anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, ut aſſerit Godefridus Calvus Bituricenſis Archiepiſcopus in ejus Vita, quæ extat apud Surium ad diem 29. Julii, in qua ſe ſcriptis tradidiſſe teſtatur, quæ partim ipſe hauſerat oculis, partim à fide dignis teſtibus acceperat. Biennio poſt ejus mortem ipſius *corpus cum omnium membrorum integritate mirabiliter eſt repertum, & quaſi pretioſiſſimis fuiſſet aromatibus conditum, optimo odore eos, qui aderant, adimplevit*, inquit idem Godefridus, qui addit eo munere ſanctiſſimum corpus divina providentia decoratum, ob ſervatam virginei candoris illibatam puritatem, & morti proximum, Sacerdotem, qui ipſi à confeſſionibus erat, ita compellaſſe: *Frater age gratias pro me Deo, qui me uſque hodie deo mundum peccato carnis per ſuam gratiam cuſtodivit.* XXXIX. *Item S. Guillelmum Briocenſem Epiſc.*

Beatus Silveſter Guzolinus Auximas, è Canonico ſuæ civitatis factus Eremita, fama ſuæ ſanctitatis multos diſcipulos ad ſe allexit, annoque milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo in Eremo Sancti Benedicti de Monteſano diœceſis Camerinenſis, non longè à Fabriano Piceni oppido, ordinem ſive Congregationem, *Silveſtrinorum* dictam inſtituit, ut tradit Andreas Jacobi, poſtea ejuſdem Ordinis Abbas Generalis, in ejus XL. *Silveſtrinorum Ordinem confirmat.*

 Vita,

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Vita; quæ extat in poſteriori editione Surii ad diem XXVI Novembris, quo Silveſter obiit nonagenarius anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Ipſam autem congregationem confirmavit Innocentius IV Conſtitutione data Lugduni quinto Kalendas Julii anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, quæ ex Regiſtro Vaticano eſt quinta inter Conſtitutiones Innocentii Tomo I. Bullarii. Hanc congregationem in multa monaſteria dilatatam, Sanctus Antoninus ſuo tempore pene extinctam fuiſſe ex defectu fratrum ſcribit tit. 15. cap. ult. §. 2. Sed poſtea reſtitutam eſſe à Sixto quinto ait Spondanus ad annum 1231. num. 13. ex quo hæc excerpta.

XLI. *Legatum mittit pro electione novi Regis Rom. poſt mortem Henrici.*

Cum Henricus Thuringiæ Landgravius, anno 1246. die decima ſeptima Maii in Regem Romanorum electus, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo obiiſſet, ut Matthæus Pariſius, Albertus Stadenſis, aliique plures referunt, Innocentius Pontifex Petrum Caponium Diaconum Cardinalem Sancti Georgii ad Velum aureum in Germaniam Legatum miſit, quo agente Willelmus Hollandiæ Comes, opibus, ætate, viribus florentiſſimus, multorum Principum affinitate atque amicitia ſuffultus, Henrico ſucceſſor datus eſt, vel ipſo die Sancti Michaelis Archangeli, ut ſcribit Joannes à Leidis in ſua Hiſtoria Comitum Hollandiæ, & alii recentiores rerum Batavicarum Scriptores, vel non multo poſt feſtum illud, ut habet Stadenſis, qui de navata à Legato in conventu Principum celebrando egregia opera, hæc tradit in Chronico: *Evocatis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quos potuit, Concilium prope Coloniam celebravit. Et feria quinta poſt Michaelis feſtum Willelmus frater Comitis Hollandiæ à quibuſdam Epiſcopis & Comitibus in Nuſſia in Regem Romanorum ad Gubernandum Imperium eſt electus*, de qua electione Innocentius Pontifex gratias egit Moguntino Archiepiſcopo literis datis *Lugduni XIII Kal. Decemb. anno V* apud Raynaldum num. 5. quibus & eum & alios Germaniæ Antiſtites ſollicitat, ut ejuſdem Willelmi electi partes ſtrenuè defendant.

XLII. *Polonorum ſubſidia recipit.*

Eodem anno 1247. ut ſcribit Spondanus, vel potius anno ſequenti 1248. ut habet Raynaldus ex Longino Hiſtoriæ Poloniæ MS. lib. 7. & Cromero lib. 8. Jacobus Leodienſis Archidiaconus non multo ante in Poloniam ab Innocentio Legatus miſſus, apud Uratiſlaviam Concilium celebravit, in quo urgentiſſimas Eccleſiæ Romanæ neceſſitates ob Friderici perſecutiones, in omnium oculis defixit, atque Innocentii nomine omnium Eccleſiaſticorum redditnum tertiam partem ad triennium poſtulavit: Sed cum ea res gravior & intoleranda viſa eſſet, quintam partem illi concedendam patres decreverunt, atque omnem illam pecuniarum vim tribus annis colligendam certo & conſtituto die in unum redigere, & Innocentio Gotfridi Pœnitentiarii Apoſtolici operâ tranſmittere. Pro quo Epiſcopis & Clero Poloniæ publicæ à Pontifice gratiæ actæ.

actæ. Matthias Michovienſis lib. 3. cap. 51. illud Concilium refert ad annum 1248. & medietatem fructuum per tres annos petitam eſſe ait, cum tertiam tantum partem affirmet Longinus. Uterque autem Auctor in eo convenit quod affirmet, tunc Legatum relaxaſſe Polonis partem ejus jejunii, quod eſt ſolemne cunctis Chriſtianis ante Paſcha: ut videlicet, cum id à Dominica Septuageſimæ totis novem hebdomadis veteri patriæ inſtituto vulgò ſervarent, cum frequenti prævaricatione & gravi diſcordia inter Clerum & laicos, eſſet deinceps, ut aliis locis, hebdomadarum ſex & dimidiæ: *Hujuſmodi conſuetudine*, inquit Michovius laudatus, *à Romana Eccleſia & aliis regnis Catholica religionis diſcrepante, auctoritate Apoſtolica & conſenſu præſentium Pontificum, prædictus Jacobus Legatus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus perſonis eſum carnium ad diem cinerum excluſive conceſſit, ab eoque tempore Dominica Septuageſimæ à Polonis vetus carnis privium nominari cœpit, & ita hactenus nominatur.* Dominica enim à qua Chriſtiani incipiebant à carnibus abſtinere vocabatur *dominica carnis privii*; unde in miſſali Mozarabum dominica quinquageſima inſcribitur, *dominica ad tollendas carnes.* Poloni itaque ante Innocentium IV jejunium Quadrageſimale inchoantes à Septuageſimæ dominica, ea conſuetudine ſublata, vocarunt illam dominicam, *vetus carnis privium.* Ab ea dominica Regulares Cœnobitas jejunium quadrageſimale incœpiſſe, Græcos autem à Sexageſima, clericos denique noſtros à Quinquageſima, ſcribit Petrus Bleſenſis ſermone 13. Hic porrò Jacobus Legatus, Pontifex poſtea fuit ſub Urbani IV nomine.

XLIII. *Permittit officia Divina Sclavonicè celebrari.*

Licet Hadrianus II & Joannes VIII miſſam & officia divina in Sclavonica lingua celebrandi licentiam conceſſiſſet, Alexander tamen II & Gregorius VII, eamdem licentiam denegarunt, ut ſuis locis diximus. Hoc verò tempore Innocentius IV rogatus à quodam Sclavoniæ Epiſcopo, eamdem Hadriani II & Joannis VIII conceſſionem confirmavit Epiſtolâ quam refert Raynaldus ad annum 1248. num. 52. data *Lugduni IV Kal. April. anno Pontificatûs V*, ideoque anno 1248. *Porrecta nobis*, inquit Innocentius, *tua petitio continebat, quod in Sclavonia eſt littera ſpecialis, quam illius terræ Clerici ſe habere à B. Hieronymo aſſerentes, eam obſervant in divinis officiis celebrandis. Unde ut illis efficiaris conformis, & terræ conſuetudinem, in qua exiſtis Epiſcopus, imiteris, celebrandi divina ſecundum prædictam litteram à nobis licentiam poſtulaſti. Nos igitur attendentes quod ſermo rei & non eſt res ſermoni ſubjecta, licentiam tibi, in illis duntaxat partibus, ubi de conſuetudine obſervantur præmiſſa (dummodo ſententia ex ipſius varietate litteræ non lædatur) auctoritate præſentium concedimus poſtulatam.* Ad quæ verba Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico diſſert. 8. obſervat, litteræ nomine non ſolos characteres intelligi, ſed inſuper & præcipuè linguam characteribus talibus expreſſam, ſcilicet Sclavonicam; agi autem de textûs Latini in ipſam verſione. Obſervat inſuper

ex ignorantia temporum manifeſta natum errorem Clericorum Sclavonicorum aſſerentium, ſe illam litteram habere à B. Hieronymo; hujus enim inſtitutorem fuiſſe Sanctum Cyrillum Moravorum Epiſcopum, quadringintis quadraginta annis poſt Sanctum Hieronymum Tomo ſuperiori oſtendimus. Plura hanc in rem Papebrocius loco laudato.

XLIV. *Vnionem Eccleſiæ Græcæ tractat per Minoritas.*

Miſerat Innocentius Pontifex fratrem Laurentium Ordinis Minorum Pœnitentiarium ſuum Legatum in Orientem, qui multam impendit ſollicitudinem, ut alliceret ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ Patriarcham Græcorum ejuſque ſuffraganeos. Cum autem anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono negotium unionis Eccleſiæ Græcæ urgeretur ab eodem Laurentio, nec ab ea abhorrere viderentur Joannes Ducas Imperator Trapezuntii ſeu Græcorum in Aſia, & Manuel Patriarcha: ut id uberius ageretur, miſit Innocentius ipſummet Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum Joannem Parmenſem in Græciam, ſcriptis ad Imperatorem & Patriarcham literis, quibus *Angeli pacis* eum nomine commendavit, ut ſcribit Wadingus ad eumdem annum 1249. Joannes Parmenſis munus injunctum tanta ſanctitatis & ſapientiæ exiſtimatione obivit, ut teſte Sancto Antonino tit. 24. cap. 9. §. 5. verus Chriſti diſcipulus ab omnibus cenſeretur: crediturque rem tandem feliciter confectumus fuiſſe, niſi Pontificis & Imperatoris mors, dum ea tractarentur, interveniſſet: animos enim Imperatoris & Patriarchæ eo uſque induxit, ut bis aut ter ſolemnes inſtituerint legationes ad Innocentium pro unione perficienda. Sed ſpoliati ſemper Apocriſarii in itinere reverti coacti ſunt, neque literæ ad Pontificem portari potuerunt, donec redeunte paulò ante mortem Innocentii Joanne Parmenſi Legato, cum miſſis à Joanne Imperatore & Græcorum, conditiones & pacta ineundi fœderis eidem Innocentio aſportarunt. Sed cum interim, ut jam dixi, interveniſſet Innocentii mors, de iis conditionibus unionis agetur in Pontificatu Alexandri IV Innocentii IV ſucceſſoris.

XLV. *VVillelmi Germaniæ Regis electionem iterum confirmat poſt Friderici mortem.*

Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo Fridericus quondàm Imperator in feſto ſanctæ Luciæ decimo tertio Decembris extinctus eſt, ut concors eſt omnium Scriptorum ſententia, ſi paucos excipias. Pariſius, Albertus Stadenſis & alii ipſum ante mortem ſcelerum pœnituiſſe ſcribunt, & Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico cap. 49. de eo ait: *Suum in fine recognoſcens errorem exhiberi ſibi in morte funera Imperialia, & plangi etiam interdixit, quòd Eccleſiæ inobediens fuerit & rebellis.* Innocentius Papa Lugduni adhuc exiſtens, audita morte Friderici, antequam Italiam repeteret, pluribus literis fluctuantes Fridericianorum animos pertentavit, ut ipſos in Eccleſiæ obſequium pelliceret: Willelmum Regem Germaniæ confirmavit die Cœnæ Dominicæ, quæ anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo concurrebat cum die decima tertia menſis Aprilis, ut ait Henricus Stero in Annalibus: imò jam ante

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

ante ipſi Imperialia ornamenta promiſerat literis datis *Lugduni XV Kal. Martii anno VIII*, quæ extant apud Raynaldum eodem anno num. 9.

XLVI.

Conradum ejuſdem Friderici filium anathemate percellit.

Conradum autem Friderici filium Imperium aſſectantem, omneſque ejus fautores anathemate perculit Innocentius, ut ſcribit Pariſius. Miſit etiam in Germaniam Hugonem tit. S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem Legatum, ut eumdem Willelmum Regem ad rem fortiter agendam hortaretur, & Principibus Imperii mandaret, ut ei firmiter adhærerent, rejecto Conrado, cujus impetus ut propulſaret, Epiſtolâ 292. libri 8. data Nonis Februarii, cuidam Religioſo Ordinis Prædicatorum partes impoſuit, ut propoſitis indulgentiarum prœmiis, ad induendam crucem populos excitaret, munuſque milites cruce inſigniendi aliis demandaret: *Prædicationem crucis contra Conradum*, inquit, *natum quondàm Friderici Imperatoris, ſuoſque fautores perſecutores Eccleſiæ, per totum regnum Alemanniæ tibi duximus auctoritate Apoſtolica committendam, exequendi prædicationem hujuſmodi per te, vel per alios, quos ad eam idoneos eſſe cognoveris; largiendi etiam Cruceſignatis ob cauſam hujuſmodi, & concedendi privilegia & indulgentias, quæ Cruceſignatis in Terræ ſanctæ ſubſidium transfretantibus conceduntur; necnon remiſſionem quadraginta dierum iis, qui ad tuam ſuper hoc prædicationem, vel illorum, quibus eam commiſeris, acceſſerint audiendam, illoſque nihilominus cenſurâ Eccleſiaſtica compeſcendi, qui ſuper iis vos forte præſumpſerint impedire, conceſſa vobis auctoritate præſentium plenaria poteſtate.* In literis autem ad nobiles Suevos datis *IV Kal. Aprilis* apud eumdem Raynaldum num. 11. ait Innocentius: *Herode ſublato* (nempe Friderico) *qui Chriſti animam in animabus fidelium impiè perdere nitebatur, hæreditario jure paternæ tyrannidis principatum alter ſibi vendicat Archelaus*, ita Conradum appellat, tumque nobiles Suevos certiores fecit, nunquam Romanam Eccleſiam conſenſuram, ut Conradus Imperio, vel Suevico principatu potiretur.

XLVII.

Chriſtianum Archiep. Moguntinum gradu dejicit.

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo Chriſtianum Archiepiſcopum Moguntinum, quem alii Conradum vocant, inertiæ accuſatum, quod ad defendendam armis Eccleſiæ cauſam ſegnior eſſet, gradu deturbavit Innocentius, ut refert Serarius Rerum Moguntinarum lib. 5. in Chriſtiano 2. ex MS. *dicebat*, inquit, *nequaquam decere talia* (nimirum belli opera exercere) *Sacerdotem; ſed quidquid debet per gladium ſpiritus quod eſt verbum dei, omninò ſe promptum aſſerebat & voluntarium ſervaturum. Cumque ejus prædeceſſorum ſequi veſtigia moneretur, reſpondit, ſcriptum eſt*: Mitte gladium in vaginam. *Ob hoc in odium Regis* ſcilicet Willelmi, *& multorum incidit laicorum, qui omnes eum accuſantes apud Papam obtinuerunt eum ab Epiſcopatu omni ſubmoveri. Ceſſit ergo anno domini MCCLI. Subſtitutus eſt autem ab eodem Legato adoleſcens Subdiaconus Gerardus nomine, filius Comitis Conradi, qui dicebatur Silveſter Comes.* Legatus ille erat Hugo tit. S. Sabinæ Presbyter

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Cardinalis, quem eo anno in Germaniam miſſum, præter alios, teſtatur Joannes Nauclerus generat 42. Porrò Archiepiſcopus iſte Moguntinus non depoſitus, ſed mortuus dicitur à Trithemio in utroque Chronico.

XLVIII. *Blancam Reginam Franc. & Angliæ Regem à ſuſcipiendo Lugdunum itinere revocat.*

Innocentius Pontifex Italiam repetere ſtatuens, imprimis civitatem Lugdunenſem, in qua totos ſex annos, totidemque ferè menſes hæſerat, privilegiis atque elogiis ſingularibus ornavit, ejuſque cives & fortunas in Apoſtolicæ ſedis patrocinium ſuſcepit, ut conſtat ex ejus literis apud Raynaldum eo anno num. 15. & ſeqq. Blancam Franciæ Reginam, ſancti Ludovici Regis hujus nominis IX matrem, ipſum antequam è Gallia abſcederet inviſere cupientem, ab ægritudine ex qua conualverat vix conſiſtentem literis *XV Kal. Aprilis* datis monuit, ne ſibi novum periculum ex itinere accerſeret. Henrico etiam Angliæ Regi idem cupienti reſpondit Epiſtolâ *IV Nonas Aprilis* data, fore aliquando tempus huic officio præſtando opportunius, in ejus videlicet acceſſu vel receſſu de tranſmarinis partibus, aut forsàn ex alia cauſa quam dominus procurabit: providens hoc modo, ne abſente S. Ludovico Rege, per Henrici Regis adventum pax Galliarum turbaretur. Utramque Epiſtolam refert idem Raynaldus num. 19. & ſeqq.

XLIX. *Indulgentias concedit orantibus pro Rege & regno Franciæ.*

Incertum porrò eſt an in hoc è Gallia diceſſu, an verò jam antea indulſerit Innocentius, ut quicumque pro Regibus Franciæ oraverint, decem dierum indulgentiam conſequantur: illud tamen ab eo conceſſum certò ſcimus, teſte probatiſſimo Sancto Thoma Aquinate ad 4. Sent. diſt. 20. quæſt. 1. ad 3. in fine; Navarrus autem Tract. de Orat. cap. 19. num. 90. interpretatur id ab Innocentio factum, ob præclara atque continua officia, regiaſque munificentias, quibus tam ipſe Innocentius, quàm ejus deceſſores, à Regibus Francorum honeſtati, ipſaque ſedes Apoſtolica decorata fuit. Urbanus IV anno 1261. viginti dies indulgentiarum conceſſit diplomate, quod extat Tomo V Ducheſnii pag. 418. dato *Viterbii VI Kal. Januar. Pontificatûs* ſui *anno primo*; Clemens verò IV centum dies orantibus pro pace & ſalute Regis & Principum regni. Leonem verò decimum unum annum indulſiſſe ſcribit Spondanus ad annum 1251. num. 2. ex Fetaldo in Tractatu de privilegiis regni Franciæ, & ex Rebuffo in Proœmio Concordat. Imò Urbanus IV conceſſit etiam centum dies indulgentiæ eidem Ludovico nono Regi, & eis qui cum illo prædicationi verbi Dei intereſſent, diplomate dato *Viterbii XII Kal. Decembr. Pontificatûs* ſui *anno primo*, quod etiam extat ibidem apud Ducheſnium pag. 420.

L. *Lugduno Genuam pergit.*

Eodem anno 1251. cum divulgatum fuiſſet, Innocentium Pontificem Italiam repetere; & ad propriam ſedem à qua diu exulaverat, remeare ſtatuiſſe, tanta ex circumadjacentibus provinciis & remotis confluxit ad ipſum circa majorem hebdomadam frequentia populorum, flagitan-

gitantium ſummi Pontificis præſentiam intueri, ut ab ipſo indulgentiam reciperent peccatorum, & benedictionis Apoſtolicæ munere ſignarentur, ut vix eos civitas Lugdunenſis continere poſſet. Quare oportuit Pontificem die cœnæ domini extra in campum egredi civitatem, ut annueret votis & deſideriis populorum. Ad eum venerat Guillelmus Alemannorum Rex, qui, ut moris eſt Regum, tenuit ſtaffam ejus, & pariter adextravit. Ibidem propoſito verbo Dei, omnibus benedixit, & tribuit amplas indulgentias peccatorum, eiſque vale facto, ad Sanctum Juſtum eſt regreſſus, & eo die celebratis Miſſarum ſolemniis, in cœna cum dicto Rege Guillelmo, Cardinalibus & multis Prælatis aliis manducavit. Feria quarta poſt Paſcha Pontifex & Guillelmus Rex egreſſi ſunt de Lugduno, Guillelmo in Germaniam, & Innocentio versùs Italiam iter carpente. Prima die Viennam devenit Innocentius, ſecunda aſcendens naviculas tranſivit per Rhodanum fluvium uſque ad Arauſicanam civitatem. Inde per terram venit Maſſiliam, ubi multa magnificentia eſt ſuſceptus à civibus. At ubi ad Januenſium notitiam devenit, quod per eos eſſet tranſiturus, per totam maritimam ſtratas ipſi præparari fecerunt, vias planari & pontes refarciri non ſine magnis ſumptibus & expenſis. Cum verò Januam deveniſſet, ordinatis proceſſionibus & ſolemnibus laudibus, coopertis quoque plateis & viis civitatis, pictis tapetibus, purpureis & aliis variis indumentis diverſimodè variatis, cum tripudio & exultatione ſuſceptus eſt, in eaque civitate permanſit ferè uſque ad finem menſis Junii. *Circa Paſcha*, inquit Monachus Patavinus lib. 1. ſui Chronici ad annum 1251. *de Lugduno venit ad Januenſem civitatem, ubi omnes Magnates Lombardiæ, qui viam Eccleſiæ ſectabantur, ei in reverentiam occurrerunt.* Legati autem Lombardorum & Mediolanenſium ad ipſum acceſſerunt in die Aſcenſionis domini, ut ſcribit cap. 30. Vitæ Innocentii Nicolaus de Curbio; Aſcenſio autem domini anno 1251. concurrebat cum die 25. Maii.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

LI. *Genuâ Mediolanum.*

Cum Innocentius Januâ Romam rectà pergere vellet, ut ibidem regni Apuliæ negotia ordinaret, ad inſtantiam tamen Legatorum, qui de Lombardia venerant, per Lombardiam declinavit. Et circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ egrediens de Janua, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli Alexandriam pervenit, ubi ipſi occurrit Mediolanenſis & Novarienſis militia, ut per Vercellenſem civitatem, quæ adhuc ſequebatur partes Conradi filii Friderici, ſecurè tranſiret. Ex hac Nicolai de Curbio narratione, conſtat deceptos eſſe Bernardinum Corium part. 2. Hiſt. Mediol. & Sigonium lib. 19. quos ſequitur Spondanus, cum ſcripsêre Innocentium poſt quindecim dies Janua digreſſum, Mediolanum ſeptimo Idus Junii perveniſſe. Præterea ex Epiſtola de qua agit Raynaldus anno 1251. num. 38. evincitur Innocentium adhuc Januæ ſubſtitiſſe X Kalendas Julii, ſeu die XXII Junii. Idibus tamen Julii jam Mediolanum

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

num pervenerat, eo enim die Novarienſium erga Sedem Apoſtolicam fidem & in adverſis conſtantiam commendavit Epiſt. 69. lib. 9. Porrò Innocentius à Mediolanenſibus ei obviam effuſis ingenti apparatu exceptus eſt. *Erat enim ipſorum talis ac tanta proceſſio, quòd nunquam talis à ſeculis audita fuit vel viſa. Nam religioſorum & aliarum eccleſiaſticarum perſonarum uſque ad XV millia aſcendebat. Aliorum namque tanta erat populi multitudo, quod decem milliarium ſpatium occuparet*, ut inquit Nicolaus de Curbio laudatus. Innocentius per duos circiter menſes Mediolani moratus, res Eccleſiæ & Reipublicæ prudentiſſimè compoſuit ; frequentibus habitis concionibus, cùm de fide diſſeruit, tùm ſummo ſtudio pacem & concordiam populis perſuadere contendit, ut ſcribunt Corius & Sigonius laudati.

LII. *Inde Peruſium.*

Mediolano Innocentius Brixiam, indeque Mantuam abiens, ſemper aſſociatus ſolemni harum militia civitatum, ad monaſterium S. Benedicti inter Padum & Larionem divertit, ibi ſepulchrum Comitiſſæ Mathilis viſitavit, unàque cum Cardinalibus carmen illi expiatorium cecinit, ſummorum recordatione beneficiorum, quæ princeps illa Romanæ quondàm Eccleſiæ contulerat. Inde tranſivit per Padum fluvium uſque Ferrariam, quam intravit in die feſto S. Franciſci, ſeu die quarta Octobris. Ferrariâ Bononiam ivit, qua ex civitate poſt dies XVII recedens, & Peruſium pergens, tranſivit per Romandiolam, & in civitate Faventi feſtum omnium Sanctorum qui concurrebat cum die Mercurii celebravit, ibique Eccleſiam S. Paterniani Ordinis S. Benedicti conſecravit. Die verò ſequentis dominicæ, ſcilicet die quinta Novembris venit Peruſium, ubi honorificè eſt ſuſceptus. Ita Nicolaus de Curbio. Peruſii diuturniorem moram traxit Innocentius, Romam adire nolens, quòd, ut ſcribit Flavius Blondus lib. 2. decad. 7. literis & nunciis Romanos, ut attributam Senatoribus, quos tunc annuos creabant binos, proximam regiæ, vel potius tyrannicæ poteſtatem, aut abrogarent, aut ſe præſente moderatiorem curarent, evincere nequiviſſet. Ceterùm adventu ejus in Italiam, magnam rerum mutationem factam eſſe; Gibellinorumque opibus, quæ Friderico vivente innixæ ſupra ceteros ſe extulerant, eo defuncto alte conciſis; partes Guelfas ad eum diem depreſſas in immenſum creviſſe, omnes Auctores teſtantur.

LIII. *Novos Cardinales creat.*

Innocentium IV Peruſii exiſtentem Cardinales creaſſe in quatuor Temporibus Adventus domini anni 1251. ſcribit Ciaconius; Panuinius verò anno 1252. qui & aliam promotionem factam credit menſe Decembri anni 1253. quam ultimam Ciaconius conjungit cum anno 1252. Sed Nicolaus de Curbio cap. 30. Vitæ Innocentii meminit unius tantum ordinationis Cardinalium ab Innocentio factæ Peruſii, non quidem anno 1251. aut 1252. ſed anno 1253. menſis Aprilis, ut exiſtimo, die XIX in Vigilia Paſchæ; poſtquam enim dixit, Pontificem perveniſſe Peruſium

ſium die quinta Novembris in die dominica anno 1251. ſubdit: *Dum autem ibi perſiſteret & illic curiam ordinaret, cum jam ibidem per annum & dimidium reſideret, tres Cardinales in Eccleſia ordinavit dominum Epiſcopum Portuenſem* (ſcilicet Jacobum Herebertum), *dominum Epiſcopum Peneſtinum quondam Strigonienſem Archiepiſcopum* (ſeu Stephanum Hungarum) *& dominum Ottobonum Sancti Adriani Diaconum Cardinalem* (poſtea Papam ſub Hadriani V nomine). *Dominum autem Peneſtrinum de Barro tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem conſecravit in Epiſcopum Sabinenſem; ubi quidem non poſt multum temporis à domino ad vitam aliam eſt vocatus, qui ſe fecit in Eccleſia S. Franciſci de Aſſiſio tumulari.* Ex his patet deceptum eſſe Auguſtinum Oldoinum, cum ſcripſit hunc Epiſcopum Sabinenſem, quem cum Ciaconio vocat Petrum de Barro, mortuum eſſe Peruſii anno 1252. & ibidem ſepultum; cum anno tantum 1253. ex Presbytero Cardinali S. Marcelli, dictus fuerit Epiſcopus Sabinenſis, & non multo poſt moriens ſepulturam acceperit Aſſiſii. Huic tamen bene ſubſtitutum ſupponit Oldoinus Joannem neſcio quem, cum nomen ejus, ut ipſe ait, in regiſtro Innocentii IV anno undecimo, & Alexandri IV anno primo inveniatur. Dixi eam ordinationem factam in Vigilia Paſchæ anni 1253. quia facta eſt poſtquam Innocentius per annum & dimidium, ab ineunte ſcilicet Novembri anni 1251. ad diem XIX Aprilis anni 1253. Peruſii reſediſſet. Promotiones itaque Cardinalium Innocentii in Ciaconio mirè confuſæ, ex ejuſdem Pontificis Vita ſuis annis reddi, & illuſtrari poſſunt.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

LIV. *Angliæ Regem ad ſacram expeditionem excitat.*

Cum Innocentius Pontifex, poſt auditam Ludovici Francorum Regis in Ægypto cladem & captivitatem, omnes Septentrionalium regnorum Crucesignatos, etiam anathematis minis ſollicitaſſet ad transfretandum in Syriam; anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, ut Pariſius habet, ſcripſit ad Regem Angliæ Henricum perſuaſoriam & efficacem valde Epiſtolam, ut ſine dilatione ad Terram ſanctam adjuvandam, & Regi Francorum auxilium præſtandum ſe ſe accingeret; vel ſaltem aliis ad id paratis, moram & impedimentum, ut hactenus fecerat, non inferret. Quibus Rex motus, cum jam biennio ante Crucem cum multis aliis regni ſui magnatibus ſuſcepiſſet, rursùm ad iter ſe ſe jurejurando obſtrinxit, ſed poſt triennium tantum duntaxat ſuſcipiendum, niſi rationabili cauſa impediretur: & juratus hoc, inquit idem Auctor, appoſuit manum ſuam dextram ad pectus ſuum more Sacerdotis, & poſtea ſuper Evangelia, oſculans ea more laici. Nec tamen ſic perſuaſit ſuis, ſe id ex animo voviſſe, quin potius conjecerunt, non alio fine hæc ipſum præſtaſſe, quam ut eo ſpecioſo prætextu pecunias ab omnibus emungeret; ſicuti & tunc fecit, non ſolùm à miſeris Judæis quidquid haberent abradendo; verùm etiam à Chriſtianis aurum & monilia, tanta aviditate extorquendo, ut videretur *Craſſus* ab inferis reſurrexiſſe.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Hæc Pariſius, qui præter ſolitum commendat fratres Minores ex eo, quod cum Rex ad eos, qui Londini erant, miſiſſet tanquam ex propria ſua eleemoſyna, bigam onuſtam pannis laneis ad veſtimenta ipſis conficienda, audientes fratres, Regem hos pannos à mercatoribus, ſicut alia quæ rapiebat, extorſiſſe, tale xenium abhorrentes, bigam remiſerint, aſſerentes nec Regi licere eleemoſynas de rapinis pauperum elargiri, nec ſibi accipere.

LV. *Solemnes pro ea expeditione ſupplicationes indicit.*

Cum tamen Henricus Rex expeditionis adornandæ ſpeciem præ ſe ferret, Innocentius Pontifex ut pietatem illius magis excitaret ac ſtudium promoveret, eumdem in Apoſtolicam clientelam adſcivit, ac Londonienſem & Ciceſtrienſem Epiſcopos conſervandæ publicæ paci incumbere, cenſuriſque perturbatores percellere præcepit Epiſtolâ data *Peruſii XV Kal. Novemb. anno X* apud Raynaldum num. 24. & ad conciliandam illi divinam gratiam, aliâ Epiſtola num. ſequenti ab eodem Raynaldo relata, & data *Peruſii XIV Kal. Novemb. anno X* ſolemnes ſupplicationes in Anglia, Hibernia & Vaſconia indixit, ac viros religioſos preces ad Deum pro felici ſacrorum armorum ſucceſſu fundere imperavit. Præſulibus denique earumdem provinciarum munus impoſuit, ut omnes, qui ſe bello ſacro voverant, ad arripiendum iter accingerentur, excitarent; ac repugnantes, niſi ejuſmodi impedimenta occurrerent, ut eorum vota ex Sedis Apoſtolicæ auctoritate differenda, permutandave eſſent, cenſuris compellerent.

LVI. *Regnum Siciliæ Comiti Andegavenſi & poſtea Eadmundo Anglo offert.*

Cum res regni Siciliæ deploratæ eſſent, Conrado Friderici filio nihil non crudelitatis, impietatis, avaritiæ, libidinis, in Sacerdotes & Clericos, religioſos, viros, fœminas, omnis conditionis & ætatis exercente; Lombardorum viribus contra Ecelinum tyrannum, qui in Marchia Tarviſina deſæviebat, diſtractis; Genuenſi urbe milite in Syriam miſſo exhauſta; Venetis denique in Conradum propenſioribus apparentibus; ideoque Pontifex per Italos iis malis remedium afferre non poſſet, ad exteros reſpiciens, Albertum de Parma Notarium ſuum ad Richardum Comitem Cornubiæ, Angliæ Regis fratrem deſtinavit, ad reſumendum cum ipſo tractatum, quem tamen non conſummavit. Quod audiens Carolus Andegaviæ & Provinciæ Comes, ſtatim ſuos nuncios ſolemnes ad Sedem Apoſtolicam direxit, offerens terram, perſonam & omnia ſua bona ſervitio Romanæ Eccleſiæ præſertim pro negotio regni Siciliæ. Pontifex autem dicto Alberto in Francia tunc degenti mandavit, ut Siciliæ regnum Romanæ Eccleſiæ feudum, legitimo jure ad eam devolutum certis conditionibus, multum regno & Eccleſiæ opportunis Carolo offerret, & de ipſo eum vice Romanæ Eccleſiæ inveſtiret. Has conditiones refert Raynaldus anno 1253. Sed, ut ſubdit Nicolaus de Curbio in Innocentii Vita cap. 31. licet Carolus *Comes id multum in corde geſtaret, collateralium tamen ſuorum devictus conſilio hoc donum ſibi*

tam

tam magnificum deſtinatum recipere non tentavit. Id porrò contigiſſe an- *SEC. XIII.*
no 1253. non verò 1252. ut ſcribit Spondanus, ex eo conſtat, quod INNOCEN-
Epiſtola Innocentii ad Carolum data ſit *Aſſiſii II Idus Junii, Indictione* TIUS IV.
XI anno X Pontificatus, qui currebat II Idus Junii anni 1253. indictione undecima notati. Cum itaque Carolus Siciliæ regnum non acceptaſſet, Henricus Angliæ Rex Innocentio Papæ ſupplicavit, ut Eadmundo nato ſuo prædictum regnum concederet ſub conditionibus quibus vellet. Quo audito Pontifex lætitia repletus, mandavit eidem Alberto, adhuc in finibus Franciæ exiſtenti, ut dictum regnum Eadmundo in feudum concederet nomine Romanæ Eccleſiæ ſub illis conditionibus, quas poſtmodum dicerent ipſe Albertus, Ottobonus Diaconus Cardinalis ejuſdem Papæ nepos, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Epiſcopus Herefordenſis, Lugdunenſis electus & Comes Sabaudiæ, quod & factum eſt anno 1254. Ita Nicolaus de Curbio loco laudato. Mortuo interim Innocentio IV, Alexander IV ejus ſucceſſor anno 1255. Legatum in Angliam miſit, qui annulum inveſtituræ Eadmundo contulit die ſexta Novembris. Verùm cum Rex Angliæ & Eadmundus ejus filius promiſſis non ſtarent, neque per bella civilia ſtare poſſent, Urbanus IV Alexandri ſucceſſor prædictum Carolum Andegavenſem Romam vocavit, ut in ejus Pontificatu videbitur.

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio Innocen- LVII.
tius Papa Peruſii adhuc exiſtens menſe Martio Sanctum Petrum Veronen- *Petrum Ve-*
ſem Ordinis Prædicatorum, miraculis in vita & poſt mortem clariſſi- *ronenſem*
mum, in ſanctorum Martyrum numerum retulit literis datis *Peruſii* *Martyrem*
IX Kal. April. anno X, aliiſque literis anno ſequenti 1254. datis *Ana-* *Sanctorum*
gniæ VI Idus Auguſti anno XII, tertium diem ante Kalendas Maii ce- *catalogo ad-*
lebrationi ejus feſti attribuit, quòd dies mortis ejus fermè, vel in dies *ſcribit.*
Paſchatis incideret, vel Quadrageſimæ, in quam Eccleſia Ambroſiana nullam ſolemnitatem admitteret. Sanctus enim hic vir cum executioni mandaſſet Mediolani leges & Conſtitutiones contra hæreticos ab Innocentio Papa promulgatas, id non ferentes hæretici, per nefarios homines, libris Ticinenſibus quadraginta promiſſis, octavo Idus Aprilis, ſabbato in Albis, ipſum Como Mediolanum abeuntem pluribus vulneribus confecerunt anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, ſymbolum fidei in ipſo tranſitu clara voce recitantem. In Chronico Monfortiano dicitur virgo, doctor & Martyr, triplici corona laureatus. Ejus vitam fusè deſcripſit Thomas Lentinus Patriarcha Jeroſolymitanus Martyri coævus, quæ extat apud Surium, & apud Bollandum ad diem XXIX Aprilis. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico diſſert. 20. quæ eſt de ſolemnium canonizationum initiis atque progreſſibus num. 8. obſervat, quod cum primùm in aula Concilii ſoleret ſententia canonizationis pronunciari, in canonizatione Sancti Petri ad majorem ſolem-

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

nitatem morem inductum eſſe, ut in area ante Eccleſiam patenti id fieret, in ejus enim Vita num. 42. legitur, quod cum *Innocentius IV anno domini MCCLIII, IX Kalend. Aprilis....... apud Peruſium in platea Eccleſia fratrum Prædicatorum, adſtante ſibi Cleri, populique ac Religioſorum, nobbiliumque & Magnatum frequentia........ cum ſolemnitate non modica, & mirabili cereorum ardentium multitudine, & eximio ſacrarum veſtium apparatu, ſanctorum Martyrum catalogo ſtatuit adſcribendum.*

LVIII. *Item S. Staniſlaum Epiſc. Cracovienſem.*

Non multo poſt Paſcha anni 1253. Summus Pontifex Innocentius Peruſio egreſſus Aſſiſium perrexit, ubi tamen cum canonizavit S. Staniſlaum Epiſcopum quondàm Cracovienſem, de cujus martyrio in Gregorii VII Vita locuti ſumus, non in area ante Eccleſiam, ſed in ipſa Eccleſia die Octava Septembris pronunciavit ſententiam. *Recedens poſtmodum de Peruſio ipſe Papa dominica die octavarum Reſurrectionis domini anno domini MCCLIII Pontificatus ſui anno X venit Aſſiſium....... & moratus eſt tota illa æſtate cum omni ſua familia in loco Beati Confeſſoris Sancti Franciſci*, inquit Nicolaus de Curbio in Innocentii Vitæ capite 32. In Actis autem S. Staniſlai à Joanne Longino conſcriptis lib. 3. num. 12. ejus canonizatio dicitur facta *omnibus latantibus, ardenteſque cereos, ut Eccleſiam continenti incendio ardere putares, geſtantibus*, dum ſcilicet miſſam Pontifex celebrabat, qua expleta ambonem aſcendens pronunciavit Sententiam. *Omnibus autem ritè perfectis cantico* Te Deum laudamus *à Summo Pontifice inchoato, & à Clero univerſo ad finem expleto facta eſt generalis candelarum in homines utriuſque ſexûs diſtributio.* Extat apud Raynaldum num 19 Apoſtolicum diploma datum *Aſſiſii XV Kal. Octobris anno XI* ad Eccleſiarum Præſules, quo venerationem in S. Staniſlaum, ut certiſſimis argumentis cœleſti gloria potitum, & apud Deum magna gratia pollentem commendat, & præcipit, quatenus VIII Idus Maii, die videlicet quo ad deum tranſiit, feſtum ejuſdem celebretur, ad quem diem Papebrocius recitat in Actis Sanctorum ſynopſim ejus Vitæ ex antiquo MS. erutam.

LIX. *Eccleſiam S. Franciſci Aſſiſienſem conſecrat.*

Antequam Pontifex S. Staniſlaum canonizaret Eccleſiam Sancti Franciſci Aſſiſienſem magna ſolemnitate conſecravit die vigeſima quinta Maii, quæ concurrebat cum dominica ante feſtum Aſcenſionis, quæ eſt quinta poſt Paſcha; Nicolaus enim de Curbio poſtquam dixit, Pontificem moratum eſſe tota illa æſtate Aſſiſii cum tota familia ſua in loco beati Confeſſoris S. Franciſci, ſubdit: *In quo loco corpus ejus ſanctiſſimum requieſcit, qui de conſilio fratrum ſuorum conſecrationem ipſius Eccleſiæ faciendam prædixit in dominica præcedenti feſtum Aſcenſionis domini*, qui dies, ſine dubio, ideo electus eſt, quia, ut jam dixi, concurrebat cum die XXV Maii, quo, anno 1230. translatio ejus corporis facta fuerat ſub Gregorio IX in profeſto Pentecoſtes. Adveniente itaque

que, ſubdit Nicolaus cap. 33. die prædicto ipſa Eccleſia S. Franciſci Aſſiſienſis conſecrata eſt per Papam, & altaria ejuſdem per plures Epiſcopos. *Ubi propter loci devotionem, & reverentiam Summi Pontificis dictam Eccleſiam conſecrantis tanta fluxit frequentia populorum, Prælatorum, Religioſorum, Clericorum, virorum, mulierum & parvulorum, etiam tam de remotis provinciis, quam longinquis, ut nullus unquam poſſet eos præ multitudine numerare. Nam valles & colles, planities & ipſa civitas Aſſiſinas ex iis multipliciter replebatur. Contulit autem ipſe dominus Papa illuc omnibus devote accedentibus amplas remiſſiones & indulgentias peccatorum. Statuit enim ipſe dominus Papa ut ſingulis annis in tali die dominico ante feſtum Aſcenſionis domini, feſtum conſecrationis ipſius celebretur*, quod jam pridem antiquatum Sacra Rituum Congregatio reſtitui permiſit Minoribus Conventualibus decreto diei 13. Maii anni 1686. Porrò Pontifex majorem quoque Eccleſiam Aſſiſienſem & quaſdam alias ejuſdem civitatis conſecravit teſte eodem Nicolao de Curbio.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

LX. *S. Claram Virginem viſitat, ejuſque funus curat.*

Menſe Auguſto ſubſequenti Innocentius Papa Sanctam Claram ſororum Monialium Ordinis Sancti Franciſci Abbatiſſam, ad Chriſtum proxime migraturam inviſit, ut jam ante illi virgini cœlitus prœnunciatum erat; Auctor enim ejus Vitæ apud Surium die XII Auguſti, ait: *Dominus Papa cum Cardinalibus de Peruſio tranſivit Aſſiſium, ut de tranſitu ſancta præoſtenſa viſio ſortiretur effectum, quo viſo prædictum fuerat, Claram non antea ex hac vita exceſſuram, quam dominus cum ſuis diſcipulis veniſſet*, id eſt Papa cum Cardinalibus, ut ipſe explicat. Refert poſtea Pontificem monaſterium ingreſſum, ſanctam in lectulo jacentem viſitaſſe, Regulam ipſi à S. Franciſco traditam approbaſſe, eâque in craſtino Sancti Laurentii ad Deum migrante, veniſſe Pontificem ad celebranda divina; & *fratribus incipientibus officium mortuorum repente dominus Papa officium de virginibus, non de mortuis fieri debere proloquitur: ut prius eam canonizare videretur, quam corpus traditum eſſet ſepulturæ. Reſpondente autem viro eminentiſſimo domino Oſtienſi, moroſius in his fore agendum, miſſa de mortuis celebratur*, inquit laudatus Vitæ ejus Auctor, qui Sanctæ Claræ res geſtas juſſu ejuſdem Oſtienſis Epiſcopi Raynaldi, ſucceſſoris Innocentii ſub Alexandri IV nomine, monumentis conſignavit. De ejuſdem ſanctæ canonizatione agemus in ejus Alexandri Vita.

LXI. *Controverſiam Biſontinenſium Canonicorum operâ Legati dirimit.*

Litem inter Eccleſias Veſontionenſes Sancti Joannis & Sancti Stephani, de maternitate contendentes, licet à Paſchali II & Calliſto II judicatam, uſque ad Innocentii IV Pontificatum duraſſe, diximus in Vita Paſchalis II; nam à tempore Paſchalis & Calliſti magna animorum contentione hæc lis cum agitata fuiſſet uſque ad hæc tempora, Innocentius tandem quartus operâ Hugonis de Sancto Caro Cardinalis, quem Legatum Apoſtolicum in Germaniam miſit, eam omnino compreſſit anno 1253. illas enim Eccleſias, conſentientibus utriuſque Canonicis,

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV. ſic univit, ut una impoſterum eſſet Eccleſia, unum capitulum, unum ærarium, ſigillumque unum cum hac epigraphe: *Sigillum Eccleſiæ Biſontinæ*: iiſdem horis divinum officium, iiſdemque ritibus perageretur; Canonicorum aliis ad S. Joannis, aliis ad S. Stephani conſedentibus: quod diſcrimen, aulæ quas incolunt domus faciunt. Utrobique ſua n habet ſedem Epiſcopus; penes ipſum eſt optio. Hæc Chifflerius tam in Hiſtoria Trenorcienſi cap. 39. quàm in probationibus ejuſdem Hiſtoriæ & ex eo alii.

LXII. *Revocatur à Romanis & malè habetur.* Cum Romani anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo ad revocandam quæ ſolutior evaſerat veteram diſciplinam, Brancaleonem Andalum Bononiâ evocaſſent, eique Senatoriam dignitatem obtuliſſent, utpote viro non tam juſtitia, quàm ſeveritate inſigni; is notas habens frequentes Romanorum ex minimis cauſis ſeditioſas commotiones, ita oblatam dignitatem acceptavit, ſi ſibi illa in triennium contra ſtatuta Urbis firmaretur, ſe ſeque cives ſacramento, & datis obſidibus triginta primorum filiis, ad fidelem præſtandam obedientiam adſtringerent, quod & fecerunt. Quo facto anno 1253. miſſis ad Innocentium Pontificem Peruſium nunciis, obſecrarunt ut Romam tandem rediret, vi veniret, ſe pecuniam ingentem ab illo repetituros, quam pro Eccleſia adverſus Fridericum defendenda fudiſſent: ac Peruſinis, ſi eum ulterius retinerent, exitium comminati ſunt. Cumque hæc Pontifex metuens, Aſſiſium conceſſiſſet, rurſum id ipſum ab eo poſtularunt, ſimul Aſſiſiatibus excidium intentantes ſi detinerent. Reverſum autem ac ſummo ab omnibus honore exceptum, paulò poſt aggreſſi, omnia ſibi damna, quæ ex ejus abſentia in locationibus, commerciis, uſuris & vectigalibus pertuliſſent, reſarciri petierunt. Is verò deluſum ſe ſentiens, agit cum Senatore ut populum compeſceret; inhumanum enim erat, paſtori, quem ad ſalutem animarum advocaverant, negotium de his inique faceſſere. Hæc Sigonium ex Pariſio referre narrat Spondanus. Romam porrò non perrexit Innocentius ante menſem Octobrem; Nicolaus enim de Curbio narrata Eccleſiæ Aſſiſienſis S. Franciſci conſecratione, cap. 34. ſubdit: *Celebrato poſtmodum ibi ſolemniter feſto beati Franciſci die ſabbati, die Lunæ ſequenti* (nempe ſexta Octobris) *egrediens de Aſſiſio cum tota Curia ad urbem Romam per Narniam & Sabinam eſt reverſus.* Narrat poſtea eum Romæ ingenti lætitia exceptum eſſe.

LXIII. *Mortuo Conrado Siciliæ Rege Neapolim pergit.* Fridericus II quondàm Imperator ante mortem Henricum filium natu minorem puerum elegantiſſimum Siciliæ Regem conſtituerat. Hunc Conradus ejuſdem Friderici filius Rex Germaniæ, qui poſt mortem patris ſe pro Imperatore gerebat, miniſterio ac proditione cujuſdam ducis Saraceni è medio ſuſtulit, ut tàm eo regno, quàm theſauris Henrici liberè potiretur. Sed ipſe quoque Conradus Rex anno 1254. medio circi-

Digitized by Google

ter menſe Maio, ſeu, ut habet Nicolaus de Curbio cap. 38. circa feſtum Aſcenſionis veneno, ut Henricus Stero, Pariſius & Salles Malleſpina qui tunc vivebat in Hiſtoria de Rebus Siculis apud Baluzium Tomo 6. Miſcell. ſcribunt, ſublatus eſt à Manfredo peſſimi ingenii fratre notho, qui etiam Fridericum patrem ſuffocaverat; neſcienſque ſe fraude Manfredi perire, condito teſtamento eumdem Manfredum tutorem conſtituit filii ſui Conradi, quem hæredem ſuorum regnorum reliquit. Hic Conradus ab Italis dictus eſt *Conradinus* ad diſtinctionem patris, & quod necdum trimulus eſſet, cum pater obiit. Audita; Conradi Regis morte Innocentius Papa, qui exeunte menſe Aprili Româ exiens Aſſiſium venerat, ut ibidem totam æſtatem tranſigeret, continuò animum ad recuperandam Neapolim, Capuam ceteraſque illius regni urbes applicuit; ideoque feſto Pentecoſtes die 31. Maii celebrato, cum tota Curia Aſſiſio receſſit, & tranſiens per Spoletum & Interamnam, quæ in magna erant diſcordia eas pacificavit. & per civitatem Caſtellanam ad Eccleſiam B. Petri de Urbe pervenit. Inde receſſit Anagniam civitatem Campaniæ ut ibi commodius negotia regni Siciliæ ordinaret. Et quia regnum occupatum erat per Bertholdum Marchionem de Hohemburg, quem, ut dicebatur, Balium ſuum Conradus in eo reliquerat, & per Manfredum, qui ſe dicebat relictum à Friderico patre Principem Tarentinum, ac alios plures Comites & Barones, ipſos citavit Summus Pontifex, ut regnum Eccleſiæ reſignarent. Tunc Manfredus & alii Magnates, tàm pro ſe, quàm pro parte Bertholdi Marchionis ad pacem componendam, Anagniam ad Pontificem devenerunt. Sed cum per quindecim dies pax tractata & ordinata fuiſſet, Manfredus & alii, qui fraudulentia multa incedebant, pace rejecta regreſſi ſunt apud S. Germanum, ubi dictus Bertholdus Balius morabatur, & mittentes ad Saracenos de Nucerio, congregaverunt ibidem Teutonicorum & Saracenorum multitudinem copioſam. Quare Pontifex miſit celeriter ad diverſas provincias, Lombardiam, Januam, Tuſciam, Marchiam Anconitanam, Patrimonium & Ducatum, ut contra rebelles Eccleſiæ feſtinarent, eoſdemque in feſto Aſſumptionis B. Mariæ iteratò peremptorie citavit eoſdem, ut uſque ad feſtum Nativitatis ejuſdem Virginis mandatis Eccleſiæ obedirent; quod cum facere recuſarent, Pontifex congregavit exercitum apud Cepetanum, ad quem Legatum miſit Guillelmum S. Euſtachii Diaconum Cardinalem, quo ſtante in obſidione S. Germani, præfati rebelles miſſis oratoribus ad Pontificem Anagniæ exiſtentem, mandata Pontificis & Eccleſiæ ſe ſervaturos jurarunt. Poſt hæc Pontifex circa finem menſis Septembris generale parlamentum indixit Capuæ in octava S. Martini, & die Jovis octavo Octobris egrediens de Anagnia progreſſus eſt verſus Capuam; cumque dominica die ſequenti undecima Octobris per pontem Ceperani dirigeret greſſus, Man-

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

Manfredus ſtratoris officium ei exhibuit, & frenum tenuit quo uſque ad Pontem Gariliani tranſiret. Quare Pontifex non ſolum Manfredum in gratiam recepit; verùm etiam præter confirmationem principatus Tarentini à Friderico patre accepti, novis aliis honoribus eum auxit & conſiliorum participem fecit.

LXIV. *Ejus exercitus à Manfredo deletur.*

Verùm Manfredus mox ad ingenium rediens mane diei dominicæ ſequentis Burellum de Agone virum nobilem & Eccleſiæ Rom. fidelem à ſatellitibus interimi juſſit; de cujus nece ipſe ſummus Pontifex plurimum doluit. Quo facto ipſe Manfredus aufugit & junxit ſe Saracenis de Nucerio. Pontifex die lunæ ſequenti Capuam applicuit, ubi Bertholdus Belius cum fratribus ſuis & aliis pluribus nobilibus ad eum venit, à quo benignè eſt receptus. In vigilia tandem Apoſtolorum Simonis & Judæ, ſeu die 27. Octobris Neapolim acceſſit Innocentius, ubi cœpit infirmari, & febrium languore arreptus eſt. Et dum in ſuo lecto jaceret, Manfredus contra fidelitatem & juramenta propria, dum per ſuos pacis fœdera tractaret, fraudulenter partem exercitûs Pontificii apud Fogiam exiſtentis cum Saracenis inſultavit, conſilio, ut creditum fuit, Oddonis Marchionis de Hohemburc, de quo Eccleſia plurimùm confidebat, qui proditionaliter ſine ictu terga vertit. Qua clade audita à Guillelmo Cardinali Legato & reliqua exercitûs parte apud Troiam ſecum ſtante, ad Arianum civitatem Eccleſiæ fidelem cum ſua militia perrexit. Quare qui in caſtris Fogiæ remanſerant, de adjutorio deſperantes, ipſo Manfredo vidente, ſuis dimiſſis Fogiæ rebus omnibus præter arma, ipſo die apud Arianum in noctis crepuſculo pervenerunt, expectando ibi cum Legato & aliis Pontificis voluntatem. Hæc ſummariè ex Nicolao de Curbio à cap. 37. ad 42. deſcripta. Villanius etiam, Blondus, Paritius, Antoninus, Æmilius & Auctor Anonymus MS. rerum Conradini & Manfredi à Raynaldo laudatus plura hanc in rem habent, extantque in collectione Epiſtolarum Petri de Vineis lib. 2. binæ Epiſtolæ, nempe 45. & 46. ipſius Manfredi de hac victoria, ex quibus intelligitur, inquit Spondanus, tum ipſum hæc præſtitiſſe ſpecie conſervandi regni Conradino nepoti ſuo, tum victoriam partam eſſe die ſecunda Decembris, vivente adhuc Innocentio Pontifice, ac proinde errare illos, qui hanc ad initia Alexandri IV ejus ſucceſſoris referunt.

LXV. *Ejus obitus.*

Innocentius Pontifex eo accepto nuncio, cum diebus aliquot languiſſet, ingraveſcente morbo, obiit Neapoli, non quidem in feſto Sanctæ Luciæ, ſeu die decima tertia Decembris, ut ſcribit Ciaconius, ſed ſeptimo Idus Decembris, ſeu die ſeptima ejuſdem menſis anno 1254. *Dum autem ipſe Summus Pontifex*, inquit Nicolaus de Curbio cap. 42. *diebus aliquot languiſſet, ſacramentis Eccleſiaſticis poſtmodum præmunitus, pœnitentia, Euchariſtia & ſacra Unctione receptis, cum devotione*

&

& lachrymarum effuſione per dominum Reginaldum tunc Oſtienſem Epiſcopum, qui per ordinationem divinam ſucceſſit ei in promptu, de carnis ergaſtulo exiens in feſto S. Ambroſii (quod celebratur die ſeptima Decembris) *circa horam veſpertinam, ad cæleſtem patriam emigravit.* Eumdem diem morti ejus aſſignant Stero in Annalibus, & ipſe Alexander IV ejus ſucceſſor in literis encyclicis de ſua electione datis, quarum fragmentum refert Raynaldus num. 69. *Innocentio Papa*, inquit, *prædeceſſore noſtro VII Idus Decembris, in regno Siciliæ, in civitate Neapolis, de anguſto & tetro carnis carcere vocato ad ſpatioſum & lucidum cœli palatium, ut de multis laboribus, quos pro Eccleſiæ honore & libertate conſtanter pertulit, mercedem quietis recipiat ſempiternæ*, &c. Ex quibus tutò arguuntur, qui alium diem morti Innocentii aſſignant, qui ideo ſedit annos undecim, menſes quinque, dies tredecim vel quatuordecim numerando à die electionis, vel *annis undecim, menſibus quinque, diebus decem*, ut ſcribit Nicolaus de Curbio cap. 43. qui ideo numerat à die conſecrationis. Martinus verò Polonus & Wernerus Rollewinc numero rotundo loquentes habent annos undecim, menſes ſex. SEC. XIII. INNOCENTIUS IV.

LXVI. *Ejus ſepultura locus.*

Sepultum eſſe Innocentium in Eccleſia fratrum Minorum S. Laurentio ſacra, ſcribunt Platina, Panninius, Bzovius & alii; ſed Ciaconius & alii recentiores in Eccleſia cathedrali humatum volunt; & Wadingus ita eos Auctores concordandos judicat, ut Innocentius priùs ſepultus ſit in æde divi Laurentii, & inde in cathedralem poſtea translatus, diruta prima Eccleſia S. Laurentii per Carolum Andegavenſem, & reædificata alia ampliori auguſtiorique in ipſis urbis penetralibus: idque confirmat auctoritate Cæſaris Eugenii Caraccioli in libro cui titulum fecit *Neapolis ſacra.* Sed cum hic Auctor ſcripſerit ſeculo circiter decimo ſeptimo ineunte, ſtandum eſt Nicolao de Curbio Minoritæ Innocentii Confeſſario, qui præſens erat, quique cap. 42. Vitæ ejus, eum in Eccleſia Cathedrali, in qua ſepulturam elegerat, humatum dicit: *Mane ſequenti*, inquit, *domini Cardinales & Prælati pariter univerſi .... ipſum detulerunt ad majorem Eccleſiam tumulandum apud quam elegerat ſepulturam. Et eo ibidem ſepulto*, &c. Innocentii ſepulchro inciſum epitaphium ab Umberto de Monte Archiepiſcopo Neapolitano circa annum 1310. ſcribit Wadingus, ejuſque delineationem ære expreſſam repræſentat Oldoinus in Notis ad Ciaconium. Sed, ut inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico, „ monumentum illud novum videtur,
„ nam in eo videre eſt Pontificias triplicis coronamenti tiaras, numiſma
„ etiam, in adjecto aliunde numiſmatis typo, quale ſi uſpiam extat, fictitium
„ haud dubie eſſe apparebit, collatum cum numiſmate Honorii IV apud
„ eumdem Ciaconium ex muſæo equitis Gualdi. Scitur enim duplicis in tiara
„ coronamenti primus auctor fuiſſe decimus quartus ab hoc Innocentio
„ Bonifacius VIII, tertium verò addidiſſe dicitur Urbanus V. Fliſcæ

„ etiam gentis ſcutum gentilitium tumbæ affixum cernitur, exemplo tunc „ necdum Epiſcopis noto & per Bonifacium VIII prænominatum ſimi- „ liter introduci cœpto. Ita Papebrocius.

LXVII. *Ejus Doctrina.* Innocentii IV memoriam charam imprimis faciunt, ejus exquiſita doctrina, atque inſignis pietas, ac præſtantia in Rempublicam chriſtianam merita, aſſiduique & indefeſſi labores: eamque fruſtra, obſcurare & maculare conati ſunt ſchiſmatici Fridericiani, ac Pariſius Eccleſiæ Romanæ & Pontificum oſor, malignis juxta ac fatuis quorundam malignorum figmentis. Paulus Langius in Chronico Citizenſi, quod uſque ad annum 1515. perduxit, de eo ait anno 1242. *Innocentius quartus in Summum eſt electus Pontificem, vir rigidus, ut juſtitia tenaciſſimus executor*, & ad annum 1254. narrata ejus morte, ſubdit: *Innocentius Papa iſti vir doctiſſimus plura egregia à ſe compoſita reliquit ſcripta, potiſſimum Apparatum decretalium profunde & eleganter dictatum. Edidit & alium in Conciliis approbatum, quem Oſtienſis in ſumma ſua Authenticum vocat, proinde à Canoniſtis iſte Innocentius lucerna juris appellatur; item librum de juriſdictione imperii & auctoritate Pontificis contra Petrum de Vineis*, &c. Quæ eadem fetme leguntur in Platina, qui addit, eum doctorum virorum familiaritate mirificè delectatum eſſe, eoſque ad dignitates evexiſſe.

LXVIII. *Ejus ſanctitas.* Non ſolum doctrina, ſed & inſigni pietate & ſanctitate præditum fuiſſe Innocentium diſertè aſſerit Nicolaus de Curbio, qui poſt relata mox verba, ſubdit: *Et eo ibidem ſepulto in ſpecioſa & celebri ſepultura, obſeſſi à morbis validis & languoribus variis per divinam operationis clementiam liberantur, & omnes qui ibidem puro corde implorant auxilium ſalubrem ſuæ petitionis effectum.* Nicolao autem de Curbio Minoritæ, poſtea Epiſcopo Aſſiſinatenſi tutò fides adhiberi poteſt, cum narrat ea quæ propriis oculis vidit, ut ejus Capellanus & Confeſſarius à tempore quo dictus eſt Cardinalis; capite enim 43. & ultimo ejus Vitæ ait: *Actum per manus illius qui cum ipſo Pontifice, non ſolum ab exordio ipſius Apoſtolatus, ſed etiam in Cardinalatu ejus Capellanus & Confeſſor aſſiduè extitit, & uſque ad ipſius obitum familiariter ſecum manſit, qui propter tedium legentium de multis quæ vidit, hæc pauca ſub ſimplici ſtilo ſcripſit.* Capite verò 13. ejuſdem Vitæ jam ſe nominaverat Nicolaum de Curbio Sacerdotem, Capellanum & Confeſſorem Innocentii, Ordinis fratrum Minorum, poſtmodum Aſſiſinatenſem Epiſcopum. Hæc porrò Vita, ut jam dixi, extat Tomo 7. Miſcellaneorum Stephani Baluzii.

AL E-

Digitized by Google

ALEXANDER IV *Pontif.* CLXXXI.

Anno Domini MCCLIV.

I. *Tractatur de electione novi Pontificis.*

POſt victoriam à Manfredo de exercitu Pontificio die ſecunda Decembris anno 1254. reportatam, *tantus*, inquit Auctor Anonymus Geſtorum Manfredi apud Raynaldum num. 69. *Cardinalibus & aliis de Romana Curia ex illa victoria Principis timor acceſſit, quod viſo Legato & Marchione omnes voluêre de Neapoli recedere, & in Campaniam redire: ad magnam autem inſtantiam & reconſormationem Marchionis ipſius ſteterunt in unum collecti ad electionem novi Summi Pontificis.* Flavius Blondus lib. 2. decad. 7. narrat Cardinales ea conditione conclave ingreſſos, ut omni poſtpoſito longiore debito mora, rebus Eccleſiæ à Manfredi violentia, inſidiiſque periclitaturis per novi Pontificis creationem providerent: adeoque Bartolinum Tavernariam equitem Parmenſem, quem Innocentius IV ſororium ſuum, Neapoli Prætorem impoſuerat, virum prudentem honeſta vi adhibita, illos, cibo per ſingulos dies imminuto, ut in aliquem concordarent, impuliſſe potius quam hortatum eſſe.

II. *Alexander IV eligitur Pontifex.*

Sed etiamſi concederetur Cardinales per vim fuiſſe incluſos, falſum tamen eſt cibum eis per ſingulos dies fuiſſe imminutum, cum die tantum decima Decembris recluſi fuerint, & die duodecima novum Pontificem elegerint. *Ceſſavit Epiſcopatus diebus quinque*, inquit Nicolaus de Curbio cap. ult. Vitæ Innocentii. Et infra poſtquam dixit, nuntiata Innocentii morte Guillelmo Cardinali Legato Ariani exiſtenti, hunc Neapolim properaſſe ad ejuſdem ſepulturam, ſubdit: *Ubi cum aliquandiu oraviſſet, Neapolitani cives eum, cum dolore tamen & lachrymis, ad domum ubi Papa deceſſerat, ubi etiam alios concluſerunt Cardinales, curialiter deduxerunt. Ipſo namque cum lachrymis recepto ab aliis ſtatim in diei mane veneris ſubſequentis* (ſcilicet undecimæ Decembris, Innocentius enim Papa obierat die Lunæ) *Sancti Spiritus miſſa cantata, de electione cœperunt tractare Romani Pontificis. Et cum illa die per formas varias procedentes nihil penitus compleviſſent, die ſabbati* (ſcilicet duodecima Decembris) *poſt multos & varios tractatus convenientes in unum, hora quaſi tertia dominum Raynaldum Oſtienſem Epiſcopum in Summum elegerunt Pontificem, quem ſtatim,* Te Deum laudamus *decantando, ad majoris Eccleſiæ Epiſcopium adduxerunt, ac eſt ibidem à Clero & populo civitatis receptus, & præſtita omnibus ſolemni benedictione Papali, ad domum ubi fuerat creatus Epiſcopus ſub nomine rediit Alexandri IV.* Ex quibus corruit quod ſcribit Blondus, cibum nempe per ſingulos dies Cardinalibus fuiſſe imminutum. Corruit & illud quod Ciaconius, Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſt. & aliis ſcribunt, Alexandrum electum ipſo

SEC. XIII. ALEXANDER IV. Natalis Chriſti die, cum etiamſi hæc Nicolai de Curbio probatio deficeret, deſtrueretur tamen hæc opinio ex literis circularibus ipſius Alexandri, ſcriptis poſt ſuam electionem, ad eam de more ſignificandam, poſcendaſque preces omnium; datæ enim ſunt Neapoli undecimo Kalendas Januarii, ſeu die 22. Decembris, & conſequenter electus fuerat ante diem Natalis Chriſti; & veroſimiliter ejus coronatio dilata fuit uſque ad diem XX. Decembris, qui erat Dominicalis, alioquin tandiu non diſtuliſſet literas illas ſcribere. Denique ex his manifeſti erroris convincuntur Joannes Villanius, Antoninus, Trithemius & alii, qui ſcripſère ſedem duobus fermè annis vacaſſe, præſertim cum Sallas etiam Maleſpina tunc vivens in Hiſt. de Rebus Siculis apud Baluzium Tom. 6. Miſcell. narrata Innocentii morte, ſcribat: *Tunc fratrum cita concordia unoque conciliavit affectu quod ſine magna mora præter morem diſpendio dominum R. Oſtienſem Epiſcopum natione Campanum, oriundum de quodam caſtro quod Genna dicitur Anagninæ diœceſis in ſummum Pontificem concorditer aſſumpſerunt.*

III. *Ejus genus & patria.* Fuit Alexander ex Comitibus Signiæ progenitus, patre Philippo, non Gerardo, ut ait Panuinius, cujus error ex ipſius Alexandri Epiſtola 778. lib. 3. Regiſtri ejus refellitur, teſte Odorico Raynaldo, patruo Gregorio IX Pontifice, ut ſcribit Pariſius. Paſſim dicitur Anagninus, non quia Anagniæ, ſed quia in diœceſi Anagnina natus: patria ſiquidem ejus, ut referunt Sallas Maleſpina mox laudatus & Papebrocius, *Genna*, ſeu *Genna*, vulgò *Jenne* antiquæ Trebiæ Auguſtæ municipium, pertinens ad jus Abbatiæ Sublacenſis, tribus & dimidio millibus paſſuum ſitum ſupra ſacram ſpecum Sancti Benedicti versùs Septentrionem. Sic enim patruus Gregorius IX in Brevi quodam, hunc ſuum nepotem vocat *Raynaldum de Jennes.* Ab eodem Gregorio IX creatus fuerat Cardinalis, primò Diaconus titnli Sancti Euſtachii, deinde Epiſcopus Oſtienſis. Eum fuiſſe antea Monachum Benedictinum ſine teſte ſcribit Paulus Langius in Chronico Citizenſi: Trithemius tamen licet diligentiſſimus in enumeratione ſummorum Pontificum ordinis S. Benedicti, diſerte aſſerit non alios, quam quos ipſe profert, ex eo ordine extitiſſe, nec audiendos, qui alios obtrudunt, & tamen nullum Alexandrum inter eos nominat.

IV. *Ejus laudes.* Laudatur verò ab omnibus Alexander de doctrina, morum probitate, & ſanctitudine vitæ, ab ipſo etiam Pariſio, qui tamen ex inſito in Romanos Pontifices odio, ad ejus laudes obſcurandas, non levem nimiæ facilitatis in adulatorum ſuſurris excipiendis, & cupidorum ſequendis voluntatibus nævum aſperſit his verbis: *Sublato de medio Innocentio IV Papa, ſubrogatus eſt alius vir, ut aiunt, ſatis benignus & bene religioſus: aſſiduus in Orationibus, in abſtinentia ſtrenuus, ſed ſibilis adulantium ſeducibilis & pravis avarorum ſuggeſtionibus inclinativus: Epiſcopus videlicet Oſtienſis, nepos Gregorii Papæ pridem defuncti, qui ipſum in Epiſcopatum promo-*

Digitized by Google

promoverat, & vocatus eſt Alexander, videlicet IV. Adeo autem prono in calumnias animo fuit Pariſius, ut cum eum poſtea ſingulariter laudet, quòd præter aliorum Pontificum morem, ſtatim à creatione ſua ſcripſerit ad univerſos Eccleſiæ Prælatos, humiliter petens ut preces ad Deum funderent pro optimo ſuo regimine, non potuit abſtinere ab iniqua ceterorum inſectatione: *Scripſit autem*, ſubdit Pariſius, *in principio creationis ſuæ cunctis Eccleſiarum Prælatis, poſtulans humiliter ut orarent pro ipſo, ut Dominus daret ei poteſtatem gratiam & voluntatem Eccleſiam Dei congruè gubernare, & Vicarius Dei & Petri ſucceſſor competenter appellari. In quo facto novo, alii enim ejus ſucceſſores* (legendum, deceſſores) *nil tale fecerunt, multorum corda in ſpem erexit meliorem.* Certum tamen eſt & exemplis deceſſorum comprobatum vidimus, morem fuiſſe Romanorum Pontificum, confeſtim ab electione literas circulares ſcribere, in quibus haud dubium, quin & preces omnium efflagitarent. Laudatur verò etiam Alexander ab Sterone, de eo quod minus quam ceteri curans de negotiis Principum & regnorum, non pauca revocaverit, quæ in oppreſſionem multorum ſub prædeceſſore ſuo conſtituta fuerant.

V. *Alexander Albericum in Ecelinum tyrannum excitat.*

Eodem die vigeſimo ſecundo Decembris, non ſolum circulares literas ad univerſos Eccleſiæ Prælatos ſcripſit, ſed & addictiſſimos quoſque Sedi Apoſtolicæ Magnates Italos in prioribus ſtudiis ad tuendas Eccleſiæ partes contra tyrannos confirmavit: atque inter eos Albericum de Romano adverſùs fratrem Ecelinum, qui inaudita omnibus ſeculis tyrannide in Marchiam Terviſinam deſæviebat, ad conſtantiam eſt adhortatus quam antea in adverſis oſtentatam, meritis afficiendam prœmiis pollicitus eſt Epiſtolâ 2. lib. 1. *Nos*, inquit, *latere non poſſunt jacturæ multiplices & preſſuræ, quas Tu & Terviſina civitas, tuo commiſſa regimini, propter Deum cum Eccleſia ab ipſius adverſariis longo tempore uſque ad amiſſionem bonorum, & uſque ad vitæ diſcrimina pertuliſtis. Stat aſſidue ante oculos noſtros, quo tu malitiam fraternæ impietatis abhorrens, hoſtem ei te conſtituere calcato naturæ fœdere decreviſti, quem Deo & ipſius ſponſæ, Catholicæ videlicet Eccleſiæ, fecit operum ſuorum perverſitas inimicum. Certus ergo, Fili, quod merita tua apud nos habentur libro illabilis memoriæ commendata, age conſtanter, nec in bonorum tuorum perſeverantia fatigeris: ſciens quod ad relevandum ſtatum tuum, & civitatis prædictæ, aliorumque Marchiæ Terviſinæ fidelium intendimus in brevi, favente Domino, intendere ſtudioſe.* Literis illis *diem XI Kal. Januarii* adſcriptum eſſe teſtatur Raynaldus Tomo 2. Annal. ad annum 1254. num. 7. ideoque ex iis confirmatur quod ſuperius diximus Alexandrum electum eſſe ante diem Natalis Chriſti illius anni.

VI. *Octavianum Card. Legatum creat ad reprimendum Manfredum.*

Cum verò Manfredus victoriâ, quam paulo ante mortem Innocentii IV reportarat, ferociens, univerſam fermè Apuliam ſibi ſubjeciſſet,

SEC. XIII. ALEXANDER IV. Alexander Pontifex ad ejus progreſſus frœnandos, Octavianum Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconum Cardinalem, Sedis Apoſtolicæ Legatum creavit, ut memoratus rerum Sicularum Auctor anonymus ſcribit, & Apoſtolicæ oſtendunt literæ; atque inter alias ad Rufinum Minoritam, magnæ exiſtimationis & induſtriæ virum datæ, quibus demandatas ipſi ab Octaviano Legato ſuas vices in inſula Siciliæ & in Calabria corroboravit. Tum Bertoldum Marchionem Honebruchenſem Magiſtri caſtrorum dignitate jam inde ornatum, in eo munere, diplomate Apoſtolico confirmavit, in quo ait: *Officium magnæ Seneschalliæ Siciliæ regni prout illud tempore quondàm Conradi, nati quondàm Friderici olim Romanorum Imperatoris habuiſti & exercuiſti.* Et infra: *Cum ſolitis juriſdictionibus, quantum ad cognitionem appellationum & alia, & cum omnibus honoribus, dignitatibus, cunctiſque juribus ad idem officium pertinentibus, de quo te per virgam rubeam in eorumdem Fratrum præſentia inveſtivit* (ſcilicet Innocentius IV) *plene habeas & exerceas in vita tua*, &c. *Datum Neapoli XVII Kal. Februarii anno* 1. Ita Raynaldus ad annum 1155. num. 2.

VII. *Cum Oratoribus Manfredi de pace tractat.* Dum interea tum à Bertoldo Marchione, tum ab Octaviano Legato ingentes militum delectus fierent, tentatæ ſunt molliores viæ ad Manfredum in officium revocandum, miſſique, ut creditum eſt, à Cardinalibus Oratores ad eum, qui ei ſuaderent, ut nuncios ad novum Papam delegaret, ut mos erat aliorum Principum. Miſit itaque Manfredus duos ex ſuis Secretariis ad Alexandrum Papam, dans eis poteſtatem de concordia tractanda in certa forma, quæ commodum Regium & honorem ſuum ſapiebat. *Profectis itaque prædictis nunciis ad Romanam Curiam, quæ tunc Neapoli erat, cœpit de concordia tractatus haberi*, inquit anonymus Auctor mox laudatus apud Raynaldum num. 3. & ſeqq. ubi & addit, Manfredum interea, dum tractatus iniretur, latius tyrannidem protuliſſe, imò & ſollicitatum ad opprimendum Neapoli Pontificem, ab eo conſilio revocatum eſſe, ut moveret adverſus Brunduſinos, qui unum ex ſuis præfectis deleverant.

VIII. *Repudiat concordiam à ſuo Legato cum Manfredo factam.* Inter hæc Octavianus Apoſtolicæ Sedis Legatus prima menſis Junii die copias, quas undique colligere potuit, adverſus Manfredum eduxit; ſed graſſantibus in exercitu morbis; ac Bertoldo Marchione, qui defectionis conſilia cum Manfredo agitarat, profligato, ac penuria commeatuum ingraveſcente, ad concordiam tractandam deſcendit: *Factum eſt*, inquit idem Auctor, *quod tractatu hinc inde habito, ad hanc Princeps atque Legatus concordiam devenerunt, ut Princeps pro parte ſua, & Regis Conradi nepotis ſui regnum teneret exceptâ terra Laboris, quam Princeps conceſſit Eccleſiæ tenendam; ita tamen quod ſi Papa tranſactionem & concordiam ipſam forte non acceptaret, liceret Principi terram ad ſuum jus & Dominium revocare: qua tranſactione ſic facta inter Principem & Legatum cautionibus intervenientibus firmata, Legatus obnixe rogavit Principem, ut*

intuitu

intuitu divinæ pietatis quibuſdam regni nobilibus parceret, qui à tempore Imperatoris patris ſui à regno exulabant, & in præſentia cum ipſo Legato erant: ad cujus Legati preces motus Princeps præfatis nobilibus clementer indulſit, terras quas juſtè amiſerant, eis reſtituit, & in regno eos manere conceſſit. Sed non admiſſam ab Alexandro Papa eam concordiam refert idem Auctor.

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

IX. *Temperat duriora ſtatuta Univerſitatis Paris. contra Mendicantes.*

Anno millesimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, juxta Guillelmum Nangium in geſtis S. Ludovici IX Regis Francorum, orta eſt perturbatio in univerſitate Pariſienſi inter Clericos & Religioſos Dominicanos, ac alios Mendicantes, occaſione libelli contra eos conſcripti à Guillelmo de Sancto Amore ex oppido Amatoris apud Sequanos, Canonico Bellovacenſi & Theologo Pariſienſi magni nominis, inſcripti *de periculis noviſſimorum temporum* eo prætextu quaſi ſubeſſe & parere Academiæ nollent. Qui metas longè egreſſus in errores lapſus eſt, quibus inter alia aſſerebat Religioſos ex eleemoſyna in otio viventes ſalvari non poſſe, ſed omnes indiſcriminatim teneri ad victum ſibi opere manuali comparandum: paupertatem habitualem eſſe licitam, non autem actualem; hoc eſt, licitam eſſe animi promptitudinem ad omnia pro Chriſto relinquenda, cum urget neceſſitas; hac tamen neceſſitate ſecluſa, illicitam eſſe bonorum renunciationem, quæ fit ad ſerviendum Deo liberius. *Sed ipſo Magiſtro ad Curiam accedente, dicta diſcordia per dominum Papam Innocentium pacificata eſt*, inquit ibidem Nangius. Verùm hæc diſcordia poſtmodùm recruduit, cumque non tam in Franciſcanos primò mota fuiſſet, quàm in Dominicanos, fuit tamen inde facta communis, & utrique à conſortio univerſitatis Pariſienſis excluſi, ex vi quorundam ſtatutorum à Theologis Pariſienſibus contra Mendicantes conditorum, quæ recenſentur in Epiſtola ab Alexandro IV, initio ſui Pontificatûs decimo nempe octavo Kalendas Maii anni milleſimi ducenteſimi quinquageſimi quinti ad Univerſitatem Pariſienſem Neapoli ſcripta, qua commendato ſtudio Pariſienſi, narrat originem controverſiæ, eaque ſtatuta temperat. Eam Epiſtolam refert Wadingus ad annum 1255. num. 2. ex Regiſtro Vaticano.

X. *Librum Guillelmi de S. Amore contra eoſdem damnat.*

Sanctus Ludovicus Franciæ Rex ad illas diſſenſiones omninò componendas, tam Lutetiæ cum Univerſitate, quàm apud Pontificem per nuncios multum laboravit, & libellum Guillelmi de Sancto Amore transferri ad Pontificem curavit. Acceſſerunt ex utraque parte Doctores ad Sedem Apoſtolicam, unà cum ipſo Guillelmo harum turbarum præcipuo auctore, ac ſociis ejus Odone de Duaco, Nicolao de Barro ſuper Albam, Doctoribus Theologis, & Chriſtiano Canonico Belvacenſi. Sanctum Albertum Magnum Ordinis Prædicatorum, & Sanctum Bonaventuram Ordinis Minorum Miniſtrum Generalem, à Pontifice vocatos, contra adverſarios fortiter diſputantes, eorumque capita invi-

ctis

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

ctis argumentis confutantes audivit Pontifex, qui Opuſculum Guillelmi de Sancto Amore quatuor Cardinalibus examinandum commiſerat: ac demum librum *tanquam iniquum, ſcel ſtum & execrabilem, & inſtructiones ac documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nefaria de fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica* reprobavit, & in perpetuum condemnavit, juſſitque ut qui eum penès ſe haberent, illum intra octo dies comburerent, ſub pœna excommunicationis. Alexandri diploma, quod incipit, *Romanus Pontifex* datum *Anagniæ III Nonas Octobris* anni 1256. Tomo 1. Bullarii editum eſt & extat apud Wadingum ad eumdem annum num. 31. Deinde anno ſequenti 1257. Guillelmum de Sancto Amore magiſterio & omni dignitate depoſuit, ac regnum Franciæ intrare abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia prohibuit, præcepto dato Viterbii *quinto Idus Auguſti*, Pontificatus ſui anno tertio, ideoque anno 1257. Tum Doctores & Univerſitatem Pariſienſem, poſt multas repetitas in renitentes, juſſiones & comminationes, prædicatores & Minores ad pacem recipere, & benignè cum iis agere, auxilio Sancti Regis Ludovici tandem compulit, & pœnitentium abſolutionem ab incurſis cenſuris Epiſcopo Pariſienſi commiſit anno demùm Pontificatûs ſexto, qui fuit Chriſti 1260. ad quem uſque duritiés adverſariorum perſeveravit: cum non deſint etiam qui Guillelmum in ſua pertinacia male obiiſſe ſcribunt. Qua de re legendus Wadingus in Annalibus Minorum.

XI. *S. Claram Virginem canonizat.*

Duobus annis à tranſitu Sanctæ Claræ virginis & Abbatiſſæ revolutis, Alexander Pontifex poſtquam perſonis ſolemnibus & diſcretis commiſiſſet examinanda miracula, quæ Dominus per merita ejus operari dignabatur, Prælatorum & totius Cleri multitudine convocata, ſermone quoque præmiſſo, cum celebritate permaxima, eamdem virginem Sanctorum catalogo reverenter adſcripſit; feſtumque ejus ſolemniter in tota Eccleſia celebrandum inſtituit, atque ipſe cum tota Curia ſolemniſſime celebravit. Acta ſunt autem hæc apud Anagniam in Eccleſia Majori anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Pontificatûs Alexandri primo, inſtante ipſo ejus migrationis die, ut ſcribit Auctor ejus Vitæ apud Surium die XII Auguſti; vel poſt eumdem in ipſa feſtivitate aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ, uti habet collector Firmamenti Trium Ordinum Sancti Franciſci; vel die XXVI Septembris, ut refert Marianus lib. 2. cap. 22. inde forsàn ductus, inquit Wadingus, quod bulla canonizationis, quam apud Auctorem Firmamenti legit, data ſit VI Kalendas Octobris. Cum tamen variæ bullæ denunciationis hujus apotheoſis ad Eccleſiarum Prælatos datæ ſint ſub diverſis diebus, ex eo deducitur, ſanctos non ſemper canonizatos eo die, quo hujuſmodi diplomata ſcribuntur, ſed ea enarrare canonizationes jam factas; & tempus ſolum indicare quo dantur ad Eccleſiarum Antiſtites. Unde idem Wadingus aſſerit, plures hujus canonizationis literas tempore diſcordes

des exiſtere, & apud ſe habuiſſe originarias ſub plumbo datas *Anagniæ XIV Kalend. Novembris Pontificatus* Alexandri IV *anno primo.* Porrò hæc ſancta virgo pingitur geſtare tabernaculum auguſtiſſimi ſacramenti, cujus aſſidua fuit cultrix; tum maxime quod ad præſentiam dominici corporis Deum adorans cum ſororibus, Saracenos Imperatori Friderico II Eccleſiæ hoſti militantes in Aſſiſii obſidione, jam Cœnobium ingreſſos, vi precum exturbaverit, & tam à ſuo monaſterio, quàm Aſſiſio profligaverit, ut annotavit Joannes Molanus lib. 3. de Imag. cap. 31. Hujus ſanctæ Vita ab Auctore anonymo juſſu Alexandri IV ſcripta, extat, ut jam dixi, apud Surium ad diem XII Auguſti.

XII. *Inſigne S. Franciſci ſtigmatum teſtimonium perhibet.*

Iidem Annales Minorum, ceterique plures Scriptores habent anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto Sancto Franciſco Minorum Patriarchæ, biennio ante ejus obitum impreſſa fuiſſe in monte Alverniæ ſacra *ſtigmata* ſingularis Chriſti in eum amoris teſtes, quod ſingulare privilegium miris laudibus extulit Alexander Papa eodem primo ſui Pontificatûs anno, teſtimonium addens irrefragabile veritatis eorumdem à ſe viſorum, dum in minoribus conſtitutus familiariùs ageret cum eodem Sancto. Graviſſimas hac de re Alexandri literas ex antiquis monumentis refert idem Wadingus datas *Anagniæ IV Kalend. Novembris Pontificatûs anno primo.* Eadem ſtigmata ante Alexandrum IV jam commendaverat Gregorius IX anno 1237. apud Wadingum ibidem num. 1. & ſeq. & poſtea Nicolaus III literas Gregorii IX confirmavit, ut videre eſt apud eumdem in Regeſto ad Tomum 1. Poſtea Benedictus undecimus eorumdem ſtigmatum feſtum celebrari, officium verò etiam Paulus quintus recitari conceſſit.

XIII. *Legatum mittit pro concordia Eccleſiæ Græcæ cum Rom.*

Sub finem Innocentii IV Pontificatûs, miſſos eſſe Romam à Joanne Duca, *Batatze* dicto, Græcorum Imperatore & ab eorum Eccleſia nuncios, pro perficienda utriuſque Eccleſiæ concordia diximus in ejuſdem Innocentii Vita num. XLIV. Fuerunt autem illi Quiſicenſis & Sardicenſis Archiepiſcopi, Angelus Comes & Theophylactus interpres, qui conditiones & pacta ineundi fœderis Innocentio aſportarunt, de quibus actum eſt coram Cardinalibus, & concluſum ea, quantumvis aliquantum devia, eſſe tamen admittenda pro reducendis vaſtæ regionis hominibus. Verùm ob turbatas Eccleſiæ Latinæ res & mortem Innocentii Pontificis, non licuit nuncium tunc remandare, dilatumque eſt negotium uſque ad annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, Alexandri IV Papæ ſecundum, à quo miſſus eſt Epiſcopus Urbevetanus, cum conditionibus & pactis ſub certa menſura jam approbatis, & peculiari inſtructione, quatenus in his perficiendis ſe gerere oporteret.

XIV. *Conditiones concordiæ à Græcis miſſa.*

Recognitionis & petitionis Græcorum capitula Innocentio quondàm Papæ oblata hæc ſunt. 1°. Conditio, Romanæ Sedi, ejuſque ſummo Pontifici præ ceteris Patriarchalibus ſedibus, ſummi recognitionem

Digitized by Google

SEC. XIII. ALEXANDER IV. ac profeſſionem in Eccleſia Catholica principatûs, canonicam obedientiam Innocentio, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus exhibendam. 2ª. Prærogativam appellandi Romanam Eccleſiam, cum ſacræ perſonæ Eccleſiæ Græcorum à ſuperioribus ſuis crediderint ſe gravari. 3ª. Liberum recurſum ad ſedem Romanam in quæſtionibus, quas inter prælatos & alias perſonas eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri. 4ª. Obedientiam quoque in ſententiis, quas Romanus Pontifex ſacris non adverſas canonibus promulgabit. 5ª. In conciliis eidem Pontifici primam ſedem, & primam ſubſcribendi vicem, cum ſubſcriptiones fuerint faciendæ. 6ª. In quæſtionibus fidei, ſi quæ ibidem fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium; quod dummodo evangelicis & canonicis non obviet inſtitutis, obedienter ceteri ſuſcipient & ſequentur. 7ª. In aliis verò Eccleſiaſticarum perſonarum cauſis & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur, ſententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo ſacrorum non adverſetur Conciliorum decretis, ceteri acquieſcent. 8ª. Ad hæc iidem nuncii ſæpe dicto Calojoanni (ideſt Joanni Ducæ) Conſtantinopolitanæ civitatis Imperium, & Patriarchis Græcis ibidem & alibi Patriarchalium ſedium jura reſtitui petierunt, ac Imperatorem & Patriarchas Latinos ab eiſdem civitate & ſedibus amoveri, Antiocheno Patriarcha in illa Eccleſia, dum viveret, tolerato. Hæc totidem verbis refert Lucas Wadingus ad annum 1256. num. 41. ex Epiſtola 325. lib. 2. Alexandri Papæ, quæ extat in Regiſtro Vaticano.

XV. *Alexander Papa eas admittit temperatas.* His ſubjicitur in eâdem Epiſtola inſtructio ab Alexandro Papa data Epiſcopo Urbevetano Legato Apoſtolico ad Theodorum Laſcarim Juniorem Joannis Ducæ ſucceſſorem, ex qua conſtat, quod cum Græci conſiterentur, *ſi de aliquo articulo fidei in Concilio* quæreretur, *quidquid ſuper eo dixerit Romana Sedis Antiſtes*, ejus auctoritatem ſequendam, *ſatis abſonum* reputaſſe Innocentium & Alexandrum, eam tamen definiendi poteſtatem nollent Pontificem habere in eo ſolo articulo, *in quo de proceſſione Spiritûs Sancti Græca Eccleſia aliquantulum à Romana diſſonare* videbatur. *Verùmtamen*, inquit Alexander, *ne aliquid ex hoc reconciliationem ipſius Eccleſiæ impedimentum vel obſtaculum impediret, prædeceſſor ipſe* (nempe Innocentius IV) *conceſſit in Concilio imminenti tenorem prædicti ſymboli* (Nicæni) *adjectione qualibet, niſi forte de mutua convenientia, quam ſicut confidimus, reconciliationis inducet concordia, non mutari. Sed in ea forma penès Eccleſiam Græcam remanere, quam dicta Synodus* (Nicæna ſeu potius Conſtantinopolitana prima) *promulgavit, dummodo de Sancta Trinitatis fide Græca Eccleſia in omnibus Catholice ſentiat cum Romana.* Conceſſit itaque Alexander, ſicut conceſſerat Innocentius, ut ſymbolum abſque additamento vocis, *filioque*, ſervarent Græci, modo in ipſo fidei dogmate cum Romana convenirent Eccleſia. Quod attinet ad negotium

Digitized by Google

gotium Imperii Conſtantinopolitani, reſpondit Pontifex nihil ſuper eo definiri poſſe, niſi vocato Imperatore Latino. Denique quoad Patriarchas & alia omnia; in mandatis dedit Alexander Urbevetano Epiſcopo Legato Sedis Apoſtolicæ, ſi ad conſummationem negotii procedi contingeret, ut res facilius exitum feliciorem conſequi poſſet, offerret Græcis Concilii Generalis convocationem. Quem exitum habuerit hæc legatio, non conſtat; illud ſolum certum eſt, unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina ad exitum deductam non eſſe ante Concilium Lugdunenſe II, anno 1274. celebratum, forsàn quia Joanne Duca Imperatore die XXIX Octobris anni 1255. mortuo, ejus ſucceſſores Theodorus Laſcaris, & Joannes Laſcaris ab ea averſi fuêre. SEC. XIII. ALEXANDER IV.

XVI. *Prohibet ne Conradinus puer eligatur in Regem Romanorum.*

Guillelmo, ſeu Willelmo Hollandiæ Comite, quem Romanorum Regem electum ſuperius vidimus, ineunte anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, dum profectionem in Italiam ad coronam Imperii ſuſcipiendam pararet, à nonnullis Friſonibus, jaculis & contis confoſſo, ab aliquibus in Germania tractatum eſt, de eligendo in ejus locum Contado, quem, ut diximus, *Conradinum* Itali vocarunt, Friderici quondàm Imperatoris nepote, adhuc infantulo. Sed Alexander Pontifex id omninò prohibuit, cùm ob ineptam pueruli ætatem, ad defendendam, quod muneris Regii erat, Eccleſiam; tùm ob immanem progenitorum ejus, Conradi ſcilicet patris, & Friderici avi, Eccleſiæ perſecutionem, ex qua nimis timendum eſſet, ne inveterata eorum malitia, ſicut carnis propagatione, ſic imitatione operum cum ſanguine in eum derivaretur. Eam in rem literas ſcripſit ad Gerardum Archiepiſcopum Moguntinum, ad quem ea cura præcipuè ſpectabat, quòd primus eſſet Electorum: præcipiens ei ſub excommunicatione, ut antequam ad electionem Regis procederetur, ſingulis Electoribus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus ejuſmodi Pontificiam prohibitionem ſignificaret: decernens, ſi quid contra eam geſtum aut tentatum ab aliquibus eorum foret, tum electio Conradini irrita & inanis penitus maneret, tum ipſi Electores excommunicationi ſubjacerent. Hæ literæ datæ ſunt *Anagniæ V Kalendas Auguſti anno* 2. ideoque anno 1256. extantque apud Raynaldum num. 3. apud Spondanum tamen dicuntur datæ *XV Kal. Auguſti.*

XVII. *Differt ſententiam proferre circa duos in Reges Romanorum electos.*

Prætermiſſo, itaque Conradino, in alio Romanorum Rege deſignando, ſchiſma inter Electores ortum eſt; diſciſſi enim in contraria ſtudia, cum in Germano principe ad Imperium evehendo conſentire non poſſent, externum quæſivêre; atque alii, nempe Gerardus Archiepiſcopus Moguntinus, Conradus Colonienſis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni in octava Epiphaniæ anni 1257. Richardum Comitem Cornubiæ, fratrem Regis Angliæ; Arnulphus verò Archiepiſcopus Trevirenſis, fretus literis & auctoritate Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum Brande-

 burgenſium

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

burgenſium & multorum Principum, Alphonſum Regem Caſtellæ, media Quadrageſima ejuſdem anni elegerunt. Uterque electus Legatos ſuos ad Alexandrum Pontificem deſtinavit pro confirmatione ab eo impetranda, ut ſcribit Monachus Paduanus in Chronico lib. 2. ad annum 1257. Sed Pontifex neutri favens, de conſilio Cardinalium, ne majores diſſenſiones orirentur, ſub ſpecie deliberandi diſtulit ſententiam ſuam de hac controverſia proferre. Quem verò progreſſum & exitum ea controverſia habuerit, legere eſt apud Auctores hujus temporis; illud tamen certum, neque Richardum, neque Alphonſum, aut ab Archiepiſcopo Mediolanenſi Regiis, aut à Romano Pontifice Auguſtalibus inſignibus fuiſſe ornatum, ideoque neutrum inter Reges Italiæ aut Imperatores numerari.

XVIII. *Agit contra Ecelinum tyrannum.*

Cum Ecelini tyranni, de quo hujus Pontificatûs initio locuti ſumus, crudelitate admiraretur cœlum, turbaretur terra, horreret infernus, commoverentur Reges & Principes nationum, ut loquitur Monachus Paduanus in Chronico lib. 2. Alexander Papa precibus Marchionis Eſtenſis & aliorum magnatum Marchiæ inclinatus, qui contra efferatiſſimum inimicum auxilium Eccleſiæ implorabant, officium legationis Lombardiæ, Marchiæ & Romaniolæ commiſit Philippo electo Ravennatenſi Archiepiſcopo, viro ſtrenuo & in rebus agendis exercitatiſſimo, ſcriptiſque exeunte anno 1255. ad cunctos Inſubriæ, Æmiliæ & Marchiæ Terviſinæ Præſules, proceres & populos encyclicis literis, datis *Laterani XIII Kalend. Januarii*, quæ extant apud Raynaldum eo anno num. 10. Sedis Apoſtolicæ Legato adeſſe, ipſiſque operam ſuam pro dignitate explicare juſſit. Philippus Legatus anno ſequenti 1256. militares copias ex prædicatione crucis, & Venetorum, aliarumque vicinarum civitatum auxiliis colligens, vexillifero quodam Patavino nomine Catello Ordinis fratrum Minorum, qui ingentis ſpiritûs vir patriæ recuperandæ cupidus, hunc ſibi pro Chriſti honore laborem depopoſcit: dum Ecelinus urbi Mantuæ expugnandæ intentus erat, Patavium verſus iter dirigens, poſt aliquos proſperos progreſſus, urbi appropinquans, ad cujus defenſionem cum valido præſidio relictus fuerat Anſediſius Ecelini ex ſorore nepos, prælata cruce & hymno Eccleſiæ, *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis myſterium*, à Clericis præcantato, urbem aggreſſus eſt atque intra paucos dies expugnavit, immenſa civium lætitia, qui ſæviſſima omnium ac diuturna ſervitute ab impiiſſimo tyrannno oppreſſi fuerant. Quod ut audivit Ecelinus dolore ſimul & furore commotus, duodecim millia Patavinorum, quos apud ſe, vel diverſis locis, aut obſidum, aut militum, aut miniſtrorum nomine habebat, ſatellitibus ſuis variis necis generibus afficiendos tradidit, ipſumque Anſediſium nepotem in tormentis animam efflare coëgit; rurſumque urbem cum exercitu tentans, à Legato viriliter repulſus eſt, ac quibuſdam aliis locis

ſpoliatus.

ſpoliatus. Quæ omnia ut geſta fuerint, narrant diffuſè laudatus Monachus Paduanus, Blondus decade 2. Sabellicus Ennead. 9. lib. 6. & alii.

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

XIX. *Gradenſis Patriarchæ privilegia confirmat.*

Quia verò in eo bello egregiam Eccleſiæ operam navarunt Veneti, tum in Patavio expugnando, tum in Ecelino caſtris propulſando, ut ſcribit Andreas Dandulus in ſuo Rerum Venetarum Chronico, Alexander Pontifex in eorum gratiam Angeli Patriarchæ Gradenſis privilegia confirmavit. *Epiſcopalium præterea cathedrarum urbes, item Caſtellum, Torcellum, Metamaucum, Caprulium, Civitatem novam, Equilum, Veglam, Arbem & Auſetium* Gradenſi Eccleſiæ tanquam ſuæ Metropoli ad exemplar fel. recordationis Anaſtaſii Papæ prædeceſſoris ſubjectas eſſe decrevit. Conceſſit ei inſuper Hadriani IV prædeceſſoris veſtigiis inhærens, *ut in Conſtantinopolitana urbe, & aliis itidem civitatibus in Conſtantinopolitano Imperio duntaxat conſtitutis, in quibus Veneti plures habent Eccleſias, ubi videlicet eorum multitudo conſuevit aſſiduè convenire* liceat Epiſcopos ordinare, & abſque alicujus contradictione munus eis conſecrationis impendere. Hæc conſtant ex diplomate ab eo dato *Anagniæ per manum Magiſtri Rollandi S. R. E. Vicecancellarii II Idus Julii, Indictione XIV, Incarn. Dom. ann. MCCLVI, Pontificatûs verò Domini Alexandri IV anno 2.* quod integrum refert Raynaldus num. 40. & ſeqq.

XX. *Ordinem ſervorum B. Mariæ approbat.*

Ordinem Servorum B. Mariæ de monte Sanario, auctoribus ſeptem viris nobilibus & locupletibus, inter quos primus Bonfilius de Monaldis, cœleſti vocatione, dum in die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis preces & laudes ei in quadam ſodalitate perſolverent, de hoc monitis, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo Florentiæ ortum habuiſſe, tradit Archangelus Gianni in ejusdem Ordinis Annalibus, quamvis nonnulli in alios annos referant. Hi autem in proximum Florentiæ montem Sanarium ſecedentes, prima ibi æde ſacra ædificata, eadem ipſa Virgine monente, nigrum habitum & Regulam Sancti Auguſtini ab Epiſcopo Florentino ſuſceperunt. Sed cum hic ordo, ut idem Annaliſta tradit, verbo tantum tenus ab Innocentio quarto primùm approbatus fuiſſet; anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto ab Alexandro Papa IV ſcripto diplomate *quodammodo confirmatus eſt* & diverſis gratiis ac privilegiis decoratus & auctus Epiſtolâ 207. lib. 2. Regiſtri Alexandri, & inde longe lateque propagari cœpit, tandemque à Benedicto XI anno 1304. III Idus Februarii ſolemniter confirmatus, & poſtea à Martino V inter Mendicantium ordines relatus.

XXI. *Eremitarum Congregationes in unam ſub Regula S. Auguſtini redigit.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto idem Alexander Pontifex, ſi fides Jacobo Philippo Bergomenſi Eremitæ Auguſtiniano lib. 13. Chronici, quod Supplementum Supplementi anno 1503. vocavit, Sancti Auguſtini ſibi per quietem apparentis monitu, quod Innocentius deceſſor inchoaverat, impigrè perficiens, multas congregationes Eremitarum, quorum alii S. Guillelmi, alii Joannis Boni, alii aliis no-

SEC. XIII. ALEXANDER IV. minibus inſigniebantur, diverſis regulis, titulis & veſtibus viventes, ad tollendam omnem confuſionem, in unam Ordinis & Regulæ Sancti Augustini obſervantiam & uniformem in ſpontanea paupertate vivendi, & nigro habitu veſtiendi modum redegit, primo ei dato *Priori generali Lanfranco Septalano* Mediolanenſi. Qua de re extat Tomo I. Bullarii ejus conſtitutio ordine 8. data Laterani quarto Nonas Maii. Ipſas congregationes unitas enumerant Pamphilus in Chronico Ordinis Eremitarum & Maurolicus in Mar. Ocean. omnium Religionum. Poſt quæ hic Ordo relictis ſolitudinibus urbes incolere cœpit, & doctrina pariter & exemplo ſaluris fructum afferre. Utrum verò fuerit hujuſmodi Eremitarum inſtitutor Sanctus Auguſtinus, ut ipſi volunt, an verò tantummodo Canonicorum Regularium, ut plerique alii, & quis fuerit eorum habitus, diſputatur à multis, inter quos eſt Paulus Langius in Chronico Citizenſi ſub annis 1148. & 1259. ac nuper Lucas Wadingus in Apologetico de prætenſo Monachatu S. Franciſci, ubi §. 4. num. 16. refert literas Alexandri IV datas *Anagniæ 15. Kalend. Julii Pontificatus anno ſecundo*, in quibus poſtquam dixit, ſe confirmaſſe unionem Congregationum Eremitarum à Richardo Sancti Angeli diacono Cardinali juſſu ſuo factam, præcipit, ut ab ea die uſque ad feſtum omnium Sanctorum proximè venturum, omnes nigri prorſus coloris cucullas aſſumant, abjectis aliis. Quæ literæ, ut teſtatur ibidem Wadingus num. 15. habentur Bononiæ ad S. Franciſcum originariæ, authenticæ verò apud Minores Ticinenſes. Legendi itidem hac de re S. Antoninus tit. 24. cap. 14. & Volaterranus Antropologiæ lib. 21. quos & omnes alios, ut Spondani verbis utar, abſque ullo veritatis præjudicio, nos in ſuis ſenſibus abundare permittimus, rem indicaſſe contenti.

XXII. *Aquilam Epiſcopali ſede ornat.* Cum Manfredus Friderici quondam Imperatoris filius nothus tyrannidem ſuam in Sicilia latius circumferret, ac populos, quà vi, quà metu in ſui obſequium adigeret, Aquilani in Eccleſiæ fide ſemper perſtitêre, ſuoque ſtudio promeruêre, ut Alexander Pontifex ſedem Epiſcopalem Furconienſem in eorum urbem transferret, atque in Eccleſia S. Georgii, quam bonis ampliſſimis donarant anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo collocaret. Ejus hac de re diploma recitat Raynaldus ad eumdem annum num. 45. & ſeq. in quo ait Pontifex, ſe illam translationem facere, non ſolùm ad inſtantiam Aquileidnſium, ſed etiam quia ad eam concurrebant vota Berardi Epiſcopi, Archipresbyteri & Capituli Furconienſis: *Prædictam terram Aquilæ*, inquit, *quam ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, de fratrum noſtrorum conſilio & plenitudine poteſtatis ſtatuimus eſſe de cetero civitatem, Epiſcopalem dignitatem concedentes eidem, & Furconenſem ſedem, cum omnibus ſuis juribus, dignitatibus & honoribus ... ad prædictam Eccleſiam SS. Maximi & Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem eſſe decernimus, transferentes,*

tes, conſtituendo, ut de cetero loci præſul, non Furconienſis, ſed Aquilenſis Epiſcopus nominetur. Idem diploma, quod extat lib. 3. Regiſtri Alexandri extare etiam in Bibliotheca Patrum Oratorii Romani aſſerit Raynaldus laudatus, in eoque appoſita eſſe ſex Cardinalium nomina, hancque ſubſcriptionem: *Dat. Laterani per manum Magiſtri Rollandi S. R. E. Vicecancellarii X Kal. Martii, Indict. XV, Incarnationis Dominicæ MCCLVII, Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ quarti anno tertio.* De ea translatione legendus Ughellus Tomo 1. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Aquilanis.

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

XXIII. *Salisburgenſem Archiep. deponit & quare.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo Alexander Papa Philippum Carinthiæ Ducem à decem circiter annis Archiepiſcopum Saliſburgenſem electum, inſtante Saliſburgenſi capitulo dignitate depoſuit, quòd ordinem presbyteratus & Epiſcopalem conſecrationem nunquam ſuſcipere voluiſſet, & Eccleſiæ bona malè adminiſtraret, ut refert Henricus Stero in Chronico apud Caniſium Antiq. Lect. Tomo 1. pag. 277. extatque etiam lib. 3. Regiſtri Alexandri Epiſtola 619. data Viterbii Non. Septemb. anno 3. quâ Chimenſi Epiſcopo provinciam impoſuit, ut Philippum, qui tanto tempore, ſummo fidelium damno & ſcandalo Eccleſiam illam ſine præſule viduam gemere coëgerat, ad reſtituendas illius arces, oppidaque vero Archiepiſcopo Saliſburgenſi, nimirum Vlrico Seccovienſi antea Epiſcopo, à Canonicorum Saliſburgenſium collegio ſubrogato, cujus electionem Alexander Epiſtola 625. ratam eſſe juſſerat, cenſuris compelleret. At Philippus Pontificia monita cum ſpreviſſet, anathemate defixus eſt. Unde in furorem converſus, atrocius in ceteros Epiſcopos ac Sacerdotes ſævijt, opem ferente Rege Bohemiæ, cum Duces Bavariæ Ulrico ſtuderent; quorum demum operâ ejectus omnino Philippus, factus eſt poſtea Patriarcha Aquileienſis. Ulricus etiam ſe abdicans, locum fecit Wladiſlao Henrici Ducis Uratiſlavienſis fratri, quem Clemens IV, ipſo ſui Pontificatûs initio ei ſuffecit. Hæc pluribus narrantur ab Sterone laudato, atque in Chronico Saliſburgenſi apud eumdem Caniſium Antiq. Lect. Tomo 6. pag. 1267. & ſeq.

XXIV. *Ob ſeditiones Romæ excitatas Viterbium ſe recipit.*

Cum Brancaleo, quem ſub finem Pontificatûs Innocentii IV Senatorem à Romanis conſtitutum diximus, ſeverius juſto capitales quæſtiones exercere putaretur, quòd flagitioſos quoſcumque gravioribus pœnis ſine ulla exceptione afficeret, in potentum juxtà populariumque offenſionem incidens, ſeditione in eum mota captus, atque in carcerem conjectus eſt anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, ut ſcribit Nangius, vel anno ſequenti 1256. ut Pariſius. Qua re cognita uxor ejus occultè Romam exiens, Bononiam properavit, & cives ſuos obteſtata eſt, ut Romanorum obſides, quos apud ſe habebant arctiùs cuſtodirent. Quod adeo ipſi præſtiterunt, ut quamvis Alexander Papa, rogatu Romanorum eis reſtitui poſtulans, cum non obtinuiſſet, interdicto Bono-

niam

Digitized by Google

SEC. XIII. ALEXANDER IV. niam ſuppoſuerit: ipſi nihilominus mala omnia ſuſtinere, quam obſides in præſentiſſimam præclari ſui civis perniciem liberare elegerint. Interim verò Romani Madium Brixianum, Senatorem ſubſtituerunt, qui cum & ipſe jus ſeveriſſimè diceret, & mutato inſtituto populum variis injuriis opprimeret, ſolis nobilibus, maximeque Hannibalenſibus placere ſtudens; ea re conciti populares, impetu facto in carcerem, quo Brancaleo detinebatur, ipſum extrahentes priſtinæ dignitati reſtituerunt anno 1257. ut narrat Nangius in Vita Sancti Ludovici Francorum Regis. Brancaleo confeſtim adverſarios ſuos Urbe ejecit, ac duos Hannibalenſes patibulis obtulit, nulla habita ratione Pontificis, qui tunc Romæ præſens erat, neque excommunicationis, qua illum & ſequaces feriit. Cum verò etiam extrema omnia ipſi Pontifici & Cardinalibus intentaret, his territus Pontifex, relicta Urbe Viterbium ſe recepit. Brancaleo verò, omnia adversùs Pontificem Manfredo ſubſidia miniſtrante, arces ac turres Nobilium Romanorum circiter centum quadraginta ad ſolum evertit, multoſque nobiles, Eccleſiæ ac Pontifici faventes in carcerem detruſit, alioſque ſuppliciis affecit: nec ceteros perſequi deſiit, quouſque in obſidione urbis Corneti infirmitate correptus, Romam ſe deferri jubens vitæ finem ibi impoſuit. Hæc pluribus Parilius ad annum 1258. ſed cum hic Auctor aſſerat, Pontificem ob concitatas Romæ ſeditiones Viterbium ſeceſſiſſe, hæc contigiſſe oportet anno 1257. ut habet Nangius; ex Alexandri enim Epiſtolis conſtat, ipſum ſe contuliſſe Viterbium anno 1257. ubi III Nonas Septembris dedit Epiſtolam 619. ut num. ſuperiori diximus, & Raynaldus anno 1258. num. 6. refert, ex Epiſtolis ejus conſtare, Alexandrum quidem IV Idus Maii Laterani anno 1257. dediſſe Epiſtolam 318. ſed Epiſtolam 322. datam eſſe ab eo Viterbii IV Kal. Julii, ibique manſiſſe Pontificem uſque ad initium Septembris anni 1258. Inde verò Anagniam profectum, ibi biennium circiter commoratum eſſe, ejus literas demonſtrare.

XXV. *Philippi Legati Apoſt. ab Ecelino capti liberationem fruſtrà tentat.* Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo Philippus Archiepiſcopus Ravennatenſis electus, quem contra Ecelinum tyrannum ab Alexandro Papa Legatum Apoſtolicum miſſum diximus, poſtquam Patavium, Brixiamque, quorundam Minoritarum operâ ad partes Eccleſiæ reduxiſſet, ſub finem menſis Auguſti, prælii diſcrimen à ſuis importune compulſus ſubire, ab eodem Ecelino certamine ſuperatus, captuſque eſt cum Epiſcopo Brixienſi, electo Veronenſi, multiſque viris illuſtribus & magna popularium multitudine: quorum nonnulli interfecti ſunt, quidam in varia loca relegati, Brixiaque urbs florentiſſima civibus, opibuſque intra paucos dies ab Ecelino exhauſta, ut pluribus narrat Monachus Paduanus lib. 2. Licet autem Rubeus in Hiſt. Ravenn. lib. 6. ad eumdem annum 1258. aſſerat, Philippum Legatum, paulo poſtquam captus eſt, incolumem ab Ecelino Alexandro Pontifici reſtitutum fuiſſe, facta redemptione grandi

grandi pecunia, quam ex Ravennate Archiepiſcopatu collegit, hallucinatum tamen Rubeum cenſent Spondanus & Raynaldus, audiendumque magis ejus temporis Auctorem Monachum Paduanum laudatum, qui rem præ oculis habuit, quique in fine libri 2. ſui Chronici, diſerte ſcribit, poſt ruinam Ecelini, quæ anno 1259. contigit, Marchionem Palavicinum, ejus dominationis occupandæ avidum, conciliandæ inter Brixianos amicitiæ ſpecie Brixiam obtinuiſſe, ac ſtatim cœpiſſe veſtigia Ecelini imitari; Pilippumque Legatum ab Ecelino in vinculis ibi derelictum præcepiſſe cum ſumma diligentia cuſtodiri; ac denique Alexandri Pontificis ſolicitè ejus liberationem procurantis mandata neglexiſſe; donec ipſe Philippus quadam nocte, deceptis cuſtodibus fune per feneſtram evaſit, & Patavium ſe recepit, quæ & Blondus decad. 8. agnoſcit; niſi quod cuſtodes corruptos re pecuniaria à Philippo tradit.

XXVI. *Scribit contra Presbyteros concubinarios.*

Cum verò Alexander Pontifex morum, quàm armorum ſtudioſior eſſet, reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelo, encyclicas anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono ad Archiepiſcopos & Epiſcopos literas dedit, quibus Sacerdotes publicos concubinarios vehementius exagitans, Paſtores intimis hortationibus in eos excitavit, vetuitque ne quiſpiam eorum ſacrificiis intereſſet, quandoquidem ſecundùm antiquiora canonum ſcita eſſent illi, tam quoad ſe, quàm quoad alios ſuſpenſi: *Per tales*, inquit, *maxime nomen Domini blaſphematur in terris: per tales derogatur ſacramentis fidei orthodoxæ, cum vaſa Domini pollutis eorum contactibus profanantur: per tales perit erga religionem catholicam devotio reverentia Chriſtiana: per tales decipitur populus in divinis, & Eccleſiaſtica ſubſtantia diſſipatur. Hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis talium labiis nunciatur: hinc hæretici muſſitant, & inſultant: hinc tyranni ſæviunt: hinc perfidi perſequuntur: hinc graſſantur audacius in Chriſti patrimonio ſacrilegi, à quibus, proh dolor! ob hujuſmodi carnes putridas, quas diſciplinalis mucro non reſecat, ſicut debet, ſincerum catholicæ matris corpus in oſtentum ducitur & contemptum.* Ut verò prælati majori auctoritate inſtructi eos Sacerdotes concubinarios percellerent, atque ad officium revocare poſſent, præcepit, ut omni provocatione ad Sedem Apoſtolicam abjecta, in eos Eccleſiaſticarum legum ſeveritatem expedirent. Henricus Stero in Chronico eas literas ad Archiepiſcopum Saltzburgenſem ſcriptas refert ad annum 1260. ſed cum datæ ſint *Idibus Februarii Pontificatûs* Alexandri *anno V*, ut non ſolum apud Steronem, ſed etiam apud Raynaldum legitur, qui eaſdem refert miſſas *Archiepiſcopo Rotomagenſi ejuſque ſuffraganeis*, apparet, eas non tantum encyclicas, ſed & anno 1259. datas, quo Idibus Februarii currebat annus quintus Pontificatûs Alexandri. Willelmus quoque Florilegus meminit earum quæ miſſæ ſunt in Angliam ad Archiepiſcopum Cantuarienſem.

XXVII. *Navarræ Reges inunctione Regia ſacrari permittit.*

Theobaldus Campaniæ Comes, ac Navarræ Rex ab Apoſtolica ſede petierat inunctionis beneficium ſibi conferri, cujus precibus obſecutus Alexander Papa diplomate dato *Viterbii III Nonas Novembris anno III* Pontificatûs, ideoque anno 1257. Pampilonenſi Epiſcopo provinciam commiſit, ut illum Regem inungeret & conſecraret. Extat illud diploma apud Raynaldum eodem anno num. 57. Cum verò poſtea idem Rex, quò Regiam magis auctoritatem ſtabiliret, poſtulaſſet, ut qui pro gentis more clypeo, ſive in humeris elevatus efferentur, incontinenti, ſicut eatenus fuerat obſervatum, nomen Regium ſortirentur, unctionem & coronationem, quando ipſis placeret recepturi, Pontifex ejuſdem Regis preces admiſit diplomate dato *Anagniæ VIII Idus Februarii anno V*, quod extat apud Raynaldum num. 14. anni 1259. quo datum eſt: *Tuis ſupplicationibus inclinati*, inquit, *ut à Navarrenſibus facta elevatione Regis Navarræ, prout moris eſt, idem ſic elevatus, incontinenti, ſicut hactenus eſt obtentum, nomen Regium ſortiatur, unctionem & coronationem, quando ſibi placuerit, & expedire viderit, recepturus, tibi & ſucceſſoribus tuis Regibus Navarræ auctoritate præſentium indulgemus.* Alio verò diplomate ab eodem Raynaldo num. 15. relato, dato itidem *Anagniæ Idibus Februarii anno V*, conceſſit eidem Regi, ut ſi Pampilonenſis Eccleſia paſtore viduata eſſet, aliove Pampilonenſis Epiſcopus impedimento implicitus, Regem inungere non poſſet, alium Antiſtitem Rex eligeret, cui conferendæ conſecrationis Regiæ provinciam demandaret, ea tamen lege, ut nullum ſibi jus ex eo parere poſſet. Id porrò conceſſit Pontifex non ſolum pro Regibus, ſed etiam pro earum uxoribus Navarræ Reginis.

XXVIII. *Tutelenſem Academiam privilegiis exornat.*

Idem Theobaldus Navarræ Rex nova Academia regnum ſuum decorare ſtudens, eam Tutelæ in diœceſi Tiraſſonenſi, oppido nobilitatis titulo inſigni, fidei puritate præpollenti, rerum affluentia locupleti, & ipſo ſitu ſuo communi & habili univerſis, excitare decrevit: cumque mentem ſuam Alexandro Pontifici aperuiſſet, & potulaſſet, ut ea aliquo privilegio exornaretur, conceſſit Alexander, ut qui in eadem Academia literis darent operam, integris Sacerdotiorum vectigalibus, ſicut qui Pariſiis ad ſtudia incumbebant, potirentur: *Univerſis ſtudentibus*, inquit, *in ſcholis apud caſtrum prædictum de fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate præſentium indulgemus, ut omnes proventus ſuos Eccleſiaſticos cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos percipiunt ii qui in Pariſienſi civitate ſcholaſticis diſciplinis inſiſtunt. Dat. Anagniæ VIII. Id Maii anno V.* Ita legitur apud Raynaldum anno 1259. num 18. Spondanus tamen ad eumdem annum num. 2. diploma datum ſcribit *VIII Idus Octobris.*

XXIX. *Hungariæ Regis oratores auxilium contra Tartaros petentis excipit.*

Tartari, qui ineunte hoc ſeculo decimo tertio, poſt devictum & interfectum Indorum Regem, è familia Presbyteri Joannis, cui ſervierant, ut in Alexandro III diximus, Aſiam pene omnem diviſis copiis mira

faci-

facilitate pervagati; anno 1212. ad Occidentem progreſſi primam cladem Polonis ſimul & vicinis Ruſſis intulerunt; annoque 1241. Poloniam & Hungariam, finitimaſque regiones ad ultimam prope deſolationem cædibus & incendiis redegerunt, ut conſtat ex Michovio in deſcriptione Sarmatiæ Aſianæ lib. 1. cap. 3. & in Hiſtoria Polonica lib. 3. cap. 9. ac ex Chromero lib. 9. à quo tempore continuatis victoriis inſolentes anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, à Bela Hungariæ Rege inter cetera poſcebant, ut vel filia Principis eorum Stephano Belæ filio, vel filia Belæ filio Principis eorum in matrimonium collocaretur: eorumque ſancito fœdere, Hungarorum Rex cum fortiſſimo exercitu Tartaris ſe ſe conjungeret, præiretque ad Chriſtianos excindendos, ac demum quintam ſpoliorum partem recepturum: & ni oblatæ amicitiæ leges acciperet, crudeliſſimi belli terrorem incuſsère. Perfuſus metu Bela, qui Tartarorum excurſione præterita tot malis obrutus fuerat, ad Alexandrum Pontificem oratores miſit, propoſitaque imminentis belli formidine obſecravit, ut promptiſſimum auxilium expediret laboranti Hungariæ. Queſtus eſt etiam quòd Gregorius IX in eadem ultima Tartarorum irruptione Hungariam deſeruiſſet.

XXX. *Hungariæ Regem ne cum Tartaris paſciſcatur cohibet.*

Acceptis his triſtibus nunciis Alexander Gregorium IX prædeceſſorem excuſavit, ſi Fridericiano bello implicitus, ac rerum mole obrutus opem non tuliſſet: adeo repentino impetu hoſtem erupiſſe, ut prius illata clades fuiſſet, quam illius accepta fama pervenire potuiſſet. Tum quod ad leges propoſitas fœderis attineret; fœdiſſimas illas atque adeo funeſtas, ut ſola cogitatione horrorem animo offunderent: præterea ſi eas admittere in animum induceret, in ancipiti verſari diſcrimine, an crudelis & infidus barbarus eas eſſet ſervaturus; hórtatus denique eſt, ut impium fœdus generosè reſpueret: ſpem ſuam in Deo, cujus cauſa ageretur, collocaret: non defuturum illi cœlitus auxilium: atque univerſum orbem Chriſtianum ad propulſandum commune periculum vires ſuas conjuncturum, ſedemque Apoſtolicam tot Reges fortiſſimos, regnaque florentiſſima ad arcendum Tartarum excitaturam. Querelas quoque alias objecerat Bela, quas fregit Alexander, omnemque illarum ſuſpicionem amovit literis ad Belam datis *Anagniæ II Idus Octobris anno V* Pontificatus ſui, ideoque anno 1259. quas refert Raynaldus ad eumdem annum num. 33. & ſeqq. Utrum Tartari tunc in Hungariam irruptionem fecerint, cum non memorent Auctores, ſed Longinus in Hiſt. Polon. lib. 7. & Chromerus lib. 9. referant, Tartaros anno ſequenti 1260. horrendas clades Polonis intuliſſe, conjectura eſt anno 1259. eos Hungariam adortos non eſſe; cum præſertim Bela Hungariæ Rex anno 1260. cum Rege Bohemiæ pro Stiria prælio congreſſus fuerit, quo in bello utriuſque Regis exercitûs lectiſſimus flos miſerè periit, ut referunt Stero in Annalibus, & Dubravius Hiſt. Bohem. lib. 17.

Xx 2 Ce-

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

XXXI. *Indulgentiam concedit viſitantibus Eccleſiam Sandomirienſem.*

Ceterum Chromerus laudatus & Michovius lib. 3. cap. 45. narrant, Tartaros menſe Decembri anni 1259. ingentibus copiis, Ruſſis & Lituanis adjutoribus, atque ductoribus Poloniam minorem per flumina glacie concreta ſumma celeritate ingreſſos, anno 1260. ingentem edidiſſe ſtragem omnis generis & ſexûs Chriſtianorum, combuſtis Sandomiria, Cracovia, aliiſque locis, Eccleſiis & monaſteriis, nemine reſiſtente, quòd Boleslaus Pudicus Princeps tantæ multitudini impar in Hungariam cum uxore profugiſſet: ſicque incendiis & cædibus quocumque voluerunt impune provectos, inde prædâ onuſtos in Ruſſiam reverſos eſſe. Eam cladem cum Boleslaus Princeps & Prandotha Cracovienſis Epiſcopus Alexandro Papæ ſignificaſſent, Pontifex viſitantibus die ſecunda Junii Eccleſiam Sanctæ Mariæ Sandomirienſis, in qua & cœmeterio ejus, ingens peremptorum numerus ſepultus fuerat, qui pro fide à barbaris necati, uti Martyres habiti ſunt, eamdem indulgentiam in perpetuum conceſſit, quam habebat Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Martyres de Urbe. Quæ pluribus narrant laudati rerum Polonicarum Scriptores.

XXXII. *Juſtas pacis conditiones Manfredo fruſtrà offert.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo Deſpota Peloponneſi Manfredi ſororius, qui exeunte anno 1259 è Græcia profectus erat, in Italiam acceſſit, ut pacem inter eumdem Manfredum & Alexandrum Pontificem componeret, quò facilius rebus Græcanicis attendere poſſent. Quare Pontifex præteritis bellis feſſus, cum ingentia mala, quæ Saraceni Manfredi ſtipendiarii religioni Chriſtianæ in Italia inferebant, perpenderet; ac Siculorum, qui ob defenſas Eccleſiæ partes, patria boniſque dejecti erant, miſereretur, Capetio Manfredi Oratori eas leges fœderis dixit, ut exules bonis reſtituerentur, ac Saraceni uti religionis hoſtes à Manfredo regno pellerentur. Sed cum Manfredus juſtis Alexandri Papæ poſtulatis annuere debuiſſet, in Saracenis ſpem omnem collocans, non ſolum id recuſavit, ſed etiam protervè reſpondit, ſe potius alios Saracenos acciturum, ac reipſa accivit. Hæc referunt Sumontius in Hiſtoria Neapolitana lib. 2. & Matthæus Spinellus in Annalibus MSS. ex Juvenatio ejus temporis ſcriptore.

XXXIII. *Agit contra Bononienſes.*

Dum Alexander Pontifex hoc eodem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo Anagniæ ageret, diuturnis Romanorum precibus victus, poſtquam repetitis monitis Bononienſes ad reddendos Romanorum obſides, quos, ut num. XXIV diximus, apud ſe etiam mortuo Brancaleone retinebant, adducere non potuiſſet, vim ſibi adhibendam exiſtimans, eis ſacra & Gymnaſium interdixit. Quorum detrimentum ipſi diu ferre non ſuſtinentes, poſtero anno Legatis miſſis ad Pontificem, ſe obſides dimiſſuros oſtenderunt, atque ita remiſſionem rerum interdictarum obtinuerunt. Hæc ex Sigonio lib. 19.

Otho-

Digitized by Google

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

XXXIV. *Diſpenſat cum filio & filiabus nothis Regis Bohemiæ.*

Othocarus Bohemiæ Rex, quem Raynaldus Premiſlaum etiam vocatum aſſerit, Nicolaum filium, ac filias duas ex quadam pellice Auſtria ſuſceperat, & Nicolaum Opaviæ Ducem creaverat. Petiit autem ab Alexandro Papa, ut tam dictum filium, quam filias publica munera, honores & principatus gerere permitteret, quod & obtinuit. Cum autem poſtea Alexander accepiſſet, proceres inde vereri, ne Nicolaus in regni ſucceſſionem venturus eſſet, eò quod Rex tum adhuc legitima prole careret, miſſo ad eum Bernardo, ſive Berardo Apoſtolicæ Sedis Scriptore, ſignificavit nunquam ſe quid tale cogitaſſe, ac Regi conteſtatus eſt Epiſtolâ 125 lib. 6. ne aliquando id in animum induceret: *Ecce Apoſtolicas*, inquit, *ſuper hujuſmodi diſpenſatione literas per dilectum filium Magiſtrum Berardum de Furcon Scriptorem noſtrum latorem præſentium tuæ magnitudini* (Regem alloquitur Pontifex.) *deſtinamus. Verum tamen ſcire te volumus, quod nequaquam noſtræ intentionis extitit, quod idem Nicolaus, vel dictæ filiæ, aut aliqua ex eis per hujuſmodi literas, ſeu earum prætextu obtinere, vel habere poſſint regnum Bohemiæ, vel ejuſdem regni Regiam dignitatem, aut ſuccedere in eiſdem. Prædictum autem Scriptorem ideo ad tuam duximus præſentiam tranſmittendum, ut hujuſmodi intentionem noſtram tibi apertè prædicet, & hæc omnia coram te ex parte noſtra publice proteſtetur. Dat. Anagniæ XII Kal. Novembris anno VI*, ideoque anno 1260. Extat hæc Epiſtola apud Raynaldum num. 21.

XXXV. *Pragenſi & Olomucenſi Epiſcopis ejuſdem Regis inunctionem permittit.*

Quia verò idem Bohemiæ Rex dignitatis Regiæ ornamenta nondum acceperat, & Wernerus Moguntinus Archiepiſcopus, qui Gerardo defuncto ſucceſſerat, ut ſcribit Serarius Rerum Moguntinarum lib. 5. ad quem Reges Bohemiæ ſacra unctione perungendi jus ſpectabat, necdum auctoritate Apoſtolica confirmatus fuerat, Pontificem conſuluit Othocarus, ut decerneret à quibus Regiæ inunctionis ſolemnia peragenda forent. Pontifex autem Pragenſi & Olomucenſi Epiſcopis, ut vocata Præſulum coronâ, Apoſtolica auctoritate Othocarum inunctione Regia linirent, mandavit diplomate dato *Anagniæ III Non. Octob. anno VI*, quod extat apud eumdem Raynaldum num. 17. & ſeqq. quo tamen ſancivit, nihil inde detrahi juribus Eccleſiæ Moguntinæ.

XXXVI. *Romæ & poſtea Viterbii Concilium indicit.*

Eodem anno 1260. vel potius 1261. ineunte Tartari, qui Belam Hungariæ Regem ſollicitaverant, ut ſocietatem cum ipſis iniret, ac filiam Tartarici regni hæredi deſponderet, ut num. XXIX vidimus, in Hungariam irruptionem fecêre. Sed Deus attriti toties populi ſui miſeratus, victoriam ad Chriſtianos convertit: fuſique ſunt magna ſtrage Tartari, atque ad quinquaginta duo millia cæſi, ut ſcribit Weſtmonaſterienſis ad annum 1261. *Alexander Papa*, inquit, *cum decreviſſet Concilium ſuum Generale in quindena Paſchæ* (anni 1261.) *audito tandem viciniore incurſu Tartarorum in terras Chriſtianorum, prædictum ſuum diſtulit decretum.*

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

Poſtea verò audiens prædictos Tartaros uſque ad LII millia in Hungaria trucidatos, timenſque reſiduos ſibi cæteriſque Chriſtianis in brevi nocituros: ſummoneri fecit omnes Prælatos tranſalpinos & viciniores ut circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ conveniant, proviſuri qualiter dictis inimicis reſiſtant. Sed poſtea mutato conſilio, Pontificem Concilium illud Viterbii in octava Apoſtolorum Petri & Pauli indixiſſe, ſcribit Stero ad eumdem annum 1261. Concilii mutandi cauſam aperiunt Blondus, Platina & alii, ut nempe facilius, paci inter Venetos & Genuenſes, acrius inter ſe cum maximo Reipublicæ Chriſtianæ detrimento decertantes, conciliandæ proſpiceret.

XXXVII. *Curat Concilia ubique celebrari pro auxilio contra Tartaros.*

Cum verò idem Pontifex accepiſſet Tartaros excurſione facta, Saracenos viciſſe, Armeniam, Tripolim & Damaſcum, Alapiam ac terras alias ſubjugaſſe, & tam Acconi civitati, quàm univerſæ Chriſtianæ rei in Syria periculum imminere, eodem anno, inquit Stero ad annum 1261. *Alexander Papa direxit literas Regibus & Ducibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & univerſis Principibus Chriſtianis, hortando ipſos, ut contra horrendam rabiem Tartarorum conſiliis & armis ſe præmunire deberent: nam iidem Tartari, devictis jam & deletis omnibus Regibus & regnis Saracenorum in partibus tranſmarinis, Antiochia & aliis Chriſtianorum terris, terrorem tam validum incuſſerunt, ut ad dictos Papam & Reges ſupplices & frequentes dirigerent pro ſuccurſu.* Hortante itaque Alexandro Papa Pariſiis dominica Paſſionis celebratum eſſe Concilium teſtatur Nangius tam in Chronico, quàm in Vita Sancti Ludovici Regis. Celebrata eſſe eodem anno Concilia Moguntiæ ab Archiepiſcopo Wernero, & alibi ab aliis Archiepiſcopis, *jubente Papa Alexandro contra Tartaros, ut per verbum crucis & orationes fidelium, inimicis Eccleſiæ reſiſterent*, ſcribit Siffridus Presbyter in Epitome. Quod & factum poſt Paſcha in Anglia aſſerit Weſtmonaſterienſis.

XXXVIII. *Moritur Viterbii & ibidem tumulatur.*

Alexander itaque Pontifex cum Anagnia Viterbium, tum Concilium celebraturus, tum pacem inter Venetos & Genuenſes compoſiturus acceſſiſſet, poſt turbulentas Italiæ viciſſitudines, ſed in medio tantarum calamitatum, rectè prudenterque gubernatâ Eccleſiâ, tædio animi ob ingruentia mala, odiaque funeſta Chriſtianorum, quæ in dies videbat augeri, ibidem vitæ finem poſuit eodem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, die vigeſima quinta menſis Maii, ut diſertè ſcribit Stero in Annalibus ad eumdem annum: *Unde cum ſuper hoc negotio*, inquit, *Concilium in Octava Apoſtolorum Petri & Pauli habendum Viterbii indixiſſet, ipſe VIII Kalend. Junii diem clauſit extremum.* Idem habet Weſtmonaſterienſis ad eumdem annum: *In feſto S. Urbani Papæ & Martyris, quod fuit VIII Kal. Junii obiit Papa Alexander.* Iiſdem anno & die obiiſſe Viterbii Alexandrum, ſcribunt etiam Nangius in geſtis S. Ludovici & Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſ. lib. 22. cap. 16. *Anno*, in-

Digitized by Google

inquit Nangius, *MCCLXI in feſto S. Urbani Papæ obiit apud Viterbium Alexander Papa.* Nangio conſentit Ptolomæus Lucenſis: *Alexander moritur in feſto Urbani octavo Kalend. Junii, ut communiter Hiſtorici tradunt, & hoc apud Viterbium, & in Eccleſia Sancti Laurentii honorifice ſepelitur.* Martinus denique Polonus Alexandrum Viterbii mortuum, & in Eccleſia Sancti Laurentii ſepultum etiam aſſerit: *Hic moritur Viterbii, & in Eccleſia Sancti Laurentii tumulatur.* SEC. XIII. ALEXANDER IV.

XXXIX *Ejus elogium.*

Præter ea quæ de Alexandro Papa retulimus, prædicatur ab eodem Ptolomæo Lucenſi laudato, tanquam Pontifex magna humilitate & pietate præditus: *Hic Pontifex, ait, hanc famam habuit, quod fuerit vir magna humilitatis & pietatis. Unde tradunt Hiſtorici, quod fuerit Epiſcopus Oſtienſis, & interdum ibat Oſtiam & Velletrum, ibique prædicabat verbum Dei, vel coram ſe prædicari faciebat, ibidemque ſuis Clericis Ordines conferebat, & inde cauſis ſubditorum ſuorum aſſiſtebat ſecundum decentiam ſui ſtatus...... pauperes Religioſos multum fovit,* ſed præ omnibus Minores, quorum ante Pontificatum protectorem egit, & in ipſo Pontificatu ſedulam curam geſſit, præter ſe nulli hunc fidens Ordinem, quantumvis ex Regulæ præcepto Cardinales petierint fratres in protectorem. Unde neque illi prorſus ingrati, inquit Wadingus, aut tot beneficiorum immemores, qui generali condito ſtatuto præceperunt de tanto Pontifice ferias agi, ejuſque exſequias celebrari quotannis in vigilia tranſlationis beati Franciſci, prout videre eſt in Conſtitutionibus antiquis ordinis in fine. Ejus itidem doctrinam prædicat idem Ptolomæus Lucenſis, qui poſt laudata verba ſubdit: *Decretales multas fecit, quæ in ſexto à diverſis titulis continentur.*

XL. *Ejus ſanctio de precibus fundendis pro Pontificibus & Cardinalibus defunctis.*

Pietatis Alexandri IV inſigne monumentum extat in Ceremoniali Romano, quod manuſcriptum aſſervari in Bibliotheca Vaticana num. 4737. aſſerit Raynaldus in Addendis Tomi tertii Annalium ſuorum, quo animæ ſuæ, ac ſucceſſorum Pontificum & Cardinalium obeuntium animabus conſuluit. Statuit enim anniverſarium Romanæ Eccleſiæ Pontificum & Cardinalium obeuntium, Nonis Septembris annis ſingulis, veſperis & vigiliis pro defunctis cum novem lectionibus ſolemniter celebrandum. Quo die ipſe Romanus Pontifex miſſam pro defunctis ſolemniter celebraret: ipſa die ducentos pauperes reficeret, & viginti quinque quilibet Cardinalis: necnon Pontifex ducentas miſſas faceret celebrari. Ordinavit etiam, ut cum Romanum Antiſtitem vita migrare contigerit, die defunctionis ipſius Cardinales ſolemniter pro defunctis celebrent, & eſum quinquaginta pauperibus pro anima defuncti Pontificis, Cardinalis quilibet adminiſtret, & miſſas totidem pro defunctis faciant poſt modum decantari. Tandem ordinavit, ut Cardinali obeunte, tam idem ſummus Pontifex, quam Cardinales in capellis ſuis cantent ſolemniter pro defunctis, & Pontifex ducentos pauperes pro ejus ani-

ma

SEC. XIII. ALEXANDER IV.

ma paſcat, & viginti quinque quiſlibet Cardinalis: imò & ipſe Papa miſſas pro defunctis ducentas, ac viginti quinque Cardinalis quilibet, poſtmodum faciat celebrari.

XLI. *Nullum toto ſui Pontificatûs tempore Cardinalem creavit, & quare.*

Licet Alexander IV annos ſex, menſes quinque, dies tredecim, numerando à die ſuæ electionis, Romanam Eccleſiam rexerit, nullum tamen Cardinalem creavit, ea ratione, inquit Monachus Paduanus hujus temporis Auctor lib. 5. ſui Chronici, quoniam cum nonnulli Cardinalium ædificare Sion in ſanguinibus affectarent, quidam verò vellent viros idoneos promovere, ipſe licet haberet plenitudinem poteſtatis, quòd tamen eſſet pacis & concordiæ ſtudioſiſſimus, ne quid inde turbarum inter eos oriretur, maluit ab omni promotione abſtinere. Nutat ergo fides Martyrologii Benedictini, Chronici parvi Vallis Umbroſæ, & Arnoldi Uvion in Ligno Vitæ, aſſerentium B. Theſaurum Beccariam Generalem totius Ordinis Vallis umbroſæ ab Alexandro IV Cardinalem creatum fuiſſe. Certè de Beccariæ Cardinalatu nihil Joannes Villanſus, nihil Raphael Volaterranus, nihil alii multi illius ævi Scriptores, & Ciaconius poſt Panninium, nullum ab Alexandro creatum Cardinalem rectè ſcripſit. Quod attinet ad Henricum Oſtienſem, quem Platina ab eodem Pontifice purpura decoratum ait, hic non ab Alexandro, ſed ab ejus ſucceſſore Urbano IV dictus eſt Cardinalis ut tradit Theodoricus Vallicolor Auctor æqualis in Vita ejuſdem Urbani apud Papirium Maſſonum lib. 5. & aſſerit ipſemet Urbanus literis Ludovico Franciæ Regi ſcriptis *apud Urbem veterem XII Kal. Novembris*, anni 1263. in quibus ait apud Raynaldum eo anno num. 49. ſe Narbonenſem Epiſcopum ad Sabinenſis, & Ebredunenſem ad Oſtienſis Eccleſiarum regimen evexiſſe. Ebredunenſis autem ille Archiepiſcopus eſt Henricus ille, qui dictus eſt poſtea Cardinalis Oſtienſis, ut omnes norunt.

URBANUS IV *Pontif. CLXXXII.*

Anno Domini MCCLXI.

I. *Urbanus IV eligitur Pontifex.*

Recentes omnes Scriptores poſt Panuinium affirmant, mortuo Alexandro IV, qui nullos Cardinales creaverat, ſuperfuiſſe tantum novem, ex quibus unus, ſcilicet Stephanus Hungarus Epiſcopus Præneſtinus abſens erat in Hungaria. Ciaconius tamen, qui hanc ſententiam ſequitur, poſtea illum eumdem Stephanum numerat inter illos octo, qui Urbanum IV elegêre, quod veriſſimum eſſe mox oſtendemus. In tam parvo Cardinalium numero ingentes de Pontificatu contentiones emerſêre, quæ ultra tertium menſem electionem protraxerunt. Longioris hujus moræ cauſam in mutuam Cardinalium invidiam, ob quam extra ſacrum Collegium quæſitus ſit Pontifex, refert Siculorum

rerum

terum Scriptor anonymus apud Raynaldum anno 1261. num. 7. *Papali curia*, inquit, *morante Viterbii, ibique Alexandro IV Summo Pontifice viam univerſæ carnis ingreſſo, dum collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus ſanctis Eccleſiæ fundamenta ſunt poſita, habere incœperunt de paſtoris ſubſtitutione tractatum, cum inter eos, vertiginis ſpiritu & invidiæ livore ſuffuſo non poſſent in aliquo de gremio convenire, contigit quod Jeroſolymitanus Patriarcha, natione Burgundus* (legendum, Trecenſis) *qui tunc ad Curiam ipſam pro Eccleſiæ ſuæ promovendis negotiis acceſſerat, concorditer ad apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumptus ſit. Itaque factus de petitore conceſſor, de ſubdito dominus, de filio pater, Papa Urbanus IV meruit nominari.* Ideo autem Urbani nomen ſumſit, quia, ut ſcribit Gregorius Bajocenſis Decanus mox laudandus in ejus Vita, *deceſſor ejus Alexander Papa quartus in feſto beati* Urbani *Martyris obiit.* Ejus electionis diem Panuinius aſſignavit vigeſimum nonum menſis Auguſti, & quidem rectè, nam præterquamquod Martinus Polonus in Chronico ſcribit, ceſſaſſe ſedem *menſibus tribus, diebus quatuor*, à die XXV Maii, quo obiit Alexander, numerandis, Longinus in Hiſt. Poloniæ lib. 7. Urbanum renunciatum Pontificem tradit, in Sancti Joannis Baptiſtæ decollationis die feſto, qui in diem XXIX Auguſti incidit. SEC. XIII. URBANUS IV.

II. *Ab octo tantum Cardinalibus.*

Theodoricus Vallicolor Poëta, qui ſtudio Antheri ſeu Ancheri, filii fratris Urbani, à patruo tituli Sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis creati, hujus Pontificis Vitam carmine exaravit, octo Cardinalium, duorum nimirum Epiſcoporum, totidem Presbyterorum, & quatuor Diaconorum, qui ipſum elegêre, nomina, patriam, ac titulos; tum mutua diſſidia percenſet apud Papirium Maſſonum in Vitis Pontificum Romanorum.

Urbani feſto naturæ debita ſolvit
Quartus Alexander ſummus in Orbe pater.
Unde pater mundi ſolum pendebat in octo
Fratribus, ipſorum nomina ſcire potes.
Iſti Pontifices prior Odo, Stephanus alter,
Gallicus iſte fuit, Hungarus alter erat.
Totque Sacerdotes: genuiſſe Sabaudia primum
dicitur Hugonem, qui Jacobita fuit.
Alter quem fovit Ciſtercius Ordo Joannes
nomine, natalis Anglia terra ſibi.
Iſti Levitæ Richardus & Octavianus
Hic aberat mundi fata ſequente patre,
Romanus patria ternus Levita Joannes,
Othobonus quartus Janua terra ſibi
Sanguine progenitus præclaro fulſit uterque:
Hi ſunt qui poterant octo patrare patrem.

SEC. XIII.
URBANUS
IV.

Sed quia diverſi cenſent diverſa, voluntas
Horum non potuit accelerare patrem.
Sic opifex rerum tantas in idonea lites
Tempora diſtulerat, cuncta futura ſciens.

III. *Vrbani Genus, patria & munera ante Pontificatum.* Ex eodem Poëta & ex Gregorio Decano Bajocenſis Eccleſiæ, qui ejuſdem Antheri Cardinalis precibus Vitam Urbani ſoluta oratione elucubravit, habemus, Urbanum, Jacobum ante Pontificatum, patria Trecenſem fuiſſe; primùm Laudunenſem, inde Leodienſem Archidiaconum; poſtea Epiſcopum Virdunenſem, demum Patriarcham Jeroſolymitanum creatum, & interea legatione Apoſtolica in partibus Septentrionalibus & Orientalibus egregiè functum, quibus gradibus ad ſummi Pontificatûs apicem pervenit. Licet autem uterque Auctor parentum conditionem ſilentio premat, eam tamen humilem & obſcuram fuiſſe aiunt, & Sanctus Antoninus 3. part. tit. 19. cap. 13. eum natum dicit patre ſutore veteramentorum: *Etſi infama*, inquit, *conditionis fuit ſecundum ſeculi vanitatem, quia filius pauperculi reſarcientis ſotulares in Francia, nobiliſſimus tamen ſapientia, & virtutibus.* Quidam eum vocatum fuiſſe volunt Jacobum *Pantaleonem*, alii Jacobum *de Curtopalatio*, patriſque fuiſſe cognomen Pantaleonis; ſed quidquid ſit, legimus apud Philippum Bergomenſem lib. 13. & apud Bernardinum Corium part. 2. quòd cum ipſi aliquando viles natales objeciſſent, præclarè reſpondiſſe, *Virum non naſci, ſed virtute fieri nobilem.*

IV. *Ejus conſecratio & coronatio.* Urbanus die vigeſima nona Auguſti renunciatus Pontifex, coronatus eſt die quarta menſis Septembris, ut tradunt Panuinius & Ciaconius, quos immeritò reprehendit Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1261. num 5. ubi deceptus corrupta die Epiſtolæ, quam citat, ſcriptæ ab Urbano Kalendis Martii anni 1262. ad denunciandam omnibus Eccleſiaſticis ſuam electionem, in qua ait, ſe eam Epiſtolam mittere *ante ſolemnia conſecrationis* ſuæ, exiſtimat coronationem ejus dilatam eſſe per ſex & amplius menſes. Cum enim, inquit Spondanus, conſtet electionem contigiſſe menſe Auguſti, quid opus erat eamdem denunciare Kalendis Martii anni ſequentis, cum eâdem Epiſtola diſertè Pontifex ipſe dicat, ſe *feſtinam* de ſui in locum Alexandri ſubſtitutione *certitudinem ſine aliqua dilatione* dare voluiſſe, quaſi magna fuerit feſtinatio, eam poſt ſex ſolidos ab electione menſes denunciare; quando vel jam fama volante ultimis finibus terræ nota eſſe debuit. Hæc Spondani conjectura ex eo certa redditur, quod apud Raynaldum ad eumdem annum num. 20. extent literæ encyclicæ ejuſdem Pontificis *Archiepiſcopo Remenſi & ſuffraganeis ejus* de ſua electione datæ *Viterbii menſe Septembri anno I*, quo ideo menſe coronatus fuit, eaſque literas jam coronatus ſcripſit, cum in iis non dicat, ſicut in Epiſtola à Wadingo relata, ſe eam ſcribere *ante ſolemnia conſecrationis.* Ipſum autem coronatum die quarta Septembris, ut tradunt Panui-

Digitized by Google

Panuinius & Ciaconius, ex eo eruo, quod Weſtmonaſterienſis ſcribit, à morte Alexandri ceſſaſſe Romanum Pontificatum *tribus menſibus*, *& binis circiter hebdomadis*, quot revera interjiciuntur inter diem XXV Maii Alexandri emortualem, & diem quartum Septembris, quo coronatus eſt Urbanus, ſunt enim tres menſes integri, hebdomada una, & dies tres vel quatuor, quos unius *circiter* hebdomadæ nomine intelligit Weſtmonaſterienſis. His adde anno 1261. diem quartum menſis Septembris dominicalem fuiſſe, cum littera B. in curſu fuerit, & conſecrationes, ſeu benedictiones, qualis fuit conſecratio Urbani, qui jam Epiſcopus erat, de more die dominica factas certum eſt & indubitatum. Id confirmatur ex Theodorico Vallicolore, hic enim poſtquam dixit, Urbanum electum Pontificem, quod ex dictis contigit die XXIX Auguſti, die Lunæ, ejus coronationem factam ponit *domini ſub luce ſequente*, ideſt dominica die ſubſequente, quam vocat lucem ſeu diem domini:

Interea domini ſub luce ſequente corona
Imponitur capiti Regia, more Patrum.

Licet enim coronatio diverſa eſſet à benedictione, ſeu conſecratione, fiebat tamen ſtatim poſt conſecrationem ſeu benedictionem, ut alibi diximus; & aliquando ab ſcriptoribus confundebatur cum conſecratione, præſertim cum aliquis jam ante Epiſcopus eligebatur in Summum Pontificem.

V. *Nomen Pontificis non imprimebatur ſigillo ante conſecrationem.*

Illud tamen ex relata à Wadingo Epiſtola Marinus Ebulus Archiepiſcopus Capuanus & S. R. Eccleſiæ Vicecancellarius in formulario lib. 2. tit. de elect. Rom. Pontif. non male obſervavit, ut ſcribit Spondanus, haud conſueviſſe Pontifices ante conſecrationem nomen ſuum bullis ſeu ſigillis apponere. Siquidem in ea ſcribit Pontifex: *De hoc autem quod bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa præſentibus, veſtra exinde non miretur devotio; ſed potius gratuletur maxime, cum nos veſtris deſideriis occurrentes, vobis eaſdem literas ante ſolemnia conſecrationis noſtræ miſerimus, infra quæ uſus bulla cum impreſſione nominis non habetur*; ubi verò conſecrationis inſignia aſſecutus fuerit, *citò* ſe literas perfectæ bullæ appenſione munitas daturum pollicetur. Quales, inquit Spondanus, in eodem, ſine dubio, Marino Ebulo, fuerunt quas poſtridie ſuæ conſecrationis, nempe nonis Septembris, imprimis ad S. Ludovicum Francorum Regem, Remenſemque Archiepiſcopum & ſuffraganeos ejus, itemque ad reliquos principes Chriſtianos & prælatos Eccleſiarum de aſſumptione ſua literas dedit, orationes omnium pro optimo Pontificatus regimine poſtulans. Quales etiam dediſſe reperitur apud Marinum Ebulum ibidem ad Agnetem ſororem ſuam Monialem Clariſſam monaſterii montis Lucidi juxta Peruſium. Literæ tamen Urbani, ut jam dixi, ad Remenſem Archiepiſcopum non dicuntur datæ *Nonis Septembris*, ut ex Marino refert Spondanus, ſed menſe Septembri. Wadingus pariter Epiſtolam

Digitized by Google

SEC. XIII. URBANUS IV.

citatam dicit ſe exſcripſiſſe ex ejuſdem Marini Ebulenſis loco laudato. Refert etiam literas Pontificis ad Agnetem ſororem ſuam Clariſſam, ſed ſine ulla temporis nota, & Raynaldus qui eaſdem ad Agnetem literas recitat num. 16. ſicut Wadingus, ait ſibi ſcrupulum animo hærere, eas non ad Urbanum, ſed ad Clementem IV ſpectare, cum inter Clementis literas inſerantur in formulario Marini Ebuli, idque ſtyli rationem innuere. Verùm hic ſcrupulus ex ejus animo avulſus & eradicatus fuiſſet, ſi advertiſſet verba in iis literis contenta: *Significanda tibi hac quidem fuerunt .... qua ſola ex animo, tanquam proximior nobis præ ceteris in domino & in carne*; Agnes enim non potuiſſet dici *ſola proximior carne* Clementi IV, qui duas filias habebat cum dictus eſt Pontifex, quæ ipſi conſequenter *proximiores carne* erant, quam fuiſſet Agnes ſoror.

VI. *Urbanus Ludovicum Franciæ Regem privilegio exornat.*

Non multò poſtquam coronatus eſt Pontifex Urbanus, natalis ſoli non immemor, etiam non requiſitus, prædeceſſorum veſtigia ſequens, qui Reges Franciæ utpote ſpeciales defenſores fidei & libertatis Eccleſiaſticæ fuerant proſecuti, Sanctum Ludovicum Regem diligentius honorare volens, eidem Regi, & eis, qui cum illo dedicationi alicujus Eccleſiæ vel capellæ, vel altaris intererunt, verè pœnitentibus & confeſſis, unius anni & quadraginta dierum indulgentiam conceſſit literis datis *Viterbii XI Kal. Decembris Pontificatûs* ſui *anno primo*. Aliiſque literis ibidem datis *XIII Kal. Januarii* ejuſdem anni, eamdem indulgentiam conceſſit Philippo ejuſdem Regis primogenito. Utræque literæ extant apud Duchesnium Tomo 5. pag. 418. & ſeq. ubi etiam referuntur aliæ, de quibus locuti ſumus in Innocentio IV num. XLIX quibus indulgentias tribuit orantibus pro Rege & regno Franciæ.

VII. *Septem Cardinales creat.*

Cum Alexander IV toto ſui Pontificatûs tempore neminem purpura donaſſet, ideoque valde imminutus eſſet Cardinalium numerus, Urbanus IV quarto à ſua electione menſe, in jejuniis nempe quatuor Temporum menſis Decembris ejuſdem anni 1261. illum ampliavit, & ſeptem *præclaros viros vita & ſcientia*, ad tam Sanctum Collegium promovit, ut ſcribit Monachus Paduanus in Chronico lib. 3. & Gregorius Decanus Baiocenſis, Urbani vitæ ſcriptor aſſerit, primam illam promotionem ab Urbano factam menſe Decembri. Horum ſeptem Cardinalium nomina recenſet Theodoricus Vallicolor apud Papirium Maſſonum:

Sane cum dicti fratres à cardine pauci
Eſſent, his ſedem multiplicare placet.
Vera ſalus ubi conſilium: quare pater iſtos
Conjunxit lateri, cum fuit ordo prior.
Iſti Pontifices Radulphus, hic Ebroicenſis
Præſul conſiliis moribus aptus erat.
Huic Archipræſul Narbona nomine Guido
Qui ſucceſſit ei ſecula jure regens.

Presbyteri

Presbyteri bini Simon Paduanus: & alter
Simon, cui patria Gallica terra fuit.
Hi tres Levitæ Gotifredus, Jacobuſque,
Tertius Hubertus, clarus uterque fuit.
Atratum primum genuit, Sabeila ſecundum,
Alter Lombardus nomine ſtirpe potens.
Continuit fratres hos prima creatio ſeptem,
Altera tot quorum nomina cerne loca.

Cum hos ſeptem Cardinales in prima promotione creaſſet Urbanus, & nonnullæ de Simone Paduano Canonico querelæ ad Apoſtolicam ſedem delatæ eſſent, ſanxit Urbanus, ut antequam in Presbyterum promotus eſſet, *nec capellum rubeum*, nec *alia Cardinalatûs inſignia* geſtaret, nec conſiliis Cardinalium ſe immiſceret, aliosve attributos redditus ad ſe derivaret, literis *Dat. Viterbii V Idus Januarii anno I*, elapſoque deinde menſe, nempe *VII Idus Februarii*, alias literas de ejus cauſa cognoſcenda dedit, utræque literæ extant in additionibus Victorelli ad Ciaconium. Sed omnes tandem difficultates, quas ejus gloriæ æmuli concitarant, ſuperatas, colligitur non ſolum ex Monacho Patavino, & ex Theodorico Vallicolore mox laudato, ſed etiam ex diplomate quodam à Raynaldo anno 1263. num. 90. relato, & dato in favorem monaſterii S. Mariæ in inſula Pompoſia, cui duo ejus nominis presbyteri Cardinales ſubſcripsêre, Simon nempe Paduanus tit. S. Martini, quem pluribus poſtea ditionis Eccleſiaſticæ provinciis Urbanus IV ampliſſima poteſtate præfecit, & Simon à Bria Presbyter Cardinalis tit. S. Cœciliæ, qui poſtea Pontifex fuit ſub Martini IV nomine. Perperam tamen idem Raynaldus anno 1262. num. 52. ſine teſte dicit, corrigendum Theodoricum Vallicolorem, in eo quod ſcribit, Guidonem Archiepiſcopum Narbonenſem, qui in Pontificatu Clementis IV nomen ſortitus eſt, in prima creatione Cardinalium purpura donatum. Ex eo forſan in errorem inductus eſt Raynaldus, quòd in literis Urbani, quas refert num. 45. & ſeqq. Ludovico Franciæ Regi datis eo anno *apud Urbem veterem XII Kal. Novembris anno II*, quibus Guidonem Narbonenſem & Henricum Ebredunenſem Archiepiſcopos ad Romanam Curiam vocat, Pontifex dicat, ſe Narbonenſem ad Sabinenſis, & Ebredunenſem ad Oſtienſis Eccleſiarum regimen evocaſſe; verùm id non eſt ita intelligendum, ut eosdem in eadem promotione Cardinales creaverit, ſed Archiepiſcopum Narbonenſem in prima, Ebredunenſem verò in ſecunda Cardinalem crearit, quæ ſecunda, ut ſtatim oſtendo, menſe Maio ejuſdem anni 1262. facta eſt.

Gregorius Decanus Bajocenſis in Vita Urbani apud Papirium Maſſonum, duas Urbani promotiones memorat; in quibus dicit creatos eſſe quatuordecim Cardinales, *unam in Decembri*, *aliam in Maii menſibus*, quod neceſſariò intelligendum eſt de menſe Maio anni 1262. cum menſe VIII. *Tum alios ſeptem. A*

SEC. XIII.
URBANUS
IV.

Octobri ejusdem anni Urbanus in laudatis ad S. Ludovicum Regem literis, dicat ſe jam Henricum Ebredunenſem ad Oſtienſem Epiſcopatum evexiſſe, qui tamen in omnium ferè ſententia, creatus eſt Cardinalis Oſtienſis in ſecunda promotione. Theodoricus Vallicolor poſtquam ſuperioribus verſibus memoravit ſeptem Cardinales primæ ordinationis, alios ſeptem ſecundæ itidem memorat, inter quos primum locum obtinet Henricus Ebredunenſis Archiepiſcopus.

Ebredunenſis tunc Archiepiſcopus hic ſit
Præſul & Henricus nomine dictus erat.
Hujus contulerat prædicto Pontificatum
Hugoni Papa, qui bene ceſſit ei.
Hique Sacerdotes, Antherus in urbe Trecenſi
Progenitus Papæ ſanguine, corde nepos.
Burgundus patria fuit & Ciſtercius Abbas
Alter promotus, Guidoque nomen ei.
Hujus enim titulum retinebat primò Joannes,
Præſul de Portu poſtea factus adeſt.
Guillelmus Remis tunc Archilevita, Decanus
Lauduni factus, tertius inter eos.
Hannibal huic quartus, genuit quem Roma, duoque
Levitæ: qui ſint carmina noſtra docent.
Jordanum genuit urbs Trecarum, Matthæum
Roma, tot Urbanus fecit in orbe patres.

Hæc paulò fuſius tractata ad illuſtrationem Hiſtoriæ Cardinalium, Ciaconius enim Henricum Oſtienſem Cardinalem creatum dicit in prima creatione contra diſertum Theodorici Vallicoloris tunc viventis, & juſſu Antheri Urbani nepotis in ſecunda promotione cum dicto Henrico Cardinalis creati ſcribentis teſtimonium. Secundam itidem illam promotionem factam putant Ciaconius, Frizonius & alii menſe Decembri anni 1263. contra quod ſcripſit, eodem Cardinali Anthero præcipiente, Gregorius Decanus Baiocenſis, qui cùm hanc promotionem factam dicat *menſe Maio*, intelligendus eſt de anno 1262. ut evincitur ex laudatis Urbani ad S. Ludovicum Regem literis. Quæ promotio cum facta de more cenſeri debeat, in jejunio quatuor Temporum, neceſſario connecti debet cum die trigeſima prima Maii, quæ anno 1262. concurrebat cum feria quarta quatuor Temporum, cum Paſcha celebratum fuerit die nona Aprilis. Iſte porrò Archiepiſcopus Ebredunenſis dicitur Henricus de Seguſio à Patriæ nomine in Allobrogibus, & *Splendor juris* denominatus eſt, interque alia ingenii monumenta Auctor fuit celebris ſummæ quæ vulgò Oſtienſis dicitur, quia Henricus ab Urbano factus eſt Epiſcopus Oſtienſis.

Anno

Digitized by Google

Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo Urbanus Pontifex, *SEC. XIII.*
ad Italiam ab armis & machinationibus Manfredi Siculi, hoſtis Eccleſiæ URBANUS
liberandam, animum adjiciens, poſtquam nec nunciis, nec minis, IV.
nec diris aliquid ſe profeciſſe animadvertit, crucem in eum ubique præ- IX.
dicari juſſit. Ad quod bellum plurimi in Italia, ipſoque etiam regno *Crucem in*
Apuliæ, auctore Rogero San-Severino præcipuo extorrum capite, ex- *Manfredum*
citati, arma pro Eccleſia aſſumpſerunt. Miſit verò etiam in Gallias *prædicari jubet.*
Legatum Pontifex ad Regem, tanquam ad defenſionis ſuæ dexteram, ut loquitur Nangius, indeque validæ mox copiæ Crucesignatorum acceſſerunt, ducibus Guidone Epiſcopo Autiſſiodorenſi, Richardo Comite Vindocinenſi, & Roberto filio Comitis Flandriæ; quæ cum Theutonicos, ceteroſque Manfredianos, in Lombardia tranſitum impedire conantes facile fregiſſent, inde Viterbium nullo obice ad Pontificem pervenerunt, à quo accepta benedictione, Saracenorum exercitum, quem Manfredus in agrum Spoletinum & Campaniam immiſerat, ex iis provinciis nullo negotio expulerunt.

Sed inter hæc tumultuantibus denuò Romanis, iidem Crucesignati re- X.
vocati à Pontifice ad defenſionem ceterarum terrarum Eccleſiæ, paulò *Urbem veterem ſecedit.*
poſt defectu ſtipendiorum ad ſua ſe ſe receperunt; & Manfredus ab Eccleſiæ rebellibus evocatus, quorum etiam nonnulli ipſum Pontificem ei in manus tradere promiſerant, cum ſolis tamen Saracenis ire habuit; recuſante nobilitate, etiamque illa quæ ab ipſo pro tuitione regni ſtabat, terras Eccleſiæ invadere. A cujus furore ſibi timens Pontifex, Viterbio Urbem-veterem, quam *Orvietum* vulgò dicunt, Tuſciæ civitatem ditionis Pontificiæ, aſpectu & ſecuritate conſpicuam, quinquaginta milliaribus Româ diſtantem ſeceſſit, ibique diu cum Cardinalibus manſit, & fere uſque ad mortem. Tractantur hæc omnia fusè à Sumontio in Hiſt. Neapol. lib. 2. ex Juvenatio ejus temporis Auctore, aliiſque poſterioribus, in quibus ſunt Villanius, Blondus, Platina & Panuinius.

Sed cum maximam partem hujus anni 1262. Viterbii manſerit Urba- XI.
nus Pontifex, narranda ſunt quæ contigerunt, antequam ex ea urbe re- *S. Richardum*
cederet. Et primò quidem diplomate dato *Viterbii X. Kal. Martii Pon-* *Ciceſtrenſem*
tificatûs anno I, Cœlitûm catalogo aggregavit Sanctum Richardum Ci- *Epiſc. ca-*
ceſtrenſem Epiſcopum, cujus miraculorum gloria cum latè pervagata *nonizat.*
eſſet poſt ejus mortem, quæ, ut ſcribit Paritius quarto Nonas Aprilis anni 1253. contigit, Angliæ Regis Procerumque precibus adductus Alexander IV, Wigornienſi Epiſcopo, aliiſque, ut res ejus admirandas in examen adducerent, in mandatis dederat, diplomate dato *Anagniæ X Kal. Julii anno ſecundo* Pontificatûs, anno ſcilicet 1256. Inter ceteras Richardi virtutes, cum mira corporis integritate extitiſſe refert Urbanus in diplomate Pontificio, quod extat Bullarii Tomo 1. Urbani IV Conſtitut.

SEC. XIII. URBANUS IV.

ſtitut. 3. atque ita in ſuſcepto conſilio conſtantem fuiſſe, ut cum frater ejus, ut ipſum ad prænobilis puellæ conjugium adduceret, primogenituræ jura & patrimonium in eum refundere curaret, nunquam inflecti, ac blandientis voluptatis illecebris, bonorumque oſtentatione ſubornari potuerit. Sancto Edmundo Cantuarienſi Archiepiſcopo adjutor fuit in adminiſtratione Eccleſiæ ſuæ, creatus poſtea Epiſcopus Ciceſtrenſis in eadem Anglia, egregiis virtutibus & miraculis coruſcavit, quæ Radulphus Ciceſtrenſis duobus libris, unà cum ceteris ejus rebus geſtis eſt proſecutus: illa verò in arctum ab incerto Auctore recollecta Surius die tertia Aprilis in lucem edidit. Bollandiani verò ad eumdem diem duplicem S. Richardi vitam edidêre, nempe eam quam Surius edidit, & aliam ex Joanne Capgravio acceptam, cujus auctor eſt anonymus. Richardi meminit Martyrologium Romanum ad eumdem diem.

XII. *Aragonia Regem ab affinitate cum Manfrede avocare conatur.*

Interea Manfredus conſiderans quanto in periculo res ſuæ eſſent, cum Jacobo Aragonum Rege per Legatos egit de filia ſua Conſtantia, quam ex Beatrice filia Amedei III Sabaudiæ Comitis ſuſceperat, cum Petro ejus primogenito matrimonio conjungenda, petiitque ut ipſum cum Pontifice Urbano conciliaret. Jacobus per iſtiuſmodi affinitatem in regni Siculi ſpem erectus, quòd Manfredus, qui illud invaſerat, maſcula prole careret; ne Pontificis in eum excommunicationes impedimento eſſent tam commodo ſibi filioque matrimonio, Legatos ad Pontificem miſit, atque inter eum Raymundum Pennafortium Ordinis Prædicatorum, virum prudentem, eruditum & ſanctum, qui pro ea auctoritate qua valebat maxima, Pontificem cum Manfredo reconciliaret. Sed nihil Pontifex de ſententia remittens, non ſolum quæ Rex Aragonum petiit, abnuit, verùm etiam quantum potuit eniſus eſt, ut Regem à conjunctione iſtiuſmodi hominis, perfidi, impii, execrati, hoſtis Eccleſiæ, atque perduellis avocaret, atque deterreret, prolixis literis ad eum datis *Viterbii VI Kal. Maii*, quæ extant apud Raynaldum anno 1262. num. 9. & ſeqq. Surita tamen, Gomeſius & Mariana ſcribunt, adductam eſſe Conſtantiam Monpellerium, quod tum adhuc Aragonio parebat, ac nuptias omni lætitiæ ſignificatione & ludis celebratas eodem anno 1262. decimo ſeptimo Kalendas Julii.

XIII. *Prohibet Electoribus ne Conradinum Germaniæ Regem eligant.*

Dum hæc in Italia agerentur, in Germania Conradinus, Friderici quondàm Imperatoris nepos Sueviæ Dux agitabat ſibi viam munire Imperio; dum enim contrariis inter ſe diſciſſi ſtudiis Germaniæ Principes pro Richardo Angliæ Regis fratre, & Alphonſo Caſtellæ Rege, Imperii competitoribus, contenderent, nonnulli Germaniam pacaturos arbitrati ſunt, ſi utroque depulſo, ad Conradinum Imperium deferrent. Quæ res cum vergeret in maximam Eccleſiæ injuriam ac periculum, Premiſlaus Othocarus Bohemiæ Rex, pro ſuo in Apoſtolicam ſedem egregio ſtudio, Urbanum Papam monuit, quid nonnulli Electores molirentur.

Urbanus

SEC. XIII. URBANUS IV.

Urbanus autem renovans prohibitionem ab Alexandro IV deceſſore ſuo anno 1256. factam Electoribus Imperii, ne quid tale cogitarent, reſcripſit potiſſimum Premislao, cujus maxima erat in tota Germania auctoritas, ne unquam Conradinum ad Germaniæ regnum, Imperiumve evehi conſentiret. Epiſtola ejus Regiſtri eſt 102. libri primi, extatque apud Raynaldum num. 4. & ſeqq Eadem etiam mandata dedit Epiſtolâ 107. ejusdem libri Moguntino, Trevirenſi, & Colonienſi Electoribus; & Moguntino pariter injunxit, ut coëlectoribus denunciaret, ipſos anathematis ſententia percuſſum iri, ſi Conradinum eligerent; omninò inhibens ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne ullo unquam tempore, eum vel nominarent, vel eligerent, aut nominari & eligi tolerarent; tum quòd Friderici Eccleſiæ hoſtis nepos eſſet, tum ne juribus eorum, qui jam electi fuerant, aliquod præjudicium fieret. Epiſtola hanc in rem Regi Bohemiæ ſcripta, data dicitur *Viterbii III Non. Junii anno I*, ideoque anno 1262. quo conſequenter menſe nondum Viterbio Urbemveterem receſſerat Urbanus, qui Nonis Junii Viterbio etiam ſcripſit Regi Franciæ Epiſtolam quam refert Raynaldus num. 39. & ſeqq. Sed eum non multo poſt Urbemveterem acceſſiſſe oportet; cùm eidem Franciæ Regi alteram Epiſtolam apud eumdem Raynaldum num. 45. & ſeqq dederit *apud Urbemveterem XII Kal. Novemb. anno II*, ideoque menſe Octobri, quo annus II ejus Pontificatus in curſu erat.

XIV. *Ieroſolymitana Eccleſ. Patriarcham præficit.*

Eodem ſecundo ſui Pontificatûs anno, Chriſti 1262. quinto idus Decembris Urbanus Eccleſiæ Jeroſolymitanæ per ipſius ad Pontificatum aſſumptionem vacanti, præfecit Patriarcham Guillelmum ex Epiſcopo Agennenſi in Aquitania, quem & de more creavit Legatum Apoſtolicæ Sedis in Oriente: ut ſunt plures ad illum, aliosque de his Epiſtolæ in ejus regeſto Vaticano; ex quibus etiam cognoſcitur, eidem commiſiſſe curam Eccleſiæ Acconenſis, tunc pariter paſtore carentis per tranſlationem Florentii in ſedem Arelatenſem; cum facultate exigendi fructus illius tantisper dum redditus Jeroſolymitanæ recuperarentur. Hæc ex Spondano, qui obſervat, Panninium ſcribentem, ſuffectum eſſe in locum Urbani Thomam Agni de Lentino Ordinis Prædicatorum ex Archiepiſcopo Meſſanenſi, ignoraſſe iſtum Guillelmum, cujus breviſſimam extitiſſe ſedem, neceſſe eſt aſſerere, quòd in eodem Regeſto reperiantur Urbani ad Thomam anno tertio datæ literæ de pace inter Chriſtianos in Syria procuranda, & ſolemnitate corporis Chriſti celebranda. De utroque illo Patriarcha ne verbum quidem habet Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt.

XV. *Legatos Cpolim mittit pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina.*

Unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, quam ſub Innocentio IV & Alexandro IV tractatam eſſe in ejusdem Alexandri Vita ſuperius diximus, iterum ſub Urbano IV ardenter expetere viſus eſt Michael Paleologus

SEC. XIII. URBANUS IV. Græcorum Imperator, qui anno 1261. menſe Julio, indictionis quartæ, ut ait Georgius Logotheta in fine ſui Chronici, capta Conſtantinopoli, Latinorum Imperium deſtruxit. Hic enim, ſive ex animi propenſione, quæ ex eo apparet, quòd eam unionem poſtea ſtudioſè proſecutus eſt & perfecit ſub Gregorio X, ſive quia perſpiceret integras contra ſe commotas nationes, & Urbanum Pontificem omni ſtudio excitaſſe contra eumdem quoſcumque Principes Romani nominis, atque in hanc cauſam juſſiſſe crucem prædicari, Legatos ad eam unionem tractandam ad Urbanum Papam anno 1262. miſit Maximum Alufardum Monachum, Andronicum Muzalonem, & Michaelem Abalantem, qui Græcorum cum Latinis unionem peterent. Eos Legatos dimiſit Pontifex cum literis ad Palæologum, quibus ſignificavit, ſe quantocyus ſpeciales nuncios transmiſſurum. Quare ne officio deeſſe videretur, electos ad id ſub finem menſis Julii anni 1263. quatuor fratres Ordinis Minorum, Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Criſta, & Bonifacium de Iporia, ſeu de Iporegia, viros pios & eruditos, qui rem omnium graviſſimam cum Imperatore peragerent, ad eum deſtinavit cum literis ad eumdem Imperatorem multa eruditione doctrinam fidei, & bonum unionis explicantibus, quibus & eas amplecti, atque interim à perſequendis reſiduis Latinis deſiſtere hortatus eſt. Has literas referunt Wadingus ad annum 1263. num. 2. & Raynaldus num. 23. & ſeqq. dataeque ſunt *apud Urbemveterem V Kal. Auguſti Pontificatus* Urbani *anno II.* Amplas deinde dedit ipſis Apocriſariis facultates & privilegia, ut miniſterium graviſſimum ad quod mittebantur, plenius honoraretur & honorabilius impleretur. Datæ poteſtatis inſtrumenta extant apud eumdem Wadingum ibidem.

XVI. *Alius eadem de cauſa Legatos ad Imperatorem dirigit.*

Cum autem tardius quam vellet Palæologus quatuor ſupra nominati Minores Conſtantinopolim miſſi eſſent, denuò idem Imperator inſtitit apud Pontificem de peragenda unione, miſſo in hunc finem Nicolao, Crotonienſi in magna Græcia ad ſinum Tarentinum Epiſcopo, natione Græco, apprimeque docto & pio, cum literis, quibus eum *Patrem patrum, Beatiſſimum Papam veteris Romæ, Imperii dominum, & ſacroſancta atque Apoſtolicæ ſedis ſummum Pontificem* in epigraphe agnoſcit & nominat; in ipſa verò Epiſtola ſummopere deprecatur, *quatenus ſicut Princeps omnium Sacerdotum, & univerſalis doctor Eccleſiæ Catholicæ*, ſolicitet unionem ejuſdem Eccleſiæ, *cui loco B. Petri Deus præcipue* ipſum *præfecit*, promittens ſe *omnes gentes & Patriarchales ſedes* ſui *Imperii ad devotionem, obedientiam & amorem* ejus ſubjecturum. Ac demum rogat, ut ei rei peragendæ confeſtim prædictum Nicolaum cum aliis Apoſtolicæ Sedis Legatis ad ſe remitteret. Ad alteram hanc legationem ſummopere gaviſus eſt Urbanus, videns firmum adhuc eſſe Imperatoris deſiderium ad uniendas Eccleſias, neque differendum putavit reſponſum, ſed foven-

ſovendos potius pios hominis conatus. Remiſit itaque eumdem Nicolaum, ac duos alios Fratres Minores pœnitentiarios ſuos, Gerardum ſcilicet de Prato & Raynerium de Senis, quibus munus cauſæ tractandæ, ſimul cum ſuperioribus jam miſſis, vel ſeparatim commiſit, ſi priores Conſtantinopoli non adeſſent. Iis autem graviſſimum reſcriptum dedit ad Imperatorem *decimo Kalendas Julii*, *Pontificatus* ſui *anno tertio*, hoc eſt anno 1264. quod integrum refert Wadingus, ſicut & literas Imperatoris ad eumdem annum num. 1. & ſeq. Sed mortuo eodem anno 1264. Urbano Papa, unio facta non eſt ante Pontificatum Gregorii X, licet iterum de ea actum ſit ſub Clemente IV Urbani ſucceſſore.

SEC. XIII. URBANUS IV.

XVII. *Quærit providere Imperio Germaniæ.*

Cum ob contentionem, quæ inter Richardum Cornubiæ Comitem, Angliæ Regis fratrem, & Alphonſum Caſtellæ Regem de Imperii dignitate vigebat, ipſum Imperium vacare videretur. indeque Eccleſia præcipui defenſoris auxilio deſtituta jurium ſuorum jacturam pateretur, & adverſariorum injuriis expoſita permaneret; Urbanus Pontifex eoſdem Principes ad concordiam reducere tentavit, ſcriptis anno 1263. ſecundo Kalendas Septembris literis ad utrumque ejuſdem tenoris, mutatis tantummodo quæ utriuſque perſonam reſpiciebant. In iis poſt narrata prolixe quæcumque tam in ipſa utriuſque electione, quàm apud Sedem Apoſtolicam eorumdem nomine geſta petitaque fuiſſent, ipſos judicio Apoſtolico, quod hactenus declinaſſe viſi fuerant, nuper verò ſubire ſe paratos declaraverant, per legitimos procuratores ſiſtere die ſecunda menſis Maii anni 1264. mandavit: interim tamen decrevit, ut ique abſque præjudicio partium, titulum Regis Romanorum electi tribuendum. Urbani hac de re literas refert Raynaldus ad annum 1263. Adveniente autem præſcripta die ſecunda Maii, & urgente Alphonſo per Legatos, ſed Richardo Domeſticum bellum excuſante, diem Urbanus prorogavit in feſtum Sancti Andreæ ejuſdem anni 1264. ad quod tamen ipſe non pervenit, ut legitur in literis Clementis Papæ ejus ſucceſſoris eadem de re datis apud Raynaldum anno 1266. num. 36.

XVIII. *Legatum mittit pro pace inter Anglos ſanciendâ.*

Angliâ inteſtinis diſſidiis flagrante, ſatagentibus pro pace & concordia Angliæ Prælatis, Rex & proceres judicio ſe ſubmiſerunt Sancti Ludovici Franciæ Regis. Sed cum ejus judicio non acquieſcerent plerique ex proceribus, rurſum ad arma ventum eſt, & miſera Anglia ingentibus afflicta perrexit malis, quæ memorant ejus gentis Hiſtorici, necnon Scriptores vitæ Urbani, ex quibus conſtat, Pontificem his auditis, eiſque compatientem, Legatum à latere eò miſiſſe Guidonem Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem, qui ſua induſtria & Sedis Apoſtolicæ auctoritate diſſidia componeret, de cujus legatione literas univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis per regnum Angliæ conſtitutis dedit *apud Urbemveterem X Kalend. Decemb. anno III* Pontificatûs, hoc eſt anno 1263. quæ extant apud Raynaldum

SEC. XIII. URBANUS IV.

num. 84. & ſeqq. Guido Legatus Angliam ingredi impeditus eſt à Proceribus, ut refert Theodoricus Vallicolor in Urbani Vita:

Qui mandata volens pacem velut angelus omni
Vi complere, ſibi pars inimica negat,
Introitumque vetat, cur dictus nuncius ipſam
Legitime monitam percutit enſe Petri.

Guido enim Bononiam Galliæ aliquot Epiſcopos Angliæ evocavit; lataque excommunicationis & interdicti ſententiâ in omnes turbantes pacem, iiſdem injunxit, ut eam promulgarent & exequerentur, quod diſerte ſcribunt Continuator Pariſii, Weſtmonaſterienſis & alii. Guido porrò Legatus poſtea fuit Papa ſub nomine Clementis IV.

XIX. *Carolum Andegavenſem ad regnum Siciliæ vocat.*

Cum interea nulla Urbano Papæ ſpes affulgeret auxilii pro defenſione regni Siciliæ, in ſolis Francis ſpem omnem Francus ipſe conſtituens, ne periclitanti deeſſet Eccleſiæ, ejuſque clientibus, ad Carolum Andegavenſem Provinciæ Comitem, Sancti Ludovici Regis fratrem animum convertit, virum illa tempeſtate opibus, virtute ac rei militaris peritia inclytum, eumque in Regem Siciliæ & Apuliæ elegit; & Simonem de Bria, ex Theſaurario Eccleſiæ Sancti Martini Turonenſis creatum non ita pridem tit. S. Cæciliæ Preſbyterum Cardinalem, poſtea Papam, Martinum IV dictum, Legatum in Galliam miſit ad Carolum in Italiam acciendum, cum obligatione etiam dignitatis Senatoriæ urbis Romæ. Dum enim de conditionibus transfundendæ in Carolum Siciliæ ageretur, Romani Carolum Urbis Senatorem creavêre, quæ res non ita Sedi Apoſtolicæ grata extitit, quòd evocatis Romam exteris Principibus, Pontificum majeſtas imminuenda timeretur. Verùm Urbanus ob ingruentia mala, quibus undique cingebatur, adhibitis in conſilium Cardinalibus, ad certas conditiones deſcendit, quibus Carolo Senatoris dignitatem non perpetuam, ut Romani detulerant, ſed ad certum tempus permiſit. Quò verò quam poterat optimas Sedis Apoſtolicæ conditiones efficeret, de conſilio Cardinalium tam pro regno Siciliæ, quàm pro Urbis magiſtratu conditiones præſcripſit, quæ legi poſſunt apud Raynaldum anno 1264. num. 3. & ſeqq. hiſque temporis characteribus clauduntur: *Actum apud Urbemveterem in camera palatii Epiſcopalis, præſente fratrum noſtrorum collegio, VII Kal. Maii, anno III.* Sed licet id effectum non habuerit vivente Urbano, ob mortem ſupervenientem, *cum tamen laudabile principium dederit, eſt idem dominus Urbanus ſuper hoc meritò commendandus*, inquit Gregorius Decanus Bajocenſis in ejus Vita.

XX. *Urbanus unde motus ad indictionem ſolemnitatis corporis Chriſti.*

Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, in loco non longè ab Urbeveteri ſito, Bolſena dicto, inſigne miraculum accidit, cujus occaſione Urbanus Pontifex ſolemnitatem corporis Chriſti indixit. In ejuſdem loci Eccleſia Sacerdote celebrante, cum poſt confectionem ſacra-

cra-

Digitized by Google

cramenti gutta aliqua ſanguinis ex calice profluxiſſet in corporale, Sacerdos ad occultandum defectum ſuæ negligentiæ, cooperuit partem corporalis pluribus pliccis, ſed reperta eſt per omnes pliccas tranſiſſe, & reliquiſſe ibi rubeam admodum ſanguinis formam hoſtiæ in pluribus partibus corporalis. Ita S. Antoninus part. 3. tit. 19. cap. 13. §. 1. Joannes verò Diæſtemius Blærus Prior Sancti Jacobi Leodienſis Ordinis S. Benedicti art. 8. Commentarii de Inſtitutione Corporis Chriſti, ſub annum 1496. ab eo compoſiti, ait, Sacerdotem Bolſenæ celebrantem, *inter verba conſecrationis* dubium *in fide*, vidiſſe *carneis oculis Hoſtiam in forma pietatis, & de ea ſanguinem fluere in calice. Quo territus dum conaretur occultare & cooperire de corporali, apparuit mox forma pietatis in ſingulis partibus corporalis, & ita coactus eſt populo aſſiſtenti miraculum patefacere. Quod ubi populus comperit, ad Urbemveterem properans, ſummo Pontifici mirabilia, & ſtupenda quæ viderat nunciavit.* Pontificem corporale ad Urbem veterem tranſtuliſſe, tradit S. Antoninus loco laudato: *Quod quidem corporale*, inquit, *ad perpetuam rei memoriam in Eccleſia Cathedrali Urbis veteris pro reliquiis reſervatum eſt, & aliquando populo oſtenditur cum magna veneratione.* In miraculi memoriam cives Urbevetani nobiliſſimum templum conſtruxerunt, cujus primum fundamenti lapidem Nicolaus IV propriis manibus ſacravit ac poſuit anno 1290. ut ſcribit Onuphrius in Adnotatione ad Platinam, & ipſemet Nicolaus aſſerit in Epiſtola 450. lib. 4. ſui Regiſtri apud Raynaldum anno 1291. num. 64.

SEC. XIII. URBANUS IV.

XXI. *Eam ſolemnitatem indicit.*

Inſignis hujus miraculi occaſione Urbanum Pontificem ſacratiſſimi corporis Chriſti ſolemnitatem, annuatim quinta feria poſt octavam Pentecoſtes perpetuis temporibus cum ſolemni ſupplicatione celebrandam indixiſſe, refert idem Diæſtemius, qui poſt laudata verba ſubdit: *Stupente autem curia, per ſummum Pontificem (qui necdum oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lambertum reſideret) interveniente conſilio & aſſenſu dominorum Cardinalium, deliberatum eſt, quod feſtum Corporis Chriſti per univerſam Eccleſiam ſemel in anno ſolemniter, feria quinta poſt octavas Pentecoſtes in toto terrarum orbe celebraretur, & vocato B. Thoma de Aquino, qui tum præſens aderat, præceptum fuit, ut officium de tali feſto, ſecundum uſum omnium Eccleſiarum componeret.* Conceſſit autem Pontifex iis, qui ei officio intereſſent, centum dierum indulgentiam. Qua de inſtitutione extat præclara & elegans ejuſdem Urbani conſtitutio Bullarii Tomo 1. ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Prælatos: quam poſtea ob bellicos tumultus, quibus pene tota Europa agitabatur, parum pleriſque locis obſervatam, Clemens V in Generali Concilio Viennenſi recepit & confirmavit: ejuſque ſucceſſor Joannes XXII iterum publicavit, aliique deinceps Romani Pontifices gratiis & privilegiis exornarunt. Ceterùm de ſolemni hujus diei proceſſione ne-

SEC. XIII. URBANUS IV.

minimum quidem verbum habetur in Urbani IV bulla qua hanc ſolemnitatem inſtituit. Non diu tamen poſt feſti erectionem inſtitutam fuiſſe, docent antiqui libri & rituales circa iſta tempora ſcripti, ut aſſerit Edmundus Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 29.

XXII. *Vtrum hæc ſolemnitas alibi antea fuerit inſtituta.*

Fuiſſe nihilominus jam antea hu'us feſtivitatis celebrationem divinitus indicatam nonnullis ſacris virginibus Leodienſibus, & à graviſſimis Theologis diligentiſſimè examinatam, atque ab illius urbis Epiſcopo receptam, necnon à quibuſdam Cardinalibus Legatis Apoſtolicis confirmatam, ab ipſoque Urbano Papa, dum eſſet Archidiaconus Leodienſis cognitam, certis illorum teſtimoniis, aliiſque ejus temporis monumentis oſtendunt, qui propriis tractatibus de his egêre, Joannes nempe Diæſtemius mox laudatus, & Joannes Chapeavilla Canonicus & Vicarius Eccleſiæ Leodienſis Tomo 2. Pontificum Leodienſium in fine. His addo bullam ipſius Urbani, in qua ait: *Intelleximus autem olim, dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis revelatum feſtum hujuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum.* Viderat enim Urbanus tum Leodii Archidiaconus inſtitutam hanc novam feſtivitatem, ex revelatione facta B. Julianæ Cornelienſi, allaborante venerabili Eva ad S. Martini Eccleſiam Recluſa, & utrique haud parum in pio cœpto urgendo faverat. Unde ſtatim ac hanc feſtivitatem in Urbeveteri inſtituit, non diſtulit Pontifex dilectam ſibi Evam conſolari nuncio optatiſſimo, per ſcriptum ad eam Breve, quod licet editum à Bollandianis die quinta Aprilis poſt vitam B. Julianæ, ante ſexcennium quam iſta fierent defunctæ, denuò tamen repræſentavit Papebrocius in Diſſert. 23. ſubjuncta Pontificatui Urbani IV in Conatu Chronico-Hiſtorico, quo Brevi decretum ei mittens, gratulatur impletum ejus votum, novumque officium ei commendat. *Datum* illud *apud Urbemveterem ſexto Idus Septembris*, *Pontificatûs* Urbani *anno quarto.* Quæ ſi Onuphrio Panuinio cognita fuiſſent, aſſertionem de revelatione facta B. Julianæ & Evæ non adeo facile rejeciſſet. Ceterùm hanc ſolemnitatem ab Urbano pro univerſali Eccleſia inſtitutam anno 1264. præter laudatum Breve, menſe Septembri ejuſdem anni datum, confirmare videtur Theodoricus Vallicolor, ita canens:

Sic digne ſtatuit, ut in anno Corporis hujus
Tam feſtum celebre fiat in orbe ſemel.
Poſt Penteceſtes Octavas luce Jovis, nam
Conſumi Chriſtus fecerat iſta die.
Hocque ſui terno Papatus fecit in anno,
Officiumque novum continet iſta dies.

Ex quibus duo eruo. Primum, hanc inſtitutionem factam ſub finem anni tertii Pontificatûs Urbani, cum Breve ad Evam datum ſit anno quar-

SEC. XIII. URBANUS IV.

quarto ineunte; ſecundum, jam antea fuiſſe aliud officium de eadem ſolemnitate, Leodii nempe, cùm Theodoricus Vallicolor referat, iſtud feſtum continere *novum officium*, illud ſcilicet quod eſt à Sancto Thoma compoſitum, quodque Urbanus ad Evam miſit & commendavit.

XXIII. *Urbani IV PP. obitus.*

Poſtridie diei, quo datum illud Breve ad Evam Monialem Recluſam Leodii, die ſcilicet nona menſis Septembris, ex Urbevetere Tudertum perrexit Urbanus Pontifex, à die enim ſexto Kalendas Auguſti, quo cometes, qui ab oriente ſurgens uſque ad medium hemiſpherii versùs Occidentem comam protrahebat, Urbeveti viſus eſt, ut tradit Theodoricus Vallicolor, dolor ita eum invaſerat, ut ejus ſiccari interiora cæperint, vixque abſque labore ſonum proferret, quod in cauſa fuit cur ab Urbevetanis diſceſſerit:

Urbem Peruſii motus adire parat.
Septembriſque die nona diſceſſit ab ipſis
Tudertum veniens, membra quietis egent.
Et infra:
Tudertum veniens eſt greſſus pondere feſſus,
Inſolituſque labor debilitarat eum.
Quinta die vero caſtrum, cui Diruta nomen,
Aſſiſium poſt hac accelerare volens.
Vixque duas equitans per leucas intima tota
Præ nimia ſenſit anxietate premi.
Hinc devectus equo lecticâ ponitur, inde
Ad caſtrum vehitur, invaluitque dolor.
Hic per quindenam jacuit, morbuſque coëgit
Ipſum plus ſolito corpus inane jacet.
Poſt hac conſilio fratrum, de morte quibus ſpes
Certa videbatur ſic ſuperante malo:
Lectica vehitur in burgum Peruſii, qua
Eccleſia ſancti ponitur ipſe Petri.
Eccleſia ſumpſit ibi ſacramenta, diemque
Extremum clauſit luce ſequente Jovis.
Quo moriente velut mortem cognoſceret ejus
Apparens minime ſtella comata fuit.
Unde putes rectè dominum regnaſſe, tacere
Cujus tot ſigna non potuêre necem.

XXIV. *Tempus mortis, locus ſepulturæ, & epitaphium ejus.*

Annum mortis Urbani eſſe ſexageſimum quartum poſt milleſimum ducenteſimum, conſentiunt Nangius in Vita S. Ludovici Francorum Regis, & in Chronico, Prolomæus Lucenſis in Annalibus, Auctor magni Chronici Belgici & alii. Diem verò mortis, nempe ſecundam menſis Octobris, habemus ex literis encylicis Clementis IV ejus ſucceſſoris, in quibus ait: *Felicis recordationis Urbano Papa prædeceſſore noſtro VI Nonas*

Octo-

SEC. XIII. URBANUS IV.

Octobris viam univerſæ carnis ingreſſo, &c. Cum itaque electus fuerit die XXIX Auguſti anni 1261. *ſedit annis tribus, menſe uno, diebus quatuor*, ut diſerte ſcribit Martinus Polonus in Chronico; obiit enim, die ſecunda Octobris anni 1264. quæ, ut ſcribit Theodoricus Vallicolor mox laudatus, concurrebat cum die Jovis. Sepultus eſt autem in Eccleſia Cathedrali ſancti Laurentii Peruſii, ex Gregorio Bajocenſi Decano mox laudando in Urbani Vita. Epitaphium à ſtylo illius ævi nihil abludens ipſi poſitum primus nobis exhibuit Ludovicus Jacob in ſua Bibliotheca Pontificia, quod ſe vidiſſe aſſerit; cujus verſus quatuor indicant; quomodo primùm Archidiaconus Leodienſis, tum Virdunenſis Epiſcopus, deinde Patriarcha Jeroſolymitanus exiſtens ad Summum Pontificatum evectus ſit:

Archilevita fui, Paſtorque Gregis, Patriar
Tunc Jacobus; poſui mihi nomen ab urbe monar
Tunc cinis exivi: tumuli poſt condor in ar
Tu ſine fine frui tribuas mihi, ſumme Hierar
} *cha*:

Sed epitaphii ejus reliquiæ, vetuſtate ſine dubio conſumptæ, videri deſierunt, poſtquam anno 1615. Napoleo Comitolus Epiſcopus Peruſinus Urbani IV corpus tranſtulit, & in unam arcam compoſuit, cum oſſibus duorum aliorum Pontificum Romanorum qui Peruſii obierunt, ſcilicet Innocentii III & Martini IV.

XXV. *Ejus virtutes & memoria.*

Sanctam Urbani IV fuiſſe mortem his verbis nos docet Gregorius Bajocenſis Decanus apud Papirium Maſſonum: *Hic Urbanus Patrum pater, mitis, pius, benignus, munificus, gratioſus & omni bonitate refertus, rexit Eccleſiam Romanam annis tribus, menſibus duobus* (incompletis, ſeu inchoatis) *& obiit in civitate Peruſina, & quieſcit in Eccleſia Cathedralis civitatis ejuſdem, quæ B. Laurentii Eccleſia eſt vocata. In cujus obitu, quia mirè vixit, & miraculosè in Eccleſia Dei, ut dictum eſt, habuit incrementa, magnum mirum apparuit: nam per tres menſes, antequam de hoc mundo migraſſet ad Dominum, quædam ſtella cometes continuè uſque ad diem obitus hominibus eſt oſtenſa, qualis nunquam viſa dignoſcitur temporibus retrò actis, quæ dicto Pontifice in domino dormiente ulterius non eſt viſa per aliquem. Per quod ſignum creditur & ſperatur, quod ad cœli tranſierit ſanctas manſiones, propter quod ſidus dignoſcitur miraculosè commotum.* Auguſtinus Oldoinus in novis Additionibus ad Ciaconium ſcribit, memoriam Urbani, ut Sancti coli apud Philippum Ferrarium in catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, 6. Idus? pridie Kal. Octobris his verbis: *Romæ S. Urbani Papæ IV, qui feſtum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtituit.* Maxima quoque celebritate colitur apud Trecenſes, qui Templum in ejus honorem dicarunt. Ita Oldoinus. De Templi tamen in Urbani IV honorem conſtructi, & cultu à Trecenſibus ei exhibito, fides ſit apud ipſum, nihil enim tale alibi legi. Illud ſolum habent

habent Gregorius Decanus Bajocenſis, & Theodoricus Vallicolor, Urbanum IV in honorem Sancti Urbani hujus nominis primi, Martyris, Eccleſiam in Urbe Trecenſi ædificaſſe, quam duodecim Canonicorum numero, & Decanatûs dignitate ornatam, poſſeſſionibus prædotavit, & intendebat, ſi vixiſſet pluribus augmentare. Qui alias ejus res geſtas circa recuperationem multorum locorum Eccleſiæ Romanæ, ſolutionem debitorum ejus, reſtaurationem & ædificationem Eccleſiarum, aliaque id genus, ſcire cupierit, legat dictos Gregorium Bajocenſem Decanum, & Theodoricum Vallicolorem, ejus Vitæ Auctores, apud Papirium Maſſonum. *SEC. XIII. CLEMENS IV.*

CLEMENS IV *Pontif.* CLXXXIII.

Anno Domini MCCLXV.

I. *Longum interpontificium poſt mortem Vrbani IV.*

VRbano IV Papa, *VI Nonas Octobris* anni MCCLXIV, *viam univerſæ carnis ingreſſo*, ut ſcribit Clemens IV ejus ſucceſſor in literis encyclicis de ſua electione datis *Perufii VIII Kalendas Martii* anni ſequentis MCCLXV, *ſedes ceſſavit diebus quinque*, inquit Martinus Polonus in Chronico: quo pacto Clemens IV electus fuiſſet die octava ejuſdem menſis Octobris anni MCCLXIV, quod tamen dici non poteſt, cum conſtet Cardinales Peruſii congregatos pro electione, literas dediſſe *IV Nonas Novembris* increpatorias ad Senenſes, eo quòd, ſede vacante exercitum ad Urbemveterem promoviſſent, & Eccleſiam matrem, *quæ*, ut inquiunt, *viduitatis gravatur incommodis* novis injuriis provocarent, *dum ſponſi noviter ſubtracti quaſi adhuc buſta proſequitur*, & *dum ad ſuam & totius orbis neceſſariam proviſionem enititur*, *& pro generalis paſtoris ſubſtitutione laborat*, eam ad alia conſideranda & tractanda diſtraherent. Epiſtola, ut jam dixi, *data Viterbii IV Nonas Novembris*, extat apud Raynaldum anno 1264. num. 71. die itaque ſecunda Novembris Clemens IV nondum electus erat, ideoque vel erravit Martinus Polonus, quod non facile credendum eſt, cùm eo tempore vixerit, vel potius ejus exſcriptores poſuerunt ſedem vacaſſe *diebus quinque*, loco, *menſibus quinque*, uti ſcripſerat Martinus Polonus, & diſerte aſſerit Ptolomæus Lucenſis lib. 22. cap. 29 apud Raynaldum anno 1265. num. 1. *Vacavit*, inquit, *Eccleſia tunc poſt mortem Urbani menſibus V.*

II. *Clemens IV eligitur & conſecratur.*

Sedem autem vacaſſe menſibus circiter quinque, ex eo conjicere poſſumus, quod Clemens IV die tantum vigeſima ſecunda menſis Februarii anni 1265. de ſuſceptis Eccleſiæ gubernaculis encyclicas literas dederit. Raynaldus ad annum 1268. num. 54. ait, Baronium in Schedis aſſerere Clementem electum die nona Februarii, & conſecratum octavo Kalendas Martii, quod ultimum non improbabile eſſet, cum dies octa-

SEC. XIII. CLEMENS IV. vus Kalendarum Martii, ſeu dies 22. Februarii eſſet dominicalis, & præterea concurrat cum feſto Cathedræ Sancti Petri Antiochenæ, ſed obſtare videtur data prædictarum literarum encyclicarum eadem die datarum, niſi dicatur eadem die, qua conſecratus eſt & coronatus, literas illas ſcripſiſſe, quod tamen dici nequit, ſi verum ſit quod ſcribunt Joannes Nauclerus generat. 43. & Onuphrius Panuinius in Chronico, Clementem nempe coronatum eſſe & conſecratum Viterbii, cum eæ literæ datæ ſint Perufii. Sed quidquid ſit, cum Antiqui dicant tantum Clementem electum anno 1265. nec menſe, nec die memoratis, ſufficiat ſcire eum, vel die 22. Februarii, vel ex antecedentibus aliquo fuiſſe conſecratum & coronatum. Guido itaque Cardinalis Sabinenſis abſens, cum à legatione Anglica, de qua in Urbano IV locuti ſumus, rediens in itinere eſſet, demum poſt quatuor & amplius menſium interpontificium, non ex compromiſſo, ut quidem recentiores ſomniarunt, quod omnes Antiquos latuit, ſed communibus Cardinalium ſuffragiis Perufii electus, cum interclufas Manfredi Siculi tyranni juſſu vias ſibi omnes, inſidiaſque paratas audiret, ne in via interciperetur, mercatoris ſpecie, vel, ut alii volunt, Religioſi mendicantis habitu Peruſium pervenit, ubi, vel Viterbii conſecratus & coronatus eſt, quàm tardius die vigeſima ſecunda Februarii anni 1265. & Clementis nomen ſumſit, quod in die feſto Sancti Clementis natus fuiſſet, ut aſſerit Alphonſus Caſtellæ Rex in literis gratulatoriis ad eum ſcriptis, quarum meminit Raynaldus ad annum 1265. num. 9.

III. *Ejus patria, parentes & primordia.* Fuit Clemens IV natione Gallus, ex oppido Sancti Aegidii ad Rhodani ripam in provincia Narbonenſi, nobili familia Groſsâ, patre *Fulcodio*, matre *Germana*; è quibus ille poſt mortem conjugis Ordinem Carthuſianum ingreſſus, plurimos annos in ea religioſè vixit, & agonem ſuum feliciter conſummavit; iſta tantâ extitit vitæ ſanctimoniâ, ut etiam divinis nonnunquam viſionibus illuſtraretur, ut ipſemet Clemens aſſerit in Epiſtolâ datâ Viterbii undecimo Kal. Decembris anno IV, quæ extat in Chronico Carthuſiano. Ipſe verò Guido relicta armorum militia, cui adoleſcens ſe addixerat, literis operam dedit, Juriſque diſciplinam ita exactè didicit, ut Durandus gravi ea ætate Juriſconſultus eum *Lumen Juris* appellet. Unde & quod forenſem vacationem amplexus cauſas integerrimè ageret, ſingulariſque eſſet vitæ moderationis, à ſancto Rege Franciæ Ludovico nono in ſanctius Concilium allectus, in omnium amore & admiratione fuit. Uxore autem, quam virginem duxerat, & ex qua duas filias ſuſceperat, mortuâ, ſacris Ordinibus initiatus, primùm Podienſis, ſive Anicienſis Archidiaconus, indeque ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, ac paulò poſt Archiepiſcopus Narbonenſis, poſtremò ab Urbano IV Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis creatus eſt, de-

demumque ob vitæ integritatem, & in rebus agendis ſolertiam, abſens licet, electus eſt Pontifex. Hæc conſtant ex Ptolomæo Lucenſi lib. 12. cap. 29. & ſeq. Martino Polono in Chronico, Sancto Antonino tit. 20. cap. 1. §. 11. & aliis. SEC. XIII. CLEMENS IV.

Qualis futurus eſſet Clemens Papa erga ſuos agnatos mox, inito Pontificatu, demonſtrare volens, ad quendam Petrum Groſſum de ſancto Aegidio nepotem ſuum, in feſto SS. Felicitatis & Perpetuæ, die ſcilicet vigeſima ſeptima Martii, Peruſii adhuc exiſtens Epiſtolam ſcripſit, quam Onuphrius Panuinius in Notis ad Platinam, Papirius Maſſo, Alphonſus Ciaconius, & Abrahamus Bzovius ob incredibilem pene ipſius moderationem deſcripſêre: qua omninò prohibuit, ne quis ex ſuis agnatis ad ſe venire præſumeret, abſque ſpeciali ipſius mandato, alioquin ſciret confuſum ſe rediturum: non enim velle ſe aliquem è ſanguine ſuo cujuſvis ſexûs, obtentu ipſius ſublimationis inflari, ſed fœminas illos viros accipere, quos habituræ forent, ſi ipſe eſſet in ſimplici Clericatu; uni verò illarum, ipſius Petri, ad quem ſcribebat, ſorori, daturum ſe, ſi filio ſimplicis militis, hoc eſt nobilis, deſponſaretur, trecentas libras Turonenſes, ſi verò altiora quæreret, nec unicum denarium largiturum. Quæ ut ſcripſit, ſic & præſtitit, Joannes enim Hocſemius Canonicus Leodienſis, qui Epiſcoporum Leodienſium geſta ab anno 1147. quo diſiit Aegidius Aureæ Vallis Monachus, ad annum 1348. quo florebat, perduxit, narrat; cum multi præcipuæ nobilitatis viri filiam ejus Cœciliam ſibi deſponſari peterent, deridentem eos Pontificem dixiſſe; ipſos non Cœciliam petere, ſed Papam; eam autem non Papæ eſſe filiam, ſed Guidonis Fulcodii, cujus nequaquam filiam ipſi petituri forent. Ipſum autem noluiſſe eam in matrimonium collocare, ſed mediocriter ei providentem, quandiu vixit voluiſſe vivere honeſtè in quodam monaſterio civitatis Nemauſenſis. Quæ eadem ferè narrat Sanctus Antoninus loco laudato: *Dicitur in laudem tanti viri*, inquit, *quod cum duas filias nubiles haberet, & nuptui tradere quæreret; non tamen de patrimonio Crucifixi, ſed tantum de proprio, quod non maximum erat, eas dotare vellet; attendentes ad divitias Pontificales ſeu Eccleſiæ, cum de illis nil expectare valerent, illas innuptas dimiſerunt: unde & meliori ſponſo domino Jeſu Chriſto tradita ſunt in virginitate Deo obſequentes.* Idem Hocſemius refert, habuiſſe eumdem Pontificem fratrem Rectorem cujuſdam Eccleſiæ Parochialis, honeſtum virum & ſanctæ vitæ, quem noluerit altius promoveri, quàm quòd pinguiorem parochiam, dimiſsâ aliâ, ei conceſſit. Joannes verò Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1269. ſcribit, Clementem pluralitatem beneficiorum valde deteſtatum eſſe, non minus in ſuis, quàm in alienis, uſque adeo, ut nepoti cuidam ſuo tres habenti præbendas, dixerit coram multis: *Unam ex his tribus retinendam tibi, quam volueris eligito: reliquas duas reſignes oportet.*

IV. *Incredibilis ejus erga ſuos moderatio.*

tet. Amicis autem, qui aſtabant, rogantibus, ne auferret quippiam nepoti, ſed tribus præbendis etiam adderet quartam, Papam reſpondiſſe: *Non carni & ſanguini, ſed Deo nos convenit obedire; nam uni Clerico ſufficit una prabenda canonica: unde niſi ſuperfluas dimiſerit, omnibus carebit.* Tandem Hocſemius aſſerit, eum adeo rectum fuiſſe in omnibus, ut nulli Regi, vel Principi deferret; & ideo omnes eum & dilexiſſe & timuiſſe; cum alioquin qui talis erat in ſuos, in proximum & Chriſti pauperes ſummæ liberalitatis fuiſſe reperiatur.

V. *Duplex Pontificis ſigillum explicatur.* Etſi autem in prædicta Clementis Papæ ad Petrum Groſſum Epiſtola nihil eſt quod magnopere mirari non debeas, & prudentiam Clementis maximam, ſanctimoniamque plurimum laudare; obſervatione in ea dignum exiſtimatum eſt à Papirio Maſſono, & ex eo à Ciaconio & aliis, quod in fine ejuſdem Epiſtolæ legitur: *Non ſcribimus tibi, nec familiaribus noſtris ſub bulla, ſed ſub piſcatoris ſigillo, quo Romani Pontifices in ſuis ſecretis utuntur.* Hæc enim verba deſignant ſigilla duo, quibus etiamnum Pontifices Romani utuntur: unum in publicis juſſionibus, & expeditionibus, quas *Bullas* vocant; idque plumbeum eſt, impreſſas habens ex una parte Imagines Apoſtolorum Petri & Pauli, ex altera nomen Pontificis pro tempore exiſtentis: alterum in privatis ad quoſcumque literis, & gratiis conceſſis, quas *Brevia* appellant, habens effigiem Sancti Petri in navicula poſiti, & retia laxantis, qui priùs piſcium piſcator, factus eſt à Deo piſcator hominum.

VI. *Clemens PP. Carolum Andegavenſem Senatorem Urbis renunciari curat.* Romani Carolum Andegavenſem Comitem anno 1264. Senatorem Urbis creaverant ſub hac conditione ut Romam pergeret, & dignitatis poſſeſſionem iniret in feſto Sancti Michaelis ſeu die vigeſima nona Septembris ejuſdem anni; ſed quia hic terminus brevior erat, prorogatus ei fuit uſque ad feſtum Pentecoſtes anni inſequentis milleſimi ducenteſimi ſexageſimi quinti quod incidebat in diem 24. Maii, ut diſerte docet Theodoricus Vallicolor in Vita Urbani IV his verſibus:

Quod veniat Romam dictus Comes, in Michaelis
Sacrato feſto terminus iſte datur.
Sed quoniam brevis eſt, populus prolongat eidem
In Pentecoſtes luce ſequente ſacra.

Clemens Pontifex poſtquam univerſis Principibus Chriſtianis & Eccleſiaſticis Prælatis, ac imprimis S. Ludovico Francorum Regi & Archiepiſcopo Senonenſi electionem ſuam ſignificavit, electiones Caroli Andegavenſis in Senatorem urbis Romæ, & in Regem Apuliæ ac Siciliæ, à populo Romano, & ab Urbano IV deceſſore factas ratas habens, ejus adventum accelerare, ac illi copias, amicoſque per Italiam parare contendit. Carolus itaque celebrato Paſchate Pariſiis, itineri ſe accinxit cum Beatrice conjuge ſua, quæ cordata ac virilis mulier omni mundo ſuo muliebri diſtracto, cogendo alendoque militi, fortiſſimum quemque

ad

ad ſigna ſua allexerat, Romamque pervenit in ipſo Pentecoſtes pervigilio, vel, ut alii tradunt, feria quarta ante Pentecoſten, ibique à civibus honorificentiſſimè ſuſceptus, auctoritate Pontificis Senatoriam dignitatem adiit, qui honos ampliſſimus tunc habebatur. *SEC. XIII.* CLEMENS IV.

VII. *Siciliæ regni inveſtituram ei tribuit.*

Paucis verò poſt diebus, quarto ſcilicet Kalendas Junii, feria ſexta poſt Pentecoſtem, idem Carolus Pontificio juſſu, à quatuor Cardinalibus natione Romanis, Anibaldo nempe duodecim Apoſtolorum Baſilicæ Presbytero, Richardo Sancti Angeli, Joanne S. Nicolai in Carcere Trulliano, & Jacobo S. Mariæ in Coſmedia, Diaconis Cardinalibus, Clementis Papæ Legatis, in Eccleſia Lateranenſi Rex Siciliæ & Apuliæ, ſive, ut dicitur in inveſtitura, Siciliæ & totius terræ extra pharum, exceptâ tamen civitate Beneventana, declaratus eſt, præſtito primùm ſacramento de obſervatione conditionum quas cuſtodire deberet, quarum hæ præcipuæ fuere: Ut ſingulis annis ſolveret Eccleſiæ Romanæ octo millia unciarum auri in feſto B. Petri, & unum palafrenum album pulchrum & bonum: Ne Imperium Romanum per regnum Teutoniæ, nec Tuſciam aut Lombardiam occuparet; vel pateretur ſe eligi aut inungi in Imperatorem, aut prædictarum provinciarum Dominum; nec poſſet unquam regnum Siciliæ uniri Imperio: & ut cautum eſſet immunitati, ac libertati Eccleſiaſticæ in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, appellationibus, aliiſque omnibus; & cum revocatione omnium conſtitutionum per Fridericum, Conradum, atque Manfredum, & alios quoſcumque factarum contra Eccleſiaſticam libertatem. *Actum eſt* hoc *Romæ apud Lateranum in Baſilica Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana ante ſacratiſſimum altare ipſius Baſilicæ IV Kal. Junii anno Domini M CCLXV, Pontificatûs vero prædicti Domini Clementis Papæ IV anno I,* ut legitur in fine inveſtituræ. Quarum conditionum ſummarium refert Sumantius Hiſt Neapol lib. 2. & ex eo maximam partem Raynaldus ad annum 1265. num. 14. & ſeqq. quæ omnia Clemens Apoſtolica auctoritate communivit, diplomate dato *Peruſii per manum magiſtri Michaëlis de Toloſa S. R. E. Vicecancellarii II Nonas Novembris, indictione IX, Incarnationis dominicæ M CCLXV, Pontificatûs verò domini Clementis PP. IV anno I.* Hæc omnia Romæ à populo & Cardinalibus acta ſunt auctoritate Pontificis abſentis; ut conſtat, tum ex ejus literis XIII Kalend. Junii datis, quæ extant in Regiſtro Vaticano, quibus, inquit Spondanus, alias prætexuit excuſationes cur Romæ his ſolemnitatibus adeſſe non potuerit, quam quòd Romani eum in Urbem admittere nollent; tum & ex Ptolomæo Lucenſi oculato harum rerum teſte, qui ideo perperàm à Blondo ineptiæ arguitur, quòd ſcripſerit hæc tanta Romæ auctoritate Pontificis, eoque abſente in Carolum collata eſſe.

Digitized by Google

SEC. XIII. CLEMENS IV.

VIII. *Ei ſubvenit, & ejus de Manfredo victoriam prædicit.*

Ex ejuſdem Pontificis literis Peruſii XV Kalend. Auguſti & III Nonas ejuſdem menſis datis, quæ extant etiam in Regiſtri Vaticani anno primo Pontificatûs Clementis, conſtat, ipſum, ut Carolo auxilia promiſſa ſubmitteret, à Comite Pictavienſi quatuor millia marcarum argenti, & quinque mille libras Turonenſes; à Senenſibus autem & mercatoribus Florentinis centum millia proviſinorum mutuò accepiſſe; & in his, ex conſenſu Cardinalium, poſſeſſiones & bona omnia Eccleſiarum Urbanarum, exceptis Lateranenſi, S. Petri, S. Gregorii, Hoſpitalariorum & Cardinalium Baſilicis, ad triennium obligaſſe. Cumque hæ pecuniæ non ſufficerent ad molem belli diutius ſuſtinendam, in toto regno Galliarum omnibus Eccleſiis decimam impoſuiſſe, Regemque Ludovicum, ut eam exigi pateretur, obſecraſſe. Excuſanſque apud Carolum Epiſtolâ Kalendis Auguſti data, quod non quantum vellet erogare poſſet, *Theſaurum apud ſe nullum habere*, inquit, *ne ſe eum multiplicare proponere illis modis quibus homines multi vellent. Cauſas inopiæ eſſe partes orbis concuſſas; Anglicos adverſari; Alemanniam vix obedire; Franciam gemere & queri; Hiſpaniam ſibi non ſufficere; Italiam non ſubvenire, ſed emungere.* Denique cum Manfredus his tantis à Clemente in Carolum beneficiis irritatus, contumelias & minas in ipſum injeciſſet, Pontifex in ſpiritu manſuetudinis injurias vincere, & in fortitudine Apoſtolici pectoris jura Eccleſiæ vindicare doctus, reſpondit ferocienti, ſe nonniſi Deum timere, qui poſtquam occiderit corpus, poteſt & animam in gehennam detrudere: ceterùm Carolum Dei juſtitiæ adminiſtrum, brevi omnes injurias, Eccleſiæ Romanæ, ejuſque Pontificibus illatas ulturum. Nec fefellit vaticinium, ſequenti enim anno 1266. Carolus Manfredum devicit & occidit, ut infra dicetur.

IX. *Carolum cum conjuge utriuſque Siciliæ Regem per Legatos coronat.*

Carolus interea regni Siculi diadema de manu Pontificis accipere cupiens, ab eo poſtulabat, ut Romam veniret, coronamque ejus vertici ſolus imponeret, ac ſigna militaria benediceret. Cauſas habuit Clemens, eaſque, ut jam dixi, Carolo perſcripſit, cur ad ea ſolemnia venire non poſſet; promiſitque ſe quoſdam Cardinales miſſurum, qui diadema illi & uxori ipſius imponerent, & reliqua inaugurationis peragerent. Miſit itaque quinque Cardinales, Rodulphum ſcilicet principem legationis, natione Gallum, ex Epiſcopo Ebroicenſi, Epiſcopum Albanenſem creatum; Ancherum itidem Gallum, Presbyterum tit. S. Praxedis, Vrbani IV nepotem; Richardum, Romanum tit. S. Angeli, Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum; Godefridum, Alatrinum tit. S. Georgii ad Velum aureum; & Matthæum, Romanum, tit. S. Mariæ in Porticu, diaconos Cardinales, qui, ut juſſi fuerant à Pontifice, anno 1266. die Epiphaniæ ſacra Carolum, ac Beatricem uxorem ejus Regio diademate ſolemni pompa inſignierunt in Baſilica Principis Apoſtolorum, prius præſtito ab ipſo ſacramento, & homagio ligio Clementi,

Roma-

Romanæque Eccleſiæ. Hæc conſtant ex Actis coronationis, quæ ex formulario Marini Ebuli, & ex libro cenſuum MS. Vaticano edidit Raynaldus ad annum 1266. num. 2. & ſeqq. Forma autem ſacramenti à Carolo præſtiti ita clauditur: *Actum Romæ in prædicta Baſilica* (ſc. S. Petri) *VI Januarii in feſto videlicet Epiphaniæ Domini, nona indictione anno Domini MCCLXV* (more Gallicano, à Paſchate inchoato, ut vidimus in Gregorio IX num. XIX) *pontificatûs verò prædicti Domini Clementis Papæ IV anno I.* Errant itaque qui coronationem Caroli in Regem utriusque Siciliæ citra & ultra pharum, in Eccleſia Lateranenſi, vel à duobus tantum, vel à ſex Cardinalibus factam ſcripsêre, cum ex laudatis coronationis Actis contrarium conſtet; ex quibus pariter, aliiſque monumentis corruit quod nonnulli aſſeruerunt, coronationem factam eſſe Romæ ab ipſo Clemente Pontifice; cum extra omne dubium ſit, ipſum nunquam toto Pontificatu Romam vidiſſe, ſed ſemper aut Viterbii, aut Peruſii egiſſe. SEC. XIII CLEMENS IV.

X. *Egregia Clementis ad Caroli Regis & Manfredi literas reſponſa.*

Non eſt autem hic reticendum præclarum Clementis Papæ reſponſum ad Carolum jam Siciliæ Regem, cui, cum florentiſſimum exercitum inſtrueret, & pecunias ſubinde è Clemente jam penitus exhauſto poſceret, prudenter ac piè reſcripſit, ut legitur in Regiſtro Vaticano: *Nec montes nec fluvios habere ſe aureos, & quantumcumque neceſſitas urgeret, nihil ſe poſſe ultra poſſe: feciſſe ſe liberaliter quod potuiſſet, & quod commode poterit facturum: ſed exhauſtis jam viribus, & mercatoribus fatigatis, cur ipſum ulterius inquietaret videre ſe non poſſe: niſi forsàn requireret miraculum, ad quod ſibi nequaquam merita ſuffragarentur, ut in aurum terram vel lapides converteret.* Egregium & quod ad literas à Manfredo iterum inſolenter ſcriptas reſpondit; eas nec favorem prometuiſſe, quòd veritati contrariæ eſſent, nec timorem incutere potuiſſe homini timorato, qui nihil præter Deum timeret: neminem dubitare Carolum potentem eſſe & humilem, & ſi potentiæ probatio quæreretur, viſurum brevi omnem oculum, non ſolùm quid homo valeat, ſed quid in homine poſſit Deus. Quod ſi viarum difficultas objiceretur, ſi terrarum, mariſque concluſio, ſi Saracenorum & excommunicatorum promiſcua multitudo, ſi cujuslibet barbaræ nationis admixtio; potentem eſſe Deum aperire concluſa, & colligata diſſolvere, & in paucis multos ſubigere. Nec falsò Sanctiſſimus Pontifex futura præſagiit; Carolus enim ductis in Manfredum copiis, ad campos Beneventanos poſitus, die veneris vigeſimæ ſexta februarii ejuſdem anni 1266. ut habent ipſius Caroli ad Clementem literæ de victoria poſtridie ſcriptæ, eum ingenti utrimque cæde devicit, ipſo occiſo, captiſque ferè omnibus ejus Proceribus qui gladium evaſerunt.

XI. *Clemens PP. Conradino prohibet ne ſe Siciliæ Regem dicat, eumque citat.*

Conradinus Conradi quondàm Regis filius, nepoſque Friderici olim Imperatoris, Dux Sueviæ, quindecim circiter annorum adoleſcentulus, in Germania tùm agens, audita Manfredi patrui ſui nece, titulum Regis

SEC. XIII. CLEMENS IV. gis Siciliæ, tanquam ſibi etiam ante Manfredi uſurpationem debitum aſſumſit, & literis eo nomine ſcriptis populos ac civitates Italiæ, inimicas Eccleſiæ ſollicitare cœpit. Quod ubi audivit Clemens Pontifex, primùm in feſto dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli, ſeu die decima octava Novembris, Pontificatûs ſui anno ſecundo, ideoque anno 1266. publicè in majori Eccleſia Viterbienſi præceptum promulgavit, quo tàm ipſi omnino injunxit à præmiſſis deſiſtere, quàm ceteris omnibus cujuſcumque conditionis hominibus prohibuit, eum in Regem Siciliæ agnoſcere, aut qualemcumque favorem ad deturbationem Eccleſiæ Romanæ, ac juris Carolo acquiſiti, in qualibet parte Italiæ præſtare, ſub pœna excommunicationis in perſonas, nec non privationis beneficiorum, & dignitatum Eccleſiaſticarum, atque feudorum laicorum, & interdicti in loca. Quas inhibitiones & comminationes renovavit in eadem Eccleſia Viterbienſi in die Cœnæ Domini, Pontificatûs ſui anno tertio, ſeu die decima quarta menſis Aprilis anni 1267. eodemque die publicè Conradinum citavit, ut per ſe, vel per procuratorem idoneum, adeſſet apud Sedem Apoſtolicam infra feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſeu diem XXIX Junii; rursùmque in die Aſcenſionis domini, ideſt, die XXVI Maii, ei ingreſſum Italiæ, niſi pacificum ad ſiſtendum ſe judicio Pontificis eidem inhibuit. Hæc conſtant ex poſtrema Clementis Papæ ſententia in Conradinum lata in die Cœnæ Domini anni 1268. de qua mox.

XII. *Angliam pacat operâ Apoſtolici Legati.* Clemens Pontifex ſollicitus de rebus Anglicanis, quas ipſe ſua legatione, ob Simonis Monfortii, ejuſque ſequacium inſolentiam & contumaciam, imperfectas ante Pontificatum reliquerat, ut ſuperius dictum eſt, eodem anno quo Pontificatum ſuſcepit, milleſimo nempe ducenteſimo ſexageſimo quinto, Othobonum de Fliſco Genuenſem, Innocentii Papæ quarti nepotem, tit. S. Hadriani Diaconum Cardinalem, poſtea ſub nomine Hadriani V Papam, qui jam aliàs anno 1254. ſub patruo eadem Anglicana legatione functus fuerat, eò miſit, qui cœpta à ſe conſummaret. Literas legationis datas *Peruſii IV Nonas Maii anno I*, refert Raynaldus. *Eodem anno*, inquit Matthæus Weſtmonaſteri nſis ad annum 1265. *Clemens IV Papa deſtinavit in Angliam per conſilium Cardinalium Ottobonum S. Adriani Cardinalem: qui cum rubeis in Angliam veniens indumentis in Eccleſia Weſtmonaſterienſi* (apud Londoniam) *congregato Concilio, fecit mandata Apoſtolica publicari. Qui ſue legationis fungens officio ſententiam in Regis adverſarios fulminavit.* Vbi obiter obſervandum, hoc tempore, vel omnes Cardinales, vel ſaltem Apoſtolicæ Sedis Legatos veſtimentis purpureis uſos eſſe. Othobonus Legatus longe aliam rerum faciem, quam Clemens reliquerat, invenit; quidam enim Proceres indigne ferentes, Regem, ejuſque fratrem ac filios indignè à Simone Monfortio haberi, ad principium menſis Auguſti ejuſdem anni 1265.

1265. Forsàn antequam Legatus in Angliam perveniſſet, inito acerrimo praelio Simonem Monfortium unà cum Henrico filio ipſius primogenito occiderunt, ceteroſque ferè omnes ejus partis magnates & Duces. Cum autem poſt haec exules non parum negotii Regi faceſſerent, ſtrenuè ſategit Othobonus, ut perfecta concordia confirmaretur; quare rebus nondum pacatis, Henricus Rex anno 1266. celebrans de more Londini feſtum S. Eduardi Regis die quinta Januarii, in prandio Othobonum Legatum in ſedili Regio collocavit, ſingulis ferculis prius appoſitis cum eo. Antea autem Concilium illud Londini celebraverat, ut refert Weſtmonaſterienſis; anno tamen 1266. aliud Concilium coëgit apud Northamptonem, in quo etiam ſententiam excommunicationis tulit in omnes Epiſcopos & Clericos, qui Simoni Monfortio contra Regem praeſtiterant auxilium vel favorem, ut ex Auctoribus Anglicis conſtat, ſolo excepto Pariſii continuatore, qui iſtud Concilium perperam connectit cum anno 1267. Ceterùm Auctor antiquus memorialis Hiſtoriarum apud Spondanum anno 1265. num. 10. ait, Clementem Papam juſſiſſe corpus Simonis Monfortii extrahi de coemeterio in quo à ſuis poſitum fuerat, propter excommunicationem ab illo, dum eſſet Legatus in Anglia latam, & alio loco ſepeliri. SEC. XIII. CLEMENS IV.

XIII. *Alphonſum & Richardum de Imperio contendentes citat.*

Eidem Othobono Legato in Anglia exiſtenti provinciam injunxit Clemens Pontifex, ut Richardo Angliae Regis fratri in Romanorum Regem electo peremptorium diem pro excipienda in Imperii causa, quae ipſum inter & Alphonſum Caſtellae Regem vertebatur, ſententia praefigeret: *Citationem Chariſſimi in Chriſto filii* (inquit Pontifex in literis ad Othobonum Legatum datis *Peruſii. VIII Idus Maii anno II*, hoc eſt anno 1266.) *noſtri Richardi in Romanorum Regem electi cum omni diligentia facias: nam expedit modis omnibus Imperii negotium terminari, cum multi laborent ad Conradinum praeficiendum eidem, qui quantum poſſit eſſe diſcriminis ipſe vides.* Extat haec clauſula apud Raynaldum num. 36. qui & ibidem aſſerit extare in Vallicelano codice MS. literas ejuſdem Pontificis ad Alphonſum Caſtellae Regem datas, quas etiam recitat, quibus admonet tùm Richardo, tùm ipſi diem publico edicto conſtitutam ad Imperii diſceptandam cauſam, diem ſcilicet Epiphaniae anni ſequentis 1267. Richardus Henricum filium ſuum majorem natu inſtrumentis omnibus ad probandam cauſae ſuae aequitatem munitum miſit; Alphonſus verò Rodulpho de Podio Bonizi partes ſuas defendendas demandavit; qui tamen nullis inſtrumentis, ſed nudis tantum verbis illuſtrem eſſe ſuae cauſae juſtitiam contendit: quod gravius tulit Pontifex, atque alium praefixit diem, nempe feſtum omnium Sanctorum ejuſdem anni 1267. ut conſtat ex ejus Epiſtola eo anno data *Viterbii VII Idus Maii* apud Raynaldum num. 22. Cum autem interea Alphonſus Clementem interpellaret, ut omiſſo regni Romanorum diademate, quo ante omnia Aquiſgrani redimiri

SEC. XIII. Clemens IV.

mini mos erat, Imperii ſibi coronam conferret, ac vel Romam ſe venire juberet, vel ipſe in Hiſpaniam trajiceret, Pontifex literis nonis Junii, aliiſque quinto Idus ejuſdem menſis datis, ſignificavit, nec ſe Italiam in magno diſcrimine deſerere poſſe, nec Imperii inſignia illi per ſaltum conferre.

XIV. *Hungariæ Regem monet non rejiciendum Epiſcopatu prætextu vilis originis.*

Cum Bela Hungariæ Rex Timotheum ab Urbano IV Zagebrienſem Epiſcopum creatum in Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem admittere recuſaret, eo prætextu quod vilis eſſet originis, literis XII Kalendas Februarii anno Pontificatûs primo Peruſii datis, hoc eſt anno 1266. redargutus eſt à Clemente Pontifice, egregiè docente, cum omnes homines naturâ æquales ſint, aliquos poſtea ceteris regendis neceſſariò eligi; ac propterea non debere ratione originis contemptui eſſe, cui ob virtutum merita principatus vel præſulatus in alios confertur; nec decere potentem perſequi pauperem, addiliſque precibus ac monitionibus pro eodem Timotheo admittendo, demum minatur, niſi his acquieſcat, inhærendo ſe veſtigiis ejus qui pro Chriſtis ſuis corripuit Reges, cauſam pauperis proſecuturum.

XV. *Pacis leges inter eum & ejus filium initas confirmat.*

Hæc omnino neſciremus niſi detexiſſent Clementis Pontificis Epiſtolæ, cum nihil de iis in Hiſtoriis Hungarorum hactenus editis legatur, ſicut nec quod in aliis ejuſdem Pontificis literis ordine 89. libri 2. Regiſtri ejus, ad Belam Regem & Stephanum ejus filium Viterbii datis decimo Kalendas Julii ejuſdem anni 1266. habetur, Clementem ſcilicet Papam pacem & concordiam inter eumdem Belam Regem & Stephanum ejus filium, poſt diuturna ipſorum diſſidia ſtabilitam, & ab Archiepiſcopo Strigonienſi die nona Martii in inſtrumentum publicum redactam, ad utriuſque Principis preces confirmaſſe: tandemque, ut ſcribunt Chromerus lib. 9. & Longinus lib. 7. donationi à Rege uxori factæ Apoſtolicam auctoritatem adjeciſſe.

XVI. *S. Heduvigem Poloniæ Duciſſam canonizat.*

Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo Clemens Pontifex, inſtructo vitæ ac miraculorum Sanctæ Heduvigis Poloniæ Duciſſæ libello, ſolemni pompa cœlitum numero illam collocavit, datis *Viterbii VII Kalendas Aprilis Pontificatûs anno tertio* ea de re literis Archiepiſcopo Gneſnenſi ejuſque ſuffraganeis, ex quibus conſtat, Heduvigem filiam Bertholdi Ducis Carinthiæ & Meraniæ, Henrico Barbaro Poloniæ Duci nuptam, poſt ſuſceptos ex eo tres mares, totidemque fœminas, pudici viri conſenſu toro disjunctam triginta fere annis continentiam ſervaſſe: viroque defuncto in monaſterio Trebnicenſi Ordinis Ciſtercienſis habitum ſumpſiſſe; atque in virtutum exercitio non paucas ærumnas paſſam prophetico ſpiritu inſigniter à Deo donatam eſſe: tandemque tam in vita, quàm etiam poſt obitum, qui anno 1243. contigit, illuſtratam miraculis, à Clemente in Sanctorum numerum relatam, aſſignata ejus feſtivitati à Polonis celebrandæ die decima quinta Octobris.

Digitized by Google

bris, qua migravit in cœlum; quam deinde Innocentius Papa undecimus, ut in tota Eccleſia fieret die decima ſeptima ejusdem menſis, ampliavit. Hujus ſanctæ viduæ vitam repræſentat Surius ad diem XV Octobris; de ejus etiam rebus præclarè geſtis legendus Chromerus lib. 7.

XVII. *Carolum Regem Paciarium, ſeu pacis ſervatorem creat.*

Cum Conradinus florentiſſimo ſuccinctus equitatu, ac Duce Bavariæ & Comite Tirolenſi ſtipatus, Italiam eodem anno 1267. ingreſſus eſſet, Pontifex Carolum Siciliæ Regem, novo auxit honoris titulo, eumque dum vacaret Imperium, *Paciarium*, ſeu *pacis ſervatorem in Tuſcia partibus Romano ſubjectis Imperio* creavit, ut conſtat ex eiusdem Pontificis literis ad Guelphos, quorum præcipui erant Florentini, datis *Viterbii IV Idus Aprilis anno III*, ſeu anno 1267. apud Raynaldum num. 5. Cumque Carolus ipſe Viterbium ad Pontificem ſe contuliſſet, ſacramento ſolemni pactus eſt, evoluto triennio Hetruriæ adminiſtratione abiturum, & ſi nondum eo elapſo diremta eſſet Imperii controverſia, novo Regi Romanorum à Sede Apoſtolica confirmato, omnes Tuſciæ arces à ſe reſtitutum iri; & ſi dictis non ſtaret, anathematis & interdicti pœnas in ſe ſuſcepit. De quibus omnibus aurea bulla à Carolo edita eſt, cujus partem recitat idem Raynaldus num. 6. & ſeqq. quæ data dicitur *Viterbii II Nonas Junii, X Indictionis, regni* Caroli *anno II per manum Roberti de Baro regni Siciliæ protonotarii.* Pendebat, addit Raynaldus, ex filis ſericeis rubri & crocei coloris bulla aurea ſatis levis, habens ex altera ſui parte imaginem Regis ſedentis in ſolio, ab altera lilia Franciæ. Eamdem poſtea dignitatem Carolo confirmavit Clemens anno ſequenti 1268. Epiſtolis 375. & 476. libri 2. quas citat Raynaldus eo anno num. 2. Spondanus verò ad eumdem annum num. 6. citat Epiſtolam ad Carolum à Pontifice ſcriptam *Viterbii XV Kalend. Maii* datam, qua eum non amplius *Paciarium*, ſed *Vicarium* in partibus Tuſciæ conſtituit, quam Vicarii dignitatem negaverat Pontifex ſe Carolo contuliſſe anno 1267. literis XVII Kalend. Julii datis, ut legitur apud eumdem Spondanum eo anno num. 4.

XVIII. *Senatoriam Urbis dignitatem in decennium ei confirmat.*

Sed quidquid hac de re ſit, in eo deceptus eſt Spondanus, quod ſcripſit, dignitatem Vicarii, & Senatoriam Urbis dignitatem à Clemente Papa Carolo Regi collatam poſt victoriam, quam de Conradino anno 1268 retulit; cum enim ipſemet fateatur victoriam illam relatam eſſe die vigeſima tertia Auguſti, & utramque dignitatem Carolo collatam dicat menſe Aprili, non poſt victoriam, ſed antea, duplici illo honore cohoneſtatus eſt Carolus, qui cum ex eo tempore quo Siciliam obtinuerat, ſacramento ſolemni ſe obſtrinxiſſet, ſe dignitatem Senatoriam non amplius affectaturum, Henricus Hiſpaniæ Regis frater Urbis Senator conſtitutus fuerat. Sed cum hic per nefariam in ſedem Apoſtolicam proditionem ſe ea dignitate indignum præbuiſſet, vexillum Conradini in Urbe erigendo, ac præcipuos cives Pontificis amicos, & Cardi-

 nalium

Digitized by Google

SEC. XIII. CLEMENS IV.

nalium fratres ac nepotes carceri mancipaſſet, aliaque nefanda perpetraſſet, à Pontifice cenſuris perculſus eſt; & Carolo juramenti relaxatione, quo ſe obligaverat ſe non amplius Senatoriam dignitatem affectaturum, ſoluto, eamdem dignitatem Senatoriam confirmavit Clemens Pontifex in decennium, eaque de re literas *Joanni Annibaldo Proconſuli Romanorum* dedit *Viterbii V Nonas Maii anno IV*, quas recitat Raynaldus anno 1268. num. 27. Sed Carolus eo magiſtratu potiri non potuit, niſi poſt Henricum & Conradinum prælio victos, de quo hîc paucis dicendum.

XIX. *In Conradinum ſententiam fert.*

Cùm Conradinus neglectis Clementis Pontificis cenſuris & comminationibus, Veronâ Papiam conceſſiſſet, atque nonnullas terras Imperii, & eorum qui in Lombardia ab Eccleſia ſtarent, aggredi cœpiſſet, idem Pontifex nihil amplius cunctandum ratus, in die Cœnæ Domini, hoc eſt die quinta Aprilis, Pontificatûs anno quarto, ſeu anno 1268. Viterbii ſententiam in eum promulgavit, qua illum rurſum excommunicavit, omnique jure regni Jeroſolymitani privatum denunciavit; & niſi infrà menſem mandatis Eccleſiæ atque Pontificis ſeſe ſubjiceret, declaravit in perpetuum ineligibilem & prorſus inhabilem ad regnum quodlibet, ſeu Imperium obtinendum: feudis omnibus ac juribus quibuſcumque, quæ à quibuslibet teneret Eccleſiis privavit: omnes & ſingulos, qui ei quomodocumque faverent, excommunicationi, & ſingula loca interdicto ſubjecit. Eam ſententiam recitat Ralnaldus anno 1268. num. 21. & ſeqq. quæ his verbis clauditur: *Actum in palatio noſtro Viterbienſi in die Cœnæ Domini Pontificatûs noſtri anno IV.* Cumque his nihil motus ferox adoleſcens, Liguriæ littora petens, Piſas claſſe Piſanorum adveniſſet, idem Pontifex in die Aſcenſionis Domini eamdem ſententiam confirmavit.

XX. *Conradini exterminium prædicit.*

Poſt hæc Conradinus confluentibus undique ad eum Gibellinorum auxiliis, eodem quo Imperator ubique honore ſuſceptus, Senas proceſſit, ubi diebus aliquot commoratus, Romam ut Henrico Senatori copias jungeret, perrexit, & ſuperbia elatus, in conſpectu Viterbii, ubi Clemens verſabatur, ut ei inſultaret, explicare acies non perhorruit. Offudit ſe ſe illicò plurimorum oculis, animiſque terror, qui ad Clementem procurrêre; ſed, ut Sanctus Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 1. §. 9. ſcribit, *Papa vir ſanctus orationibus & jejuniis deditus, conſtans & intrepidus,* ait. *Non oportet timere, quia omnis conatus ejus ut fumus evaneſcet; quod & ſecutum eſt.* Addunt alii Clementem è mœnibus Conradinum in armis ſe magnificè oſtentantem vidiſſe, &, ſeu prudenti animi conjecturâ, ſeu potius, ut communis fuit plerorumque opinio, divina revelatione ac ſpiritu prophetico, prædixiſſe eum *tanquam victimam ad exterminium cædemque deduci*; quam in rem Jordanus MS. in Bibliotheca Vaticana apud Raynaldum num. 20. *Hic de palatio ſuo*, inquit, *ubi erat Viter-*

Digitized by Google

Viterbii videns tranſeuntem Conradini militiam, quaſi prophetando ait dolendum ſuper tali puero, qui taliter ſeductus ducetur ad victimam. Romam inde progreſſus Conradinus, ab Henrico Senatorem agente, atque à Romanis, pompâ Imperatoribus introducendis adhiberi ſolitâ exceptus eſt, & multis ſacris ædibus ſpoliatis in Apuliam prodiit. Verùm infauſto admodum eventu, ut ſanctus prudensque Pontifex prædixerat.

SEC. XIII. CLEMENS IV.

XXI. *Divinitus certior fit de victoria à Carolo de Conradino relata.*

Siquidem cum ad Fucinum locum Marſorum regionis ventum eſſet, obvio Rege Carolo, prælium inter eos initum eſt acerrimum ac difficillimum die Jovis vigeſimo tertio Auguſti, ut ex literis poſt victoriam à Carolo Rege ad Clementem ſcriptis, quæ extant in ejus Regiſtro, conſtat. Quoquidem prælio Carolus longe militum numero inferior, clariſſimam conſecutus eſt victoriam, magna hoſtium ſtrage, ac fuga Conradini, Friderici Auſtriaci, Henrici Hiſpani, aliorumque plurimorum è præcipua nobilitate. Cumque Conradinus & Fridericus agaſonum, five calonum habitu per aliquot dies per ſaltus, ſilvaſque oberraſſent, demum apud Aſturam oppidum Frangipanûm nobilium Romanorum, capti ſunt & ad Carolum deducti, qui eos in cuſtodia anno integro habuit, tandemque anno 1269. die vigeſima ſexta Octobris publicè Neapoli ſecuri percuti juſſit. Quæ omnia plures hujus temporis ſcriptores referunt. Tantam victoriam divina ope partam ab omnibus creditum eſt, eamque Clementem Papam cœlitus accepiſſe, ſcribit Joannes Villanius lib. 7. cap. 28. dum enim Viterbii ad populum concionabatur, quaſi in divinam extaſim abreptus, aliquandiu hæſit, tum inclamare cœpit: *Procurrite: capite hoſtes Eccleſiæ, qui fuſi ac fugati ſunt.* Cum autem concionem haberet Pontifex die XXIV Auguſti, poſtero ſcilicet mane poſt victoriam, quæ obtenta erat ſub finem diei præcedentis, & locorum diſtantia amplius centum millium paſſuum nullo modo pateretur, ut humana via rem ſcire poſſet, ab omnibus qui in aula Pontificia erant creditum eſt, Pontificem divino lumine illuſtratum hæc dixiſſe; quod & ipſemet Pariſii Continuator etſi livore in Romanos Pontifices imbutus aliquo modo fatetur his verbis ad annum 1269. *Iſte Papa ita vigiliis, jejuniis & orationibus, & aliis bonis operibus erat intentus, quod multas tribulationes, quas tunc ſuſtinebat Eccleſia, Deus ſuis meritis creditur extinxiſſe. Quin etiam cum multi factum Regis Caroli pro deſperato haberent, tum propter multitudinem exercitûs Conradini, tum propter totius pene regni Siciliæ rebellionem, in publico ſermone rei eventum prædixit.* Quæ verba vel ad ſuperiorem prædictionem de exterminio Conradini, vel ad nuncium de obtenta à Carolo victoria cœlitus ei cum ſermonem haberet ad populum, ſignificatum, referri poſſunt. Sed ad quodcumque referantur, inſigne nobis de Clementis ſanctitate teſtimonium præbent.

Digitized by Google

SEC. XIII. CLEMENS IV.

XXII. *Conradum Antiochenum à pœna capitis liberat.*

In Annalibus Suevicis parte 3. lib. 2. legitur, Fridericum II Imperatorem plures utriuſque ſexûs liberos ex diverſis conjugibus & concubinis habuiſſe, & inter ſpurios nominatur Fridericus Princeps Antiochiæ Syriæ, ſuſceptus, ut volunt, ex furtivo concubitu cum ſorore Principis Antiochiæ, dum in Syria eſſet, cujus Friderici fuit filius *Conradus de Antiochia* dictus, qui, ut traditur in continuatione Belli ſacri lib. 4. cap. 16. audita expeditione patruelis ſui Conradini, ſive ab illo vocatus in auxilium, navigavit in Siciliam, quam quidem ferè totam in ſuas partes traxiſſe ex Nangio in Vita Sancti Ludovici, & ex Fazello lib. 2. decad. 8. cap. 4. intelligitur. Sed miſſos à Carolo Rege ſtrenuos duces, tum regnum recuperaſſe, tum ipſum etiam Conradum cepiſſe: quem primò oculis privatum, ultimò vitam ſuſpendio finiiſſe tradunt. Verùm Conradum iſtum Antiochiæ Principem jam antehàc in Italia fuiſſe tempore Manfredi, & rurſum quoque unà cum Conradino in prælio ſtetiſſe contra Carolum, captumque à pœna capitis liberatum eſſe precibus Clementis Pontificis; quin imò & quaſdam terras in regno Caroli, ac præſertim caſtrum Seraceniscum retinere permiſſum eſſe; donec Siculorum rebellioni adhærens, à Martino quarto Pontifice ſæpius citatus, nec comparens excommunicatus eſt ac terris ſuis privatus; conſtare ſcribit Spondanus ad annum 1268. num. 5. ex multiplicibus proceſſibus ea de re confectis, & ſententiis contra eum latis, quæ reperiuntur in Formulario Marini Ebuli ſæpius à nobis laudato. Poſt quæ demum ſic peracta, ſubdit Spondanus, potuit contigiſſe quod prædicti Auctores dicunt de ejuſdem Conradi nece.

XXIII. *Liberatur à calumnia de morte Conradini.*

Clementis Papæ preces ad liberandum à pœna capitis Conradum Antiochenum non obſcurè indicant, quantum hic ſanctus Pontifex à morte alicui procuranda averſus fuerit; & ex eo deſtruitur commentum quorundam recentiorum Germanorum, eumdem ſcilicet Clementem Carolo auctorem necis Conradini extitiſſe famoſo illo dicto, *Vita Conradini mors Caroli, Mors Conradini vita Caroli*; quod etiam facilius refellitur ex eo quod certiſſimè conſtet, Clementem eodem anno 1268. menſe Novembri exeunte obiiſſe, totis fermè undecim menſibus antequam Carolus judicium ferret de nece Conradini, quæ contigit tantum ſeptimo Kalendas Novembris anni ſequentis milleſimi ducenteſimi ſexageſimi noni, ut pluribus oſtendit Spondanus ad eum annum num. 7. & ſeq. qui & anno 1268. num. 13. addit, quod ſi ſupplicium Conradini præceſſiſſet Clementis mortem, haberi tamen Auctores iis temporibus proximos, inter quos citat Joannem Villanium, qui anno 1348. Annales ſuos terminavit, aſſerentem, Pontificem & Cardinales necem Conradini ægrè admodum paſſos eſſe, Carolumque de ea acriter reprehendiſſe. Quod idem habet Ricordanus cap. 193. Plura hac de re Spondanus laudatus.

Cete-

XXIV. *Clementis PP. obitus & ſepultura locus.*

Ceterùm Clementis Papæ mortem hoc eodem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo luxiſſe Eccleſiam, omnes ferme Auctores conſentiunt, & quidem menſe Novembri exeunte, cujus diem vigeſimum nonum nonnulli morti ejus aſſignant. Sanctus enim hic Pontifex morbo ſenioque confectus, Eccleſia Dei, quantum per turbas ſui temporis licuit, optimè adminiſtratâ, plenus gloria & onuſtus bonis operibus Viterbii migravit in Cœlum, poſt tres ſedis annos, menſes novem & dies aliquot: *Clemens Papa IV*, inquit Bernardus Guido in Chron. Pontif. Rom. *vir totius prudentiæ præ cunctis generoſis hominibus obiit Viterbii in vigilia B. Andreæ Apoſtoli, cum pace Eccleſiæ conceſſa ex illo latere* (loquitur de Conradino profligato); *ſuitque ſepultus in Eccleſia Fratrum Prædicatorum in Viterbio anno domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo.* Sanctus autem Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 1. §. 11. nos docet corpus Clementis ex Eccleſia Prædicatorum fuiſſe deinde tranſlatum ad Eccleſiam cathedralem; ac poſtmodum Prædicatoribus reſtitutum à ſucceſſore: *Sepultus eſt autem*, inquit, *glorioſus Pontifex Viterbii, ubi tunc curia reſidebat, in Eccleſia fratrum Prædicatorum, ubi ipſemet ſibi elegerat ſepulturam: ſed de facto translatum ad Eccleſiam cathedralem ad voluntatem quorundam. Poſtmodum dictante juſtitia per ſucceſſorem Pontificem reſtitutum eſt corpus fratribus ipſis, & ante capellam majorem de latere honorifice, ut patet, collocatum.* Hanc reſtitutionem factam Prædicatoribus, jubente Innocentio V ex eodem ordine, rectè ſcripſit Spondanus, nam Ptolomæus Lucenſis lib. 23. cap. 19. de Innocentio V ait: *Præcidit quæſtionem quam habebat Eccleſia major Viterbienſis cum fratribus Prædicatoribus ſuper corpore Clementis IV: quia mandavit dictum corpus dictis fratribus reſtitui, cum inveniatur apud ipſos elegiſſe legitime ſepulturam.* Clementem IV neminem inter Cardinales admiſiſſe ſcribunt Panuinius & Ciaconius, in Additionibus tamen ad Ciaconium Ferdinandus Ughellus, unum reperit, nempe Bernardum Aiglerium, natione Gallum, cœnobii Saviniacenſis in diœceſi Lugdunenſi ſiti Abbatem, poſtmodum Lirinenſem, ac tandem Caſſinenſem Abbatem.

XXV. *Ejus virtutes.*

Graviſſimorum virorum teſtimoniis Clementis virtus celebrata eſt. Martinus Polonus, qui Chronicon ſuum in ejus Pontificatu terminat, *ſic jejuniis*, inquit, *vigiliis & orationibus, ac aliis bonis operibus intentus fuit, quòd multas quas tunc Eccleſia ſuſtinebat tribulationes, Deus ſuis meritis creditur extinxiſſe.* Quod idem legitur non ſolum in Continuatore Pariſii ſuperius laudato, ſed & in Chronico Guillelmi Nangii ad annum 1264. Ptolomæus Lucenſis Torcellenſis Epiſcopus in Annal. ad annum 1165. de eo ſcribit: *Hic quanto plus crevit in dignitate, tanto plus floruit in ſanctitate.* In Hiſtoria verò Eccleſiaſtica lib. 22. cap. 28. ejus elogium ex veteri Hiſtorico ita deſcribit: *Generalis Clericus fuit, videlicet Juriſta ſummus, prædicator egregius, cantor pulcherrimus ſine pari:*

car-

Digitized by Google

SEC. XIII. CLEMENS IV. *carnes diu non comedit, aſperrimo lecto eſt uſus, nec veſtibus lineis ad carnem utebatur, & ſic ſanctiſſimam vitam duxit: nec invenitur exaltaſſe parentes Deo dicatus.* Jordanus in Vaticana Bibliotheca MS. *fuit vir benignus*, ait, *Generaliter habitus, cantor delicatus, in concionando non habens ſocium, ſibi auſterus, ceteris pius.* Tandem S. Antoninus loco laudato Clementem prædicat, ut *valde* felicem *ſecundum Deum, quia valde bonus, & ſecundum ſeculum, quia prudens & expertus in regimine & negotiis ſeculi & in maxima dignitate.* Clementis porrò modeſtia inde ſpeciatim laudatur, quod nihil grave toto Pontificatu, inconſulto Cardinalium Collegio, fecerit, aut aggreſſus fuerit.

XXVI. *Ejus ſcripta.* Plures extant Clementis Epiſtolæ apud Wadingum in Annalibus Minorum Tomo 2. in Regiſtro Pontificio, apud Bzovium, & Raynaldum, & tres Tomo XI Concil. pag 830. Illius ſcripta inedita recenſet Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia, ſcilicet *quæſtiones Juris.* Item *de recipiendarum cauſarum ratione* librum 1. *Vitam Sanctæ Heduvigis Poloniæ Duciſſæ*, quam ex dictis in ſanctarum numerum retulit. *Adverſus Guillelmum de Sancto Amore* Mendicantium Religioſorum hoſtem infenſiſſimum Epiſtolam Viterbii datam 15. Novembris anni 1266. Utrum *propoſitiones in Metaphyſicam Clementis Papæ* ſint iſtius Clementis vel alterius, dicit ſe ignorare Ludovicus Jacob laudatus, qui addit, extare ejus *Epiſtolarum volumen*, cujus quinque exemplaria MSS. in Vaticano aſſervantur, & alibi; ſed *Sermonem contra Ludovicum Bavarum*, quem Clementi IV adſcribit, eſſe fœtum Clementis VI animadvertit Labbeus in Diſſert. de Script. Eccleſiaſt. in Clemente IV, ubi etiam obſervavit, deceptos eſſe Bellarminum & Miræum, qui Clementi etiam IV attribuerunt commentaria in Jus utrumque Pontificium, puta *Deciſiones*, *Lecturam auream ſuper Decretales*, *Tractatum de appellationibus*, *Commentaria in Pandectas & Conſiliorum volumina III*; iſta enim omnia debentur *Guidoni* cognomento *Papæ* Conſuli & poſtea Conſiliario Parlamenti Delphinatus, qui claruit ab anno 1427. ad 1483. Claudius Clemens Societatis Ieſu Clementis Papæ IV Vitam Lugduni anno 1624. impreſſam conſcripſit.

XXVII. *Ad nomen Ieſu & Mariæ indulgentia à Clemente data.* Sed, ut quæ Clementem IV ſpectant, abſolvamus, hic non prætermittendum, ipſum ad petitionem Sancti Ludovici Francorum Regis conceſſiſſe trium annorum indulgentiam omnibus legentibus toties quoties hæc verba: *Benedictum ſit dulce nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris ejus in æternum & ultra. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen.* Ita legitur apud Wernerum Rollevink in Faſciculo Temporum in Clemente IV.

GRE-

Digitized by Google

GREGORIUS X *Pontif. CLXXXIV.*

Anno Domini MCCLXXI.

I. *Cardinales diſſident in electione novi Pontificis.*

CArdinales numero decem & ſeptem, qui Viterbii, ubi mortuus & ſepultus eſt Clemens IV, in Curia Romana præſentes erant, in creatione futuri Pontificis diſſentire cœperunt, electioque adeo diſcordiis agitata eſt, ut prope in triennium protracta fuerit, à die ſcilicet XXIX menſis Novembris anni 1268. quo obiit Clemens IV, ad diem primum menſis Septembris anni 1271. quo electus eſt Gregorius X ejus ſucceſſor. Sæpius ſiquidem congregati, negotium conficere nulla ratione valuêre, dum unuſquiſque ipſorum ad Pontificatum aſpirans, nemini cedere vellet. Eo enim tempore, nequaquam, ut nunc conſuetudo eſt, Cardinales in conclavi recludebantur; ſed ſummo mane ſingulis diebus, ſi Romæ erant, Laterani, vel in Baſilica S. Petri, vel alibi, prout occaſio ſe ſe offerebat: ſin autem extra Urbem, in Eccleſia Cathedrali illius civitatis, in qua tunc commorabantur, unà conveniebant, perinde ac noſtro tempore faciunt, cum Congregationem ſunt habituri, de Romani Pontificis electione tractantes. Ita rectè Onuphrius Panuinius in Adnotatione ad Vitam Gregorii X à Platina ſcriptam.

II. *Raynerius Gattus primus conclavis cuſtos.*

Sed virum doctiſſimum latuit, Raynerium Gatto pro Præfecto Viterbienſi ſe gerentem, & Albertum de Montebono, qui Magiſtratum in eadem civitate gerebat, incluſiſſe Cardinales in conclavi, ne inter ſe diſcordes novi Pontificis electionem, cum maximo totius Reipublicæ Chriſtianæ damno in longum magis protraherent. Id conſtat ex diplomate à Cardinalibus in conclavi incluſis emiſſo, quo petebant, Henricum Cardinalem Oſtienſem infirmitate gravatum inde extrahi. Illud ex Tabulario Viterbienſi edidit Auguſtinus Oldoinus in nova Additione ad Ciaconium, quod quia breve hic tranſcribere abs re non erit: *Nos miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, infirmitati venerabilis fratris noſtri N.* (Henrici) *Oſtienſis & Velletren. Epiſcopi, fraterno compatientes affectu, Vobis Alberto de Montebono poteſtati, & Raynerio Gatto, qui pro capitaneo Viterbienſi te geris, & Communi Viterbien. tenore præſentium, ſub debito fidelitatis, quo nobis & Eccleſiæ Romanæ tenemini, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Epiſcopus juri, & voto ſibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciaverit coram nobis quantum ad præſentem vacationem duntaxat, volens ut nonobſtante ejus abſentia ſine ipſo hac vice libere procedamus ad providendum Romanæ Eccleſiæ de Paſtore, ratam habiturus & gratam electionem, ſeu proviſionem, quam de Romano Ponti-*

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS X. *ſicc abſque ipſo, & ejus requiſitione duxerimus faciendam, ac inſtanter petierit Vobis mandari, ut de palatio, in quo ſumus incluſi, ipſum permitteretis exire, eumdem Epiſcopum de ipſo palatio ſtatim egredi liberè permittatis, nec ipſum de cetero aliquatenus detineatis invitum. Datum Viterbii in palatio diſcooperto Epiſcopatûs Viterbienſis VI Idus Junii anno Domini* 1270. *Apoſtolica ſede vacante.* Sigilla decem & ſeptem appenſa in diplomate videntur: & totidem in conclavi fuiſſe Cardinales Panuinius, Ciaconius & alii docent.

III. *Cardinalium in conclavi numerus.* Auguſtinus Oldoinus putat ſigillum Henrici Oſtienſis huic diplomati non fuiſſe appoſitum, eò quòd graviter ægrotaret, ideoque dicendum, decem & octo Cardinales interfuiſſe comitiis illis, videlicet decem & ſeptem, quos recenſet Ciaconius, & unum, quem prætermiſit, ſcilicet Bernardum Aiglerium Abbatem Caſſinenſem à Clemente IV Cardinalem creatum, qui ad annum uſque 1281. ſupervixit. Verum præterquam quod infirmitas Henrici non poterat impedire, quin ejus ſigillum diplomati apponeretur, nullibi reperitur hunc Bernardum Aiglerium his comitiis interfuiſſe, ſicuti nec Rodulphum, qui ex Epiſcopo Ebroicenſi ab Urbano IV renunciatus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis tunc Legati Apoſtolici munus agebat in Tranſmarina expeditione ſancti Ludovici Francorum Regis, ut conſtat ex literis Cardinalium ad eum datis *Viterbii Idibus Maii anno domini MCCLXX Apoſt. ſede vacante* apud Raynaldum eo anno num. 3. & ſeqq. Unde quindecim tantum Cardinales per viam compromiſſi in ſex Cardinales facti elegerunt anno 1271. Thealdum Leodienſem Archidiaconum, ſeu Gregorium X, ſcilicet Otho de Caſtro Rodulphi Epiſcopus Tuſculanus, ſex Presbyteri, & octo Diaconi Cardinales, quibus ſi addas Henricum Oſtienſem Epiſcopum, qui ob infirmitatem è conclavi exiit; & Joannem de Toleto, qui etiam è conclavi exiit, fit numerus decem & ſeptem Cardinalium, quos recenſent Panuinius, Ciaconius & alii.

IV. *An Ioannes Portuenſis Epiſcopus ei adfuerit?* Ceterum Joannem de Toleto Epiſcopum Portuenſem è conclavi exiiſſe cum Henrico Oſtienſi Epiſcopo, vel poſtea antequam fieret compromiſſum, ex eo patet quod nomen ejus in dicto compromiſſo non apparet. Huic Cardinali lepidum illud pronunciatum tribuit Panuinius, quod cum videret Cardinalium pertinaciam, iis in comitiis exiſtentibus, & Spiritum ſanctum invocantibus, publicè dixit: *Diſcooperiamus tectum cameræ hujus, quia Spiritus ſanctus nequit ad nos per tot tecta ingredi*, quod licet fabuloſum & commentitium reputetur ab Odorico Raynaldo, palatium tamen fuiſſe reipſa tecto nudatum rectè obſervavit. Auguſtinus Oldoinus ex diplomate Cardinalium mox relato, in quo legitur: *Datum Viterbii in palatio diſcooperto Epiſcopatûs Viterbienſis.* Idem Joannes Portuenſis Epiſcopus cum Papam Gregorium renunciatum audiit, hos verſus fertur edidiſſe:

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Ex quibus corruit quod ſcribit idem Oldoinus ex Ferdinandi Ughelli Italia ſacra apud Ciaconium in Vita Joannis de Toleto Cardinalis Epiſcopi Portuenſis, hunc nempe in conclavi exiſtentem Theobaldi Archidiaconi Leodienſis, tum in Oriente agentis virtutes tot laudibus extuliſſe, ut eadem die ab omnibus electus & acclamatus fuerit Pontifex, cùm tunc ſaltem Joannes de Toleto eſſet extra conclave, ut enim, jam dixi, ejus nomen non apparet in Compromiſſo, de quo mox.

V. *B. Philippus Benitius Pontificatum declinat.*

Antequam Cardinales ad electionem procederent, B. Philippum Benitium Florentinum, Ordinis Servorum B. Mariæ Generalem, Viterbii exiſtentem è quibuſdam pro Pontifice fuiſſe propoſitum, ob inſignem miraculorum famam, ipſum verò re cognita, inde ex ingenti humilitate recedentem apud Montem Tuniatum delituiſſe, ut Pontificatum declinaret, quo uſque facta eſſet alterius electio, ſcribunt Abrahamus Bzovius ad annum 1285. num. 18. ex vita ejuſdem Philippi ſcripta ab Archangelo Gianio ejuſdem Ordinis, Spondanus ad annum 1271. num. 5. & Raynaldus ad annum 1285. num. 81. ex Philippo Ferrario ejuſdem Ordinis in Catalogo Sanctorum Italiæ die 23 Auguſti ex Actis MS. Hi duo Auctores nempe Ferrarius & Gianius ſeculi decimi ſeptimi initio vixêre, & Gianius qui ejuſdem Ordinis Annales vulgavit anno 1618. lib. 3. cap. 15. pag. 35. col. 1. id conſtare dicit ex perantiqua Scriptorum traditione, ex vetuſtis ejus imaginibus Pontificiam tiaram ad pedes habentibus, & ex uſu illorum temporum, quando in hujuſmodi vacatione Cardinalibus diſſidentibus, alii etiam non Cardinales, Regulares & Eremitæ in Pontifices eligebantur. Sed cum nullum antiquum Scriptorem hanc in rem citet, quam infirmum ſit hoc probationis genus nemo eſt qui non videat. Cum tamen in Annotationibus ad caput illud 15. dicatur, Archangelum Giani hæc excerpſiſſe ex lib. 2. Hiſtoriæ B. Philippi à cap. 4. uſque ad 6. & omnia fere perſtringi in Bulla Pauli V. de ejus lectionibus & officio, huic narrationi fidem omnem denegare nolo.

VI. *Gregorius X eligitur.*

Cardinales tandem, qui jam tribus fermè annis inter ſe diſſentientes fuerant, ſive timore Dei, ſive pudore ſui, ſeu Principum, aliorumque omnis generis hominum continuis hortationibus, precibus, querelis, forte & minis commoniti, ſeu, ut quidam aiunt, diminutione alimentorum coacti, per viam compromiſſi in ſex Cardinales facti, ſuadente maximè ſancto Bonaventura Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ut ſcribunt Onuphrius Panuinius loco laudato, Ciaconius & Severinus Binius in Gregorio X, Kalendis Septembris anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi primi, in Pontificem maximum renunciarunt Thealdum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodienſem,

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS X.

virum ſanctum & religioſum extra collegium Cardinalium, & abſentem, tuncque in obſequio Chriſti trans mare in Syria apud Ptolemaidem commorantem cum Eduardo primogenito Regis Anglorum, ubi expectabat tempus opportunum, ut Jeroſolymam cum ceteris peregrinis proficiſceretur. Compromiſſum, quo ſex Cardinalibus Kalendis Septembris facta eſt poteſtas anno 1271. Pontificis eligendi, ipſamque electionem eodem die ab iis factam, primus edidit Lucas Wadingus, Annalium Minorum Auctor eruditus atque diligens, ex Vaticano codice MS. Formularum Marini Ebulenſis, Auctoris coævi, Galli hominis, qui ex Theſaurario Saresberienſi in Anglia, & Eccleſiæ Romanæ Vicecancellario factus eſt demum à Clemente IV Archiepiſcopus Capuanus. Poſt Wadingum ea etiam Acta edidit Odoricus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis.

VII. *Ejus genus & primordia.*

Thealdum, vel Tealdum, ſeu, ut alii ſcribunt, Theobaldum fuiſſe è Vicecomitum Placentinorum familia omnes conſentiunt, & Petrus Maria Campius, Canonicus Placentinus, qui Vitas Sanctorum Placentinorum ineunte ſeculo decimo ſeptimo ſcripſit, in ejus Vita teſtatur, in antiquæ illius Hiſtoriæ exordio hæc de Tealdo legi: *Fuit adoleſcens Tedaldus nomine, Placentinus natione, nobilis quidem genere, ſed moribus nobilior. Hic quam ex Vicecomitibus Placentinis originem traxerat, vita munditia & venuſtis moribus decorare dignoſcitur. Hic quem virum eſſet producturus impoſterum, in primævo ſuæ juventutis flore monſtravit, quia extunc ita virtutis inſigne in eo retinuit, ut morum norma, & ſpeculum exiſteret quamplurimis honeſtatis.* Jacobus Philippus Bergomas, qui obiit anno 1518. in Supplemento Chronicorum, & Onuphrius Panuinius cenſuerunt, Vicecomites Placentinos & Mediolanenſes eſſe ab una ſtirpe; ſed ſigna gentilitia diſſimilia, diſcrimen inter utramque familiam faciunt. Ricordanus Maleſpina Hiſtoriæ Florentinæ cap. 196. & Joannes Villanius lib. 7. cap. 4. Tealdum Cardinalem faciunt, & in Syria Sedis Apoſtolicæ Legatum; & S. Antoninus part. 3. tit. 2. cap. 2. eum Placentinum Epiſcopum fuiſſe aſſerit. Verùm illi omnes refelluntur ex Actis ejus electionis laudatis, in quibus dicitur tantum Archidiaconus Leodienſis.

VIII. *E Syria Viterbium pergit.*

Decreta eſt ſtatim à ſacro Cardinalium collegio ad renunciatum Pontificem, qua functi ſunt nonnulli Religioſi Prædicatores & Minores, ut ait Continuator Pariſii, electionis tabellas deferentes, quibus nunciatum ei voluerunt, delatum ſibi Pontificatum, & rogatum, ut quantocyus Viterbium accederet. Legatos & Cardinalium literas accepit Thealdus Ptolemaide, ubi decreto electionis admiſſo, menſe Novembri è Syria navigio receſſit, dumque receſſurus concionem haberet ad populum, ingentium auxiliorum ſpe, ad retundendos Saracenorum impetus, Syros confirmavit, illudque Davidicum ex Pſalmo 136. inter alia, teſte Sanuto

Sanuto lib. 3. part. 12. cap. 11. & aliis, magno zelo conteſtatus eſt: *Si oblitus tui fuero Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ.* Brunduſium pervenit Kalendis Januarii anni 1272. Carolo Siciliæ Rege comitante, Beneventum, deinde per Capuam, Marſos & Sabinos iter faciens, demum Viterbium pervenit, quarto Idus Februarii, ut legitur in Ptolomæo Lucenſi. Certe Thealdum non annuiſſe precibus Romanorum Legatorum, qui petebant, ut recto tramite Romam properaret, ſed prius Viterbium proceſſiſſe, ipſemet aſſerit in literis datis *Laterani II Kal. Aprilis* ad Eduardum primogenitum Regis Anglorum in Syria exiſtentem apud Raynaldum anno 1272. num. 2.

IX. *Ibidem laborat pro ſubſidio Terræ ſanctæ & Gregorii X nomen ſumit.*

Dum Viterbii adhuc exiſteret ad Philippum Francorum Regem literas dedit *Viterbii IV Nonas Martii ſuſcepti à nobis Apoſtolatûs officii anno I,* ex quibus conſtat eum, antequam Romam pergeret, ut conſecraretur, miſiſſe ad Philippum Regem, Archiepiſcopum Corinthium, qui validiora Terræ ſanctæ ſubſidia ferre ſuaderet, à quo viginti quinque millium marcharum argenti ad id operis accepit, ut etiam ex aliis ad Carolum Siciliæ Regem de eodem negotio ſcriptis, per Patriarcham Jeroſolymitanum hortatoriis literis intelligitur. Quales & ad Venetos, Januenſes, & alios dedit; ipſeque exemplum ceteris præbens, ære Eccleſiaſtico quingentos conſcripſit milites, ac multos pedites, treſque triremes a Venetis conduxit iis transmittendis. Hæc omnia egiſſe Pontificem antequam conſecraretur, diſerte exprimit ipſe in titulo literarum ad Philippum, *Gregorius electus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, &c. Ex quo & patet, eum ante conſecrationem Gregorii nomen ſumpſiſſe, licet in bullando literas, Gregorii nomen reticuerit. Epiſtolam enim ſic claudit: *Nec mireris quod bulla non exprimens noſtrum nomen eſt appenſa præſentibus, quæ ante conſecrationis & benedictionis noſtræ ſolemnia transmittuntur: quia ſemper ii, qui fuerunt in Romanos electi Pontifices, conſueverunt in bullandis literis ante ſua conſecrationis munus modum hujuſmodi obſervare*; unde non dicit Epiſtolam datam anno Pontificatûs primo, ſed *ſuſcepti à nobis Apoſtolatûs officii anno I.* Qua de re vide dicta in Urbano IV num V. Denique aliis literis ad diverſos ſcriptis, & datis Viterbii quarto & tertio Nonas Martias, anathemate prohibuit, ne arma, ligna, naves, ac reliqua belli adjumenta Saracenis divenderentur, nec ullus quocumque modo eis favor impenderetur: & qui in id peccarent, Eccleſiaſtica præterea ſepultura indignos pronunciavit. Joannes Palatius ſine teſte aſſerit, Thealdum Gregorii nomen ſumſiſſe, in memoriam primi & noni Gregorii. *Primi quia ejus feſto die primùm Cardinales ad ſui venerationem Viterbii ſuſcepit indutus veſte Pontificali*; ſed parum veroſimile videtur hanc ceremoniam uſque ad diem XII Mar-

SEC. XIII. GREGORIUS X. tii, S. Gregorio Magno ſacram, dilatam fuiſſe; cum conſtet eum jam fuiſſe Viterbii die quarta ejuſdem menſis: *Noni à quo ſummis beneficiis affectus fuerat.*

X. *Roma conſecratur & coronatur.* Poſt hæc eodem menſe Martio Gregorius excepturus magnifico apparatu Pontificiam tiaram in Urbem profectus, ibique in Presbyterum, & poſtea in Romanum Pontificem conſecratus eſt; & coronatus ſexto Kalendas Aprilis, ſeu die XXVII Martii, quæ anno 1271. concurrebat cum dominica tertia Quadrageſimæ; ita ſcribunt Panuinius, Ciaconius & alii, ſed nullum Auctorem citant; quod tamen multum probabile videtur, cum die vigeſima nona ejuſdem menſis poſt ſuam conſecrationem de more encyclicas literas, de ſuſcepto à ſe Eccleſiæ regimine exararit, quæ ex Raynaldo in Regiſtro Vaticano & in Formulario Marini Ebuli, Archiepiſcopo Senonenſi ejuſque ſuffraganeis; in vetuſto verò codice Vallicellano Patriarchæ Ieroſolymitano ſunt inſcriptæ, dataeque *Laterani IV Kal. April. Pontificatûs anno I.* Abrahamus Bzovius ſcribit, Gregorium *ad VI Kal. April. Romam* profectum, *poſt duos dies in Baſilica Principis Apoſtolorum primò Presbyterii gradum, deinde Pontificatûs dignitatem, à Joanne Cajetano Urſino Diaconorum S. R. E. principe Cardinali* adeptum, *rituque ſolemni* inunctum, *Gregorii decimi nomine* ſalutatum eſſe. Sed præterquam quod jam oſtendimus eum Gregorii X nomen aſſumpſiſſe in civitate Viterbienſi, Joannes Cajetanus Urſinus, poſtea Papa ſub Nicolai III nomine, utpote tantum Diaconus, non potuit, vel Presbyterii, vel Pontificatûs gradum ei tribuere, ideoque conſecratus eſt, vel ab Henrico Oſtienſi, vel potius à Joanne Portuenſi, ſi verum ſit quod ſcribit Ferdinandus Ughellus apud Ciaconium, Henricum Oſtienſem obiiſſe Lugduni anno 1271. octavo Kalendas Novembris; cum ex altera parte conſtet, Rodulphum Albanenſem Epiſcopum anno 1270. in Syria defunctum eſſe; ex quibus ſequitur eum conſecratum ab Epiſcopo Portuenſi, & Joannem Cajetanum Urſinum eum coronaſſe, id enim munus competebat priori Diaconorum Cardinalium, ut in Alexandri III Vita oſtendimus.

XI. *Eccleſiæ Ieroſol. Patriarcham præficit.* Onuphrius Panuinius, qui in Chronico Eccleſiaſtico Thomam Agni Jeroſolymitanæ Eccleſiæ ab Urbano IV anno 1262. præfectum ſcripſit, ut in ejuſdem Pontificis Vita diximus, poſtea anno 1272. quo exiſtimat, Thomam mortuum, ait: *Qui Jeroſolymis & Latinis Patriarcha creatus fuerit poſt Thomam, incompertum.* Verùm Spondanus ad annum 1272. num. 2. rectè ait, Gregorium X eo anno, vacante Jeroſolymitana ſede eidem præfeciſſe alium Thomam Archiepiſcopum Conſentinum, annexâ ei de more ceterorum curâ Eccleſiæ Acconenſis, & legatione totius Orientis, eumdemque, Acconem cum quingentis militibus, quos diximus à Gregorio X ſtipendio Eccleſiæ armatos, perveniſſe, tradere Sanutum lib. 3. part. 12. cap. 12. Quæ omninò confirmat Raynaldus ad eumdem an-

num

Digitized by Google

num num. 17. & ſeqq. ex Epiſtolis 8. 9. 10. & aliis Regeſti Gregorii X. *SEC. XIII.* Idem Spondanus ſcribit, Thomam dictum eſſe Patriarcham à Gregorio GREGORIUS X. *ſexto Idus Maii*, Raynaldus tamen non multò ante à nobis laudatus refert, in vetuſtiſſimo codice Vallicellano extare literas Patriarchæ Jeroſolymitano inſcriptas, dataſque *Laterani IV Kal. April. Pontificatûs anno I*, quæ inter ſe convenire non poſſunt, niſi dicamus eas literas ſcriptas eſſe ad Thomam Agni de Lentino, cujus mors tunc ignorabatur Romæ, & ejus nuncio Romam perlato, Thomam Archiepiſcopum Conſentinum ſexto Idus Maii à Gregorio Papa Patriarcham Jeroſolymitanum renunciatum.

XII. *Legatos Cpolim mittit pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina.*

Cum verò recuperandæ Terræ ſanctæ deſiderio imprimis flagraret Gregorius, ad hunc finem aſſequendum, ad duas res longe omnium maximas efficiendas animum adjecit, ad celebrationem nempe Concilii Oecumenici, & ad unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ut rebus Imperii & Eccleſiæ ſtabilitis, omnes in perniciem Saracenorum armaret. Ipſo itaque Pontificatûs initio, Kalendis nempe Aprilis ejuſdem anni 1272. Concilium generale indixit, ut mox videbitur. Poſt hæc Urbem veterem ſeceſſit, qua ex civitate nono Kalendas Novembris Conſtantinopolim ad Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem miſit Hieronymum de Aſculo Ordinis Minorum, cum aliis tribus ejuſdem Ordinis Religioſis, ac literis, quibus eum invitavit ad unionem, & ut Concilio intereſſe vellet, aut ſaltem viros magnæ auctoritatis mitteret, quibuscum poſſet commodè tractari: ſcriptis pariter eadem de re aliis literis ad Patriarcham Græcorum. Sed de his in Concilio Lugdunenſi agemus.

XIII. *Sententiam fert in Guidonem Monfortium & quare.*

Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, Romana Sede vacante, Philippo Franciæ Rege ex expeditione Transmarina reduce, Viterbii cum Carolo Siciliæ Rege patruo exiſtente, Simon & Guido de Monfortio, filii Simonis ſenioris, qui poſt multas turbas in Anglia excitatas in prælio contra Henricum Regem occiſus fuerat, Henricum Cornubiæ Comitem filium Richardi Romanorum Regis electi, qui ejus regni cauſa novum creari Pontificem Viterbii anxius expectabat, cum in Eccleſia Sancti Laurentii tempore Quadrageſimæ rei divinæ intenderet, incautum invadentes gladiis confoderunt, & adhuc ſpirantem ac miſericordiam deprecantem, capillis extra Eccleſiam tractum iteratis ictibus penitùs confecerunt, nulla loci vel officii habita ratione, & ad Guidonis ſocerum quem Carolus Siciliæ Rex Hetruriæ ſuo nomine præfecerat, aufugerunt. Anno autem ſequenti 1272. Eduardus Henrici Angliæ Regis filius & ſucceſſor ex Syria rediens, Urbem veterem, ubi tunc Pontifex receſſerat poſt ſuam conſecrationem, acceſſit; à quo amantiſſime exceptus, poſtulavit de ſacrilegio commiſſo in Henricum patruelem ſuum à Simone & Guidone Monfortiis; ſed cum Simon jam tunc defunctus eſſet, Gregorius Pontifex tam Guidoni, quam Rufo Comiti ejus ſocero, ad

quem

SEC. XIII. GREGORIUS X.

quem confugerat, diem dixit. Rufus quidem ſe ſe purgavit; ſed Guido contumax, ſacrilegii, homicidii & læſæ majeſtatis reus, adeoque infamis, inteſtabilis, & omni honore ac dignitate, ad quartam uſque Generationem indignus à Gregorio Pontifice dictus eſt, perpetuoque anathemati damnatus: omneſque ejus fautores & receptatores excommunicationis vinculo conſtricti, atque eorum terræ interdicto ſubjectæ, quousque Guido ad Sedem Apoſtolicam accedens, in omnibus ſe ſe voluntati Pontificis ſubmitteret. Hæc conſtant ex ipſa ſententia Gregorii in Guidonem lata, quæ unà cum citationibus Guidoni antea factis, & illius ad eas reſponſionibus & excuſationibus, continentur in Regeſto Vaticano Epiſtolarum Gregorii, ubi ſententia dicitur data Kalendis Aprilis anno ipſius Pontificatûs ſecundo, nempe 1274. ex qua ſine dubio hæc pluribus narrat Matthæus Weſtmonaſterienſis in Annalibus Anglicanis. Ejus ſententiæ partem refert Raynaldus anno 1273. num. 23.

XIV. *Eum ſe ſubjicientem recipit & quibus conditionibus.*

Eodem tamen anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, Guido à Pontifice diris devotus, non ſuſtinens diu in eo infelici ſtatu permanere, cum peteret Pontifex Florentiam, nulla poſtulata ſecuritate occurrens ei toto corpore nudus, exceptâ ſubuculâ & femoralibus, nodatuſque collum laqueo, unà cum ſceleris complicibus eodem modo comparentibus, ad pedes Pontificis ſe ſe objecit, miſericordiam implorans, atque ipſius voluntati ſe ſe in omnibus ſubjiciens. Gregorius autem rigorem benignitate temperans, vitam conceſſit, ſed omnes tuta arce, arctoque carcere cuſtodiri præcepit, commiſſa diligenti eorum cuſtodia Carolo Siciliæ Regi, à Clemente IV in partibus Tuſciæ *Vicario Imperii* conſtituto, ut ſuo loco diximus. De his conſtat ex literis ea de re ab eodem Pontifice ad Eduardum Angliæ Regem ſcriptis tertio Kalendas Decembris ejuſdem anni, poſtquam Lugdunum pervenit. Aliis autem ibidem ſcriptis poſt Concilii celebrationem decimo Kalendas Auguſti anni 1274. motus ſupplicationibus illius, quem ſeveram admodùm pœnitentiam peregiſſe, intellexiſſet, Patriarchæ Aquileienſi commiſit, ut eumdem ſtare mandatis Eccleſiæ ſpondentem anathemate exſolveret; ita tamen ut cetera quæ in eum ſtatuta fuerant in ſuo robore permanerent.

XV. *Pacem Florentiæ componit inter Guelfos & Gibellinos.*

Guidonem occurriſſe Pontifici Florentiæ dixi, quia Gregorius Urbeveteri recedens, relicto Aldebrandino Cavalcante ejuſdem urbis Epiſcopo, ſuo in urbe Roma & Italia Vicario, Florentiam adiit die decima octava Junii ejuſdem anni 1273. comitante Rege Carolo, ac procerum manu, ut ſcribunt Ioannes Villanius lib. 7. cap. 73. & Leonardus Aretinus lib. 3. Hiſt. Florent. ſummaque ibidem veneratione ſuſceptus, ac mira urbis amœnitate delectatus, æſtatem in ea traducere ſtatuit. Et qua erat bonitate, pacem inter factiones Guelforum, qui tum ibi dominabantur, & Gibellinorum extorrium conciliandam ſuſcipiens, Carolo Rege,

Digitized by Google

Rege, cujus erat maxima Florentiæ, ſicut & in reliqua Hetruria, totaque Italia, Vicariatûs Imperii titulo auctoritas, in ſententiam ſuam adducto, poſt longam partium concertationem, eas tandem conciliavit; pœnis graviſſimis conſtitutis in pacis violatores, ac obſidibus datis à Gibellinis. Cum verò paulo poſt Guelfi, multis in Gibellinos confictis ſuſpicionibus, occultè quædam in hos machinari cœpiſſent, quod adverſariorum reditum in urbem graviſſimè tuliſſent, id Pontifex uſque adeo indigne tulit, ut mox derelicta civitate, interdicto eam ſubjecerit, cui ferè per triennium obnoxia fuit, tanta Pontificis obfirmatione animi, & civium conſtantia, ut neque Pontifex, quamquam multum rogatus interdictum ſuſtulerit, neque cives eo conterriti ſententiam mutaverint; nec niſi ab Innocentio V Gregorii X ſucceſſore eo abſoluti fuerint.

XVI. *Mediolanum ſuppoſit interdicto, ob non receptum Archiepiſcopum.*

Urbanus IV Archiepiſcopum Mediolanenſem creaverat Othonem Vicecomitem magni conſilii & animi virum; Sed Napus Turrianus Præfectus Mediolanenſis, ejuſque ſequaces civitati dominantes, unum è ſua familia in ſchiſmate Cleri electum, quem Urbanus rejecerat, in ea dignitate aſſerere conati ſunt, & Othonem in urbem admittere detrectarunt, ob idque civitas interdicto ſuppoſita eſt. Verùm cum Turriani Clementi IV Urbani ſucceſſori jurejurando promiſiſſent, Othonem tanquam verum Archiepiſcopum recipere, communionem eis reſtituit: nihilominus tamen interveniente eodem tempore morte Clementis, Turriani nihil eorum quæ ſpoponderant, obſervarunt. Quæ omnia narrat Sigonius lib. 20. & diffuſius Bernardinus Corius in Hiſtoria Rerum Mediolanenſium, ex quibus & habemus, Gregorium Pontificem anno 1273. Florentiâ abſcedentem, Placentiam patriam ſuam adiiſſe quinto Nonas Octobris, & ſecum duxiſſe Othonem Vicecomitem, quem reſtituere cupiebat in Archiepiſcopatum Mediolanenſem. Quia tamen audivit, nequaquam à Turrianis ac plebe receptum iri, licet in Turrianorum gratiam unum ex eorum familia Patriarcham Aquileienſem creaſſet, dimiſit uſque ad reditum à Concilio, quod ad annum ſequentem 1274. Lugduni celebrandum indixerat. Sed tametſi Mediolani octavo Idus ejuſdem menſis Octobris omni honore & veneratione exceptus fuerit, tanta tamen indignatione in Mediolanenſes motus eſt, ut toto triduo quo illic fuit, nec indulgentias ullas publicarit, nec ſe niſi à Principibus videri permiſerit; ac poſt ſuum inde diſceſſum urbi ſacra interdixerit. Otho tamen Vicecomes rerum potitus non eſt ante annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum, quo victis atroci certamine, menſe Januario, Turrianis, converſiſque ex ea victoria omnium erga eum animis, Mediolanum triumphans ingreſſus eſt. Archiepiſcopus idem & Princeps urbis: cui negatus honor debitus, & bellum ortum ex injuria, regnandi principium fuit; indeque familiæ *Vicecomitum* ſtabilis in aliquot ſecula dominatûs hæreditas: quamvis etiam poſt hæc, cum iiſdem Turrianis ex-

SEC. XIII. GREGORIUS X. torribus, quorum familia non ſolum inter familias illius urbis, verùm etiam totius Italiæ potentiſſimas habebatur, ei ſæpius magno periculo dimicandum fuerit, ut fusè tractant illius urbis Scriptores.

XVII. *Electoribus Imperii præcipit ut Regem Romanorum eligant.* Richardo Henrici Angliæ Regis fratre in Romanorum Regem electo, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo defuncto quarto Nonas Aprilis, ut habet Continuator Pariſii, & Alphonſi Caſtellæ Regis pariter electi juribus valdè obſcuris, ac deciſu nimium quam difficilibus, Gregorius Pontifex ob plurimas in Germania contentiones, vaſtitates & deprædationes *præcepit Electoribus Eccleſiaſticis ſub pœna privationis officii, ſecularibus verò Principibus ſub pœna excommunicationis, ut ſine cunctatione ſe reſolverent & Eccleſiæ Advocatum darent, alioqui ipſe hoc faceret*, inquit Joannes Nauclerus generat. 43. qui addit, *poſt hanc Gregorii requiſitionem* Electores in unum de more conveniſſe Francofordiæ, ubi triduano tractatu præhabito, agente potiſſimum Wernero Moguntinenſi Archiepiſcopo, Rudolphus ſeu Rodulphus, aut etiam Rodolphus, ut variè ſcribitur ab Auctoribus, Comes Habſpurgenſis, diœceſis Conſtantienſis circa partes Baſileæ, abſens electus eſt in Regem Romanorum circa Kalendas Octobris anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi tertii, qui paulo poſt Aquiſgranum veniens ut coronaretur, ſtatim exegit à Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus fidei juramentum; cumque ii recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe ſuſcepto ſigno crucis dixit: *Ecce ſignum, in quo nos & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno utamur loco ſceptri: & deoſculata cruce, omnes Principes tam ſpirituales, quàm ſeculares, ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda ſibi fidelitatis juramentum præſtiterunt*, inquit Eberardus Ratiſponenſis Eccleſiæ Archidiaconus, qui eodem tempore Annales ſcripſit, qui extant apud Caniſium Tomo I. Antiquarum Lectionum. Quomodo verò Rudolphus à Gregorio Papa fuerit confirmatus dicetur inferiùs. Ceterum ad hunc Rudolphum hodierna Domus Auſtriaca genus ſuum refert; cum videlicet poſt necem Othocari Bohemiæ Regis, Auſtriam ab eo poſſeſſam Rudolphus Alberto filio ſuo, poſteaque Imperatori conceſſit; omneſque Alberti ſucceſſores, relicto Habſpurgi cognomine, ut minus nobili, *Auſtriæ* longè nobilius ſibi aſſumpſerunt. De origine Domûs Auſtriæ legendus Franciſcus Guillimannus Hiſtoriographus Rudolphi ſecundi Imperatoris, in Tractatu *de vera origine domûs Auſtriæ* typis edito Mediolani anno 1605. ubi prolixè refutat hariolationes eorum, qui Comites Harbſpurgenſes aſſerunt ab Auſtraſiæ Regibus natos.

XVIII. *Lugdunum pergit.* Cum Gregorius Pontifex Mediolano circa diem duodecimum Octobris Lugdunum verſus proceſſiſſet, Camberiaci exiſtens literas accepit Alphonſi Caſtellæ Regis, quibus fingebat ſe aliqua ſecreta habere de rebus in Concilio tractandis, quæ alteri quam ipſi non committenda eſſe cenſeret, & Pontificem ad congreſſum pertrahere tentabat. Sed Alphonſi

artes

Digitized by Google

artes intelligens Gregorius reſcripſit, ut ſi Concilio intereſſe non poſſet, ſecreta illa vel literis, vel fideliſſimo alicui ex intimis committeret, ut ipſe iis perſpectis, quid facto opus foret, decerneret. Has Pontificis literas recitat Raynaldus num 38. & dicuntur datæ *apud Camberiacum III Nonas Novemb. anno III* Pontificatûs, ſed legendum *anno II* cum Gregorius menſe tantum Martio anni 1272. conſecratus fuerit. Lugdunum tandem pervenit Gregorius circa medium ejuſdem menſis Novembris, ſed toleratis in itinere incommodis defeſſus, in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ſeu die XVIII Novembris miſſæ ſacrificio intereſſe non potuit, quo tamen die judicii formam conſuetam contra Eccleſiæ rebelles obſervatam, ac ſententiam à Clemente IV in eos latam renovatam eſſe conſtare ait Raynaldus num. 40. ex ejus Epiſtola 18. lib. 2.

XIX. *Gratias agit Regi Franc. pro reſtitutione comitatus Venaiſcini.*

Raymundo Toloſano Comite anno 1249. mortuo, ut ait Guillelmus de Podio Laurentii in Chronici cap. 48. Alphonſus frater Sancti Ludovici Francorum Regis, qui Joannam filiam ejus unicam uxorem duxerat, Comitatum Toloſanum recepit ex pactis Lutetiæ conventis anno 1229. ex dictis in Gregorio IX. Verùm Alphonſo & Joanna ex expeditione Syriaca redeuntibus defunctis abſque prole, omnes terræ quas dictus Alphonſus tenuerat, ad Philippum Francorum Regem nepotem devolutæ ſunt, ipſe etiam comitatus Venaiſcinus, quem tamen Raymundus Eccleſiæ Romanæ ceſſerat iiſdem pactis Lutetiæ conventis. Cum autem non deeſſent, qui Philippo ſuaderent, ut Raymundi & Alphonſi exemplo jura ſua in dictum comitatum defenderet, ipſe tamen flagitante Legato pro hac cauſa à Gregorio anno 1273. miſſo, ſponte comitatu ceſſit, quem Eccleſia Romana jure ſibi debitum contendebat: *Philippus Rex Franciæ*, inquit Sanutus in ſuis ſecretis fidelium crucis lib. 3. part. 12. cap. 13. *tempus prævenit concilii, reddiditque ſummo Pontifici comitatum Veneſi, quem longo tempore ab Eccleſia ſui tenuerant prædeceſſores.* Illam autem reſtitutionem circa finem anni 1273. factam certò eruitur ex literis Gregorii Papæ datis *Lugduni XI Kal. Decemb. anno II* apud Raynaldum num. 51. quibus Philippo Regi gratias agit, quod dictum Comitatum Eccleſiæ Romanæ reddiderit.

XX. *Lugduni ab eodem Rege viſitatur.*

Non multo poſtquam Gregorius Papa Lugdunum pervenit, Philippus Rex eum viſitavit: habitoque cum eo tractatu de regni ſui negotiis, abſceſſit inde quouſque tempus Concilii adveniret; relicto interim ad cuſtodiam Pontificis, & eorum qui ad Concilium acceſſuri erant Imberto de Belloioco conſanguineo ſuo cum valida militum manu, ut teſtatur Guillelmus Nangius in Philippi rebus geſtis, in eo tamen corrigendus, quod Pontificem nonniſi circa quadrageſimam anni 1274. Lugdunum adveniſſe ſcribit, cùm etiam ante undecimum Kalendas Decembris, eum illò perveniſſe ex dictis certum reddatur. Lapſus autem forte eſt Nan-

 gius,

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS X.

gius, inquit Spondanus, quod Philippus nonniſi circa Quadrageſimam anni 1274. Pontificem convenerit.

Concilium Lugdunenſe II.

Generale XIV.

XXI. *Convocationis Concilii cauſa.*

DUas potiſſimùm cauſas moviſſe Gregorium X ad celebrationem Concilii generalis, ſubſidium nempe Terræ ſanctæ, & unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, jam ſuperius inſinuavimus. Cum enim Conſtantinopolitana urbe capta, & Balduino II Imperatore, qui poſtremus ex Latinis Conſtantinopoli regnavit, expulſo, periculum eſſet, ne Græci omnes ad priſtinos redirent errores, Gregorius ſtatim ac electus & conſecratus eſt Pontifex Legatos ad Michaëlem Palæologum Imp. deſtinavit, ut eum ad Catholicam fidem reducerent. Sciens prætere in magno diſcrimine res Chriſtianorum in Syria verſari, prædeceſſorum veſtigiis inhærens, Generale Concilium convocavit, in quo de ſubſidio Chriſtianis in Syria de gentibus mittendo ageretur. Rem etiam dignam judicavit, de qua in Concilio ageretur, de Græcis nimirum ad Catholicæ ac Romanæ Eccleſiæ fidem communionemque traducendis. Tertia ad id acceſſit cauſa, quæ priores Pontifices ad indicenda Concilia permoverant, ut ſcilicet Chriſtianorum mores ad priſtinam Eccleſiaſticam diſciplinam informarentur, & modus aliquis præſcriberetur ad celerem Romani Pontificis electionem faciendam. Multa enim mala ex longa Romanæ Eccleſiæ vacatione accidere ſolebant, quod præcipue contigerat poſt mortem Clementis IV, cum interpontificium uſque ad Gregorii X conſecrationem fuerit plus quam trium annorum.

XXII. *Gregorius PP. Concilium indicit, & locum deſignat Lugdunum.*

Gregorius itaque ſtatim poſt conſecrationem ſuam, quæ peracta eſt Romæ die vigeſima ſeptima menſis Martii anni 1272. literas indictionis Concilii ad univerſos prælatos ac Principes miſit, datas Laterani Kalendis Aprilis ejuſdem anni, quibus omnes paratos eſſe monuit, ad ſiſtendum ſe Kalendis Maii anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi quarti in loco poſtea deſignando: & de his omnibus certiores etiam reddens Eduardum Angliæ Principem, ac ceteros, quos in Syria reliquerat, ſubſidiaque citiſſima promittens, hortatus interim eſt ad conſtantiam. Sed cum illa indictione reticuiſſet locum, in quo Concilium celebrandum erat, eum ſignificavit aliis literis datis Idibus Aprilis apud Urbem veterem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio: nempe *Lugdunum* Galliæ; electa ad tantum opus nobiliſſima illa civitate; tum quod ipſe extiterit primò Eccleſiæ Lugdunenſis Canonicus, ut ex ipſiuſmet literis apud Paradinum lib. 2. Hiſt. Lugdun. cap. 2. & ex conſtitutio-

ſtitutionibus eidem Eccleſiæ ab eo relictis poſt exitum Concilii, quæ extant apud Severtium in Chronologia Lugdunenſi part. 3. cap. 1. ſect. 5. §. 1. aliiſque monumentis conſtat: tum quòd Concilio ſub Innocentio IV ibidem celebrato præſens, optime noviſſet civium erga Sedem Apoſtolicam promptum & fidelem animum: tum quòd urbs poſitione ſua & amplitudine commodiſſima eſſet tot hominibus ex univerſo orbe colligendis: tum denique quòd cum in Regno Chriſtianiſſimo ſita eſſet, nihil ſibi ſecuritatis & benevolentiæ non à pio & magnifico Rege Philippo deceſſorum exemplis promitteret.

XXIII. *Imperatorem & Patriarcham Græcorum ad illud invitat.*

Non ſolum Occidentales Principes, verùm & ipſum Michaëlem Palæologum Imperatorem Orientis ad Concilium invitavit Gregorius Papa. Cum enim probè ſciret non alienum eum ſe demonſtraſſe ab unione cum Eccleſia Latina, quæ jam ſub Urbano IV & Clemente IV tractata, interveniente utriuſque Pontificis morte ad exitum perducta non fuerat, primo ſui Pontificatûs anno per Hieronymum de Aſculo Ordinis Minorum, poſt modum ſummum Pontificem ſub nomine Nicolai IV, & tres alios ejuſdem Ordinis Religioſos, Imperatorem de indicto generali Concilio admonuit, eumque ut adeſſet, vel per ſe, vel per ſuos Legatos, rogavit, ut tandem in perfectam unionem coiret Eccleſia Græca cum Latina. Graviſſimas per eoſdem ad eum miſit literas datas apud Urbem veterem nono Kalendas Novembris anni 1272. aliaſque ſubjunxit ad Joſephum Patriarcham Græcorum, quibus eum etiam invitavit ad Concilium OEcumenicum, rogavitque ut in negotio unionis, non ſolum cooperatorem, ſed & ſpecialem ſe exhiberet promotorem. Has omnes literas referunt Wadingus ad annum 1272. & Conciliorum Collectores Tomo XI.

XXIV. *Ante Concilium Cardinales creat.*

Præter Patriarchas, Epiſcopos & Abbates, vocaſſe etiam Summum Pontificem Gregorium, viros duos doctrina & ſanctitate celeberrimos, ſanctum ſcilicet Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum, & Sanctum Bonaventuram Ordinis Minorum Miniſtrum Generalem; quorum prior cum ad Concilium pergeret in monaſterio Foſſæ novæ lethali ægritudine correptus ad vitam migravit immortalem, ut ſcribunt Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum 1274. & Joannes Villanius lib. 9. cap. 118. poſterior ſcilicet S. Bonaventura in Concilio creatus fuerit Cardinalis, aſſerunt ex Panuinio & Ciaconio plures alii. Sed licet verum ſit utrumque ſanctum doctorem itineri ſe accinxiſſe, ut Concilio adeſſet, falſum tamen eſt S. Bonaventuram creatum Cardinalem in Concilio. Lucas enim Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1273. poſt Cardinalem Bellarminum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, S. Bonaventuram anno 1273. dictum eſſe Cardinalem, probat tum ex ipſius Concilii Actis, in quibus invenitur Bonaventura Cardinalis reſidere cum ceteris in prima ſeſſione: tum ex Bernardino Corio, qui in Hiſtoria Mediolanenſi, in qua res patriæ ſuæ diligenter recenſet, part. 2. ad an-

SEC. XIII. GREGORIUS X. num 1273. peculiariter monet Gregorium Papam Lugdunum ad Concilium proficiſcentem, & per Mediolanum tranſeuntem die dominica menſis Octobris octava advenientem, ſecum habuiſſe Cardinales, atque inter hos ſpeciatim nominat Sanctum Bonaventuram & Vicedominum de Vicedominis ſororis ſuæ filium etiam Minoritam. Ex quibus & aliis rectè conjicit Wadingus Gregorium ſub feriis Pentecoſtes anni 1273. antequam ex Urbe veteri diſcederet, Cardinales creaſſe & inter hos S. Bonaventuram. Plura hac de re Wadingus laudatus.

XXV. *Numerus Patrum, & Præſes Concilii.* Concilium iſtud Oecumenicum decimum quartum, Lugdunenſe ſecundum, omnium quotquot unquam fuerunt numeroſiſſimum fuit; nam præter Patriarchas Latinorum Pantaleonem Conſtantinopolitanum, & Opizionem Antiochenum, ei interfuiſſe dicuntur ex univerſis Chriſtianiſmi regionibus Epiſcopi pluſquam quingenti, Abbates & Prælati Minores circa mille. *Numerus Prælatorum, qui ibidem adfuerunt quingenti Epiſcopi ſexaginta, Abbates & Prælati minores alii circa mille*, inquit Guillelmus Nangius Auctor coævus in Chronico; à quo non diſſentit Ptolomæus Lucenſis, Auctor etiam coævus, qui in Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 23. cap. 3. ait: *Numerus autem Prælatorum, qui interfuerunt Concilio, fuit quingentorum Epiſcoporum, Abbatum LXX, aliorum Prælatorum mille.* Patriarchæ Græcorum Conſtantinopolitanus & Antiochenus in ſchiſmate perſtantes non adfuerunt. Advenerunt tamen poſt Concilium inchoatum Legati Michaëlis Græcorum Imperatoris, & Metropolitanorum Orientis, necnon & Regis Tartarorum. Adfuit quoque Jacobus Aragoniæ Rex. Adfuerunt & Oratores Franciæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ & Cypri Regum, Principum Chriſtianorum Terræ Sanctæ, aliorumque Europæorum, atque Rerumpublicarum, ac tandem Magiſtri Hoſpitalariorum & Templariorum. Præfuit Concilio Gregorius ipſe decimus Pontifex, cum omnibus ſeſſionibus interfuerit. Quare cum duo Summi Pontifices, Sixtus nempe quartus in bulla canonizationis S. Bonaventuræ, & Sixtus quintus in Decretali, qua primis eum Doctoribus connumeravit, aſſerunt Bonaventuram præſidem in Concilio egiſſe, non ita intelligendi ſunt, ut velint eum primas egiſſe totius Concilii, aut in generalibus ſeſſionibus primum ſediſſe; ſed quod in peculiaribus ſeſſionibus, & privatis cœtibus, quos per ſe celebraſſe quotidie Cardinales abſque Pontificis interventu, habet hiſtoria eidem Concilio præfixa, primus ſederit, & ſic præfuiſſe quodammodo dictus ſit. Hinc Renatus Chopinus lib. 2. Monaſtic. tit. 1. num. 29. rectè Gregorium vocat *Concilii Lugdunenſis præſidem.*

XXVI. *Imperator Græcorum non adfuit Concilio niſi per Legatos.* Flavius Blondus lib. 2. Decade 8. ſcribens, Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem ad Concilium veniſſe, foveam præparavit ſequacibus ſuis, Platinæ, Trithemio in Chronico Hirſaugienſi, Sabellico, Nauclero, Gaguino, Voſſio lib. de Tribus Symbolis, ac plurimis aliis

aliis in eumdem errorem incidendi, qui ex eo refelluntur, quod lectæ ſint in Concilio Imperatoris literæ, paxque Eccleſiæ Græcæ cum Latina ab ejus Oratoribus, ipſius nomine jurata eſt; Oratores autem ad Concilium non miſiſſet, ſi ipſe Concilio adfuiſſet. Deinde, Gregorius ſtatim poſt Concilium ad ipſum ſcripſit, tanquam ad hominem eorum omnium ignarum, quæ in illo geſta erant, ut conſtat ex Gregorii literis, quæ extant Tomo XI Concil. pag. 971. datæque dicuntur *Lugduni V Kalendas Auguſti anno tertio* pontificatûs. Idem probant ejuſdem Pontificis literæ ad Epiſcopos Græcos eadem die datæ & pag. 973. ibidem relatæ. Totum denique conciliationis Eccleſiæ Græcæ cum Latina negotium per Legatos Imperatoris cum Pontificiis actum eſſe, teſtatur Nicephorus Gregoras lib. 5. Hiſtoriæ, ex quo manifeſtè ſequitur Imperatorem non adfuiſſe Concilio, cujus hiſtoria breviter deſcribenda ex Actis quæ leguntur eodem Tomo XI Conciliorum pag. 955. & ex aliis MSS. quæ laudant Spondanus & Raynaldus.

SEC. XIII. GREGORIUS X.

XXVII. *Prima Concilii ſeſſio.*

Gregorius Pontifex quinta die ante ſeſſionem primam, ſcilicet *ſecunda menſis Maii* omnibus Prælatis & Capellanis ſuis injuncto triduano jejunio, & precibus ſolemnibus die dominica ſexta Maii præmiſſis, die lunæ ſeptima ejuſdem, juxta antiquum morem aliàs à nobis obſervatum incipiendi Concilia die lunæ, poſt preces ſolemnes die dominica antecedenti factas, primam ſeſſionem habuit in Eccleſia ſancti Joannis hoc modo. Pontifex circa horam miſſæ perrexit ad Eccleſiam conducentibus eum duobus Diaconis Cardinalibus, & dicta Tertiâ & Sextâ, *quia erat dies jejunii*, nempe dies prima Rogationum ante Aſcenſionis domini feſtum, quod anno 1274. celebratum eſt die decima Maii, Subdiaconus calceavit eum, & poſtea Diaconus & Subdiaconus eum omnibus veſtimentis Pontificalibus albi coloris induerunt, quia inter Paſcha & Aſcenſionem erat, & pallio ſicut ſi eſſet miſſam celebraturus. Inde præcedente cruce Pontifex aſcendit pulpitum præparatum & ornatum & ſedit in falſtidorio ſuo, miniſtrante ſibi pro presbytero, domino Simone tit. S. Martini, & Diacono domino Othobono Cardinale, & aſſiſtentibus ſibi in eodem pulpito quatuor aliis Cardinalibus, ſedente etiam juxta eum domino Jacobo Rege Aragonum. Ibidem Papa ſedens in falſtidorio ſuo fecit crucem ſuper Prælatos & Concilium. Et poſt quaſdam orationes à Pontifice dictas Cardinalis Othobonus facta reverentia domino Papæ, & benedictione petita, juxta morem cantavit Evangelium ſecundum Matthæum, ſcilicet, *Deſignavit dominus Jeſus alios ſeptuaginta duos.* Quo finito Papa ſtans erectus alta voce incœpit hymnum *Veni creator Spiritus.* Quo cantato ſtans ſine mitra, ſedit in falſtidorio ſuo, & omnes Prælati in locis ſuis ſederunt, & tunc ipſe cœpit ſermocinari propoſito themate: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar & antequam moriar.* Finito ſermone nar-

SEC. XIII. *GREGORIUS X.* narravit Patribus cauſas propter quas evocaverat Concilium, ſcilicet ſubſidium Terræ ſanctæ, unionem Græcorum, & reformationem morum, ac diſciplinæ; ſimulque ſignificavit modum aliquem præſcribendum ad celerem Romani Pontificis electionem faciendam, quod multa mala ex longa Sedis vacatione accidere conſueviſſent. Poſt quæ indixit aliam ſeſſionem in diem lunæ decimam quartam Maii, quæ tamen facta eſt tantum die decima octava ejuſdem menſis, & interim dum expectabatur ille dies, advocatis ſeorſum prælatis, decretæ ſunt in ſubſidium Terræ Sanctæ decimæ omnium fructuum & proventuum Eccleſiarum in ſex annos proximos.

XXVIII. *Ordo ſeſſionis Patrum in Concilio.* Porrò ordo ſeſſionis Patrum talis fuit. In medio navis Eccleſiæ ſederunt Pantaleo Conſtantinopolitanus, & Opizio Antiochenus, Patriarchæ ritûs Latini. In ſedibus aliis à latere dextro Pontificis ſederunt Joannes Portuenſis & Sanctæ Rufinæ, Petrus Tuſculanus, Vicedominus Præneſtinus, Sanctus Bonaventura Albanenſis, Petrus Oſtienſis & Velletrenſis & Bernardus Sabinenſis, Epiſcopi Cardinales: à latere verò ſiniſtro Antherus tit. S. Praxedis, Guillelmus S. Marci, Simeon tit. S. Cæciliæ, Presbyteri Cardinales, qui omnes faciunt numerum novem Cardinalium; quibus addendi ſex qui miniſtrabant & aſſiſtebant Summo Pontifici, ſcilicet Simeon tit. S. Martini Presbyter, Othobonus tit. S. Hadriani, Jacobus tit. S. Mariæ in Coſmedin, Gothifredus S. Georgii ad velum aureum, Hubertus tit. S. Euſtachii, & Matthæus tit. S. Mariæ in porticu, Diaconi Cardinales, ſicque fit numerus quindecim Cardinalium. Poſt Presbyteros Cardinales mox memoratos, à dextris & à ſiniſtris ſederunt Primates, Archiepiſcopi & Epiſcopi, Abbates & Priores, ac alii Eccleſiarum Prælati, non diſcrepantes de locis, cum per Summum Pontificem Gregorium fuiſſet ordinatum, quod ſine præjudicio Eccleſiarum ſuarum ſederent. Stabant autem inferius Willelmus Hoſpitalariorum, & Robertus Templariorum, Magiſtri, & aliqui earundem Religionum, nuncii Franciæ, Alemanniæ, Angliæ & Siciliæ Regum; ac aliorum multorum Principum, Baronum, Capitulorum & Eccleſiarum procuratores.

XXIX. *Poſt ſecundam ſeſſionem Aragonum Rex abit à Concilio.* Secunda ſeſſio celebrata eſt die decima octava ejuſdem menſis Maii, & in ea promulgatas eſſe quaſdam conſtitutiones de fide tradunt Acta, dimiſſoſque à Concilio procuratores capitulorum, & omnes Abbates ac Priores non mitratos, qui non fuerant ſpeciatim vocati ad Synodum. Eadem Acta aſſerunt inſuper Jacobum Regem Aragonum, poſt eam celebratam, receſſiſſe Lugduno, cujus rei cauſam cum non referant, Surita in Regum Aragonenſium Indicibus lib. 2. Gomoſius lib. 19. & Mariana lib. 13. cap. 22. referunt, nempe hominem extrema ætate gloriæ & honoris cupidum, cum expeteret coronæ Regiæ inſignibus Pontificis manu

manu decorari, idque Pontifex renueret, niſi tributum, quod Petrus pater Jacobi, eo tempore quo Romæ coronam receperat ab Innocentio III pendere quotannis pactus erat, denuò Eccleſiæ Romanæ ſanciretur, & quod ſolvi deſitum erat perſolveretur: Jacobum indignum exiſtimantem regnum majorum virtute partum cuiquam eſſe vectigale, ab ea re deſtitiſſe, & ad ſua ſe recepiſſe. Etiamſi ex ipſiuſmet Hiſtoria intelligatur, inquit Spondanus, non tam ipſum denegaſſe tributum voluntarium, quam coactum ex obligatione, aut infeudationis contractu. In brevibus porrò Actis, quæ extant Tomo XI Conciliorum de illo Jacobi Aragonum Regis ſeceſſu nulla mentio reperitur, ſed ſolum dicitur quod in tertia ſeſſione non adfuit Jacobus Rex Aragonum. De eo tributo vide dicta in Pontificatu Innocentii III num. XL. In eadem ſeſſione ſecunda Gregorius Pontifex tertiam indixit ad diem lunæ poſt octavam Pentecoſtes, quæ erat vigeſima octava Maii.

XXX. *Gregorius monetur à Minoritis Legatos Græcorum brevi adfuturos.*

Antequam tertia fieret ſeſſio accepit Pontifex literas miſſas ab Hieronymo Aſculano, & Bonagratia Minoritis, quos ſuperius diximus miſſos cum aliis duobus ejuſdem Ordinis Religioſis ad Michaëlem Palæologum Græcorum Imperatorem, pro conſummanda & acceleranda unione utriuſque Eccleſiæ, ad quas ſumme gaviſus eſt Pontifex; fecitque convocari omnes Prælatos in majori Eccleſia Lugdunenſi indutos pluvialibus, deinde coram omnibus graviſſime & piiſſimè Cardinalis Bonaventura ſermonem habuit iis propoſitis verbis [Baruch 5.] *Exurge Jeruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem.* Quo expleto in omnium conſeſſu lectæ ſunt prædictæ literæ, quibus nuncii Minoritæ ſignificabant ſe prope eſſe, atque in comitatu habere Legatos Græcorum, qui literis & verbo præſentes obedientiam præſtent Eccleſiæ Romanæ, & concordiam Michaëlis Palæologi & Prælatorum nomine ſtabiliant.

XXXI. *Tertia ſeſſio celebratur.*

Et hæc ſine dubio cauſa fuit cur tertia ſeſſio, quæ indicta erat in diem vigeſimum octavum Maii, dilata eſt in diem ſeptimum Junii, quo die habita eſt, in eaque promulgatæ ſunt quædam conſtitutiones circa electiones & proviſiones Eccleſiarum, ætatem ac reſidentiam proviſorum, immunitatem Eccleſiarum, cuſtodiam & regalia vacantium, uſuras, aliaque ad diſciplinam Eccleſiaſticam, mores populorum, ac proceſſus pertinentia: quæ unà cum ceteris tota Synodo promulgatis habentur in unum collecta prædicto Tomo XI Conciliorum, necnon relata à Bonifacio VIII in ſextum decretalium ſuis quibuſque titulis, quæ conſtitutiones à Guillelmo Duranti Gallo, poſtea Epiſcopo Mimatenſi, qui Concilio aderat, commentariis illuſtratæ ſunt in Speculo Juris, quod in tria volumina diſtinctum dicavit Cardinali Othobono, qui fuit poſtea Pontifex, Hadrianus quintus dictus. Guillelmi commentarii extant editi à Simone Maiolo unà cum ipſius Vita & notis non

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS X.

contemnendis. Hic porrò Guillelmus Duranti Auctor etiam Rationalis divinorum officiorum, ab Auberto Miræo in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & à Spondano ad annum 1311. num. 3. malè confunditur cum altero Guillelmo Duranti iſtius nepote, Epiſcopo pariter Mimatenſi qui Concilio Viennenſi œcumenico anno 1311. interfuit; hic enim Guillelmus, de quo agitur, mortuus eſt Romæ anno 1296. ut conſtat ex epitaphio ejus ſepulchro inſcripto in æde Minervæ; cum Guillelmus nepos ſeu junior, de quo ſilent Bellarminus & Labbeus, obierit anno 1320. In eadem ſeſſione tertia concionem habuit Petrus Oſtienſis Cardinalis Ordinis prædicatorum ſub illo themate: *Leva in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.* Iſaiæ 60. 4. Facta eſt poſtea licentia Prælatis eundi Lugduno, quocumque placeret intra ſex leucarum terminum, nec ſeſſionis quartæ terminus præfixus eſt, donec conſtaret de certo tempore adventûs Græcorum.

LXXXII. *Græcorum Legati adveniunt ad Concilium.*

Advenerunt tandem die vigeſima quarta Junii, ut Acta notant, Apocriſarii ſeu Legati Michaëlis Imperatoris Græcorum & Antiſtitum Patriarchatui Conſtantinopolitano ſubjectorum, *Germanus*, olim ex Metropolita Hadrianopolitano Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo dictus Patriarcha, non multo poſt accipiens ſe maledictis conſcindi, quod ſedem viventis occupaſſet, Patriarchatu abdicato in cœnobium Monachorum ſe recepit; *Georgius* Acropolita, magnus Logotheta, *Theophanes* Metropolita Nicænus, Bithyniæ Primas, Nicolaus Panareta Camerarius Imperii, & *Georgius* Zinuchi, viri omnes graves, & in aula Imperatoria celebres. His proceſſerunt obviam omnes Prælati, qui erant in Concilio cum familiaribus ſuis, Camerarius cum tota familia Papæ, Vicecancellarius & omnes Notarii, ac univerſa familia Cardinalium, & magnifice eos conduxerunt uſque ad palatium Pontificium. Pontifex verò ſtans in aula, circumſtantibus Cardinalibus & multis prælatis, ad pacis oſculum honorifice illos recepit. Illi in conſpectu omnium ſignificaverunt ſe veniſſe, ut omnimodam obedientiam S. R. Eccleſiæ præſtarent, profiterenturque ejuſdem Eccleſiæ fidem & primatum. Porrexerunt ibidem Imperatorium diploma ſub ſigillo aureo, in quo fidem Catholicam ſe profiteri, & tenere juxta miſſam ſibi à Pontificibus Romanis Clemente & Gregorio inſtructionem, teſtabatur; quam publica profeſſione & juramento interpoſito coram Minoritis nunciis Apoſtolicis, ſe ſecuturos proteſtati erant in aula Imperatoria Conſtantinopolitana Michaël pater Imperator & Andronicus filius ſub menſe Februario præſentis anni 1274.

LXXXIII. *Græcorum Imperator conſentit Eccleſiæ Rom.*

Literæ Imperatoris hanc habent inſcriptionem: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo primo & Summo Pontifici Apoſtolicæ Sedis venerabili Papæ & communi*

Digitized by Google

muni patri omnium Chriſtianorum, & venerabili patri Imperii noſtri domino Gregorio, Michaël in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Ducas Angelus Comnenus Palæologus & ſpiritualis filius magnæ Sanctitatis veſtræ, convenientem honorem & reverentiam cum ſincera & pura affectione & orationum poſtulatione. Iis literis imprimis Imperator petitam è ſe ſchiſmatis abjurationem annis 1267. & 1272. ac fidei Catholicæ Romanæ, ſacrorumque ejus rituum confeſſionem, abunde profitebatur, unà cum Spiritûs Sancti à Patre, Filioque proceſſione, & ſummo primatu ac principatu Eccleſiæ Romanæ ſuper univerſam Eccleſiam: rogans tamen Pontificem, conſentire ob infirmitatem multorum Græcorum, qui necdum poſſent his acquieſcere, ut Symbolum fidei eodem modo recitaretur in eorum Eccleſiis, quo ante ſchiſma; & recepti ritus ſervarentur, qui non eſſent contra fidem Romanam & Generalium Conciliorum decreta.

SEC. XIII. GREGORIUS X.

XXXIV. *Idem faciunt Prælati Græcorum.*

Præter has Imperatorias literas, alias etiam præſentarunt Legati miſſas à Prælatis, inter quos viginti ſex Metropolitæ, in iis expreſſi, fidei Romanæ Eccleſiæ & unioni cum eadem fiendæ ſubſcripſerunt: licet induci non potuerit Joſephus Patriarcha Græcorum, ut cum illis conſentiret, ut ipſimet in literis teſtificantur. Unde Wadingus admiratur Ciaconium & alios aſſerere, eumdem ſicuti & Imperatorem ad Concilium perveniſſe. Prædictæ Imperatoris literæ referuntur ab eodem Wadingo & prædicto Tomo XI Conciliorum. Literas verò Præſulum obſcuras ſatis multis in locis, refert idem Wadingus eodem modo quo habentur in Actis Concilii & apud Matthæum Weſtmonaſterienſem, ſub anno 1274.

XXXV. *Græci profitentur Symbolum fidei more Romano.*

Apocriſarii, expletis his primis officiis ſuæ legationis deducti ſunt ad hoſpitia honorifice præparata. Deinde propoſita eſt eis norma fidei Romanæ, quam profiteri deberent nomine eorum à quibus miſſi erant, quam illi libenter admiſerunt, & ſe publicè profeſſuros ſpoponderunt. Quare die feſto Apoſtolorum Petri & Pauli Pontifex ſolemne ſacrum fecit in prædicta majori Eccleſia, ubi lectâ Epiſtolâ Latino & Græco idiomate, cantatoque Evangelio Latino à Cardinali Othobono de Fliſco, & Græco à Diacono ex Græcis eodem habitu, quo hæc myſteria illius nationis viri ſolent peragere, habitoque à ſancto Bonaventura Cardinali egregio ſermone de concordia ineunda, & puritate fidei Romanæ, cantatum eſt ſymbolum fidei Conſtantinopolitanum, *Credo in unum Deum* Latino idiomate. Deinde immediatè prædictus Germanus olim Patriarcha Conſtantinopolitanus cum ceteris Græcis, & Archiepiſcopis Calabriæ ritum Græcum ſequentibus, cantaverunt ſolemniter & alta voce prædictum Symbolum: dum verò perventum eſt ad articulum de proceſſione Spiritûs ſancti, ſolemniter & devote illum expreſſerunt lento & gravi cantu terdicentes, *qui à Patre, filioque procedit.* Terminato ſymbolo idem Germa-

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS X. Germanus, Archiepiſcopi & Logotheta cum aliis cantaverunt laudes ſolemnes in lingua Græca Domino Papæ: mox Pontifex circumdantibus altare Græcis, miſſam proſecutus eſt.

XXXVI. *Pontifex Henricum Leodienſem Epiſc. depoſuit.* Tertia Julii menſis die Gregorius Pontifex Henricum Geldrenſem, Epiſcopum Leodienſem, multorum graviſſimorum exceſſuum accuſatum, damnatumque depoſuit, ad quem extat egregia ejuſdem Pontificis parænetica Epiſtola ante depoſitionem data, quam deſcripſit Joannes Hocſemius Tomo 2. Pontificum Leodienſium in Vita ejuſdem Henrici. Depoſitus porrò Henricus poſt viginti ſeptem annos ſedis, ut ſcribit Auctor Magni Chronici Belgici ex Chronico Leodienſi, vixit adhuc duodecim annis, quibus vidit tres alios Epiſcopos Leodienſes, ſinguliſque bellum intulit; donec à cujuſdam virginis nobilis, quam conſtupraverat, propinquis occiſus eſt, habens quando mortuus eſt ſexaginta quinque filios naturales: cum qui talis eſſet, multa nihilominus præclarè egiſſet pro defenſione patriæ, ac per probos viros ſpiritualia rexiſſet.

XXXVII. *Tartarorum ad Concilium acceſſus.* Addunt Acta die quarta ejuſdem menſis Julii adveniſſe Legatos Tartarorum Orientalium cum literis Abaghæ eorum Regis, ductoſque ad aulam Pontificiam, receptos eſſe cum honore & magnificentia, ac remiſſos ad hoſpitia. Illos tamen Legatos non cauſâ fidei, ſed ut fœdus cum Chriſtianis inirent, miſſos fuiſſe Weſtmonaſterienſis obſervat, & ex Haytono cap. 35. patet; necnon ex literis à Gregorio Pontifice ad ipſum Regem redditis poſt Concilium, datæ enim dicuntur *tertio Idus Martii anno III*, ideoque anno 1275. extantque Tomo XI Concil. pag. 874. Iis Pontifex promiſit ſe Legatos ſuos miſſurum, qui cum eo agerent de rebus quas petierat, tum etiam de aliis quæ ad ſalutem ejus ſpectarent, licet enim Chriſtianis faveret, erat tamen idolorum cultui deditus, ut idem Haytonus cap. 32. & ſeqq. ac Sanutus lib. 3. part. 13. cap. 7. & 8. tradunt. Unum porrò ex illis Tartarorum Nunciis cum duobus ſociis à Petro Oſtienſi Epiſcopo, die decima ſexta Julii, antequam inchoaretur quinta ſeſſio, ſolemniter baptizatum fuiſſe Acta tradunt, quibus Pontifex fecit fieri veſtes de ſcarlato, ſeu quiſquiliatas more Latinorum. Eadem die quarta Julii Pontifex ſeſſionem ad diem Veneris ſextam ejuſdem menſis indixit.

XXXVIII. *In ſeſſione quarta Græci profitentur fidem S. R. E.* Eadem itaque die ſexta menſis Julii Pontifice ſedente cum Diacono Cardinali, & immediate poſt Cardinales, à latere dextro Nunciis Græcorum, expleto ſermone per Petrum Oſtienſem Epiſcopum ſub illo themate, *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde* [pſalmo 75. 6.] Pontifex alium habuit ad Patres Concilii circa cauſas, propter quas coactum eſt, maximeque commendavit Michaelis Imperatoris fidem & ſollicitudinem in mittendis Legatis contra multorum expectationem. Deinde Imperatorum, Andronici item Imperatoris & Prælatorum diplomata tria ſignata bullis aureis & latinitate

tate donata fecit publicè legi coram omnibus. Quibus lectis Georgius Acropolita magnus Logotheta dixit, ſe in mandatis accepiſſe ab Imperatore jurare in animum ipſius, & profiteri fidem Catholicam Eccleſiæ Romanæ. Quare ſtatim profeſſus eſt eam, quæ lecta fuerat in Concilio, & habetur C. *de ſumma Trinit. & fide Cathol. in 6.* & eſt prima ex Conſtitutionibus in Concilio promulgatis Tomo XI Concil. pag. 974. dixitque eam velle credere & tenere Imperatorem, ejuſque ſubditos, atque perpetuò ſervaturos, neque ullo unquam tempore ab ea receſſuros. Dehinc ſacramentum addidit, quod integrum refert Wadingus. SEC. XIII. GREGORIUS X.

XXXIX. *Pontifex & Patres gratias agunt Deo ob unionem factam.*

His peractis Pontifex incepit *Te Deum laudamus*, quo completo, & dicto verſiculo, *confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*, &c. & oratione, *da Eccleſiæ tuæ quæſumus Omnipotens Deus, ut ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur*, à Pontifice ſubiunctâ, idem Pontifex breviter allocutus eſt ſacroſanctum cœtum, ſuper immenſo gaudio animo concepto, & egregio opere, quod Deus mirabiliter complevit. Poſt ejus ſermonem Germanus olim Patriarcha, quem Acta ſimpliciter Patriarcham appellant, & Archiepiſcopus Græcorum deſcenderunt in navim Eccleſiæ, & ſederunt in ſedibus altis, in loco in quo ſedebant presbyteri Cardinales poſt eos, & tunc Papa incepit idiomate Latino ſymbolum fidei, *Credo in unum Deum*, quo finito, idem Germanus ſimiliter inchoavit lingua Græca idem ſymbolum, quod per eum, Archiepiſcopum Nicoſienſem, & alios Græcos qui cum eo venerant, necnon per alios Archiepiſcopos & Abbates Græcos de regno Siciliæ, ſolemni cantu ad finem uſque deductum: repetita tamen bis proceſſione Spiritus ſancti *à Patre, filioque*. Hoc peracto ſignificavit Pontifex Regem Tartarorum miſiſſe nuncios ſuos, qui ex adverſo coram Pontifice ſtabant ad pedes Patriarcharum, juſſitque Regias literas legi, quibus lectis iterum Concilii patres allocutus eſt, & indixit ſeſſionem quintam ad diem Lunæ proximè ſequentem, nonam ejuſdem menſis, & aliam ad diem Martis ſequentis, non tamen præcisè, quia dixit, ſi commode poſſet; in qua dixit ſe debere finire Concilium. Et ſic diſſoluta eſt quarta Seſſio.

XL. *Interſunt exequiis S. Bonaventuræ Cardinalis.*

Seſſio tamen quinta haberi non potuit eodem die quo decreta fuerat, quia cum die ſabbati, ſeptima ejuſdem menſis Julii, Pontifex oſtendiſſet Cardinalibus conſtitutionem quam fecerat ſuper electione Romani Pontificis, qua volebat præpedire tot damna, quæ ſequebantur ad ſeram Pontificum creationem, orta eſt diſſenſio inter eum & Cardinales, quos tamen omnes poſtea in ſuam ſententiam adduxit. Quæ contentio in cauſa fuit dilationis ſeſſionis ad diem Lunæ decimam ſextam ejuſdem menſis. Sed antequam celebraretur quinta ſeſſio, ſummo omnium dolore & magno rei Chriſtianæ detrimento vitæ finem poſuit Sanctus Bonaven-

Digitized by Google

SEC. XIII.
GREGORIUS X.

tura in ipſo Concilio, cujus mortem candide & breviter narrant Acta Concilii. *Eodem anno* 1274. inquiunt, *die dominico, decima quinta ejuſdem menſis* Julii, *hora matutinali obiit claræ memoriæ frater Bonaventura Albanenſis Epiſcopus, qui fuit homo eminentis ſcientiæ & eloquentiæ, vir quidem ſanctitate præcipuus, vita, converſatione ac moribus excellentiſſimis decoratus, benignus, affabilis, pius & miſericors, virtutibus plenus, Deo & hominibus dilectus, ſepultus eſt in ipſo die Dominico in loco fratrum Minorum Lugduni, cujus exequiis interfuit Dominus Papa cum omnibus prælatis qui erant in Concilio, & tota curia, & frater Petrus Oſtienſis Epiſcopus celebravit miſſam, & prædicavit propoſito themate* (1. Reg. 1. 26.) doleo ſuper te mi frater Jonatha: *Multæ lachrymæ & gemitus ibi fuerunt; hanc ei gratiam conceſſerat Dominus, quod quicumque eum videbant, ipſius amore incontinenti capiebantur ex corde. Deinde die ſequenti in publica omnium ſeſſione Pontifex allocutus eſt Concilium dicens.* Quomodo Eccleſia Dei inæſtimabile damnum perpeſſa fuerat ex obitu fratris Bonaventuræ Albanenſis Epiſcopi, *& mandavit omnibus prælatis, & omnibus presbyteris per totum mundum, ut quilibet eorum unam miſſam deberet cantare pro anima ipſius, & aliam pro animabus omnium aliorum, qui mortui ſunt adveniendo, ſtando, vel redeundo ad Concilia ſive ad Concilium.* Ad hæc Petrus Galeſini in ejus Vita ait, in Sancti Bonaventuræ obitu fuiſſe communem penè omnium vocem dicentium, vel potius lamentantium, rei Chriſtianæ publicæ columnam corruiſſe. Tanta verò populi celebritate funus elatum eſt, ut omnis Lugduni civitas ad illud celebrandum ſe ſe cum lachrymis effuderit. Sixtus quartus eidem ſancti decrevit honores, & Sixtus quintus cum primis Doctoribus connumeravit, ut ſuis locis videbitur.

XLI.

In V ſeſſione editur conſtitutio de incluſione Cardinalium in conclavi.

Gregorius Pontifex adductis omnibus in ſuam ſententiam circa conſtitutionem quam fecerat ſuper electione Romani Pontificis, die Lunæ decima ſexta ejuſdem menſis Julii ſeſſionem quintam celebravit, in qua Acta tradunt, promulgatas eſſe quaſdam conſtitutiones, quæ ſimul cum iis quæ in tertia ſeſſione promulgatæ fuerant, extant Tomo XI Conciliorum. In his fuit illa præcipue, quam Pontifex condidit de electione Romani Pontificis, plures continens leges, quæ proceſſu temporis paululum variatæ in hanc propemodum formam ex uſu redactæ ſunt, juxta Onuphrium Panuinium in Notis ad Platinam in Gregorio X.

Ut novi Pontificis comitia idoneo loco habeantur.

I. Ut novi Pontificis comitia habeantur loco idoneo, ubi Pontifex præcedens cum ſua curia reſidens, cauſſarumque & literarum Apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod ſi in villa, pago, aut oppido obierit, & propterea commode ibidem Comitia haberi nequiverint, in urbe, in cujus diœceſi, villa, pagus, vel oppidum fuerint, habeantur, niſi interdicta ſint. Quo caſu in proximiore urbe non interdicta ipſa electio fieri debet; ſi verò audientia alio loco fuerit, tunc

non

SEC. XIII.
GREGORIUS X.

non ubi Papa obierit, ſed ubi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur.

Comitia non celebrentur niſi poſt dies X.

II. Ut mortuo Pontifice comitia non habeantur, niſi ad minus decem dierum ſpatio interjecto, quo tempore & Cardinales abſentes expectari & novemdialia demortui Pontificis per Cardinales præſentes celebrari debent.

Abſentes ſuffragii jure privati.

III. Ut Cardinales omnes quavis ratione à conclavi abſentes nullum ferendorum ſuffragiorum jus habere poſſint.

Omnes creari poſſunt.

IV. Ut non ſolum Cardinales abſentes, ſed & omnes cujuſvis ordinis & conditionis homines in Romanum Pontificem creari poſſint.

Cardinales in conclavi recludantur.

V. Ut finitis novemdialibus, ſacriſque die decimo rite Sancto Spiritui factis, omnes Cardinales, qui adſunt (ſive abſentes venerint, ſive non) in palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto undique clauſo, & optime cuſtodito, quod *conclave* vocant concludantur, cum duobus tantum, vel ſi ægritudine laborent, ut nunc conſuetudo eſt, tribus, aut quatuor famulis, qui eis neceſſaria ſubminiſtrent, in loco comitiorum. Nec alicui præterea fas ſit locum ingredi, vel egredi, niſi infirmitatis cauſſa, certiſque quibuſdam hominibus, quorum opera in conclavi exiſtentibus maxime eſt neceſſaria. Is porro locus conclavis nullum intermedium parietem habeat; ſed omnes Cardinales in cellulis ſuis, laneis diſtinctis pannis, ipſum inhabitent in communi.

Conclave à quibus cuſtodiri debeat.

VI. Ut locus & portæ conclavis diligentiſſimè cuſtodiantur: ſi Romæ electio habeatur, primùm à Prætorianis, deinde à Regulis Romanis & oratoribus principum ſacramento prius aſtrictis, demum in loco, oſtio conclavis proximiore, ab Epiſcopis & Conſervatoribus Urbis. Si autem extra Urbem comitia hæc habeantur, à loci ejuſdem dominis temporalibus eodem juramento fidelitatis obligatis. Quorum munus eſt conclave cuſtodire, & diligenter cavere, ne quid Conclavi inferatur, ſeu exportetur, quò minus legitima ſuffragia ferri poſſint, atque ſingula ſcrutari, quæ, vel cibi, vel alterius rei cauſſa inferuntur ad eos, & providere, ne quid detrimenti patiantur Cardinales, omnibuſque ipſorum nutibus præſto eſſe: milites verò Prætoriani ac Reguli Romani Conclave ab omni impreſſione tutum reddere debent.

Cardinales non egrediantur.

VII. Ut Cardinales Conclavi egredi nulla ratione poſſint, niſi Romano Pontifice creato.

Nullus Card. etiam excommunicatus ab electione arceatur.

VIII. Ut Cardinalibus venientibus poſt ingreſſum conclavis, & ante Papæ creationem, poteſtas ſit conclave ingredi, ac cum ceteris ſuffragia ferre, nulluſque Cardinalis quamvis occaſione, aut prætextu etiam excommunicationis vinculo innodatus ab electione ipſa arceri poſſit.

Poſt triduum unicum ferculum inferatur Cardd.

IX. Ut poſt triduum ingreſsûs conclavis, niſi pontifex renunciatus fuerit, Epiſcopi cum Regulis Romanis, & his qui conclavis cuſtodiæ præſunt, maximam in epulis & cibis, quæ Cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis nonniſi ferculum unum inferri permittant.

X. Ut

Digitized by Google

SEC. XIII. GREGORIUS X.

Alia conclavis leges.

X. Ut in comitiis habendis, ſub anathematis pœna nulli fas ſit, aut largitione uti, aut quidpiam polliceri, aut prenſare, ſive ambiendo, animos Cardinalium ſibi in nova creatione devincire. Quo interim tempore Cardinalibus, nulli alii negotio vacandi, jus, poteſtasque ſit, quò electio maturetur.

XI. Ut nemo Romanus Pontifex renunciari poſſit, niſi duarum partium ex tribus Cardinalium in conclavi præſentium integra ſuffragia tulerit.

XII. Ut mortuo Romano Pontifice omnes Eccleſiaſtici magiſtratus & officia ſtatim ceſſent, atque à muneribus ſuis vacent, præter Pœnitentiarium majorem, Minoreſque, & Camerarium S. R. E. quorum munera etiam mortuo Papa perdurant.

XLII. *Conſtitutio Gregorii in aliquibus poſtea mitigata.*

Ita Panuinius ex libro 6. Decretalium Bonifacii Papæ VIII lib. 1. tit. 6. de elect. & elect. poteſt. cap. 3. ubi periculum, item lib. Clementinarum primo tit. 3. de elect. & electi poteſtate, cap. ne Romani. Ex quibus patet à Pontificibus ſequentibus mitigatam eſſe Gregorii X conſtitutionem, quæ etiam extat Tomo XI Concil. quæque incipit, *Ubi periculum*; eâ enim inter alia ſtatutum erat, ut quilibet Cardinalis uno tantum famulo, vel Clerico, vel laico contentus eſſet, & quibus patens neceſſitas id ſuggerebat, duos tantum habere permittebantur. Præterea eadem conſtitutione ſtatutum erat, ut ſi electio non fieret intra tres dies ab ingreſſu conclavis, per quindecim dies ſequentes, tam in prandio, quàm in cœna Cardinales uno ſolo ferculo eſſent contenti. Quibus diebus decurſis, ex tunc tantummodo panis, vinum & aqua miniſtrarentur eisdem Cardinalibus donec electio ſubſequeretur. Unde ab Hadriano V & à Joanne XXI ſuſpenſa imò & abrogata fuit, hæc conſtitutio, ſed à Cœleſtino V renovata, ut ſuis locis dicetur.

XLIII. *Sexta & ultima ſeſſio Concilii.*

Ut verò ad Concilium revertamur, die decima ſeptima ejuſdem menſis Julii habita eſt ſexta & ultima ſeſſio, in qua pariter nonnullæ aliæ lectæ ſunt conſtitutiones, deinde Gregorius Papa Pontificalibus indutus, allocutus eſt Patres Concilii circa ſubſidium Terræ ſanctæ, & unionem Græcorum jam feliciter conſummatam; & acrius invectus eſt contra pravos quorundam de Clero mores, graves ſuperaddens minas, niſi eos in melius corrigerent, omneſque hortatus eſt, ut in ſuis Eccleſiis reſiderent. Tandem omnibus finitis dixit Sanctiſſimus pater orationem pro terminando Concilio, & ſolemni benedictione populum ſanctificavit: mox Cardinalis Othobonus altiori & ſolemni voce dixit: *procedamus in pace*: & ſic diſſolutum eſt Concilium.

XLIV. *Pontifex recipit Oratores Rudolphi Imp. qui ei obedientiam & fidelitatem præſtant.*

Cum autem prætérea conſtet, Rudolphum Romanorum electum Imperatorem legationem miſiſſe ad Gregorium tempore Concilii, mirari non debuit Spondanus, prædicta Concilii Acta eam intactam præteriiſſe, quia ſcilicet in ſolo Cardinalium Conſiſtorio, non in ipſo Concilio, legati

Legati Germaniæ admiſſi ſunt ad ſacramenta, Rudolphi nomine nuncu- *SEC. XIII.*
panda, ac privilegia Romanæ Eccleſiæ à veteribus conceſſa Imperatoribus GREGO-
confirmanda, & hoc poſtquam Pontifex Oratores Alphonſi Caſtellæ Re- RIUS X.
gis, qui de Imperio decertabant, re infecta dimiſiſſet. Hæc verò, ut majori celebritate fierent, adhibiti ſunt principes Eccleſiaſtici Electores, aliique inſignes Germaniæ præſules, qui Imperialia diplomata perlegêre: atque ad rem ſecuturis ætatibus mandandam, ſolemnes tabulæ confectæ ſunt, quas in molis Hadrianæ archivo aſſervari aſſerit Raynaldus, qui eas recitat num. *6.* & ſeqq. ex quibus conſtat, Othonem præpoſitum Eccleſiæ Sancti Guidonis, Spirenſis diœceſis, Imperialis aulæ Cancellarium, Rudolphi nomine confirmaſſe privilegia ab Othone IV & Friderico II Eccleſiæ Romanæ conceſſa; promiſiſſe Rudolphum ditionem Eccleſiæ non invaſurum: bellum Siciliæ Regi non illaturum; & acceptis Imperialibus ornamentis Romæ promiſiſſe ea corroboraturum, eoque pacto obedientiam & fidelitatem, Rudolphi nomine, ſolemni jurejurando ſpopondiſſe Othonem. *Acta ſunt hæc Lugduni in prædicto Conſiſtorio anno Domini MCCLXXIV, menſe Junio, die martis, VI menſis ejusdem, Pontificatûs vero anno III. Porrò ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, nos memorati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Burclavius & Comes, præſentes literas fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari*, ut legitur in fine diplomaris ea de re confecti. Sed legendum, *die Martis, V menſis ejusdem*, nam dies VI menſis Junii concurrebat cum die Mercurii, non verò cum die Martis, ad quem errorem nec Bzovius, nec Raynaldus animum adverterunt.

Joannes Mariana Rerum Hiſpanicarum lib 13. cap. 22. ſcribit, Pon- XLV.
tificem antequam electionem Rudolphi confirmaret, Legatum ad Al- *Rudolphi*
phonſum Caſtellæ Regem, inanem Imperii umbram oſtentantem miſiſſe, *electionem*
qui nomine ejus redditaum Eccleſiaſticorum decimas in bellum Mauricum *ratam habet.*
illi polliceretur, modo vano Imperii jure cederet. Quod tantum commodum Alphonſus lubenti animo acceptans, totam controverſiam arbitrio Pontificis permiſit: ſicque Pontificem Rudolphi electionem ratam feciſſe poſt Synodi dimiſſionem octavo Idus Septembris: eaque de re literas dediſſe ad univerſos Principes Chriſtianos: atque imprimis Rudolphum monuiſſe, ut quantocius Romam ad ſe veniret, confirmaturus ea quæ Otho Legatus ejus nomine juraſſet, & coronam Imperii ſuſcepturus. Hieronymus verò Surita in Indiculo lib. 2. ait, Pontificem ratam habuiſſe Rudolphi electionem ſexto Kalendas Octobris, qui Auctores ita conciliandi ſunt, ut Gregorius octavo Idus Septembris Rudolphi electionem confirmarit; die verò ſexto Kalendas Octobris, ad eum ut ad Regem Romanorum ſcripſerit, literæ enim Gregorii *Rodulpho Regi Romanorum illuſtri* inſcriptæ, datæ dicuntur *Lugduni VI Kal. Octob. anno III* apud Raynaldum num. 55.

SEC. XIII. GREGORIUS X.

XLVI. *Legatos Græcorum cum muneribus & literis ad propria remittit.*

Poſt Synodum Gregorius Papa Græcos muneribus donatos ad ſua remiſit, literaſque reſcripſit quinto Kalendas Auguſti, ad eoſdem ipſos à quibus acceperat, Michaëlem Imperatorem, Andronicum ejus primogenitum & Antiſtites, gratulatorias de iis quæ hactenus geſta eſſent; & hortatorias ad perſeverantiam, & ad omnem adhibendam ſolicitudinem, ut qui adhuc in ſchiſmate perſeverarent, eamdem fidem & unionem amplecterentur. At verò econtra majores turbas excitatas eſſe poſt ipſorum reditum Conſtantinopolim, narrat Nicephorus Gregoras lib. 5. qui & aſſerit, tria præcipua capita unionis fuiſſe; primum, ut Papæ nomen in diptycha referretur, memorandum in ſacris unà cum ceteris quatuor Patriarchis: ſecundum, ut liceret cunctis Romanam ſedem appellare: tertium, ut illi primatus in omnibus deferretur; cetera namque de additione ſymboli minus fuiſſe controverſa. Primam ex his conditionibus adimpletam fuiſſe teſtis eſt Georgius Pachymeres in Hiſtoria ex Barberina bibliotheca edita, lib. 5. cap. 22. duo aſſerens ſubſecuta eſſe, Joſephi ſcilicet Patriarchæ exauctorationem, quam Legati Græcorum in ſeſſione quarta Concilio promiſerant, ſi in pertinacia ſua permaneret; & publicam Papæ in ſacro commemorationem. Celebrata enim ſynaxi die prima Auguſti, mentio Papæ proprio loco per Diaconum facta eſt, & Gregorius ſummus Pontifex Apoſtolicæ Eccleſiæ, ac OEcumenicus Papa proclamatus. Licet autem Michael Imperator unionem acriter proſecutus ſit, ſub Andronico tamen ejus filio & ſucceſſore penitus rupta eſt poſt mortem Michaëlis; Græci enim contra Doctrinam Eccleſiæ Romanæ de Spiritu ſancto & contra Græcos eam profitentes pſeudo-Synodum celebrarunt, & fidem damnarunt, quam in Concilio Lugdunenſi II profeſſi erant.

XLVII. *Congreſſum habet de juribus Imperii cum Alphonſo Caſtellæ Rege.*

Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto Gregorius Pontifex, antequam profectionem in Italiam adornaret, ad Belliquadrum, vulgò Belcairum, oppidum Rhodano præterfluente nobile cum Alphonſo Rege Caſtellæ colloquium habuit. Alphonſus enim cum etiam poſt cauſam Imperii in favorem Rudolphi dijudicatam, adhuc cupidine ejus potiundi, tum maximè cum minus poſſet, ardens, colloquium illud cum Gregorio Pontifice expetierat. Ibi Alphonſus oratione habita ignominiam repulſæ cauſatus, malle ſe bello experiri conteſtatus eſt, quam jure ſuo cedere. Sed Pontifex declaravit, jure licuiſſe novum Imperatorem creare; Richardi Angli obitu nullum jus Alphonſo acceſſiſſe, ipſumque ſe in poteſtate Pontificis futurum promiſiſſe; publice id ſalutare fuiſſe, privatim haud ignominioſum; nec magis Germanis Hiſpanos imperare æquum eſſe, quam Germanos Hiſpanis; adversùs Germanorum conſenſum ejus vires haud poſſe comparari, multum infamiæ victo fore, victori exiguos fructus. His & aliis ejuſmodi Pontificis rationibus ac ſuaſionibus, eo conatu Alphonſus Rex deſtitit, ut ſcribunt Blondus lib. 2. decade

Digitized by Google

decade 8. Nauclerus Generat. 43. & Mariana lib. 13. cap. 22. Quo præ- *SEC. XIII.* ciſe tempore illud colloquium habitum ſit, incertum eſt; illud ſolum ex GREGO- variis Epiſtolis à Pontifice Belliquadri datis conſtat, Pontificem ea in RIUS X. urbe jam fuiſſe XII Kalendas Julii, & ex ea diſceſſiſſe poſt diem II Nonarum Septembris.

Belliquadro quaſdam alias Galliarum urbes peragravit Pontifex. Valentiæ enim Idibus Septembris literas dedit Archiepiſcopo Hiſpalenſi. Inde Viennam perrexit, ubi exiſtens Amedæum præfecit Valentinæ Eccleſiæ, cui Dienſem Epiſcopatum conjunxit Epiſtolâ 58. lib. 4. *Valentinam*, inquit, *& Dienſem Eccleſias propter urgentem neceſſitatem & evidentem utilitatem ipſarum, de quibus nobis & eiſdem fratribus conſtitit evidenter, de ipſorum fratrum conſilio, præſertim cum ad hoc etiam vicinitas locorum invitet, & de Apoſtolica plenitudine poteſtatis unimus; auctoritate præſentium ſtatuentes, ut ſtatu Præſulum, qui nunc præſunt eiſdem, ſine immutatione aliqua remanente, integro tandem, quovis ipſorum cedente, ſeu etiam decedente, ſic una ſit earumdem Eccleſiarum Epiſcopalis dignitas, quod ſuperſtes ſit Epiſcopus utriuſque, Valentinus & Dienſis Epiſcopus nominandus*, &c. Ex aliis autem literis conſtat, Gregorium adhuc Viennæ fuiſſe IV Kalend. Octobris.

XLVIII. *Valentinenſem & Dienſem Epiſcopatus unit.*

Viennâ Lauſanam perrexit, ut cum Rudolpho Rege Romanorum, à quo jam ante ad id ſollicitatus fuerat, iniret colloquium, de cujus acceſſu hæc habet Auctor Annalium Dominicanorum Colmarienſium part. 1. ad annum 1275. *Pridie nonas Octobris Gregorius Papa venit Lauſanam. Rex Rodulphus venit ad eum feſto Lucæ cum Regina & pene cum liberis ſuis univerſis.* Eadem habet Bernardus Guido in Chronico Rom. Pontificum: *Pervenit*, inquit, nimirum Pontifex, *Vienna Lauſaniam: ubi dictus Rodulphus Rex cum Regina uxore ſua filiiſque & filiabus ſuis veniens, juramentum eidem Papæ fecit, & Romaniolam cum exarchatu Ravennæ Eccleſiæ Romanæ reſtituit.* Bernardo conſentit Ptolomæus Lucenſis, qui lib. 23. cap. 4. Hiſt. Eccleſ. ait de Rudulpho Imperatore: *Tunc tradunt Hiſtorici quod juramentum præſtitit ſummo Pontifici fidelitatis Romanæ Eccleſiæ de conſervando ipſam, quod habetur diſt. 63. cap. Tibi Domino. Tunc etiam reſtituit Eccleſiæ comitatum Romandiolæ cum exarchatu Ravennæ.* Ibidem itaque Rudolphus promiſſa ab Othone Regii ſigilli præfecto in Concilio Lugdunenſi, confirmavit, & in Eccleſia Lauſanenſi juramentum ſolitum præſtitit, quod, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis extat in corpore Juris Canonici *diſt. 63. c. 33. Tibi domino*: ac ſpeciatim Eccleſiæ Romanæ bona ac jura exprimens, juravit ſe omnia ſarta tecta tutaturum, & propediem Romam ad coronam accipiendam venturum, & ad ſacrum bellum adverſus Saracenos ſine ulla detrectatione properaturum. Diploma hac de re confectum, quod extat in archivo caſtri Sancti Angeli Romæ refert Raynaldus num. 37. diciturque *Actum in Eccleſia Lauſanenſi anno Do-*

XLIX. *Lauſana cum Rudolpho Rege Rom. colloquium habet.*

mini MCCLXXV, *Indict. III* (à Kalendis Januarii inchoata) *XIII Kalendas Novembris anno III*, nempe regni Rudolphi. Alio Regio edicto, poſtero die, ſcilicet XII Kalendas Novembris, promulgavit ſe omnia jura ab aliis Imperatoribus collocata corroboraſſe: ſanxiſſe, ut præſulum electiones ſumma cum libertate celebrarentur; utque provocari in cauſis Eccleſiaſticis ad Romanum Pontificem poſſet; proſcripſiſſe conſuetudinem, quæ in Antiſtitum morientium invadendis fortunis irrepſerat; operam denique ſuam ad hæreſes excindendas pollicitum eſſe. Quæ etiam literæ referuntur ab eodẽm Raynaldo num. 38. & ſeqq.

L. *Cenſuras in perduelles Eccleſiæ latas renovat.*

Poſt hæc Gregorius Pontifex ſuperatis Alpibus Mediolanum perrexit, qua ex urbe XVIII Kal. Decembris, ſeu die XIV Novembris Epiſtolam dedit ad Electum Virdunenſem, cui decimarum colligendarum in iis regionibus cura tradita erat. Dum adhuc eſſet Mediolani, in die dedicationis Baſilicæ principis Apoſtolorum, ſeu die XVIII ejuſdem menſis Novembris, quo Romanos Pontifices cenſuras in perduelles Eccleſiæ vibrare moris erat, hunc morem ſervare voluit, ad edomandam eorum pertinaciam, qui progreſſu temporis incuſſas in ipſos pœnas Eccleſiaſticas obſoleſcere, atque evaneſcere poſſe arbitrabantur; ideoque latam à Clemente IV, ſive in ſingulares homines, ſive in populos, ac reſpublicas ſententiam in Eccleſia Ambroſiana ne vetuſtate deleretur, renovavit, ut conſtat ex ejus Epiſtola 15. lib. 4. apud Raynaldum num. 45.

LI. *Placentiam, Florentiam & inde Aretium pergit.*

Mediolano Placentiam adiit, indeque Florentiæ appropinquans, quamvis propoſuiſſet ab ejus ingreſſu, utpote interdictæ abſtinere; neceſſitate tamen cogente, eò quòd forte Arnus fluvius per eos dies auctior vado tranſmitti nequiret, urbem ingreſſus quà ponte tranſiret, nihil vel parum moratus, duobus paſſuum millibus ab ea diverſatus eſt, dieque ſequenti Aretium proceſſit. De interdicto autem, quo Florentina civitas ob non ſervatas pacis cum Gibellinis leges ſuppoſita fuerat, ut ſuperius diximus, tollendo, nihil ab eo impetrari potuit. Tantum dum per urbem iter fecit, benedictionem exhibuit civibus: egreſſus verò iiſdem cenſuris quibus prius obnoxiam reliquit civitatem; illud Davidicum proferens, *In camo & fræno maxillas eorum conſtringes qui non approximant ad te* pſal. 31. Hæc referunt Ricordanus Maleſpina cap. 102. Joannes Villanius lib. 7. cap. 50. Aretinus lib. 3. ac tandem Sanctus Antoninus tit. 20. cap. 2. §. 4.

LII. *Ad Deum tranſit.*

Cum Gregorius Pontifex Aretium, Epiſcopalem Hetruriæ civitatem, non multum Florentia diſtantem, utpote in Florentino territorio ſitam, & Peruſio 33. tantum milliaribus diſſitam perveniſſet, Terræ ſanctæ recuperationem toto animo cogitans, ad quam unà cum Rudolpho poſt ejus coronationem in Imperatorem, ac cum Regibus Francorum, Angliæ, Siciliæ & Aragoniæ, cruceſignatis, quamprimùm

redire,

Digitized by Google

redire, ibidemque mori deliberaverat, morbo correptus, fortunatiorem terram inviſit, æternum in ea victurus. Siquidem die decima Januarii anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi ſexti in cœlum migravit, cum ſediſſet à die electionis annos quatuor, menſes quatuor & dies decem; à conſecratione verò annos tres, menſes novem, dies quindecim. Diem mortis ejus nos docet Ptolomæus Lucenſis lib. 22. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 5. *Tranſivit*, inquit, *in Lombardiam, & venit in Tuſciam, & applicuit apud Aretium, ubi infirmatus eſt, & mortuus, per quem Deus ſuas virtutes oſtendit. Quod fuit, ut Hiſtorici tradunt, IV Idib. Jan. anno videlicet Domini MCCLXXV* incœpto vel à die XXV Martii, vel à Paſchate, ideoque juxta vulgarem computum anno MCCLXXVI. SEC. XIII. GREGORIUS X.

LIII. *Ejus virtutes.* Idem Ptolomæus libro laudato cap. 4. Gregorii ſingularem in rebus agendis induſtriam, miſericordiam in pauperes, & in religioſos viros benevolentiam his verbis exprimit: *Hic papa fuit mira experientia in ſecularibus quamvis modica literatura, nec intendebat pecuniarum lucris, ſed pauperum eleemoſynis. Religioſos viros multum dilexit & fovit.* Leonardus Aretinus in Hiſtoria Florentina lib. 3. *fuit*, inquit, *vir optimus, & proculdubio ſanctiſſimus: ingentis quidem animi contra Chriſtiani nominis inimicos, & qui ſacræ recuperationem Terræ ſemper meditaretur, ad eamque unam rem Chriſtianos omnes, poſitis inter ſe contentionibus intendere cenſebat.* Sanctus item Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 2. in principio hoc inprimis elogio Gregorium exornat: *Erat vir zelator fidei, & divini cultûs, ac deteſtator partialitatum, & pacis amator.* His præclaris elogiis adjungendum eſt Græcorum patrum in Concilio Conſtantinopolitano congregatorum inſigne encomium: ii enim in Synodalibus literis, teſte Raynaldo ad annum 1276. num. 2. datis ad Joannem XXI de Eccleſiarum conjunctione à Gregorio redintegrata locuti, addunt hæc verba: *Tempore felicis memoriæ beatiſſimi illius viri, ſi tamen virum & non Angelum vocari oportet, felicem illum ſanctiſſimum Papam decimum dicimus Gregorium.*

LIV. *Ejus ſanctitas.* Gregorium X poſt mortem miraculis inclaruiſſe Ptolomæus Lucenſis in Chronico, Bernardus Guidonis item in Chronico Rom. Pontificum, Longinus in Hiſt. Polonica ad annum 1275. aſſerunt, quod idem ſcribit Leonardus Aretinus loco laudato: *Sepultus eſt*, inquit, *Aretii ſumma cum veneratione. Multa circum illius corpus miracula poſtmodum ſubſecuta fidem ejus ſanctitatis indubiam prabuêre.* Deſcripta eſt eorum miraculorum hiſtoria in veteri charta pergamena ad illius ſepulchrum in ſacello Cathedralis Eccleſiæ Aretinæ affixa, quorum præcipua retulit Raynaldus in Annalibus. Ea miracula permovêre Placentinos anno 1316. ut ſcribit Victorellus, vel anno 1322. ut Oldoinus; & anno 1345. Aretinos, ut ſupplicarent Joannem XXII & Clementem VI pro ejus apotheoſi ritè inſtituenda; quæ & etiam petitio renovata eſt poſtmodum

SEC. XIII. GREGORIUS X. Julio III, Gregorio XV & Urbano VIII Summis Pontificibus; revera enim ex privata pietate Placentinorum & Aretinorum, ac ex peregrinorum frequentia Gregorius X ſemper obtinuit cultûs ac venerationis argumenta omnia: ſpectantur ſiquidem tum Placentiæ, tum Aretii imagines ejus vetuſtiſſimæ diademate ornatæ, & cum ſplendorum aureola. His addit Oldoinus, quod *major Aretii Baſilica extructa denuo, ſancto Pontifici Gregorio X conſecrata eſt tanquam patrono urbis, ac divo Tutelari, & ab eo tempore, hoc eſt, à ternis omninò ſeculis, ex Senatus praeſcripto notantur in libris rationum cereorum libra centena, ac centena offerenda à magiſtratu illius urbis ad aram, ipſo ejus anniverſario die: plebi etiam injunctum ab Antiſtite fuit, ut ceſſet eo die ab operibus negotioſis.* Quaſi jam eſſet inter divos conſcriptus Aretini nomen ejus Martyrologio Romano ad diem IV Idus Januarii adſcripſerunt. Memoratur itidem à Joanne Molano in Natali Sanctorum Belgii, à Philippo Ferrario in catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, & ab Andrea Sauſſayo in Martyrologio Gallicano, ubique ad diem X Januarii, quo die, qui anno 1176. concurrebat cum feria ſexta, non verò cum feria quarta, ut ſcribit Oldoinus, ad cœlum migravit, *cum eſſet annorum circiter ſex & ſexaginta* ex eodem Oldoino.

LV. *Ejus ſcripta.* Ptolomæum Lucenſem laudatum lib. 22. cap. 4. Hiſt. Eccleſiaſt. deceptum eſſe cum ſcripſit Gregorium X fuiſſe *modicæ literaturæ* ex eo conſtat, quod Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia teſtante, ſcripſit Gregorius *Dialogum inter Saulum & Paulum*, qui extat MS. in bibliotheca Varmienſi. Orationem *pro concordia inter Guelphos & Gibellinos.* Item Epiſtolas ad diverſos, quarum Regiſtrum aſſervatur MS. in Bibliotheca Vaticana, & illa ad Regem Armenorum extabat olim in Bibliotheca Cardinalis Sirleti. Plures aliæ extant tum Tomo XI Conciliorum, tum Tomo II Annalium Lucæ Wadingi. Ejus *Conſtitutiones* Eccleſiaſticæ aſſervantur cum Gloſſis domini Garziæ Juriſconſulti & Canonici profeſſoris, in bibliotheca Paravina S. Joannis de Viridario apud Canonicos Lateranenſes, & Cantabrigiæ in illa aulæ Penbrochianæ, & leguntur libro ſexto Decretalium.

INNO-

Digitized by Google

INNOCENTIUS V *Pontif. CLXXXV.*

Anno Domini MCCLXXVI.

I. SEpulto Gregorio Papa hujus nominis X, Cardinales ex lege nuper ab eo in Lugdunenſi Concilio lata, in conclavi ſe concluſerunt die vigeſima menſis Januarii anni 1276. & poſtridie, in feſto videlicet ſanctæ Agnetis, primo celebrato & publicato ſcrutinio, electus eſt in Romanum Pontificem Petrus Tarantaſienſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, dictus in Pontificatu Innocentius hujus nominis quintus. Id conſtat ex literis encyclicis quas poſt ſuam coronationem dedit, quibus fideles de adepta dignitate certiores fecit, quas ex formulario Marini Ebuli refert Raynaldus ad annum 1276. num. 17 *Convenimus*, inquit, *in civitate prædicta* (ſc. Aretii) *& in omni manſuetudine ſpontanea palatium, in quo idem prædeceſſor habitarat, pridie ante feſtum beatæ Agnetis intrantes, in ipſo feſto ſummo mane miſſarum ſolemniis in honorem ſancti Spiritûs celebratis ex more, ipſiuſque gratia votis invocata ſupplicibus, concorditer ad celebrandam electionem inſtantem ſcrutinii viam elegimus. Et aſſiſtente ipſo benigno ſapientiæ Spiritu, qui devote ſe invocantibus: Ecce adſum ſolet dicere invocatus, cujus gratia molimina tarditatis ignorat, primo celebrato & publicato ſcrutinio; quod tamen nequaquam aliud, ſicut nec oportuit, eſt ſecutum, in humilitatem noſtram .... unanimiter concordarunt.* Ipſum autem ante ſuam coronationem Innocentii nomen aſſumſiſſe patet ex literis, quas ante eam ſcripſit adhuc Aretii exiſtens, quarum hæc eſt inſcriptio: *Innocentius electus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei poteſtati, capitaneis, Antianis, Conſilio & communi Januenſi ſpiritum conſilii ſanioris.* In fine: *Nec miremini quod bulla noſtra non exprimens nomen noſtrum eſt appenſa præſentibus, quæ ante benedictionis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur: quia hi qui fuerunt hactenus in Romana Eccleſia electi Pontifices, conſueverunt in bullandis literis ante ſuæ benedictionis munus modum hujuſmodi obſervare. Actum Aretii*, &c. Ex quo patet, eum quidem Innocentii nomen aſſumſiſſe ante ſuam coronationem, ſed in bullando literas, Innocentii nomen reticuiſſe. Qua de re vide dicta in Gregorio X. Eas literas refert etiam Raynaldus num. XVI.

Petrus Tarantaſienſis eligitur Pontifex, & Innocentii V nomen ſumit.

II. Innocentius ante Pontificatum vocabatur Petrus de Tarantaſia, à loco originis ſic dictus, non procul à Maurienna valle, flumineque Iſara, quod in Rhodanum influit. *Innocentius V natione Burgundus de Tarantaſia ſedit anno domini MCCLXXVI*, ut legitur in codice bibliothecæ Vallicellanæ apud Raynaldum num. 15. Et infra: *Hic à pueritia in Ordine fratrum prædicatorum doctor in ſacra Scriptura eximius efficitur: demum in Archiepiſcopum Lugdunenſem, & poſt in Epiſcopum Oſtienſem,* tan-

Ejus patria & primordia ante Pontificatum.

Digitized by Google

SEC. XIII. INNOCENTIUS V. *tandem in Summum Pontificem aſſumitur.* Onuphrius Panuinius ex antiquis monumentis ſcribit, eum primùm ex Provinciali Franciæ Archiepiſcopum Lugdunenſem dictum, mox ante conſecrationem à Gregorio decimo creatum eſſe Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, ac paulò poſt majorem Pœnitentiarium.

III. *Coronatur Romæ.* Poſt ſuam electionem Romam perrexit Innocentius, ubi in Baſilica principis Apoſtolorum coronationis inſignia ſuſcepit: *Recedens igitur cum Curia*, inquit Ptolomæus Lucenſis, *de Aretio vadit Romam, & in ſancto Petro coronatur & conſecratur*, ideſt benedicitur, VIII Kal. Martii in feſto Cathedræ Sancti Petri, ut ſcribit Panuinius & ex eo Ciaconius. Poſtridie literas de ſua electione ad omnes principes & prælatos de more ſcripſit, atque ad opus Terræ ſanctæ hortatus eſt, inquit Spondanus, qui non refert ubi reperiantur illæ literæ, nam in prioribus quas ad fideles ſcripſit, dum adhuc eſſet Aretii, ne verbum quidem eſt de Terra ſancta.

IV. *Italiam pacat.* Innocentius ſtatim poſt ſuam coronationem ad pacem Italiæ conciliandam animum adiecit, quamobrem duos Legatos in Etruriam imprimis deſtinavit, qui Lucanos & Piſanos diſcordes ad concordiam revocarent: *Miſit duos Legatos in Tuſciam*, inquit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſ. lib. 23. cap. 19. *cum Ambaſciatoribus Regis Caroli, & facta eſt pax inter Lucanos & Piſanos, per prædictos Legatos & Ambaſciatores Regis: tunc enim quaſi tota Tuſcia conjuraverat contra Piſanos; ſed per adventum Legatorum & Ambaſciatorum omnia ſunt pacificata in Tuſcia.* Idem ſcribit Leonardus Aretinus Hiſtoriæ Florentinæ lib. 3. Florentinos etiam mandatis Eccleſiæ ſtare ſpondentes ab interdicto Gregorii X abſolvit, & communioni reſtituit.

V. *Moritur.* Deſtinavit quoque Innocentius Legatos ad Michaëlem Palæologum Græcorum Imperatorem pro confirmatione eorum, quæ ipſius nomine facta fuiſſent in Concilio Lugdunenſi, ut intelligitur ex literis ipſius Palæologi ad Joannem **XXI** ſcriptis. Alia præclara peragere animo verſabat, ſed eorum executionem mors præpopera impedivit; obiit enim Romæ die vigeſima ſecunda Junii, ut ſcribit Bernardus Guido in Chronico Romanorum Pontificum his verbis: *Hic licet multa facere propoſuiſſet, morte preventus, non potuit adimplere. Sed proh dolor! mox in ſuo ortu exaruit flos decorus; cito namque tulit eum Deus. Obiit autem Romæ ſepultus in Eccleſia Lateranenſi anno domini MCCLXXVI, vigeſima ſecunda die menſis Junii.* Sedit itaque à die ſuæ electionis menſes quinque, dies duos, computando & diem electionis & diem mortis, totidem enim menſes & dies eum ſediſſe ſcribit Ptolomæus Lucenſis, qui poſtquam ejus coronationem in Eccleſia Sancti Petri narravit, ſubdit: *Inde ſe transfert ad Eccleſiam Lateranenſem, & ibidem infirmatur, ac in XXII die Junii moritur in magna gratia collegii, ac, preſente Rege Ca-*

Digitized by Google

Carolo, in eadem Eccleſia honorificè ſepelitur, immediatè autem dixerat; *ſedit menſes V, dies II.* *SEC. XIII.* INNOCENTIUS V.

Licet Innocentius in Alpinis ſcopulis natus fuiſſet, præclaro tamen ingenio fuit, ejus præclara monumenta ante Pontificatum exarata reliquit. In quibus tamen non defuêre, qui pluſquam centum propoſitiones ejus reprehenderent: ſed juſſu Joannis Vercellenſis Magiſtri Generalis Ordinis prædicatorum à Sancto Thoma defenſæ ſunt, ut ex Opuſculo ejus perſpicuum eſt. *In Ordine*, nempe prædicatorum, *fuit magiſter in Theologia & magna literatura, unde ſcripſit ſuper ſententias, & etiam ſuper Epiſtolas Pauli, quas legit, & in qualibet lectione facit diſtinctiones ſeptimembres ad materiam prædicandi*, inquit ſanctus Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 3. in principio. Alia ejus Opera recenſet Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia. VI. *Ejus ſcripta.*

HADRIANUS V *Pontif. CLXXXVI.*

Anno Domini MCCLXXVI.

Erepto ex humanis Innocentio V, Hadrianus etiam V, natione Genuenſis, antea Ottobonus, Cardinalis Diaconus tit. Sancti Hadriani, ab Innocentio quarto patruo creatus, evectus eſt ad ſummum Pontificatum quarto Idus Julii ejuſdem anni 1276. ut Ricordanus Maleſpina, Joannes Villanius & Sanctus Antoninus ſcribunt, vel melius die decima ejuſdem menſis, ut ex Bernardo Guidonis mox laudando eruitur; diem enim ejus electionis non notavit Bernardus Guido, qui ait tantum: *Adrianus V, natione Genuenſis, fuit electus in Papam Romæ in palatio Lateranenſi in menſe Julii anno domini MCCLXXVI, ſeditque à die creationis ſuæ uſque ad diem obitûs menſem unum dies IX.* Pergit Bernardus: *Hic Papa dictus fuit Ottobonus, nepos Innocentii Papæ IV, à quo promotus fuerat in Diaconum Cardinalem* S. *Hadriani*: quare Pontifex factus, ex titulo ſui Cardinalatûs, Hadriani V nomen ſumſit. Hadrianum adhuc Cardinalem in Angliam ad extinguenda exorta inter Regem & principes diſſidia, à Clemente IV miſſum, ſuo loco diximus. Ad eum autem electum Pontificem cum agnati Thediſii, ſeu Theodoſii patris mox frequentes accurriſſent dignitatem gratulantes: *Utinam*, inquit, teſte Papirio Maſſono in ejus Vita, *me Cardinalem proſpera valetudine, non moribundum Pontificem inveniſſetis*, iis verbis quaſi præſagiens obitum ſuum, qui non multò poſt contigit. I. *Hadrianus V eligitur.*

Cum enim ſtatim poſt ſuam electionem ex Urbe Viterbium conceſſiſſet, quò jam deſtinaverat Epiſcopum Sabinenſem & Joannem Cajetanum S. Nicolai in Carcere Tulliano, & Jacobum S. Mariæ in Coſmedin, Diaconos Cardinales, ut cum Rege Carolo, quem ut eò ſe conferret II. *Antequam conſecretur, moritur.*

SEC. XIII. HADRIANUS V.

ferret permoverat, controverſias inter ipſum & Rudolphum Regem Romanorum ſubortas compoſiturus, ut teſtatur memoratus Joannes Caietanus, poſtea Papa ſub Nicolai III nomine, in literis quas Raynaldus extare dicit in codice MS. Vallicellano; nondum Presbyter, nec Pontifex ordinatus, ibidem ſupremum diem obiit die decima octava menſis Auguſti: *Hic de Roma Viterbium veniens*, pergit Bernardus Guido, *quadraginta diebus à ſua creatione nondum expletis, nondumque promotus in Sacerdotem, nec coronatus, nec conſecratus Viterbii moritur XVIII die menſis Auguſti, & in Eccleſia fratrum Minorum ſepelitur anno domini MCCLXXVI*, cum ſediſſet *à die ſua creationis usque ad diem obitus menſem unum dies IX*, ut num. ſuperiori ex eodem Bernardo retulimus, ex quo patet, eum electum eſſe die decima Julii, & deceptos eſſe Ricordanum, Villanium & S. Antoninum, qui ejus electionem alligant cum die duodecima Julii. Bernardo conſentiunt Sanutus & Hocſemius mox citandi.

III. *Ejus zelus pro ſubſidio Terræ ſanctæ.*

Dies etiam XXXIX ejus Pontificatui aſſignant Guillelmus Nangiacus in Chronico & Marinus Sanutus lib. 3. part. 12. cap 15. *Hadrianus Papa*, inquit, *magnum oſtendit affectum ad ſuccurſum Terræ ſanctæ per Gregorium inchoatum, & miſit Patriarchæ XII millia librarum Turonenſium pro galeis conſtruendis, vel aliis magis bonorum virorum judicio opportunis: ſuisque literis multum confortavit incolas Terræ ſanctæ & ad ſpem erexit magni auxilii. Sed in Pontificatu vixit non amplius XXXIX diebus.* Idem, quoad durationem ſedis Hadriani ſcribit Joannes Hocſemius in geſtis Epiſcoporum Leodienſium in Joanne Enghienſi cap. 11. *Rexit ſolo menſe*, inquit, *novemque diebus.* Ex his porrò Sanuti verbis conſtat, Hadrianum ad inſtaurandas res Syriacas egregiè fuiſſe animatum.

IV. *Suſpendit Conſtitutionem Gregorii de incluſione Cardinalium in conclavi.*

Hadrianum V Conſtitutionem à Gregorio X in Concilio Lugdunenſi latam de incluſione Cardinalium in conclavi mitigare voluiſſe, ſed eam, morte præventum tantum ſuſpendiſſe, aſſerit Jordanus Auctor coævus MS. in bibliothecha Vaticana apud Raynaldum num. 26. *Hic ſtatim poſt ſuam creationem*, inquit, *Conſtitutionem Gregorii de reſtrictione Cardinalium in electione Papæ ſuſpendit, intendens eam aliter ordinare, ſed morte præventus non potuit, nec Sacerdos ordinatus eſt.* Idem aſſerit Hadriani ſucceſſor Joannes XXI in diplomate, de quo in ejus Pontificatu agemus.

VICE-

VICEDOMINUS an Electus *Pontifex*

Anno Domini MCCLXXVI.

PEtrus Maria Campi, Placentinus in Italia Canonicus, in Hiſtoria Placentina, quam ſeculo proximè elapſo publicavit, ſcribit Hadriano V ſuffectum eſſe Vicedominum de Vicedominis, Cardinalem Epiſcopum Præneſtinum, Gregorii X ex ſorore nepotem, de quo ſuperiùs locuti ſumus, quòd in MS. quadam Chronica Placentina, cujus antiquitatem non ſignat, hæc legantur: *Sunt & in dicta civitate Placentia Vicedomini, quæ eſt magna domus & nobilis: nam de iſta domo fuit unus Papa, qui non ſtetit in papatu niſi per unum diem, & mortuus eſt frater Minor.* Subdit poſtea Petrus Maria. *Hanc Chronicam cum anno 1626. Romam detuliſſem, & oſtendiſſem tribus ſacris Hiſtoricis* (videlicet Andreæ Victorello, Lucæ Wadingo, Gabrieli Fabro, atque aliis Prælatis) *fuit bene ponderata & exiſtimata fide digna.* Hic autem Vicedominus alius eſſe non poteſt, quàm prædictus Præneſtinus Epiſcopus, quem Petrus-Maria Campi ſupponit, die quinta Septembris anni 1276. electum, die ſexta ejuſdem menſis obiiſſe, nondum Pontificatûs aſſumto nomine. Verùm in Annalibus MSS. Placentinis, Pontificatûs iſtius Vicedomini mentio nulla reperitur; imò hi Annales ſupponunt, eum nunquam fuiſſe electum, cùm omnes ejus dignitates accuratè recenſeant abſque ulla Papatûs mentione. Eorum verba ex Conatu Chronico-Hiſtorico Papebrocii hic deſcribenda: *MCCLXXVI obiit Vicedominus de Vicedominis de Placentia, Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis, qui habuit uxorem & liberos, & famoſus Advocatus fuit: qui mortua uxore, propter ejus vitam bonam & ſcientiam laudabilem, Clericus & Præpoſitus Graſſæ* (in Provincia) *efficitur, poſt Epiſcopus Aquenſis* (ſeu Archiepiſcopus in eadem Provincia), *demum à Gregorio Papa X in dicto Cardinalatu promotus fuit, ac in Eccleſia Fratrum Minorum in Viterbio ſepelitur.* Diarium pariter MS vetuſtiſſimum majoris Eccleſiæ Placentinæ, forte tempore mortis Vicedomini ſcriptum, ut aſſolent libri Eccleſiarum, in quibus annotantur dies mortis eorum, qui in iis ſepeliuntur, vel qui earum fuerunt benefactores, Vicedomini papatum alto ſilentio premit: *Octavo Idus Septembris obiit Vicedominus quondàm Epiſcopus Præneſtinus MCCLXXVI, & reliquit huic Eccleſiæ anniverſarium in die obitus ſui qui fuit VI Septembris, ut in archivo.* Ita legitur in hoc diario apud Wadingum ad annum 1276. num. 1. Horum duorum MSS. ſilentium mihi videtur prævalere auctoritati Chronicæ illius MS. quæ continet Genealogias præcipuarum Placentiæ familiarum, norunt enim Eruditi, familiarum nobilium genealogiis magnam fidem habendam non eſſe citra do-

I. *Negativa opinio præferenda.*

SEC. XIII. VICEDOMINUS

documenta idonea, ut ait Papebrocius loco laudato. Quod eò ſecurius dicendum in caſu præſenti, quod nullus ex iis, qui hoc ſeculo decimo tertio, & tribus conſequentibus, ſeriem & geſta Pontificum Romanorum deſcripsêre, tantæ rei uſpiam vel minimum meminerit; non Martinus Polonus, qui in Nicolao III, ſub cujus Pontificatu obiit, Chronico ſuo finem impoſuit; non Ptolomæus Lucenſis; non Henricus Stero; non Jordanus; non Bernardus Guidonis; non Guillelmus Nangiacus; non Ricordanus Maleſpina; non Joannes Villanius; non S. Antoninus; non Platina; non Joannes Stella; non denique ſexcenti alii, quos hic recenſere ſupervacaneum eſt; quorum omnium ſilentium, meo quidem judicio, eloquentius eſt ut perſuadent Papalem Vicedomini electionem eſſe fabuloſam, quam unius Chronicæ genealogicæ teſtimonium prolet, cum verè electum eſſe. Si præſertim iis addamus Pontificatum Vicedomini nemini veterum aut recentiorum Scriptorum Hiſtoriæ Franciſcanæ Religionis notum fuiſſe ante annum 1618. quo Lucas Wadingus ſuorum Annalium Tomum ſecundum publicavit, in quo tamen ut mox videbitur, dubitanter de eo loquitur. Cum itaque hic Pontificatus in nullis libris authenticis, aut Chronicis legatur, & contrarios habent hujus & ſequentium ſeculorum Scriptores, qui de eo tacuerunt, non omiſſuri ſi ſciviſſent; ſcituri omnino rem ſi fuiſſet, inter fabulas accendus videtur.

II. *Reſpondetur ad objectionem contrariis.* His adjici poteſt, improbabile omninò eſſe Cardinales cogitaſſe de eligendo Viccdomino: nam poſt acres inter Gregorium X Pontificem Vicedomini avunculum, & ipſos Cardinales in Concilio Lugdunenſi agitatas diſſentiones, quod videlicet conclavi eos includens, unico ferculo, arctoque ac vili cibo contentos eſſe juſſiſſet; mortuo Innocentio V iidem Cardinales Hadriano V vehementer inſtarunt, ut Gregorii conſtitutionem hac de re editam revocaret, quam Hadrianus morte præventus tantum ſuſpendit, Joannes autem XXI Hadriano ſuccedens ad tempus revocavit; quod certè non feciſſet Vicedominus, ut petierant Cardinales, ſi Pontifex electus fuiſſet; ſed potius Gregorii veſtigiis inhæſiſſet. Nec ſatisfacit quod dicunt aliqui, Vicedominum non numerari inter Pontifices, quia nunquam benedictus aut coronatus fuit, & uno tantum die ſedit; ſicut Stephanus Electus medio ſeculo octavo. Nam Stephanus ille Electus, non ideo excluſus fuit à ſerie Pontificum, quia brevi tempore ſedit, ſed quia, ut ſuis locis oſtendi, tempora Pontificum uſque ad medium ſeculum undecimum, non ab electionis, ſed à Pontificalis ordinationis numerari ſolita erant, ideoque licet Electus in poſſeſſionem Patriarchii ſtatim à ſua electione induceretur, non tamen dicebatur ſimpliciter, aut erat verus Pontifex antequam ordinaretur. Verùm hoc ſeculo contrarium obſervabatur cujus rei ſufficiat addu-

adducere exemplum Hadriani V, qui numeratus eſt ab omnibus inter Pontifices Romanos, licet nec Pontifex, nec Presbyter conſecratus fuerit, cum eſſet tantum Diaconus ante ſuam electionem. Unde Papebrocius, poſtquam dixit, Hadtianum V obiiſſe, cum nondum promotus in Sacerdotium, nec coronatus, nec conſecratus eſſet, addit: *Hoc tamen non eximit eum verorum Romanorum Pontificum numero, quando electio abſoluta, & nullius approbatione indiga, qualis hoc ævo fiebat, poſtquam acceptata eſt ab Electo, Pontificem conſtituit, ſecus quam primis decem ſeculis.* Majori ergo jure inter Præſules Romanæ Eccleſiæ numerandus veniſſet Vicedominus, jam Epiſcopus Prœneſtinus, ſi verè electus fuiſſet, & tamen nullibi ante ſeculum decimum ſeptimum dicitur electus, nequidem ab ipſo Andrea Victorelle, qui notas ſuas in Ciaconium adornavit poſt annum 1616. quo Petrus Maria Campi aſſerit, ſe ei oſtendiſſe prædictam Placentinam Chronicam; & Wadingus ipſe dubitanter de eo Pontificatu loquitur hac cautione prius adhibita: *Inter hunc* (ſcilicet Joannem XXI) *& Hadrianum neſcio ſi audeam alium numerare Pontificem, utpote cujus nullus, qui vitas & ſeriem ſcripſerit Pontificum, vel minimum meminerit.* Ceterùm utrum Vicedominus verè fuerit Minorita, hic locus non eſt examinandi, cum præſertim id jam abunde probatum fuerit à Wadingo in Annalibus Minorum, in quibus, inter alios Scriptores, hanc in rem citat Bernardum de Beſſa, ſancti Bonaventuræ ſocium, qui conſequenter hoc tempore floruit.

SEC. XIII. VICEDOMINUS.

III. *Ementiti honores à ſinceris Auctoribus rejiciendi.*

His à me in gratiam veritatis, cui ſoli indagandæ incumbo, ſcriptis, nihil detractum puto Gloriæ Minoritanæ noſtræ religionis, aut familiæ Vicedominorum; quarum prior plures, quam quæcumque alia Mendicantium Religio, è ſuo ſodalitio ritè aſſumptos, quatuor nempe numerat Pontifices Romanos; & Vicedominorum Placentinorum familia, tot aliis titulis illuſtrata, hoc falſo, vel ad minus valde dubio honore non indiget: ſicuti nec Prædicatorum Religio eget fabuloſo Pontificatu Joannis Vercellenſis, quem Bzovius ad annum 1281. in Pontificem electum, ſed mortuum antequam ſuæ creationis nuncium accepiſſet; ſcribit ex lib. 2. cap. 28. Hieronymi Plati, qui vivebat circa finem ſeculi decimi ſexti; quem ideo Pontificatum Joannis Vercellenſis inter fabulas recenſet Natalis Alexander in Hiſt. Eccleſ. ſub Martino IV, *fabula eſt,* inquit, *Ptolomæi Lucenſis, & Sancti Antonini ſilentio, aliorumque graviſſimorum Auctorum, qui de Romanis Pontificibus ſcripsêre, aut Eccleſiaſticam Hiſtoriam edidêre, auctoritate convicta.* Quare hîc jure merito uſurpare poſſum verba Joannis Mabillonii, qui in præfatione ad Seculum II Benedictinum, loquens de iis qui querebantur ipſum violaſſe ſanctorum Benedictinorum canonem, quamplures Sanctos Monachos in extraneorum claſſem rejiciendo, ſic num. 7. ſcribit: *Quid attinet ementitos & fictitios Ordini Benedictino effingere honores, cum ſuo ſatis ſuperque ſplendore*

SEC. XIII. VICEDOMINUS.

dore illuſtretur? Na illi ignavam & otioſam familiæ ſuæ expendunt operam, qui ejus decora immodicis efferunt elogiis: nec tantum perficere in ejus injuriam poſſent injuſti contemptores aut vituperatores, quantum laudatores nimii & præcipites, qui dum laudibus ſine delectu ſtudent, & vera falſis immiſcent, etiam veritatem in diſcrimen adducunt; contingitque illis, ut nec vera dicentibus credatur.

IV. *Quo anno Vicedominus ad Cardinalatum evectus.*

Sed miſſis illis picturis, antequam ad rem veritatemque veniamus, examinandum eſt tempus, quo Vicedominus dictus eſt Cardinalis; nam licet in Gregorio X oſtenderimus id anno 1273. contigiſſe, video tamen Sammarthanum, contra Bellarmini & Wadingi ſententiam, in Nova Gallia Chriſtiana, dum de Vicedomino in Archiepiſcopis Aquenſibus loquitur, contendere eum creatum Cardinalem anno 1272. Primò quia Ptolomæus Lucenſis refert, Gregorium X eo anno feciſſe *ordinationem Cardinalium proborum virorum*. Sed hoc nihil probat, ipſemet enim Sammarthanus, Ptolomæum non numerare inter eos Vicedominum fatetur his verbis: *Sed eorum nomina non indicat hic Scriptor, niſi Petri de Tarantaſia & S. Bonaventuræ*, ideoque ex Ptolomæo Lucenſi annus Cardinalatus Vicedomini erui non poteſt. Secundò fundatur vir eruditus in bulla Gregorii X, quam pag. 69. col. 1. inter inſtrumenta refert: Vicedomino enim, inquit, tranſlato ad ſedem Prænestinam, Capitulum Aquenſe poſtulavit Alanum Siſtaricenſem Epiſcopum pro Archiepiſcopo Aquenſi; ſed Gregorius X metuens, ne Alani tranſlatio grave damnum afferret Siſtaricenſi Eccleſiæ, rejecta poſtulatione Alani, præfecit Aquenſi Grimerium Archidiaconum, Capellanum ſuum, cujus dotes recenſet in bulla pro ejus promotione data *Lugduni Idibus Januarii Pontificatûs noſtri anno II MCCLXXII.* Sed hæc ratio militat contra ipſum Sammarthanum, nam ſi Pontifex die 13. Januarii anni 1272. præfecit Eccleſiæ Aquenſi Grimerium, rejecta poſtulatione Alani, neceſſariò dicendum eſt, Vicedominum non anno 1272. ſed anno 1271. dictum eſſe Cardinalem Epiſcopum Prænestinum, cum tredecim dies non ſufficiant, ut nuncium promotionis Vicedomini ad Cardinalatum pervenire potuerit ad notitiam Capituli Aquenſis; capitulum poſtulare Alanum in Archiepiſcopum, & Gregorius X ea poſtulatione rejecta, Grimerium Vicedomino ſubſtituere; diſtantia enim locorum non patitur hæc omnia intra breve adeo tempus fieri potuiſſe. Quare ſi Grimerius Vicedomino ſubſtitutus eſt die 13. Januarii anni 1272. ut vult Sammarthanus, certè Vicedominus dictus eſt Cardinalis anno 1271. quo tamen anno, ipſomet viro erudito fatente, Sedes Romana vacua fuit uſque ad Kalendas Septembris, & Gregorius X eo die electus, cum eſſet in Syria, Viterbium non advenit ad Pontificalia munera obeunda ante menſem Februarium anni 1272. imò conſecratus non eſt ante diem 27. Martii, à quo die annos ſui Pontificatûs nume-

Digitized by Google

numeravit. Cum ergo hæc bulla data ſit Lugduni Idibus Januarii, Pontificatûs anno ſecundo, neceſſariò pertinet ad menſem Januarium anni 1274. quo menſe Gregorius X Lugduni erat, non verò aut anno 1272. aut 1273. ut in ejus Vita oſtendimus, ideoque Cardinalatus Vicedomini à Bellarmino & à Wadingo rectè connexus eſt cum anno 1273. *SEC. XIII* JOANNES XXI.

JOANNES XX dictus XXI *Pontif. CLXXXVII.*

Anno Domini MCCLXXVI.

I. *Ioannes XXI eligitur.*

CUm Hadrianus V Gregorii X conſtitutionem de Cardinalium in conclavi recluſione, poſt ſepulturam Pontificis, verbo tenus, & non ſcripto ſuſpendiſſet, idque Cardinalium cœtus promulgandum cenſuiſſet per Archiepiſcopum Corinthienſem, hic non ſolum male habitus eſt, ſed etiam à pluribus Curiæ Romanæ officialibus, vis purpuratis Patribus illata: ab ipſis etiam Viterbienſibus ſacrum collegium in duriorem atque arctiorem cuſtodiam compactum fuit, quod Cardinalium aſſertioni nulla fides adhiberetur. Hæc Raynaldus eruit ex diplomate quo Joannes XXI Gregorii conſtitutionem ad tempus abrogavit, & ex alio quo ſacrum tribunal inſtituit, cui injunxit, ut animadverterent in eos, qui prædicta facinora perpetrarant; quæ duo monumenta refert Raynaldus num. 29. & ſeqq. Sed quidquid ſit, Bernardus Guido poſtquam dixit, Hadrianum V ſediſſe menſem unum, dies novem, ſubdit: *Vacavit ſedes diebus XXVIII*, quod confirmat Joannes Hocſemius in Hadriano V laudatus, ſcribens, *vacavit cathedra viginti octo diebus.* Cum itaque Hadrianus, eodem Bernardo Guidonis teſte, obierit die decima octava menſis Augusti anni 1276. ſequitur, Joannem XXI ejus ſucceſſorem electum eſſe die decima quinta menſis Septembris ejuſdem anni.

II. *Ejus patria & primordia ante Pontificatum.*

Joannes XXI ante Pontificatum vocabatur Petrus, natione Luſitanus, filius Juliani, qui ex Medico doctiſſimo, atque in logicis apprimè verſato, à Gregorio decimo Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus creatus eſt. Hæc conſtant ex Martino Polono, & ex Ptolomæo Lucenſi Eccleſiaſticæ Hiſt. lib. 23. cap 21. qui ait: *Anno Domini eodem, hoc eſt MCCLXXVI & circa finem Septembris Dominus Petrus, dictus Petrus Juliani, Cardinalis Tuſculanus, natione Portugalenſis, de Cardinalatu aſſumitur in Papam, & Joannes XXI eſt vocatus. Hic generalis clericus fuit & præcipuè in medicinis: unde & quædam experimenta ſcripſit ad curas hominum, ac librum compoſuit, qui* Theſaurus pauperum *vocatur.* Martinus itidem Polonus ſcribit, eum vocatum fuiſſe Petrum: *Hic Pontifex*, inquit, *Joannes, Petrus antea dictus, in diverſis ſcientiis*, &c. Ex quibus corrigendus Ciaconius, qui ex male interpunctis Martini Poloni verbis, *Joannis Petri* nomen geminum eidem ante Pontificatum adſcribit, ex quo pu-

Digitized by Google

SEC. XIII. JOANNES XX.

tat nomen non mutaſſe, ſed ſolùm ſecundum omiſiſſe, quod falſum eſſe conſtat ex Ptolomæo Lucenſi laudato.

III. *Cur dicatur Joannes XXI, licet fuerit Joannes XX.*

Tomo ſuperiori oſtendimus, Joannem Benedicti VIII fratrem germanum & ſucceſſorem anno MXXIV electum Pontificem Romanum, dictum fuiſſe Joannem hujus nominis XIX, quo pacto Joannes iſte dicendus eſſet Joannes XX, & revera ita nominatur à Guillelmo Nangiaco in Chronico, ubi relata Hadriani V morte, ſubdit: *Joannes viceſimus natione Hiſpanus ſucceſſit.* Sed quia omnes alii Scriptores & monumenta hujus temporis, hunc appellant Joannem XXI, ita & nos appellandum cenſemus, licet revera ſit Joannes hujus nominis XX, ut ex dictis non ſolum in Joanne XIX, ſed etiam in aliis Pontificibus ejuſdem nominis, manifeſtum eſt. Ciaconius Joannem iſtum dictum XXI putat ab his *qui fabuloſam & commentitiam Joannam fœminam numero Pontificum interſerunt*; ſed in hoc fallitur, vocatur enim Joannes XXI ab ipſis etiam Cardinalibus, poſt mortem ejuſdem Pontificis ſcribentibus ad Rudolphum Romanorum Regem anno 1277. quorum literas Raynaldus ad eumdem annum num. 48. refert datas Viterbii *Apoſtolica ſede vacante*, cùm tamen, ut Tomo ſuperiori oſtendimus, tunc fabula de Joanna Papiſſa nondum excogitata fuiſſet. Dicendum eſt ergo hunc Joannem dictum eo nomine XXI, vel quia creditum eſt, Joannem Roberti filium electum inter Joannem XIV & XV numerandum eſſe inter Romanos Pontifices; vel quia inter eoſdem annumeratus eſt Joannes Placentinus, Antipapa tempore Gregorii V electus; quod ultimum non caret exemplo; nam Benedictus ſeculi XIV initio Pontifex creatus, dictus eſt hujus nominis XI, licet inter Benedictum IX & iſtum, unicus fuerit Benedictus Antipapa, qui ſe Benedictum X nuncupavit. Et Sanctus Leo, qui Damaſo II ſucceſſit, dictus eſt hujus nominis IX, quamvis inter Leonem VII & iſtum Leonem, unicus fuerit Leo Antipapa, qui tamen vocatus eſt Leo VIII, alioquin Sanctus Leo dictus non eſſet Leo IX.

IV. *Coronationis inſignia ſuſcipit.*

Ciaconius, qui Joannem XXI Idibus Septembris, ſeu die decima tertia ejuſdem menſis electum perperàm ſcripſit ex Panuinio in Chronico Eccleſiaſtico, ex eodem poſtea aſſerit, eum coronationis inſignia ſuſcepiſſe per manus Joannis Urſini Diaconi Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, Archidiaconi S. R. E. duodecimo Kalendas Octobris, ſeu die vigeſima Septembris, quod valde probabile eſt, cum hic dies anno 1276. fuerit Dominicalis. Certe ejus coronatio facta eſt ante diem trigeſimum ejuſdem menſis; conſtitutionem enim Gregorii X de incluſione Cardinalium in Conclavi, ab Hadriano V ſuſpenſam, ut nimis ſeveram, eo die relaxavit Joannes Pontifex, ut infra videbitur; quare Ptolomæus Lucenſis jam citatus, de ejus coronatione interpretandus, quando ſcribit, eum aſſumptum eſſe in Papam *circa finem Septembris*, alioquin corrigendus eſſet.

Joannes

SEC. XIII. JOANNES XXI.

V. *Conſtitutionem Gregorii de conclavi ad tempus abrogat.*

Joannes Papa tiara Pontificia redimitus memoratam à Gregorio X conſtitutionem de incluſione Cardinalium in conclavi, in Concilio Lugdunenſi latam ab Hadriano V ſuſpenſam, ad tempus revocavit diplomate dato *Viterbii 2. Kal. Octob. Pont. noſtri anno I*, ut legitur apud Raynaldum : *Suſpenſionem ipſam*, inquit Pontifex, *ab eodem prædeceſſore Hadriano factam fuiſſe, ut præmittitur, præſentium tenore teſtamur ; ac ipſam nihilominus ratificantes, & ratam haberi volentes ; revocatione prædicta* (aliquos enim aſſeruiſſe Hadrianum in lecto ægritudinis decumbentem ſuſpenſionem revocaſſe prædictam, jam dixerat Joannes Papa) *nonobſtante, conſtitutionem eamdem quoad omnem ſuum effectum , de fratrum ipſorum conſilio decrevimus eſſe ſuſpenſam.* Quia verò, ut jam dictum eſt, quidam Prælati & Romanæ Curiæ Officiales vim intulerant Cardinalibus, qui & à Viterbienſibus in duriorem atque arctiorem conclavis cuſtodiam recluſi fuerant, ad comprimendam eorum temeritatem, diplomate eodem die dato, quod etiam extat apud Raynaldum, ſacrum tribunal inſtituit, cui commiſſi facinoris rei ſe ſe ſiſtere deberent ; & ſi id agere detrectarent, Sacerdotiorum, quæ gerebant, proventibus eos privavit, atque in eos inquiri, & cenſuras Eccleſiaſticas pertinacibus infligi juſſit. Deinde in literis encyclicis, quas ad Eccleſiarum Præſules *Viterbii nonis Octobris* dedit, quæque ibidem referuntur, meminit etiam incentorum prædictæ ſeditionis, Præſulesque monet, ea ſedatâ, *prima die de ipſorum fratrum concordi voto, parique concordia*, electionem ſuam canonicam, communem & concordem proceſſiſſe; eorumque & fidelium precibus ſe commendat. Porrò Joannes Papa Gregorii deceſſoris conſtitutionem revocavit conſilio Joannis Caietani, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis : *Hic ſtatim*, inquit, *conſtitutionem per Gregorium X de recluſione Cardinalium, ſuſpenſam per Hadrianum , revocavit conſilio, ut fertur, Domini Joannis Gaietani, cujus nutu multa faciebat, eo quod principalis auctor fuerat ſuæ promotionis.* Poſtea tamen Cœleſtinus V eam conſtitutionem confirmavit, & Bonifacius VIII libro 6. Decretalium inſeruit, ut infra dicetur.

VI. *Joannis conatus pro Republica Chriſtiana.*

Brevis fuit Joannis Pontificatus, ſed inter alia magni momenti quæ curavit antequam è vivis excederet, negotium Terræ Sanctæ pro conſervatione reſidui, quod adhuc Chriſtiani poſſidebant, urgens, ſpeciatim ad Philippum Francorum Regem, Archiepiſcopum Corinthienſem miſit: Rudolphum Romanorum Regem promiſſorum admonuit: nuncios alios in Galliam & Hiſpaniam ad Reges Philippum & Alphonſum reconciliandos: ad magnum Chaam Tartarorum pro confirmatione fidelium & deviorum reductione: ad Regem Hungariæ pro ſedandis domeſticis tumultibus deſtinavit: Legatos denique miſit ad Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem qui redintegratam in Concilio Lugdunenſi Eccleſiarum conjunctionem confirmarent, ut aſſerit Bernardus Guidonis in

Chronico Romanorum Pontificum, ſeu potius Legatos, quos Innocentius V ad illum Imperatorem deſtinaverat, quique nondum abſceſſerant, proficiſci juſſit. Quæ ſane, aliaque hujuſmodi ab ipſo tentata, ut conſtat ex ejus Regeſto, & ſub ejus ſucceſſore perfecta, minime quis dixerit, hominis eſſe rerum ignari & ſtolidi, qualem eum prædicant Martinus Polonus, Henricus Stero, Ptolomæus Lucenſis, Bernardus Guidonis, & qui poſt ſecuti Platina, Nauclerus & alii, qui tradunt, eum doctrinæ ſuæ præſtantiam & Pontificalem dignitatem, rerum gerendarum ignoratione & morum inæqualitate, ac quadam ſtoliditate deformaſſe; niſi velimus cum Ptolomæo Lucenſi & Platina, quidquid præclare geſſit; conſilio Joannis Caietani Cardinalis, qui ei in Pontificatu ſuffectus eſt feciſſe; cujus etiam nutu omnia gerebantur, eo quod ejus auxilio Pontifex creatus fuiſſet.

VII. *Moritur ex ruina camera.*

Cum Joannes XXI longam ſibi vitam polliceretur, ceteriſque prædicaret, accidit derepente, ut ruina teſtitudinis cameræ novæ, quam in palatio Viterbienſi ſibi extruxerat, oppreſſus obierit, ut referunt Martinus Polonus, Ptolomæus Lucenſis, Guillelmus de Nangiaco, Bernardus Guidonis & alii: *Joannes Papa*, inquit Guillelmus de Nangiaco, *cum ſibi vitæ ſpatium per annos plurimos extendi quæreret* (legendum, ut in Martino Polono, *crederet*) *& hoc etiam coram multis ſæpe aſſereret, ſubitò cum nova camera, quam pro ſe Viterbii circa palatium ædificari fecerat, ſolus corruit, & inter ligna & lapides collitus, ſexta die poſt caſum hujuſmodi, ſacramentis Eccleſiaſticis operibus perceptis expirans, in Eccleſia Sancti Laurentii ſepultus eſt.* Nullus, quod ſciam, ex antiquis diem mortis ejus notavit, ſolus Ptolomæus Lucenſis ſupponit, eum mortuum in feſto Pentecoſtes, quod anno 1277. concurrebat cum die decima ſexta Maii, cum ait, eo mortuo vacaſſe ſedem *per ſex menſes, videlicet ab hebdomada Pentecoſtes uſque ad feſtum Catharinæ*. De die mortis irrefragabile documentum ex necrologio Uliſſiponenſis Eccleſiæ, & ex Antonio Brandono lib. 15. Monarchiæ Luſitanæ cap. 41. adducit Raynaldus ad annum 1277. num. 19 in eo enim Kalendario, teſte Brandono, legitur: *Aera MCCCXV* (ſeu anno MCCLXXVII, cum ex alibi dictis Era Hiſpanica annis XXXVIII Eram Chriſti ſuperet, ideoque ex perpetua methodo, demendi ſint ex Era Hiſpanica anni XXXVIII, ut habeatur annus Chriſti) *XVII Kal. Junii obiit Papa Joannes XXI, qui dedit capitulo domus ſuas ad anniverſarium faciendum ſuum*. Sedit itaque Joannes XXI à die ſuæ electionis menſes octo, à die verò coronationis, menſes octo dies quinque.

VIII. *Viſiones de ejus obitu.*

Joannes Villanius lib. 7. cap. 50. refert viſionem cuidam mercatori Florentino, Betto Forzetti nomine tunc oblatam: cui cum familiare eſſet nocte dormienti multa mira narrare, & ad vigilantium interrogata appoſitè reſpondere; eadem nocte qua Pontifex ruina cameræ oppreſſus eſt, eumdem mercatorem, dum navigaret versùs Acconem, ſubito

Digitized by Google

SEC. XIII.
JOANNES XXI.

ſubito ſe ſe in ſomnis erexiſſe, & cum lamento adſtantibus dixiſſe, videre ſe ingentem virum nigrum, qui clavâ columnam cui fornix ſuperpoſita erat, excideret, moxque ſecutum inde Pontificis obitum renunciaſſe: adſtantes verba noctemque ſignantes, poſtquam Acconem pervenerunt, rei exitum certò cognoviſſe: & ab iis ipſis teſtibus fide dignis eam ſe Villanius percepiſſe, reique famam tota Florentia diſſeminatam tradit. Nec diſſimile quid de cujuſdam Minoritæ Viterbienſis viro narrat Jordanus M S. in codice Vaticano apud Raynaldum laudatum: *Quidam*, inquit, *frater Minorum Viterbii in ſtrato ſuo quieſcens, ſubito fortiter exclamavit, & accurrentibus fratribus ait:* Niger vir Grandi malleo palatium Papæ percutit: orate ne corruat. *Tertiò verò idem cernens exclamavit:* Et palatium corruit. *Et ipſa hora corruiſſe inventum eſt.* At harum rerum fides ſit penes ſuos Auctores.

IX.
Ejus virtutes & vitia.

Licet Martinus Polonus, Henricus Stero & alii à nobis num. VI laudati ſcripſerint, Joannem XXI rerum gerendarum ignoratione, morum inæqualitate & quadam ſtoliditate Doctrinæ ſuæ præſtantiam & Pontificalem dignitatem deformaſſe, eo tamen commendatione dignum extitiſſe fateri coacti ſunt, quod adoleſcentes literarum ſtudioſos, maximeque inopes pecuniis, & beneficiis juverit: *Hoc tamen habuit laudabile*, inquit Ptolomæus Lucenſis lib. 23. cap. 24. apud Raynaldum, *quia cum Summus Pontifex, & ſua dignitas eſſet ſuprema, cum inferioribus tamen non dedignabatur converſari, qualiſcumque eſſet ſtatûs, dummodo eſſet literatus, ſive pauper, ſive dives eſſet: & talibus fuit largus beneficiis, & pio amplectebatur affectu, & hoc ſolum fuit virtutis in ipſo.* Martinus Polonus: *In hoc quam plurimùm laudabilis fuit, quòd ſe tam pauperibus, quàm divitibus communem exhibens, multos egenos ſtudium literarum amplectentes fovit, & beneficiis Eccleſiaſticis promovit.* Iidem tamen Auctores his coloribus eum depingunt: *In aliis autem paſtoralis ſtatus multum deformabatur*, inquit Ptolomæus Lucenſis laudatus cap. 25. Martinus verò Polonus, *qui ſcientiarum florem & Pontificatûs dignitatem, morum quadam ſtoliditate deformabat, adeo ut naturali induſtria carere videretur:* Sed cum idem Ptolomæus Lucenſis cap. 21. ſcribat, eum Religioſos parùm dilexiſſe, ob idque Hiſtoricos tradere, quòd *eo tempore quo camera recidit ſuper caput ejus, quadam fulminaverat contra Religioſos*, Spondanus exiſtimat, ipſum aliquid conſtituiſſe de Religioſis, contra, aut præter illa, quæ de iis ſtatuiſſet Gregorius decimus in Concilio Lugdunenſi, forte etiam contra Dominicanos, quorum inſtitutum ſectabatur Ptolomæus Lucenſis, ſicut & Martinus Polonus: Scriptor enim Annalium Dominicanorum Colmarienſium, qui editus eſt Tomo Rerum Germanicarum Urſtiſii, æque improperat, infeſtum fuiſſe Religioſis præter librum, quem inſcripſit *Theſaurum pauperum*, ut num. II diximus, plura alia ſcripſit Joannes Pontifex, quæ recenſent Ciaconius & Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia.

SEC. XIII.
NICOLAUS III.

NICOLAVS III *Pontif.* *CLXXXVIII.*

Anno Domini MCCLXXVII.

I. *Nicolaus III creatur Pontifex.*

CUm ſuperiores Pontifices, ob ſedis brevitatem nullos Cardinales creaſſent, octo qui remanſerunt poſt Joannis XXI obitum, elapſis duobus integris menſibus, poſt varias controverſias inter ſe exortas, quòd Galli & Itali ſuæ nationis Pontificem creare contenderent, ac libertas, ob ſolutam Gregorii X conſtitutionem, diſcordiam augeret, à Viterbienſibus tantæ moræ impatientibus, Prætorio civitatis incluſi, ac deſolato orbi patrem dare coacti ſunt, ut ſcribit Raynaldus ex Epiſtola 1. lib. 1. Nicolai tertii. Pontifex tamen creatus non eſt, niſi poſtquam vacaſſet ſedes menſes ſex & dies octo, cum Nicolaus hujus nominis tertius electus fuerit die tantum vigeſima quinta menſis Novembris ejuſdem anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi. Ptolomæus Lucenſis narrata Joannis XXI morte, ſubdit: *Tunc vacavit Eccleſia per ſex menſes, videlicet ab hebdomada Pentecoſtes uſque ad feſtum Catharinæ anno Domini MCCLXXVII*, ubi Ptolomæus negligit eos dies qui ſuperſunt ultra illos menſes ſex. Eumdem diem Nicolai III electioni aſſignant Jordanus ſæpius laudatus in Bibliotheca Vaticana MS. & Bernardus Guidonis. Sed rem extra dubium ponit ipſemet Nicolaus in literis encyclicis, quas poſt ſuam coronationem dedit *Romæ apud S. Petrum XVIII Kal. Februarii anno I*, in quibus declarat, ſe ſe electum eſſe *in die B. Catharinæ*, qui concurrit cum die XXV Novembris. Extant hæ literæ apud Raynaldum anno 1277. num. 58. & ſeq.

II. *Ejus genus & primordia.*

Joannes itaque Caietanus de Urſinis, natione Romanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano electus eſt ab omnibus Cardinalibus die XXV Novembris, aſſumpſitque ſibi nomen ex titulo ſuæ Diaconiæ, Nicolai tertii, quæ conſtant ex laudato Jordano: *Nicolaus*, inquit, *natione Romanus de Urſinis.* Et infra: *Electus eſt in feſto B. Catharinæ Viterbii.* Et infra: *proprium illi nomen fuit Joannes Caietani. Fuit Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tulliano, moribus valde compoſitus & diſcretus.* Joanni adhuc infantulo Sanctum Franciſcum pontificatum prædixiſſe refert idem Auctor: *Cum eſſet puer*, inquit, *pater ejus qui erat de Tertio Ordine, eum B. Franciſco obtulit: & B. Franciſcus ait, quod non eſſet frater habitu, ſed futurus defenſor ordinis ſui, & tandem dominus mundi.* Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1222. num. 3. eumdem Sanctum Franciſcum divino lumine illuſtratum eidem infantulo Ordinem ſuum commendaſſe ſcribit; cujus & Protector in Cardinalatu & amantiſſimus extitit defenſor in Pontificatu. Nicolaus ob prudentiam & animi magnitudinem, religioniſque ac morum præſtantiam ita

ita laudatus reperitur, ut ab omnibus *Compoſitus* diceretur ob modeſtiam morum, ut conſtat ex Volaterrano Antropologiæ lib. 23. & revera *moribus valde compoſitus* dicitur à Jordano mox laudato, & à Ptolomæo Lucenſi, cujus verba infra adducemus. SÆC. XIII. NICOLAUS III.

III. *Ante Pontificatum fuerat Inquiſitor generalis.*

Nicolaum III ante Pontificatum fuiſſe Inquiſitorem generalem eruitur ex inſtrumento facto à quodam fratre Nicolao Ordinis Sancti Franciſci Inquiſitore hæreticæ pravitatis à Sede Apoſtolica deputato; quo concedit nobilibus quibusdam, quorum pater & avus hæretica pravitate inquinati fuerant, ut paternis bonis uti poſſent; quod inſtrumentum datum eſt Narniæ in Eccleſia Fratrum Minorum *anno* 1272. *ſede Apoſtolica paſtore vacante, die* 23. *menſis Februarii, Indictione* 13. In eo enim ita legitur: *Juraverunt obedire ſemper mandatis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & venerabilis patris D. Joannis S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis à Sede Apoſtolica ſuper officio Inquiſitionis pravitatis hæreticæ conſtituti, immo & preceptis meis*, &c. Inſertum eſt illud literis Nicolai III datis *Vetrallæ* 12. *Kal. Julii anno I*, quæ extant apud Wadingum Tomo 2. in Regeſto Pontificum anno 1278. quibus inſtrumentum illud confirmat, in quibus etiam ait Pontifex: *Cum tunc nos in minori officio conſtituti eſſemus à præfata Sede ſuper Inquiſitionis hæreticorum officio deputati.* Unde & poteſt exiſtimari Joannem Caietanum ante Pontificatum, cum eſſet Diaconus Cardinalis, fuiſſe primum omnium Inquiſitorem generalem, inquit Spondanus ad annum 1277. num. 4. Sed hic non omittendum, in prædicto inſtrumento, ubi legitur, *anno* 1272. legendum, *anno* 1270. quo currebat Indictio decima tertia ibidem expreſſa; vel ſi relinquatur annus 1272. reponenda eſt indictio decima quinta, quod tamen non videtur poſſe dici, quia die 23. menſis Februarii anni 1272. ſedes Apoſtolica non vacabat Paſtore, cum Gregorius X anno 1271. die prima Septembris electus fuiſſet, ideoque relinquenda eſt indictio decima tertia, & reponendus annus 1270. loco anni 1272.

IV. *Romam pergit & ante conſecrationem Italiæ paci conſulit.*

Non diu hæſit Viterbii Nicolaus, ſed Romam ſtatim ſe contulit, ut ſolemni ritu Pontificali conſecratione inungeretur, ubi ante eam celebritatem, literas *pridie Idus Decembris apud S. Petrum* datas ad Rudolphum Romanorum Regem miſit, ut trepidanti Italiæ conſuleret. Gravis metus erat ne Rudolphus ad repetenda jura Imperii in Italiam veniret, bellumque Carolo Siciliæ Regi moveret ob geſtam Etruriæ præfecturam. Ad quæ pericula vitanda Romani Pontifices Gregorius X, Innocentius V, Hadrianus V & Joannes XXI, ac nuper, vacante ſede, Cardinalium Senatus, pluribus legationibus miſſis, cum Rudolpho egerant, ut prius cum Carolo fœdus firmaret, quàm exercitum in Italiam tranſmitteret. Et licet conficiendæ rei provincia ab utroque Principe nonnullis Oratoribus tradita eſſet, repentina tamen Pontificum morte, tractatus conſenuerant, quos Nicolaus redintegrare ſtuduit, & laudatis li-

Hhh 3 teris

SEC. XIII. NICOLAUS III. teris Rudolphum hortatus eſt, ut viros pacis amantes mitteret, & Exerchatum Ravennæ ac Pentapolim Eccleſiæ reſtitueret. Hæc omnia conſtant ex iisdem literis à Raynaldo num. 54. & ſeq. relatis. Viterbio porrò non diſceſſit Pontifex ante diem ſecundum Decembris, quo die ibidem Epiſtolam dedit Philippo Francorum Regi ab eodem Raynaldo num. 56. relatam.

V. *Conſecratur Pontifex & coronatur.* Nicolaum III Papam conſecratum & coronatum eſſe die nona menſis Januarii anni ſequentis milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi octavi Romæ, ex eo deducit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico, quòd die decima quinta ejuſdem menſis literas encyclicas dederit, quas recitat Raynaldus num. 58. apud quem hæ literæ dicuntur datæ *Romæ apud S. Petrum XVIII Kalend. Februarii anno I*, ex qua diei nota, inquit Papebrocius, intelligimus ordinationem ejus factam dominica præcedenti, ſcilicet die nona Januarii, niſi forte in numero erravit Raynaldus in talibus non ſemper accuratiſſimus, & *XVII Kalend.* ſcribere debuit, ut ipſa coronationis die fuerit ſignata Epiſtola. Ita Papebrocius, qui his ultimis verbis videtur conſecrationem Pontificis connectere cum die XVI Januarii, dicit enim Raynaldum ſcribere debuiſſe *XVII Kal. Februarii*, ita ut Epiſtolâ data ſit eodem die quo Nicolaus conſecratus & coronatus eſt. Sed ſive in numero erraverit Raynaldus, ſive non, certum eſt decipi Papebrocium, & Nicolaum anno 1277. Romæ conſecratum & coronatum eſſe; id enim diſerte nos docent Bernardus Guidonis & Ptolomæus Lucenſis. Bernardus in Chron. Romanorum Pontificum ſcribit: *Nicolaus III, natione Romanus de domo Urſinorum electus fuit in Papam in Viterbio, in feſto S. Catharinæ, fuitque Romæ in Baſilica Sancti Petri, in feſto S. Stephani, in die dominica coronatus anno domini MCCLXXVII.* Idem habet Ptolomæus Lucenſis lib. 23. Hiſt. Eccleſ. cap. 26. *Anno domini MCCLXXVII in feſto S. Catharinæ Nicolaus III in cathedra Petri ſedit. Hic de genere Urſinorum urbis Romæ dictus eſt primò Dominus Joannes Gaytani & Diaconus Cardinalis tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano. Hic ſtatim vadens Romam, ibique Sacerdos factus in Baſilica S. Petri, in feſto B. Stephani, in die dominica, eodem anno coronatus eſt.* Conſecratus eſt itaque Sacerdos & Pontifex Nicolaus menſe Decembri anni 1277. ante feſtum nativitatis Dominicæ, forsàn Sacerdos in ſabbato quatuor Temporum, quod concurrebat eo anno cum die 18. Decembris, Pontifex poſtea die ſequenti, qui erat dominicalis, ejusque coronatio in diem Sancti Stephani, ſeu 26. Decembris dilata, quia eo die, quolibet anno mos erat Pontifices coronare, ut in Alexandro III oſtendi; niſi dicamus conſecrationem in Pontificem & ejus coronationem eodem die peractas eſſe, nempe in feſto Sancti Stephani, qui eo anno in dominicam incidebat, quod obſervant Bernardus Guidonis & Ptolomæus Lucenſis.

Inno-

VI. *Legatos Græcorum Imp. recipit & ſuos ad eum mittit.*

Innocentium V Legatos ad Michaelem Græcorum Imperatorem deſtinaſſe pro confirmatione unionis Eccleſiæ Græcæ cum Latina in Concilio Lugdunenſi factæ; & Joannem XXI eos Legatos, qui ſui Pontificatûs initio nondum abſceſſerant, proficiſci juſſiſſe, ſuis locis ſuperius diximus Id cumulate præſtitit Michaël, ac per alios ſuos Apocriſarios formulam profeſſionis fidei, ac juramenti obedientiæ, tam ab ipſo, quàm ab ejus filio Andronico Conſtantinopoli præſtiti menſe Aprili quintæ Indictionis, ſeu anni 1277. ad eumdem Joannem XXI tranſmiſiſſe, certum redditur ex eadem ipſa formula, quam referunt Bzovius ad annum 1276. & Raynaldus ad annum 1277. & ex Regiſtro literarum ipſius Joannis & Nicolai, ad quem, Joanne defuncto, Imperatoris legatio pervenit. Qua accepta cum literis Michaëlis, Andronici & Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, quibus quidquid ab eis hactenus circa unionem Eccleſiæ Græcæ & primatum Romanæ expetitum fuerat, ratum habebant; novos Nicolaus Pontifex miſit Viterbio anno 1278. Conſtantinopolim nuncios, Epiſcopum Groſſetanum in Etruria & tres Religioſos Ordinis Minorum cum literis ad eoſdem Imperatores patrem & filium, nec non ad Joannem Patriarcham, ac ceteros Græcos Antiſtites, quæ extant apud Raynaldum anno 1278. ad conſummandum opus. Iis Legatis inter cetera ea res commendata, ut à Græcis Præſulibus ſacramentum de abjurato ſchiſmate, ac Romani Pontificis primatu agnoſcendo exigerent, ac publicis tabulis mandari curarent, ut legitur in monitis Pontificiis, quibus ad eam rem gerendam inſtructi erant, quæ leguntur apud eumdem Raynaldum num. 7. & ſeqq. In iis illud obſervatione dignum, Imperatori flagitanti, ut vox *Filioque* in Græcorum ſymbolo non adderetur, nec permutarentur ritus, ne ex ea novitate Græci tumultus concitarent, non aſſenſiſſe Pontificem Nicolaum, ſed præcepiſſe adiici, quò fideles inter ſe ſe diſcrepare non viderentur: de ritibus verò juſſiſſe eos tantum deleri, qui Eccleſiæ puritatem inquinarent.

VII. *Fratres Minores quinque in Tartariam miſit.*

Sedente Joanne XXI Abagha Orientalium Tartarorum Rex Legatos ad Apoſtolicam ſedem miſerat cum literis quibus ſignificabatur, cupere ſe ac patruum ſuum Quolibes, ab aliis Cobilam, ſeu Cublai nominatum, magnum omnium Tartarorum Caamum, ſeu Imperatorem, religione Chriſtianum, mitti ad ſe viros idoneos, per quos in Chriſtiana fide, tam ipſi, quam ipſorum filii, populique inſtrui valerent, ac rite baptizari. Joannes XXI eam provinciam aliquibus injunxerat, cum mors ipſius conſilia diſcuſſit. Quare Nicolaus III ardua negotia, quæ ſub Joanne deceſſore in Cardinalatu dirigebat, in Pontificatu explenda ſuſcipiens, non multo poſt ſuam conſecrationem, Legatos ad ſua remittens, quinque elegit ex Minoritarum familia, quos unà cum iiſdem miſit cum amplis facultatibus ad petita exequenda, & literis ad eoſ-

dem

dem Imperatorem & Regem munitos datis *Romæ ap[illegible] [illegible]trum Kal. April. anno I, & II Non. April.* quas ex bibliotheca Vaticana deſ[illegible]ptas legere poterit Lector apud Wadingum & apud Raynaldum. Reſpuiſſe Abagham ſalubetrima de ſuſcipiendo baptiſmo Pontificis monita, deducitur ex Marino Sanuto lib. 3. part. 13. cap. 8. ubi eum ſemper idolorum cultui fuiſſe addictum refert. Quolibey verò jam tunc fuiſſe Chriſtianum, conſtat ex literis à Nicolao Papa ad eum ſcriptis, quibus ob ſuſceptam fidem gratulatus eſt, atque ad eam in ſubditos populos diffundendam eſt cohortatus.

VIII. *Exigit à Rudolpho Imp. confirmationem bonorum & privilegiorum Eccleſiæ Rom. quæ Imp. per Legatum confirmat.*

Cum Rudolphus Romanorum Rex inſignia Imperialia à Nicalao III Pontifice depoſceret, Nicolaus cum eo graviſſime egit de principatûs Pontificii juribus, ut ſcilicet ſalva omnia jura vellet Eccleſiæ Romanæ, eaque confirmaret, quæ ipſius nomine in Concilio Lugdunenſi Otho Cancellarius, ipſemetque Lauſanæ Gregorio Pontifici ſpoponderat. Quibus conſenſum præbens Rudolphus Romam miſit Conradum à Tubinga, Miniſtrum Fratrum Minorum ſuperioris Alemanniæ, poſtea Epiſcopum Tullenſem in Lotharingia, nuncium & ſpecialem procuratorem cum literis datis *Viennæ anno domini MCCLXXVIII, XV. Kal. Februarii*, qui in Cardinalium Senatu Regiam fidem ad hæc perficienda obſtringeret. Qua auctoritate inſtructus Conradus, cum Nicolao Pontifice & Cardinalibus multiſque Epiſcopis, ac viris nobilibus, Notariiſque publicis, omnia Romanæ Eccleſiæ jura, quæ Otho Cancellarius Lugduni ſpoponderat, omniaque alia ab ipſo Rudolpho geſta confirmavit: ac ejus nomine aſſenſit, ut Nicolaus univerſæ illius ditionis, quæ Imperialibus diplomatibus continebatur, poſſeſſionem iniret, Rudolphumque omnia corroboraturum eſt pollicitus, quæ omnia in publicas tabulas redacta ſunt *anno domini MCCLXXVIII, quarto die menſis Maii, indictione VI, Pontificatûs vero domini Nicolai Papæ III anno I*, ut legitur in inſtrumento ea de re confecto, quod extat apud Raynaldum ad eumdem annum num. 47. & ſeqq.

IX. *Petit, ut ipſe, Principes & Electores Imperii ea confirment.*

Interea cum Rodulphus Imperialis ſcrinii Præfectus ad recuperanda in Italia Imperii jura miſſus, clientes nonnullos Eccleſiæ in Romanorum Regis verba jurare adigeret, monitus hac de re à Pontifice Rudolphus Imperator, Gothifredum Præpoſitum Eccleſiæ Solienſis, diœceſis Saltzburgenſis, Clericum & Protonotarium ſuum Romam miſit, qui ea acta irritaret, illaque temerè, inconſulta Regia Majeſtate tentata, datis *Viennæ IV Kal. Junii, indictione VI, anno domini MCCLXXVIII* ad Nicolaum Pontificem literis Imperator eſt profeſſus. Gotifredus priſtina Eccleſiæ Romanæ jura reſtituit eodem anno *II Kal. Julii, Indictione VI, Pontificatus domini Nicolai Papæ III anno I*, ut videre eſt in Inſtrumento ea de re confecto. Quæ omnia ut firmiora evaderent, petiit Nicolaus à Rudolpho Imperatore, ut ab illo ipſo eadem denuò con-

confirmarentur ; novo addito pacto , ut cùm primùm Imperii inſignia ſuſcepiſſet , etiam bulla aurea roboraret, quod & ipſum præſtitiſſe , teſtatur aliud inſtrumentum *datum Vienna per manum Magiſtri Gotifredi protonotarii noſtri prædicti. Acta ſunt hæc XVI Kal. Martii, Indictione VII anno Domini MCCLXXVIII, regni verò noſtri anno VI.* Cumque non ſufficere Nicolao viſum eſſet , exegit , ut Principes & Electores Imperii ea conſenſu ſuo firmarent , quod & præſtiterunt Principes eodem anno. Editas præterea à ſingulis Electoribus iiſdem conceptæ verbis diplomata, conſtat ex literis Ludovici Comitis Palatini Bavariæ Ducis, tum ex aliis Ottonis Marchionis Brandeburgenſis , his verbis inſcriptis : *Otho Dei gratia Marchio Brandeburgenſis , omnibus præſentem paginam inſpecturis ,* &c. *Dat. & actum anno domini MCCLXXIX, II. Id. Septemb. regnante prædicto domino noſtro Rodulpho Romanorum Rege glorioſo regni ejus anno VI.* Quæ omnia inſtrumento hactenus ſervantur in archivo Romano molis Hadriani, ſeu caſtri Sancti Angeli. SEC. XIII. NICOLAUS III.

X. *In Bononia & Romandiola poſſeſſionem immittitur.*

Eo pacto factum eſt, ut multa ex iis locis , quæ ab Imperatoribus detinebantur , redirent in poteſtatem Eccleſiæ : non tamen ſine labore , cum aſſueta libertati ob frequentes motus Italicos mallent in propriam perniciem inter ſe digladiari , quam juſtum & æquum Romanæ Eccleſiæ jugum ſubire. Sed cum Nicolaus Pontifex Bertholdum Urſinum fratris ſui filium , Romondiolæ, olim Flaminiæ vel Aemiliæ & civitatis Bononiæ Comitem creatum deſtinaſſet in hanc rem , unà cum Latino Malabranca Cardinale Epiſcopo Oſtienſi , Ordinis Prædicatorum, ſororis ſuæ filio , Sedis Apoſtolicæ Legato conſtituto , res illi ex voto ceſsêre. De Flaminia à Nicolao Papa Pontificiæ ditioni adjuncta meminit his verbis Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana apud Raynaldum anno 1278. num. 54. *Ab hoc Rodulpho* , inquit , *Nicolaus Papa III requiſivit , ut Romandiolam reſignaret & Exarchatum Ravennæ, qui à comitatu diſtinguebatur, & antiquitus Ravenna erat venator , ſicut Roma , & dictas communitates , gubernabat , inter quas erat Bononia , ut per Ludovicum I ſcribitur Paſchali Papa I, hanc regionem per Carolum datam , & recuperatam per Gregorium X, nunc iſto repetente , mandat Rodulphus omnibus nobilibus terræ , & populis dictæ regionis , ut Eccleſiæ Romanæ obediant , & dictum dominium ad Romanam Eccleſiam aſſerit pertinere, & ſic Papa poſſeſſionem iniit.* Conſentit his Ptolomæus Lucenſis in Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 23. cap. 32. apud eumdem Raynaldum ibidem : *Secundo ſui Pontificatûs anno Nicolaus III Rodulphum Regem Alemanniæ requirit ſuper reſignatione & exarchatu Ravennæ , qui erat principatus ſuper ſex civitates Romandiolæ , quæ à comitatu diſtinguebantur.* Et infra : *Mandat dominus Rex omnibus nobilibus terræ ac populis dictæ regionis , ut Eccleſiæ Romanæ obediant , atque dictum dominium ad Eccleſiam Rom. aſſerit pertinere. Et ſic dictus Papa poſſeſſionem obtinet.*

SEC. XIII. NICOLAUS III.

XI. *Impellit Siciliæ Regem ut Vicariatum Etruriæ & Senatoriam Urbis dignitatem deponat.*

Hæc in gratiam Nicolai Pontificis egiſſe Rudolphum Imperatorem ob ademptum Carolo Regi Siciliæ Vicariatum Etruriæ, quòd hæc Imperii juris eſſet, tum ad obtinendam ſolutionem ab excommunicatione, quam incurrerat ob non adimpletum juramentum exequendæ intra tempus præſcriptum expeditionis Syriacæ, ſcribunt Villanius lib. 7. cap. 52. Blondus lib. 2. decad. 8. Ricordanus Maleſpina Hiſt. Florent. cap. 204. & alii. Licet autem nullum horum veſtigium in literis Pontificiis reperiatur, certum tamen eſt, quod cum poſt Concilium Lugdunenſe Rudolphus urgeretur à Pontificibus ad expeditionem Syriacam adeo ſolemniter promiſſam, ipſum inter varias excuſationes quas prætexuit, hanc quoque cauſatum eſſe, quod Carolus Vicariatum Imperii in Etruria ſe invito uſurparet. Quare & ab ipſo Gregorio X, & à ſucceſſoribus, & à Collegio Cardinalium ſede vacante incubitum eſt, ut aliquis concordiæ modus inter eos inveniretur. Sed cum cerneret Nicolaus hæc omnia incaſſum fieri, impulit tandem Carolum, ut ipſemet ſponte, tam Senatoriam Urbis dignitatem, quàm Vicariam Etruriæ poteſtatem in manus ipſius Pontificis deponeret: cum & alioqui Senatoriam dignitatem à Clemente IV in decennium duntaxat, Vicariam verò poteſtatem ad arbitrium Sedis Apoſtolicæ, vel futuri Imperatoris accepiſſe diceretur. Utramque autem dignitatem depoſuit Carolus datis ea de re literis die vigeſima quarta Maii anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi octavi, Indictione ſexta.

XII. *Senatoriam Urbis dignitatem ad ſe revocat.*

Nicolaus verò Pontifex edidit Conſtitutionem, ne quis impoſterum Imperatoris, Regis, Principis, Marchionis, Ducis, Comitis vel Baronis titulo, aut cujuſcumque alterius notabilis præeminentiæ aut poteſtatis honore præfulgens; ipſorumve fratres, filii, vel nepotes dignitatem Senatoriam, regimenve Urbis quocumque nomine indigitaretur obire, & quicumque alii ad eamdem aſſumerentur, haud ultra annum abſque publicis Apoſtolicæ Sedis literis exercere poſſent. Quæ ipſius conſtitutio relata eſt in corpus Juris cap. fundamenta tit. de elect. & electi poteſtate in 6. Adducit eamdem conſtitutionem Sanctus Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 3. §. 2. & ſeq. *Conſtitutionem fecit*, inquit Jordanus MS. in Bibliotheca Vaticana apud Raynaldum num. 73. *de electione & domino Urbis, quocumque nomine cenſeatur quod non poſſit eligi ad majus tempus unius anni absque auctoritate Apoſtolicæ ſedis, quia tota civitas juris eſt Romanæ Eccleſiæ; ut patet per capitulum Conſtantinus 96 diſt. & diſt. 63. cap. Ludovicus, quæ conſtitutio habetur in ſexto de elect.* Interim tamen ipſummet Nicolaum Papam prædictam Senatoriam Urbis dignitatem ſibi ipſi ad vitam conferri procuraſſe, eamque per alios à ſe commiſſos exercuiſſe, plerique omnes tradunt, inter quos Guillelmus de Nangis in Chronico ſcribit, Nicolaum *ſe Senatorem ad vitam fieri* procurantem, *Senatoriam* juſſiſſe *per ſuos parentes fere per duos annos regi.*

Cete-

Ceterùm, inquit Spondanus, quantumvis nefas fuerit, Nicolao, *SEC. XIII.*
tanto Pontifici, in his contra Carolum agendis alium animum, quàm NICOLAUS
libertatis Eccleſiæ & Italiæ, quam ſub ejus ac Francorum potentia periclitari exiſtimaret, reſtituendæ tribuere; plurimi tamen diverſarum gentium Scriptores, primo hujus rei aſſertore Ricordano Malespina, Florentino, loco laudato, qui res ejus temporis præ oculis habens, hiſtoriam ſuam uſque ad annum 1281. perduxit, dixêre eum prætetea in Carolum concitatiorem fuiſſe, ex eo quod cùm quæſiſſet filiam quandam Caroli in uxorem dari cuidam ſuo nepoti, vel, ut alii ponunt, periiſſet ut Caroli nepos uxorem duceret neptem Pontificis, & repulſam tuliſſet, prædicante faſtuoſe & nimis provide Carolo, etſi Nicolaus calceis rubris uteretur, ejus tamen ſanguinem indignum eſſe, qui Regio miſceretur: inde Pontificem quandiu vixit, Carolo & Francis ſecretò adverſatum eſſe; eumque etiam Senatoria & . . ica in dignitate privaſſe: quinimò & illa quæ cum Rudolpho tractavit, ſimulatè omnia peracta eſſe ad Carolum deprimendum. Inveniſſe tamen ſe dicit Spondanus in MS. Chronico dicto *Memoriale Hiſtoriarum* extante in bibliotheca Collegii Navarr. Pariſienſis aliam cauſam offenſionis Nicolai: videlicet quod Carolus quemdam nobilem, qui neptem ipſius Nicolai habebat uxorem, antequam is eſſet Pontifex Romæ feceratdecollari, eò quod eſſet fautor Conradini. Potuerunt omnia ſimul concurrere, & animum Nicolai ſui præceps dare, cum enim multum ſuorum amantem extitiſſe infra videbimus.

III. XIII. *Carolo Regi adverſatur & quare.*

Sed quidquid hac de re ſit, certum eſt Carolum ob ſingularem in tanta potentia modeſtiam erga Pontificem ſuis commodis adverſantem, ipſius admirationem concitaſſe; tanta enim animi moderatione ac promptitudine ceſſit ad nutum ejus Senatoria & Vicariâ dignitate, ut quamvis in eum commotus Pontifex, coactus tamen fuerit, hoc digno elogio eum efferre: *Fidelitatem Carolus habet à domo Franciæ, ingenii perſpicuitatem à Regno Hiſpaniæ*, (Blancâ enim Hiſpanâ natus erat.) *diſcretionem verborum à frequentatione Romanæ Curiæ; poſſemus alios prævalere, iſtum tamen non valebimus ſuperare.* Ita Guillelmus Nangiacus in Chronico ad annum 1279. Quæ eadem ferè verba refert Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana apud Raynaldum ad annum 1278. num. 69. XIV. *Ejus de eodem Rege elogium.*

Margarita Raymundi Berengarii olim Provinciæ Phocæenſis & Forcalquerii Comitis filia primogenita, Sancti Ludovici Francorum Regis relicta, contendebat cum Carolo Siciliæ Rege, qui Beatricem ejuſdem Comitis Filiam natu minorem in conjugium duxerat, de duobus illis comitatibus, quos ſibi jure primogenituræ deberi aſſerebat; Carolus verò teſtamenti & tabularum matrimonii jure retinebat. Quare cernens Margarita Rudolphi Romanorum Regis animum in Carolum concitatum, hac bene uſa opportunitate, quod dicti comitatus titulo benefi- XV. *Controverſiam de Provincia Phocæenſis jure componi procurat.*

SÆC. XIII. NICOLAUS III.

ciario ab Imperio pendere diceret Rudolphus, ejuſdem opem implorabit; reſque videbatur ad arma inter Reges vergere, quando intercedens Nicolaus Pontifex anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono commiſit negotium Simoni de Bria Cardinali tum agenti Legatum in Gallia, qui Margaritam ad diremptionem negotii induceret, ut conſtat ex ejus Epiſtola 15. anni 2. data Romæ Nonis Maji. Sed res in annum ſequentem 1280. protracta, ejuſque cognitio Romæ ab eodem Nicolao arbitro partium facto, attributa Matthæo Cardinali Urſino, ita dirempta eſt, ut Carolus utrumque comitatum jure beneficiario retineret: Clementia filia Rudolphi deſponſaretur Carolo, *Martello* cognomine dicto, poſteaque Hungariæ Regi Caroli Siciliæ Regis nepoti: & denique Margarita, ſi quid ultra juris ſe habere exiſtimaret, apud ſubſellia Romanorum Regis proponeret, & ſententiam decretoriam à Sede Apoſtolica expectaret; quæ conſtant ex duabus Nicolai Epiſtolis, nempe ſeptima anni tertii, data Romæ X Kal. Februarii, & decima quarta ejuſdem anni data ibidem Nonis Februarii. Ad quæ firmanda miſſus eſt in Germaniam Hieronymus tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis, dictus poſtea in Pontificatu Nicolaus IV, qui rem feliciter præſtitit, & pacem inter Reges conciliavit.

XVI. *Rebellioni Siculorum contra Carolum Regem conſenſum præbuiſſe creditur.*

Villanius lib. 8. cap. 55. ſcribit Carolum Regem metu Rudolphi conſenſiſſe huic matrimonio nepotis ſui. Quod non eſt improbabile, non ignorabat enim Carolus quam alieno in ſe eſſet animo Nicolaus Papa, quem non ſolum Galli, ſed & ipſimet rerum Italicarum & Sicularum Scriptores, Ricordanus Maleſpina cap. 206. qui tum adhuc vivebat, idem Villanius qui proximè ſecutus eſt lib. 7. cap. 57. S. Antoninus tit. 20. cap. 4. §. 1. omnes Florentini; Blondus, Forolivienſis lib. 2. decad. 8. Fazellus, Siculus Ordinis Prædicatorum; Summontius Neapolitanus lib. 3. ex antiquioribus monumentis; aliique omnes omnium nationum Auctores, qui rebellionem Siculorum contra Carolum deſcripſerunt, una conſpiratione ſcribunt, à Joanne Prochtyta, ſeu Procida ejus auctore ſollicitatum Nicolaum ei conſenſiſſe, & auctorem Petro Aragoniæ Regi fuiſſe Siciliam jure uxorio invadendi, quin immò & ejus inveſtituram ipſi contuliſſe aſſerit Collenutius Hiſt. Neapol. lib. 5. & Petrus ipſe literis ad Carolum ſcriptis diſertè jactavit. Denique Ptolomæus Lucenſis in Chronico ſcribit, Procidam præcipue rem egiſſe inter unum de majoribus Principibus mundi (ita Nicolaum voluit deſignare, nomini ejus & famæ parcens) & Regem Aragonum pro auferendo regno Siciliæ Carolo, eumque tractatum ſe vidiſſe teſtatur. Sed ne hæc proditio, quam *Veſperas Siculas* famoſiſſimo adagio omnes gentes vocant, adeo promptum conſequeretur effectum, mors repentina Nicolai Pontificis obſtitit, inquit Spondanus ad annum 1280. num. 3.

Nico-

Digitized by Google

Nicolaum Papam ſtatim ac creatus eſt Pontifex ad caſtrum in monte Zuriano, ſeu Suriano, tunc temporis Viterbienſis comitatus ac diœceſis, reſtaurandum & arcem munitiſſimam extruendam, quam nepotibus ſuis conceſſit, animum adjeciſſe ſcribit Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, qui ait, Nicolaum æſtivo tempore vicum illum ſeptimo à Viterbio lapide, cœli clementia & aquarum amænitate celebrem petere ſolitum, tertio Pontificatûs anno, Chriſti milleſimo ducenteſimo octogeſimo, vitandi caloris gratia acceſſiſſe, ibique apoplexia obiiſſe undecimo Kalendas Septembris, ſeu die XXII menſis Auguſti; quod in dubium revocari non poteſt; Bernardus enim Guidonis in Chronico Romanorum Pontificum, *Nicolaus Papa III*, inquit, *in caſtro Suriano exiſtens, ſubitò factus apopleticus ſine loquela moritur in Octava Aſſumptionis B. Mariæ Virginis.* Idem tradit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 23. cap. 35. *Moritur apud Surianum juxta Viterbium, & tunc corpus ejus transfertur Romam, & in Baſilica B. Petri in capella B. Nicolai, quam ipſe ædificaverat, honorificè ſepelitur anno Domini MCCLXXX in octava Aſſumptionis*, quæ ultima verba, *in Octava Aſſumptionis* referuntur ad diem mortis, non verò ad diem ſepulturæ; Weſtmonaſterienſis enim ſuffragatur Bernardo Guidonis, ſcribens Nicolaum mortuum XI Kal. Septembris, qui coincidit, cum Octava Aſſumptionis, & ſepultum die dominica ſequenti, nempe die XXV Auguſti, *fuit autem ſepultus*, inquit, *in capella S. Nicolai in Baſilica S. Petri die dominica tunc ſequenti.* Cum itaque Nicolaus electus fuerit Pontifex die XXV Novembris anni 1277. ſi ejus Pontificatus ab eo die numeretur, ſedit annos duos, menſes novem, uno die minus; ſi verò numeretur à die conſecrationis aut coronationis, quæ facta eſt die 26. Decembris, ſedit annos duos, menſes octo, duobus diebus exceptis.

SEC. XIII. NICOLAUS III. XVII. *Nicolai PP. mors & ſepultura.*

XVIII. *Ejus virtutes.*

Omnes, qui de hoc Pontifice egerunt, uno conſenſu aſſerunt, eum multis virtutibus egregiè ornatum fuiſſe, magnitudine animi, prudentia, pietate, religione, caſtimonia & ſcientiarum cultu; de cujus pietate illud ab omnibus pene Auctoribus refertur teſtimonium, quod quotieſcumque ſacrum faceret, ubertim illachrymaret. Sobrium valde extitiſſe ſcribit Weſtmonaſterienſis, *cum tamen*, inquit, *ſecundum benedictionem complexionis bona, & temperatum modum in vivendo, quem habebat, diutius vivere meritò videretur.* Ptolomæus Lucenſis, *multa virtuoſa*, inquit, *eidem attribuunt Hiſtorici, quòd magnus eleemoſynarius, quòd devotiſſimè celebrabat, & ſemper in miſſa flebat. De magna prudentia commendabatur, ac in omnibus actibus ſuis multum maturus, vacantes Eccleſias ſuper omnes prædeceſſores ſuos velocius expedivit.* Addit, eum palatium multum ſolemne apud S. Petrum ædificaſſe, ubi mandavit fieri domos pro officialibus ſuis; ſed præcipue pro omnibus Pœnitentiariis, qui claudebantur ſub uno cancello: ubi fecit fieri unum viridarium de di-

SEC. XIII. NICOLAUS III. verſis conſitum arboribus & magnæ amplitudinis, & hæc omnia muro cinxit ampliſſimo, fortiſſimo & alto, ac turribus munito, quaſi civitas eſſet. Palatium etiam Lateranenſe renovavit, ejus Baſilicam, ac illam Sancti Petri multum decoravit, eaſque multis picturis & donariis auxit; præter quæ ſoli Baſilicæ Vaticanæ, ſi Bzovio fides, in numerata pecunia ſummam ſcutorum quinquaginta millium dono dedit: munus illo tempore ingens, quo res Eccleſiæ Romanæ anguſtiores erant. In eadem Eccleſia Vaticana Beneficiatos triginta inſtituit, multaque dona magni pretii dedit, quorum memoriam ejus Baſilicæ Clerus apud ſe extare voluit, ut refert Auguſtinus Oldoinus loco laudato.

XIX. *Nevi in ſuorum amore ei affixi.* Ex quibus deduci poteſt non omninò verum eſſe quod ſcripſêre plures Auctores, Nicolaum ſcilicet omnia ſanguine junctis conceſſiſſe. Iidem enim tradunt, eum adeo ſuorum amantem extitiſſe, ut etiam eos quocumque modo honoribus tam ſecularibus, quàm Eccleſiaſticis, poſſeſſionibus & pecuniis augere ſupra omnes deceſſores ſtuduerit: & niſi ejus conſilia mors præoccupaſſet, etiam duos Reges ex ſua eadem Urſinorum familia creare in animo habuiſſe; Etruriæ alterum, quem Gallis, Siciliam & regnum Neapolitanum obtinentibus opponeret; alterum Lombardiæ, qui Teutonicos intra ſuos terminos contineret. De quibus curioſius Ptolomæus Lucenſis, qui tum vivebat, refert tractaſſe ipſum cum Rudolpho Imperatore, ut totum Imperium in quatuor partes divideretur; videlicet in regnum Alemanniæ, quod deberet in poſteris Rudolphi continuari; Viennenſe, quod daretur in dotem uxori Caroli Martelli, quæ erat filia Rudolphi; Lombardiæ & Tuſciæ, quæ quibus aſſignarentur nondum eſſet expreſſum, ſed ſuſpicandi ſatis fuiſſe materiam. Hæc Ptolomæus, quæ etiam narrantur à Jordano MS in bibliotheca Vaticana, Auctore hujus temporis, apud Raynaldum anno 1280. num. ultimo. *Tractabat*, inquit Iordanus, *idem Pontifex cum dicto Rege* (Rudolpho) *ſuper novitatibus faciendis in Imperio, ut videlicet totum Imperium in quatuor divideretur partes, in regnum Alemanniæ, quod dabatur poſteris Rodulphi perpetuum; in regnum Viennenſe, quod dabatur in dotem uxori Caroli Martelli filiæ dicti Rodulphi: de Italia verò præter regnum Siciliæ duo regna fiebant, unum in Lombardia, aliud in Tuſcia: ſed interim Papa mortuus eſt.* Quæ item ac ſuperiora de Carolo Rege Siciliæ, ſi vera ſint, inquit Spondanus ad annum 1278. num. 8. nævos dixerimus in facie hominis, magnis animi corporiſque dotibus ornati; eo fortè excuſabiliores, quò pleriſque communiores eos naturalis affectus eſſe voluit; cum & alioqui excuſet eum Volaterranus, quod nonniſi quæ juſtis de cauſis ab aliis erepta eſſent, ſuis traderet.

XX. *Unica creatione novem Cardinales fecit.* Idem Ptolomæus Lucenſis Eccleſiaſticæ Hiſt. lib. 23. cap. 26. ait, Nicolaum Religioſos multum dilexiſſe & foviſſe, *& ſpecialiter Fratres Minores & Prædicatores*, ſed in promotione ad Cardinalatum æquali-

tet

SEC. XIII. NICOLAUS III.

ter ſe habuiſſe inter utroſque ; quia duos fecit Cardinales de Ordine Prædicatorum , ſcilicet Latinum Frangipanis vel Malabrancam , nepotem ſuum , filium ſororis, & Robertum Kiluvarbium, cognomento Biliberi , natione Anglum ; & duos de Ordine Minorum , videlicet Bentivengam de Tuderto , & Hieronymum Aſculanum , qui poſtea fuit Papa ſub nomine Nicolai IV. *Cum iſtis autem* , addit , *fuerunt alii quinque, inter quos unus fuit dominus Jordanus germanus ſuus , vir magna excellentia & innocentia , & dominus Jacobus de Columna , vir magna maturitatis & innocentia , & religionem amplexans.* Hos novem Cardinales à Nicolao creatos anno Pontificatûs tertio ſcribit Ciaconius ; annum verò non determinat Onuphrius Panuinius ; ſed hanc promotionem factam eſſe anno 1278. Pontificatûs Nicolai primo , diſertè aſſerit Ptolomæus Lucenſis , qui poſt laudata verba ſubdit : *Hanc autem ordinationem celebravit primo anno Pontificatûs ſui , qui in ſequentem incidit MCCLXXVIII.* Idem tamen Panuinius ſcribit , hanc ordinationem factam quarto Idus Martii , & quidem , uti exiſtimo , rectè ; is enim dies , ſcilicet duodecimus Martii , Sancto Gregorio Magno ſacer , anno 1278. concurrebat cum ſabbato quatuor Temporum , cùm Paſcha celebratum ſit die decima ſeptima Aprilis.

XXI. *Benevolentia ejus in Minoritas insigne argumentum.*

Multos Epiſcopos religioſos fecit de Ordine Fratrum Minorum , inquit Ptolomæus laudatus cap 30. Cur verò maximè Minoritas Nicolaus Eccleſiaſticis afficeret dignitatibus , exponit idem Auctor , *quia ipſos specialiter dilexit , & ipſorum Protector ſemper fuit uſque ad Papatum.* Obſervat autem Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana apud Raynaldum anno 1180. num. 27. Nicolaum , inito Pontificatu , cum Minoritas Matthæo Rubeo Urſino Cardinali commendaret , ſingulare illud ſtudium in Sancti Franciſci ſodalitium egregiè explicuiſſe : *Conſtituit* , inquit , *loco ſui procuratorem* (ſeu Protectorem) *ordinis Minorum Matthaeum Rubeum S. Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem ſubjectis verbis* : „ Si beneficia per „ nos tibi impenſa magna inveniantur & multa ; in nullo tamen ſic è vi- „ cino dedimus tibi arrham æternæ vitæ , ſicut in eo , quod tibi mo- „ do committimus. Damus enim tibi , quod te in paradiſum inducat , „ merita ſcilicet ſanctorum fratrum Ordinis hujus : Damus tibi melius „ quod habemus : Damus tibi deſiderium cordis noſtri & pupillam ocu- „ lorum noſtrorum. *Et hoc dicens non modo lachrymas fudit , ſed etiam ſingultus , vir tanta maturitatis continere non valuit. Et extenta manu proprium annulum tradidit illi dicens :* Tibi committimus „ Ordinem „ fratrum Minorum ; *& illa verba Regulæ recitavit* ; *qui ſit Gubernator* , „ *Protector & Corrector* , &c. gubernatione , *inquiens* , & protectione „ tua non egent : ſed pauperes & imbecilles , & habentes impugnatores „ tua indigent protectione defendi.

XXII. *Regulam S. Franciſci explicavit.*

Ex hac in Franciſcanos Nicolai benevolentia fluxiſſe refert memoratus Ptolomæus Lucenſis, ut præſcriptam à Sancto Franciſco religioſæ vitæ formam, quam quidam illicitam, inobſervabilem & diſcriminoſam calumniabantur, in nonnullis ambiguis declararit: *propter quam cauſam,* inquit Lucenſis, *ipſorum Regulam declaravit per quamdam decretalem quam fecit, quæ habetur in 6. l. de verb. ſignifi. C Exiit qui ſeminat*; eam enim decretalem Bonifacius VIII corpori Juris inſeruit inter extravagantes communes in ſexto ſub titulo *de verborum ſignificatione*; eamdemque commendavit Clemens V in Concilio Viennenſi in Decretali, *Exivi de paradiſo*, quæ habetur etiam eadem rubrica inter Clementinas; nec non ipſe Joannes XXII, qui viſus eſt contra eam quædam definiiſſe in conſtitutione, quæ incipit: *Quia quorundam exigit*, tanquam claram, lucidam, & magna maturitate digeſtam commendat. Eam quidem decretalem quidam attribuunt Nicolao IV, ſed Wadingus ad annum 1279. num. 12. multis probat eam eſſe Nicolai III.

XXIII. *Pſalmum Lætatus ſum in miſſa pro pace cantari ſtatuit.*

Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 16. num. 14. obſervavit Nicolaum, ad impetrandam pacem inter Principes Chriſtianos ſtatuiſſe, in miſſa ſolemni, poſtquam Sacerdos dixit, *pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ante *Agnus Dei* cantari pſalmum, *Lætatus ſum* cum aliquot verſiculis & collecta pro pace: idemque conſtituiſſe Joannem XXII pro tollendo ſchiſmate, ut teſtatur Angelus Roccha in paralipomenis commentarii de campanis. Vixit porro Angelus Roccha, ſeu Rocca, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, ſub Sixto quinto, eumque Clemens octavus Præfectura ſacrarii Apoſtolici honoravit, ac deinde infula Tagaſtenti. Vide dicenda in Joanne XXII.

XXIV. *Nicolaus PP. & Fratres Minores à calumnia vindicati.*

Radulfus de Rivo Tungrenſis Decanus in lib., de Canonum obſervantia propoſitione 22. poſtquam pluribus oſtendere conatus eſt officium Fratrum Minorum nullo modo dici poſſe Romanum, quòd ab ipſis immutatum & confuſum fuerit, ſubdit: *Sciendum tamen quòd Nicolaus Papa III, natione Romanus, de gente Urſinorum, qui cœpit anno Domini MCCLXXVII, & palatium apud S. Petrum conſtruxit, fecit in Eccleſiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Miſſalia & alios libros officii antiquos quinquaginta, & mandavit de cetero, ut Eccleſia Urbis uterentur libris & breviariis Fratrum Minorum, quorum Regulam etiam confirmavit, unde hodie* (ſc. anno circiter 1390. quo Radulphus Tungrenſis ſcribebat, centum & amplius annis poſt Nicolai III mortem) *in Roma omnes libri ſunt novi & Franciſcani.* Antea autem dixerat Radulfus duplicem olim fuiſſe Romæ modum divini Officii, unum breviorem, quo Romana Curia, ſive capella Pontificis utebatur; alterum prolixiorem pro ceteris Eccleſiis Urbis, qui propriè ritus Romanus dicebatur: operâ verò Fratrum Minorum, utrumque officium Curiæ & Eccleſiæ in unum coaluiſſe, ita ut prolixiori & proprio abrogato, omnes poſtea Eccleſiæ officio

Curiæ

Curiæ uſæ ſint. Sed Radulphum vel in Fratres Minores malè affectum, *SEC. XIII.*
vel deceptum fuiſſe, ex eo evidenter patet, quod centum fere annis NICOLAUS
ante inſtitutionem & confirmationem Ordinis Minorum factam ab Ho- III.
norio III, omnes Eccleſiæ Urbis, excepta Lateranenſi, relicto officio antiquo, quo Romana Eccleſia utebatur, novum illud breviatum jam admiſiſſent. Quod certò conſtat ex Petro Abaëlardo, qui in Epiſtola Apologetica, quam ſcripſit adversùs Sanctum Bernardum pag. 250. ait: *Antiquam Romanæ Sedis conſuetudinem nec ipſa civitas* (Romana) *tenet, ſed ſola Eccleſia Lateranenſis, quæ mater eſt omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum ſuarum in hoc eam ſequente, nec ipſa etiam Romani palatii Baſilica*, id eſt capella Pontificia. Si itaque Petri Abaëlardi tempore, hoc eſt circa annum 1240. in omnibus Eccleſiis urbis Romæ legebatur illud officium breviatum, quo pacto dicere potuit Radulfus, Nicolaum III mandaſſe, *ut Eccleſiæ Urbis uterentur libris & breviariis fratrum Minorum*, cum centum & quinquaginta circiter annis ante Nicolaum III, *officium illud breviatum*, quod, ut ipſemet Radulphus aſſerit, *ſecuti ſunt fratres Minores*, in omnibus Romanæ urbis Eccleſiis, excepta Lateranenſi, legeretur; quod aliquo modo fatetur ipſemet Radulfus, dum ait, ſe vidiſſe *Romæ hujus officii ordinarium à tempore Innocentii III recollectum*, ideoque ante fratres Minores. Falſo ergo ſubdit Radulfus; *Non curaverunt* fratres Minores *mores aliarum Eccleſiarum urbis Romæ recipere & obſervare*; cum omnes Eccleſiæ Urbis, excepta Lateranenſi, morem illum cantandi officium breviatum, multo ante initium Fratrum Minorum recepiſſent. Quæ cum ita ſint, mirum eſt Cardinalem Bonam ſacrorum Rituum indagatorem periſſimum Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 7. num. 7. hanc Radulfi narrationem, nullâ adhibitâ cenſurâ retuliſſe, cum ibidem integrum Abaëlardi locum referat. Præterea quod addit Radulfus illud officium breviatum, tempore Fratrum Minorum non fuiſſe officium ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ſed *ſecundùm conſuetudinem Romanæ Curiæ*, ex dictis ſubſiſtere non poteſt, & ſi concederetur, culpandi tamen non eſſent Fratres Minores, qui non immeritò interpretati ſunt, illud eſſe officium proprium S. R. Eccleſiæ, quod in capella Papæ & collegio Cardinalium erat in uſu, ſicut verè in iis Eccleſia Romana ſubſiſtit, non in aliis Congregationibus, quantumlibet Romæ degant; & potiori jure eo tempore, quo omnes aliæ Urbis Eccleſiæ, excepta Lateranenſi, longe ante officium illud admiſerant. Denique deceptus eſt Radulfus in eo quod ſcripſit Nicolaum III Regulam Fratrum Minorum confirmaſſe, ex dictis enim conſtat, illum eam tantum explicaſſe.

Digitized by Google

MARTINUS IV *Pontif.* CLXXXIX.

Anno Domini MCCLXXXI.

I. *Interpontificii tempore tumultus excitati.*

UBi Nicolai mors Romæ famâ vulgata eſt, ingentes exarſerunt turbæ; Hannibaldenſes enim amicorum opibus ac potentia freti, ſe ſe Urſinis ita æquarunt, ut ex utraque familia unus eligeretur, qui Senatoris munus exerceret; quibus rem publicam gerentibus, paſſim cædes editæ atque ingentes tumultus excitati ſunt. Præterea conclavi Viterbii coacto, titulo cuſtodis Richardus ex Hannibaldenſium familia, qui Urſum Nicolai defuncti nepotem, Bertoli fratrem prætura Viterbienſi dejecit. Qua contumelia accenſi duo Cardinales ex eadem familia Urſina, Matthæus ſcilicet Rubeus Sanctæ Mariæ in Porticu, & Jordanus Sancti Euſtachii, Nicolai Papæ frater, Diaconi, palam conteſtati ſunt, ſe non paſſuros electionem Pontificis fieri, quin prius Urſus dignitati reſtitueretur. Hanc ſeditionis anſam Viterbienſes adepti, Richardi impulſu irrumpentes in conclave, prædictos duos Cardinales per vim abſtractos in vincula conjecerunt. Quod ubi Romæ auditum eſt, eadem Hannibaldenſium factio Urſinam Urbe expulit. Hæc conſtant partim ex Guillelmo de Nangis in Geſtis Philippi Regis, partim ex Platina, Blondo & aliis recentioribus: quæ antiquiores, Ricordanus, Ptolomæus Lucenſis, Villanius & alii, inſtigatore Carolo Rege Siciliæ, qui Pontificem ſuæ factionis creari volebat, facta innuunt. Duos autem Cardinales cuſtodiæ traditos, aſſerit etiam Honorius IV Papa, Martini IV ſucceſſor in Epiſtola 18. lib. 1. apud Raynaldum anno 1281. num. 2.

II. *Martinus IV eligitur Pontifex.*

Prædictis Cardinalibus in cuſtodiam datis, reliqui, poſt ſex menſium vacationem, in unam ſententiam coëuntes, in feſto Cathedræ Sancti Petri, ſeu octavo Kalendas Martii anni milleſimi ducenteſimi octogeſimi primi, elegerunt in Summum Pontificem, Simonem, *de Bria* vulgò dictum à patria, Galliæ provincia, Pariſiorum agro vicina, Cardinalem tit. Sanctæ Cæciliæ ab Urbano IV renunciatum ex Theſaurario Eccleſiæ Sancti Martini Turonenſis, qui ea de cauſa Martini nomen ſumpſit, non verò, quod à multis falſò creditur, quòd fuerit patria Turonenſis. Simonem electum eſſe die vigeſima ſecunda Februarii, in feſto Cathedræ S. Petri aſſerit continuator Martini Poloni: *Martinus IV*, inquit, *natione Gallicus eligitur anno Domini MCCLXXXI in die cathedræ Sancti Petri. Hic vocabatur Simon tit. S. Ceciliæ presbyter Cardinalis, fuitque per Urbanum Papam IV promotus ad Cardinalatum, & per eumdem Urbanum primò, & ſecundò per Gregorium Papam decimum in Franciam miſſus Legatus, & per plures annos ibi Legatus extitit.* Idem prorsùs habet Jordanus Auctor qui vixit ante annum 1285. à Papebrocio editus in Conatu Chronico-

nico-Hiſtorico. Ipſemet Martinus Papa in literis encyclicis, de ſua promotione datis, de quibus mox, aſſerit, ſe in feſto Cathedræ Sancti Petri per viam ſcrutinii concorditer fuiſſe electum, ideoque de die ejus electionis nullum dubium remanet. Guillelmus Nangiacus in Chronico, S. Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 4. Nauclerus generat. 43. & alii eum vocant Martinum IV, & revera ita vocandus eſt, licet unus tantummodo ejusdem nominis Sanctus Pontifex eum præceſſerit, quia Marinus I, Martinus II, & Marinus II, Martinus III ab Auctoribus appellati ſunt; unde & in inſtrumento à Senatoribus Romanis die decima Martii ejusdem anni 1281. Romæ confecto, antequam Pontifex conſecraretur, à Raynaldo eodem anno num. 15. relato, diſertè vocatur Martinus IV. *SEC. XIII. MARTINUS IV.*

III. *Ejus primordia & generis nobilitas.* *Poſt vacationem Sedis quimeſtrem*, inquit S. Antoninus loco laudato, *electus fuit in Papam is, qui dictus eſt Martinus IV, natione Gallicus, patria Turonenſis, etſi non nobili genere natus ſecundum carnem, tamen moribus generoſus & magnanimus, & à cupiditate pro ſe, vel ſuis alienus, Eccleſiaſticique juris zelator.* Sed in hoc dupliciter errat S. Antoninus, primò, in eo quod dicit eum patria Turonenſem fuiſſe, ut ex dictis patet; ſecundò in eo quod aſſerit, eum non nobili genere natum; nam Martinum nobili proſapia progenitum, aſſerunt iidem Senatores in inſtrumento mox laudato, quo ei Senatoriam dignitatem offerunt, *non ratione Papatûs, vel Pontificalis dignitatis: ſed ratione ſuæ perſonæ, quæ de nobili proſapia traxit originem.* Martinum IV bis in Gallia legationem Apoſtolicæ Sedis exercuiſſe, mox ex continuatore Martini Poloni diximus; Jordanus autem MS. in bibliotheca Vaticana apud Raynaldum num. IV addit: *Et multas bonas ordinationes ibi* (nempe in Gallia) *dimiſit firmatas in provincialibus Synodis per eum congregatis: in ſumptibus autem fuit multum magnificus, religiones dilexit Minorum maxime & Prædicatorum.*

IV. *Conſecratur & coronatur.* Martinus electus Pontifex cum Romam ire non poſſet, quòd tunc ſeditione urbs laboraret; & Viterbii nollet coronari, quòd ea civitas poſt impetum in Cardinales factum interdicto ſuppoſita eſſet, Urbem veterem receſſit, ibique conſecratus & coronatus eſt die vigeſima tertia menſis Martii, quæ eo anno concurrebat cum dominica quarta Quadrageſimæ, ſeu *Lætare Jeruſalem.* Hæc conſtant ex eodem Jordano MS. qui apud Raynaldum num. I ait: *In electione Martini IV accidit turbatio, quod dominus Matthæus Rubeus Cardinalis fuit ſingulariter incluſus in quadam camera per officiales Viterbienſes, conſentiente Domino Richardo nobili viro Romano de Annibaldenſibus dicto de Larota, qui tunc erat dominus in Viterbio. Cardinales autem non includebantur ſecundùm formam conſtitutionis, quæ revocata fuerat per Joannem Papam: recluſio tamen erat ſpontanea, ut de electoribus aliorum Prælatorum fieri ſolet. Ex hac igitur violentia omnes auctores ſententiam incurrunt & civitas ſuppoſita interdicto; & ex tunc Curia ibidem reſidentiam facere noluit.* Et infra apud eundem Raynaldum num. 6.

 Hic

Digitized by Google

SEC. XIII. MARTINUS IV.

Hic poſt ejus promotionem à Viterbio diſcedens noluit ibidem conſecrari, ſed ſe tranſtulit ad Urbemveterem, & ibi conſecratus fuit X Kal. Aprilis. Eadem verba leguntur in altero Jordano apud Papebrocium loco laudato.

V.

Encyclicas de ſua promotione literas ſcribit.

Antequam conſecrationis ſolemnia celebraret, pridie ſcilicet Kalendas Martii, ut habet Bzovius anno 1281. num. 4. encyclicam primùm ad Senonenſem Archiepiſcopum, deinde ad omnes Prælatos, Reges & Principes ſcripſit Epiſtolam, eoſque ſuſcepti Pontificatûs admonens, orationes & obſecrationes univerſalis Eccleſiæ poſtulavit, datis literis apud Urbem veterem 2. Kal. Martii. Literas illas encyclicas refert Raynaldus num. 7. in quibus poſtquam ſe imparem prædeceſſoris virtutibus prædicavit, & dixit, ſe *in feſto Cathedra ipſius Apoſtolorum Principis*, ſeu die XXII Februarii, *per viam ſcrutinii unanimiter* electum, aſſerit ſe promotioni ſuæ ita fuiſſe obluctatum, ut veſtis Cardinalitia etiam fuerit ab electoribus diſcerpta; tandemque hortatur, ut preces fundant, ut Deus ejus inopiam ſuppleat & debilitatem fulciat. Sed in iis literis nullum eſt temporis character ex quo erui poſſit, an ante vel poſt conſecrationem datæ ſint, ſic enim deſinunt. *Dat. apud Urbemveterem.*

VI.

Suos Eccleſia bonis ditare refugit.

Martinum Pontificem à cupiditate rerum temporalium tam pro ſe, quàm pro ſuis alienum fuiſſe, demonſtrat inſigne exemplum à Sancto Antonino loco laudato relatum: *Cum germanus ejus*, inquit, *ad ipſum acceſſiſſet gratia viſitationis & congratulationis, ſperans aliquid fortè ab eo magnum obtinere, quam citiſſime eum remiſit ad propria cum modicis muneribus & moderatis expenſis, dicens, quod qua habebat ut Papa, bona eſſent Eccleſia non ſua, unde nec diſſipare vellet indiſcretè donando.* Ceterùm ad omnia pietatis opera pronum, & in egenos miſericordiſſimum extitiſſe certum eſt.

VII.

Senator Urbis à populo Rom. dicitur.

Cum nihil magis cordi eſſet Martino Papæ, quam ut conciliaret Romanorum diſſenſiones, Latinum Oſtienſem Epiſcopum, & Gottifredum Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconum Cardinalem, ante conſecrationem ſuam Romam miſit: qui, obfirmatis factionum odiis, meliorem, ad pacem turbatæ Urbi reſtituendam, iniri non poſſe rationem exiſtimarunt, quam ut Romanæ rei Senatorio nomine gerendæ ſumma Pontifici deferretur. Sed cum Nicolai III conſtitutione cautum eſſet, neminem celſioris dignitatis faſtigio conſpicuum publicæ rei Romanæ admovendum, reſciſſa eſt Apoſtolica auctoritate Nicolai III conſtitutio, & tum Petrus è Comite, & Gentilis de filiis Urſi Senatores à populo Romano deſignati, Senatorium munus Pontifici, ut privato viro obtulerunt. Hæc conſtant ex literis ejuſdem Pontificis ad Carolum Siciliæ Regem datis, quæ extant in libro MS. privilegiorum Romanæ Eccleſiæ in bibliotheca Vaticana, & in alio libro itidem MS. Vallicellano, ut ait Raynaldus num. 14 & ex inſtrumento, ea de re à Senatoribus die decima Martii confecto, quod ibidem Raynaldus num. 15. integrum Annalibus

Digitized by Google

libus ſuis inſeruit, quodque tale eſt: *Anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, tempore Domini Martini IV Papæ, die Lunæ decimo Martii, nonæ indictionis. In præſentia*, &c. *Congregato magnifico populo Romano ante palatium Capitolii publicè ad ſonum campanæ, & voces præconum, ut moris eſt .... Iidem nobiles viri domini Gentilis de filiis Urſi, & Petrus de Comite Senatores, electores ordinati à magnifico populo Rom. ex auctoritate & poteſtate eis ſuper hoc à præfato populo Rom. conceſſa: attendentes ſanctitatem, prudentiam & bonitatem ſanctiſſimi patris noſtri domini Martini Papæ IV .... ſperantes quod per ipſius ſapientiam & probitatem expertam bono ſtatui Urbis & populi Rom. ſalubriter poterit, divina favente gratia providere, invocatâ ſpiritûs ſancti gratiâ, præfato domino Martino Papæ IV, non ratione Papatûs, vel pontificalis dignitatis, ſed ratione ſuæ perſonæ, quæ de nobili proſapia traxit originem, unanimiter & concorditer transtulerunt, & plenariè commiſerunt regimen Senatus Urbis, ejuſque territorii & diſtrictûs toto tempore vitæ ſuæ: & dederunt ſibi plenam & liberam poteſtatem regendi toto tempore Urbem, ejuſque territorium & diſtrictum per ſe, vel per alium, ſeu alios, & eligendi, inſtituendi, ſeu ponendi Senatorem, vel Senatores, unum vel plures ad tempus; ſeu tempora, & ad ſalarium ſecundum formam & modum, prout ſibi placebit....... Voluerunt autem quoque prædicti electores, quod per prædicta, vel aliquod prædictorum in nullo diminuatur, vel creſcat jus populi Romani, ſeu Eccleſiæ Rom in electione Senatus Urbis, tranſacto tempore vitæ ipſius domini Papæ Martini: ſed jus ſuum permaneat ex tunc integrum cuilibet & illæſum.* Actum & publicatum eſt illud inſtrumentum in præſentia plurium teſtium ibidem nominatorum, *in anno, indictione, menſe & die prædictis.* SEC. XIII. MARTINUS IV.

Martinus Pontifex Urbis Senator electus Romanæ rei adminiſtrationem Carolo Regi Siciliæ tradidit, ut refert Jordanus M S. apud Raynaldum num. 14. *Electus*, inquit, *Senator Urbis loco ſui Regem Siciliæ inſtituit, eligens de familia ejuſdem Regis in Viterbio exiſtentis milites ad regendum tam patrimonium, quàm Campaniam, Marchiam & Ducatum.* Similia tradunt Auctor Vitæ Martini MS. in bibliotheca Vallicellana, & Nangius tam in Geſtis Philippi Franciæ Regis, quàm in Chronico, qui & addunt, ſeditionem excitatam Urbevetere, per milites Caroli compreſſam fuiſſe: *Papa Martinus*, inquit Nangius in Chronico, *eligitur in Senatorem ad vitam, qui loco ſui Carolum Regem Siciliæ conſtituit, de domo ejus, ſive familia aſſumſit milites ad regendum patrimonium S. Petri, quos cum ſtipendiariis francigenis ferè octingentis in Romaniolam deſtinavit contra Guidonem Comitem Montisfeltri, qui terram Romanæ Eccleſiæ occupatam illis in partibus detinebat. Apud Urbemveterem orta fuit magna diſſenſio inter cives & gentes Caroli Regis Siciliæ, ita ut ad mortem ad Gallicos proclamarent, & hoc totum factum eſt per urbis Capitaneum Jamerium, qui aſſenſum ſuis civibus tribuebat; ſed ad arma Francigenæ concurrentes plurimos de ipſis occi-* VIII. *Carolum Siciliæ pro ſe Senatorem inſtituit.*

SEC. XIII. *derunt; & tunc neceſſitate cogente prædicta diſſentio ſopita eſt.* Senatoris porrò officium in Carolum Regem Martinus Papa transfudit ad rebelles illius potentiâ comprimendos.

MARTINUS IV.

IX. *Cardinalium collegium auget.*

Paulò poſt ſuam conſecrationem Pontifex amplificavit Cardinalium Senatum, die enim duodecima menſis Aprilis in vigilia Reſurrectionis Domini duos Cardinales Presbyteros, in Epiſcopos promovit, ſcilicet Gerardum Blancum ex Presbytero Cardinali tit. SS. XII Apoſtolorum in Sabinenſem, & Hieronymum Aſculanum tit. S. Pudentianæ presbyterum item Cardinalem, in Præneſtinum, Epiſcopos; ſexque alios Cardinales creavit, ut conſtat ex Continuatore Martini Poloni, qui hoc tempore vivebat: *Ordinationem*, inquit, *in vigilia Reſurrectionis dominicæ proxime ſequenti faciens, prædictum dominum Gerardum tit. Sanctorum Apoſtolorum in Sabinenſem, ac præfatum dominum Hieronymum tit. S. Potentianæ Præneſtinum, Presbyteros, Cardinales Epiſcopos; dominum Hugonem Anglicum tit. S. Laurentii in Lucina; dominum Gervaſium tit. S. Martini in Monte, dominum Gaufredum Burgundum tit. S. Suſannæ; & dominum Joannem Coletum tit. S. Ceciliæ; Comitem Mediolanenſem tit. SS. Marcellini & Petri in Presbyteros; dominum verò Benedictum tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem promovit.* Eadem prorsùs habet Jordanus à Papebrocio editus. De aucto illustribus hiſce viris à Martino Cardinalium collegio Jordanum alterum MS. in bibliotheca Vaticana, Ptolomæum Lucenſem, Bernardum Guidonis, Auctorem MS. Vitæ Martini, aliſque meminiſſe, ait Raynaldus num. 11. Ex quibus corrigendus Ciaconius, qui vult poſt Panuinium, eadem creatione dictum eſſe Cardinalem Bernardum de Languiſſello, Archiepiſcopum Arelatenſem, factumque Epiſcopum Portuenſem; ille enim Bernardus, ſi verè fuit Cardinalis, vel creatus non eſt à Martino, vel in alia creatione ſolus factus eſt Epiſcopus Cardinalis Portuenſis; non invenitur tamen Martinum toto ſui Pontificatûs tempore alios Cardinales creaſſe, quam mox à Continuatore Martini Poloni memoratos, ex quibus duo electi ſunt poſtea Romani Pontifices, ſcilicet Hieronymus Aſculanus, dictus Nicolaus IV, & Benedictus Cajetanus, dictus Bonifacius VIII. Corrigendus & Ciaconius in eo quod ſcribit, hanc ordinationem factam X Kal. Aprilis.

X. *Græcorum Imp. ab Eccleſia deficientem excommunicat.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo primo Martinus Pontifex Urbeveteri exiſtens, in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ſeu die XVIII menſis Novembris Michaëlem Palæologum Græcorum Imperatorem anathemate devinxit, quod ab unione in Concilio Lugdunenſi per oratores ſuos jurata, & proprio deinde ſacramento coram Legatis Apoſtolicis confirmata defeciſſe videretur: vetuitque omnibus Principibus Chriſtianis, ne cum illo fœdus inirent, jamque initum divellerent, imperavit. Diploma excommunicationis refert Raynal-

Digitized by Google

naldus num. 25. quod his verbis clauditur: *Actum apud Urbemveterem in platea dicta Majoris Eccleſiæ, in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Pontificatûs noſtri anno I.* Impulſum ad eam ferendam ſententiam Martinum à Carolo Siciliæ Rege, ut facilius Palæologum cenſuris defixum, & Romanæ Eccleſiæ ſubſidiis, in ſacris expeditionibus conferri ſolitis deſtitutum, Conſtantinopoli deturbaret, generumque ſuum ſolio Conſtantinopolitano reſtitueret, omnes ferè Auctores ſcribunt; ſed cum Martinus ipſe Pontifex dicat in laudato diplomate, ſe eum anathematis vinculo innodare, ut *hæreſis & ſchiſmatis antiqui fautorem*, & in Epiſtola II. lib. 3. & 14. lib. 4. teſtetur eum manifeſtè ſe ab Eccleſiæ obſequio ſubduxiſſe, ex eo elicitur, ob violatum ab eo initum jam ante fœdus, ejusque ab Eccleſia defectionem, Martinum Eccleſiaſticum fulmen intorſiſſe; non verò ob latas temerè in gratiam Caroli cenſuras, initam Latinos inter & Græcos concordiam diſſolutam fuiſſe; quod certè Græci ſilentio non prætermiſiſſent. Id ipſum innuit Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana apud Raynaldum num. 26. licet enim dicat, Pontificem à Carolo impulſum, aſſerit tamen fulmen excommunicationis in Palæologum vibratum, quia promiſſis pro Eccleſiarum unione non ſteterat: *Ad inſtantiam Regis Caroli, inquit, Palæologum excommunicatum denunciari jubet quia juxta promiſſum & ſequentem requiſitionem cum ſua gente ad obedientiam Romanæ Curiæ non venerat.* Eamdem poſtea excommunicationis ſententiam innovavit Pontifex anno ſequenti 1282. in die Aſcenſionis Domini quæ concurrebat cum die ſeptima Maii: eam refert Raynaldus ad eumdem annum num. 8. & ſeqq. datam *apud Urbemveterem in platea dicta majoris Eccleſiæ in die Aſcenſionis domini anno II.*

SEC. XIII. MARTINUS IV.

XI. *Anathemate ferit Panormitanos ob veſperas Siculas.*

Anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo in ſolemnibus Paſchatis diebus tragœdia proditionis à Joanne Prochryta Siculo, cum Græcis & Aragoniis in Regem Carolum & Gallos in Sicilia commorantes compoſita, de qua in Nicolao III aliquid delibavimus; extremum tandem actum & cataſtrophen conſecuta eſt, cujus hæc ſumma; ut una eademque die tota Inſula, uno eodemque tempore dum ſacrarum campanarum ſonitu ad veſpertinos hymnos populi de more convocarentur; omnes ubique ad unum Galli inermes, nihilque tale unquam veriti, nedum tali tempore ſuſpicantes, viri, fœminæ, pueri, omnis ætatis, ſexûs ac conditionis, Sacerdotes, Religioſi omnium ordinum, occiſi ſint non ſolum à profanis hominibus, ſed etiam à Dominicanis, Franciſcanis, ac ceteris Monachis, ut diſertè ſcribit Fazellus ipſe Siculus & Dominicanus: tanto etiam ſævitiæ exceſſu, ut exenteratæ quoque prægnantes à Francis Siculæ, ac parvuli ſaxis illiſi ſint, ne quid Francici generis in Sicilia ſupereſſet. Octo millia cæſa feruntur duarum horarum ſpatio: hincque *Siculus veſper*, ſive *Sicula veſpera* in

fa-

SEC. XIII. MARTINUS IV. famoſiſſimum adagium apud omnes gentes abiit. Carolus Rex, qui tum apud Pontificem in Etruria agebat, accepto illo nuncio, & cum eo communicato, ac per filium Carolum qui in Provincia erat, Philippo Francorum Regi nepoti ſignificato, ab utroque ſponſionem accepit auxilii. Ipſeque Pontifex rem paciſcendam magis ſuadens, ne tamen majores vires rebellio caperet, anathematis ſententiam in Panormitanos & eos omnes tulit, qui regnum Eccleſiæ Romanæ ſtipendiarium, & Carolo fiduciario jure traditum invaderent, vel conjuratis opem ferrent. Sententia anathematis data eſt *apud Urbemveterem in platea dicta majoris Eccleſia in die Aſcenſionis domini, Pontificatus anno II*, extatque apud Raynaldum num. 13. & ſeqq.

XII. *Item Petrum Aragonia Regem ob invaſam Siciliam.* Incitatos ad patrandum tantum facinus Siculos à Petro Rege Aragonum, qui uxoris Conſtantiæ, filiæ Manfredi tyranni impulſu, ad regnum illud aſpirabat, refert Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 24. cap. 5. & confirmatur à Jordano MS. apud Raynaldum num. 12. qui ait: *Deinde tota Sicilia ſic rebellans Petrum Regem Aragonia in ſuum defenſorem & dominum vocaverunt.* Petrus qui ſimulatam in Afros expeditionem ſuſceperat, Hipponenſi orâ incendiis vaſtatâ, mox in Corſicam delatus, ut cædem Francorum audivit, menſe Auguſti Panormum appulit, & Rex Siciliæ acclamatus ac coronatus eſt. Quare Martinus Pontifex, poſtquam Petrum ab ejuſmodi iniqua invaſione pluribus literis deſiſtere monuiſſet, parere recuſantem, die decima octava Novembris ſententiâ ad Montemflaſconem præ foribus Eccleſiæ Sancti Flaviani Martyris, aſſidente collegio Cardinalium & circumſtante populi multitudine prolatâ, execratus, excommunicationi, unà cum eis qui ejus arma ſequerentur, ſubjecit, hoſtemque Eccleſiæ denunciavit: Siculos omnes eadem dirarum imprecatione deteſtatus, quòd non ſolum violaſſent majeſtatem Regis Caroli, verùm etiam ſacroſanctam Sedis Apoſtolicæ poteſtatem, in cujus fide Sicilia erat: neque Petro tantum, ſed & ejus regnis ſacris interdixit. Extat ſententia apud Raynaldum num. 23. & ſeqq. dataque dicitur *apud Montemflaſconem ante Eccleſiam Sancti Flaviani in feſto dedicationis Baſilica principis Apoſtolorum Pontificatûs noſtri anno I*, ſed legendum, anno II.

XIII. *Carolum Sicilia Regem arguit ob acceptatum ſingulare certamen cum eodem Rege Aragonia.* Petrus Aragonius tum his territus, tum in tanta Caroli potentia, ſuorumque auxiliorum longinquitate, ac Siculorum volubilitate, quæ parta erant, amittere metuens, ad ſolitas artes converſus, Carolum ad ſingulare certamen provocavit. Literis enim ac miſſis oratoribus perfidiæ objurgatum à Carolo ferunt, quòd bellum non indictâ causâ, non jure, non conſilio, ſed furore ac proditione ſuſcepiſſet. Qua de re hæc habet Jordanus apud Raynaldum anno 1283. num. 5. *Carolus ſcripſit Regi Aragonum ſe admirari, quomodo regnum ſuum invaſerat. Cui ille reſpondit, ratione uxoris filia Manfredi ad ſe potius pertinere. Ad hujus au-*

Digitized by Google

autem litigii discuſſionem ad ſingulare certamen ſe invicem requirunt, & Vaſconiam eligunt. Certamen illud ſingulare committendum erat Burdegalæ Aquitaniæ capiti, quòd hæc civitas in poteſtate eſſet Eduardi Angliæ Regis, neutri ſuſpecti, & utrique affinis. Centum utrimque equites, in quo numero duo Reges haberentur, concurrere debebant Kalendis Junii anni 1283. & cunctæ conditiones utrimque ſacramento firmatæ fuerunt. Multi Scriptores, inter quos Joannes Villanius lib. 7. cap. 86. Fazellus & Surita perperam volunt, Martinum Pontificem huic certamini conſenſiſſe, illudque laudaſſe. Extant enim apud Raynaldum num. 8. Pontificis ad Carolum Regem literæ, quibus eum arguit imprudentiæ, quòd aſſenſiſſet hujuſmodi damnabili & damnato certamini; nec adverterit, Regem Aragonum ipſi prorſus viribus inæqualem, velut deſperatum hanc provocationem excogitaſſe contra Dei juſtitiam & Eccleſiæ, ipſiuſque Caroli potentiam. Et poſt acerbè increpatam ejuſmodi indiſcretam, temerariam & damnoſam Caroli pugnæ acceptationem, eamdem prorsùs illicitam, & juramentum ſuper ea præſtitum irritum declarans, ei ſub debito ipſi Pontifici & Eccleſiæ Romanæ fidei & homagii, omninò injunxit ab ejus proſecutione ſub excommunicationis pœna abſtinere, & omnes qui ei auxilio vel favore aſſiſterent, etiamſi Regia vel Imperiali dignitate fulgerent eadem cenſura irretitos declaravit. Data eſt hæc Epiſtola *apud Urbemveterem VIII. Id. Februarii anno II*, ideoque anno 1283.

SEC.XIII. MARTINUS IV.

XIV. *Petrum Aragonium regnis & bonis omnibus privatum declarat.*

Non minus lapſi ſunt Villanius laudatus, aliique Hiſtorici Florentini, dum ſcripſère, Petrum Aragonium non comparuiſſe ad locum certaminis, ideoque Martinum Papam illum defixiſſe anathemate, ac perjurum promulgaſſe; ipſum prætereа exuiſſe honore Regio, & fidelium cœtu eos ſubmoviſſe, qui ipſum Regem appellarent; Petrum verò facetè ſe *Aragonium equitem, duorum Regum patrem, ac maris dominum* inſcripſiſſe. Nam eorum hallucinatio inde certò demonſtratur, quod pugna ad primum Junii diem eſſet denunciata, ut conſtat ex literis Pontificis laudatis ad Carolum Regem, ſententia verò depoſitionis Petri Aragonii die vigeſima prima menſis Martii ejuſdem anni à Pontifice vibrata fuerit menſibus duobus & decem diebus ante diem certaminis, ex quo videre poterit Lector, quanti momenti ſit, ad detegendos Hiſtoricorum errores, temporum rationem ducere; inquit Raynaldus num. 14. Martinus Pontifex videns Petrum Aragonium, priorem in ſe latam ſententiam floccifacere; ac ſæpius denuò monitum regnum Eccleſiaſticum fraude occupatum, vel Carolo dimittere, vel Eccleſiæ reſtituere, omninò renuere, die duodecima Kalendarum Aprilis, ſeu die XXI Martii, quæ anno 1283. concurrebat cum dominica tertia Quadrageſimæ, apud Urbemveterem de ſacri collegii ſententia, regnis ac ditionibus omnibus mulctavit, occupandaſque conceſſit Catholicis Principibus. Sententiam depoſitio-

SEC. XIII. MARTINUS IV. ſitionis refert Raynaldus num. 15. & ſeqq. quæ data dicitur *apud Urbemveterem in platea dictæ Eccleſiæ majoris XII. Kal. April. Pontificatûs noſtri anno II*, quibus ex numeris erui poteſt, Martinum annos ſuos, non à die electionis, ſed à die conſecrationis ſuæ numeraſſe, alioquin anno 1283. die 21. Martii numeraſſet annum Pontificatûs tertium, cum electus fuerit die 22. Februarii anni 1281.

XV. *Ea confert Carolo Franc. Regis filio.* Eâ ſententiâ Martinus Pontifex Petrum Aragoniæ regno, & Cataloniæ ac Valentiæ principatibus privatum dixit; ejus ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit; ipſumque & Siculos, ceteroſque mandatorum & cenſurarum Apoſtolicarum contemptores anathemate confixit. Eas verò Petri ditiones Philippo Francorum Regi attribuit, Carolo Valeſio filio ſuo minori, ex ipſius Petri ſorore ſuſcepto, armis vindicandas, ac ſub clientela Sedis Apoſtolicæ, certis conditionibus poſſidendas. Eam in rem miſit in Galliam Joannem Choletum tit. S. Cæciliæ Cardinalem, qui tantæ molis negotium exequeretur, cujus facultates & conditiones novo Regi præſcribendas Pontifex explicat Epiſtolâ 7. libri 3. quam exhibet Raynaldus num. 25. datam *apud Urbemveterem VI Kalend. Septemb. Pontificatus anno III.* Guillelmus de Nangis in Chronico annum incipiens à Paſchate hanc Martini Papæ ſententiam in Petrum Aragonium latam, refert ad annum 1282. & uno tenore recitat conceſſionem ejus ditionum ab eodem Pontifice factam Carolo Valeſio, Philippi Francorum Regis filio natu minori: *Petrum Aragoniæ Regem*, inquit, *qui contra Eccleſiæ Romanæ inhibitionem fecerat ſe in Regem Siciliæ coronari, & fuerat propter hoc excommunicationis vinculo innodatus, Martinus Papa per ſententiam privavit à regno Aragoniæ, & ab his omnibus quæ ab illo de Romana Eccleſia in feudum tenebantur, ejuſque vaſſallos ab ipſius fidelitate abſolvens, regnum Aragoniæ cum ſuis pertinentiis Carolo Regis Franciæ Philippi filio, nepoti ſcilicet dicti Petri, contulit & conceſſit.* Idem refert Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana hujus temporis Auctor apud Raynaldum num. 24. *Eodem anno Martinus Papa proceſſum facit contra Regem Aragonum, ipſumque à regno deponit, & ab omni dignitate, eaque tradidit Regi Franciæ pro Carolo ſecundo filio dicti Regis totumque regnum Aragonum graviſſimo ſuppoſuit interdicto; ac regnum Aragonum alteri confert, ſicut ipſe Rex Aragonum in regnum conſpiraverat alienum.* Idem denique ſcribunt Ptolomæus Lucenſis lib. 24. cap. 10. & Surita in Indicibus Rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum lib. 2. ubi ait, Martinum Papam *Carolo Philippi Regis Francorum filio Aragonii, Valentinique populi regna & principatum Cataloniæ* attribuiſſe.

XVI. *Inceſtas Sanctii filii Caſtellæ Regis nuptias improbat.* Sanctius Alphonſi Caſtellæ Regis filius, qui regnandi cupiditate allectus, Alphonſum patrem regno exuerat, Mariam Alphonſi Molinæ filiam, quam tertio conſanguinitatis gradu attingebat connubio ſibi junxit. Hanc Monialem fuiſſe & à Sanctio è monaſterio avulſam, Nangius

giùs aſſerit. Inceſtum hoc matrimonium ſtatim ac Martinus Pontifex reſcivit, illud ob conſanguinitatem tettii gradus, quo Sanctius & Maria ſe attingebant, reſcidit, & tum Sanctio Mariæque ut ab invicem diſcederent, tum Epiſcopis Burgenſi atque Aſturicenſi, ut illos cenſuris ad id compellerent, præcepit datis literis *apud Urbemveterem Idibus Januarii anno II*, ideoque anno 1283. Literas ea de re ad ipſum Sanctium à Martino datas exhibet Raynaldus num 57. ſed cum in illis de monachatu Mariæ nulla mentio ſit, videtur omninò fictitius. Licet autem præceperit Pontifex dictis Epiſcopis, ut Sanctium & Mariam ad ſeparationem cenſuris compellerent, id tamen fruſtrà fuit, cum inde Ferdinandus, aliique poſteri ſint orti; ipſeque nec tot annis quibus ſupervixit veniam impetrare aut curaverit, aut valuerit. Poſtea tamen mortuo Sanctio Maria ejus vidua anno 1301. oratores ad Bonifacium VIII Romam miſit, ut Ferdinandum ac alios filios & filias ex Sanctio ſuſceptas legitimorum natalium dignitate ornaret, cujus poſtulationibus annuens Bonifacius literis datis *Anagniæ VIII Idus Septembris anno VII* Pontificatûs, *legitimationis* titulo dictos filios & filias decoravit, ſtatuens, ut hujuſmodi defectu natalium nonobſtante, *ad omnes honores, omnſque dignitates, Eccleſiaſticos & mundanos, religioſos & ſeculares, etiam ſtatus Regio congruentes, & quoſlibet actus legitimos aſſumi & admitti licite* valerent. Has etiam literas exhibet Raynaldus ad annum 1301. num. 18. & ſeq.

SEC. XIII. MARTINUS IV.

XVII. *Siculos perduelles ad obſequium reducere tentat.*

Anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto cum Carolus Princeps Salernitanus, Caroli Siciliæ Regis filius bellum adversùs Perduelles Siculos appararet, Pontifex ei in omnibus adeſſe, ac pecuniarum & armorum ſubſidia ſuppeditare decrevit. Eam in rem Reatino Epiſcopo juſſit quandam vim pecuniæ ei tribuere, atque aliam ingentem vim Sabinenſis Epiſcopi & Berardi Camerarii operâ confectam illi comparavit. Imò Joanni de Epa præcepit, ut Pontificio ſuccinctus exercitu Carolo ſe jungeret, ut conſtat ex Epiſtolis, quas laudat Raynaldus ad eum annum num. 13. Sed cum Carolus navali prælio victus, captuſque fuiſſet, Pontifex duos Cardinales, Legatos in Siciliam miſit, ut rebus compoſitis eum plenæ libertati reſtituerent, qui cum ab induratis Siculorum animis nihil obtinere potuiſſent, inde recedentes excommunicationis ſententiam jam antea in eos latam aggravarunt. Quo porrò tempore & quibus conditionibus liberatus fuerit Carolus *Claudus* dictus, Caroli patris non multo poſt ſucceſſor, legi poteſt apud omnes Auctores, qui de rebus per hæc tempora geſtis ſcripſerunt, tam Francos, quàm Italos, Hiſpanos & Germanos, qui de ejus liberatione tractant in rebus geſtis anni 1288. Vide etiam hac de re dicenda in Nicolao IV.

SEC. XIII. MARTINUS IV. Sed cum interea Carolus Siciliæ Rex, ejuſdem Caroli Claudi pater die ſeptima menſis Januarii anni milleſimi ducenteſimi octogeſimi quinti obiiſſet, ut Ricordani Maleſpinæ continuator, Joannes Villanius, Nangius & alii ſcribunt, annum vel à die XXV Martii, vel à Reſurrectione domini inchoantes, & Carolum filium Principem Salernitanum ſucceſſorem, captivum detentum reliquiſſet, Martinus Pontifex ut ſupremus regni dominus Gerardum Cardinalem Parmenſem Sedis Apoſtolicæ apud Carolum Legatum, titulo Balivi, ſeu Adminiſtratoris, regno præfecit, ut teſtantur Collenutius lib. 5. & Aemilius in Philippo 3 qui unà cum Roberto Comite Attrebatenſi, Caroli patruele, à Philippo Francorum Rege illuc miſſo, & Maria Hungara conjuge prædicti Caroli Salernitani regnum gubernaret, & ab hoſtium inſultibus tutaretur. Cui à Roberto in ſumptus ordinarios ex proventibus regni mille auri uncias tradi tantiſper dum Balivi officio fungeretur, idem Martinus Pontifex, literis quæ ſunt ordine 25. in Regeſto ejus anni 4. tertio Kalendas Martii datis injunxit.

XVIII. *Curam gerit regni Siciliæ.*

XIX. *Ad Deum tranſit.*

Non multò poſt idem Sanctus Pontifex Martinus IV, ſacris in Eccleſia Peruſina ſolemnitate Paſchali, quæ anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto incidit in diem vigeſimum quintum Martii Annunciationi beatiſſimæ Virginis ſacrum, celebratis, occulto morbo medicis incognito correptus; poſt quatuor dies, nempe vigeſima octava ejuſdem menſis, migravit ad dominum, ut diſertè docet teſtis oculatus Continuator Martini Poloni: *Die*, inquit, *Reſurrectionis domini, quæ fuit in die Annunciationis Virginis Mariæ, poſtquam celebraſſet, ſolitamque refectionem cum ſuis capellanis ſumpſiſſet, arripuit eum infirmitas occulta, ex qua, licet ſe graviter pati diceret, ejus phyſici morbum & cauſam in eo nullam, nullumque mortis indicium aſſerebant eſſe. Ipſe verò die Mercurii proxime ſequenti circa noctis horam quaſi ſextam debitum conditionis exolvens humanæ, ad dominum, ut certis opinatur indiciis, tranſmigravit.* Eumdem diem Martini morti aſſignat Guillelmus Nangius in Chronico: *Die Mercurii*, ait ad annum 1285. *poſt Reſurrectionem dominicam Papa Martino defuncto*, &c. Sed quia Auctor Vitæ ejus MS. extans in bibliotheca Vallicellana, ſcribit, Martinum obiiſſe *Kalendis Aprilis*, quò fit ut de die obitus ejus diſcrepantia ſit inter Auctores, omnibus præferendus videtur Honorius IV, ipſius Martini immediatus ſucceſſor, qui in literis encyclicis de ſua electione datis expreſsè teſtatur, Martinum *quarto Kalendas Aprilis* ad Deum tranſiiſſe. Extant hæ literæ apud Raynaldum num. 17. Martinus itaque IV, qui, ut ſuperius diximus, die 22. Februarii anni 1281. electus, die 23. Martii conſecratus & coronatus fuerat, ſedit à die conſecrationis annos quatuor, dies ſex. Nec obſtat quod in literis illis encyclicis Martinus dicatur mortuus die *IV Kalend. Aprilis*, ſeu die XXIX Martii, licet Auctores laudati dicant eum mor-

mortuum die XXVIII ejuſdem menſis, quia, ut ait Papebrocius, dies XXIX inchoatus eſt die XXVIII poſt ſolis occaſum, & Martinus obiit *circa noctis horam quaſi ſextam*, ut ait Continuator Martini Poloni; alii verò diem naturalem æſtimant à media nocte ad mediam noctem. Quæ explicatio ex eo certa redditur, quod in laudatis literis encyclicis Honorius IV diſertè dicat, poſt ſolemnitatem exequiarum Martini, Cardinales in conclave ingreſſos eſſe *prima die dicti menſis*, id eſt Aprilis; ideoque Auctor MS. ejus Vitæ laudatus perperam ſcripſit, Martinum obiiſſe Kalendis Aprilis.

XX. *Locus ejus ſepulturæ.*

Martinus IV vir fuit optimus & integer, Eccleſiaſticæ auctoritatis acerrimus propugnator, prudentia & experientia longa rerum agendarum haud modicè inſtructus, in ædificando magnificus, ad pietatis opera pronus, & in egenos miſericors. Amabat valde viros pios & religioſos, præſertimque fratres Minores, quorum habitum ante mortem poſtulavit, & in ipſo ſepeliri voluit, corpuſque ſuum transferri ad Eccleſiam Sancti Franciſci Aſſiſiatem, relicto inter alios Jacobo Sabello Cardinale hujus voluntatis ſuæ executore, qui poſt ipſum ad Pontificatum evectus ſub nomine Honorii IV, arduis mox negotiis obrutus id tam citò præſtare non potuit, & Kalendis tantum Februarii anni ſequentis 1286. ſcripſit ad præfectos & cives Peruſinos, & ad Epiſcopum & Capitulares, literas quas refert Wadingus eo anno num. 3. ut permitterent, curarentque corpus Sancti hujus Pontificis Aſſiſium deferri. Illi tamen ne ſacris privarentur illis reliquiis, varias cauſas interpoſuerunt, quæ rem diſtulerunt uſque ad obitum Honorii IV; cumque, eo mortuo, nullus amplius translationem urſerit, remanſit corpus Peruſii, ubi ob crebra miracula, quibus claruit, colitur ut ſanctus.

XXI. *Miraculis coruſcat.*

Certè Martinum IV miraculis inclaruiſſe plures hujus temporis Auctores teſtantur. Auctor Vitæ ejus MS. *fertur*, inquit, *à quibuſdam miraculis claruiſſe poſt mortem.* Expreſſius id aſſerit Nangius in Chronico, ubi ad annum 1285. ſcribit: *diverſarum afflicti paſſionum & ægritudinum ad ſepulchrum Romani Pontificis Martini quarti venientes ibi multis videntibus ſunt ſanati.* Sed rem extra controverſiam ponit Continuator Martini Poloni laudatus, qui ait, ſe ſcribere menſe Maio anni 1285. poſt laudata enim mox verba, ſubdit: *diverſarum afflicti paſſionum* (ſupple morbis) *& ſpecialiter viſus, auditus & loquela proſtrati juxta feretrum, in quo extitit ſepultum, infra paucos dies, videntibus & aſſiſtentibus Clericis & laicis quam pluribus, multi ſunt ſanati: nec adhuc quando fuit hac ſcriptura protracta XII menſis Maii ceſſabant ibidem miracula: verius imò diebus ſingulis occurrenti fidelium multitudini miſericorditer à Domino largiuntur: & qui ſcripſit hæc vidit ea.* Eadem refert Jordanus MS. apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hiſtorico, quem valde dubito non eſſe diverſum à Continuatore Martini Poloni. Unde *Bartholomæus* Albiſius *Piſanus* dictus,

SEC. XIII. HONORIUS IV. ctus, ſcriptor Ordinis Franciſcani, qui vivebat exeunte ſeculo ſequenti decimo quarto, ait, dum aliquot annis poſt mortem Martini IV, reſarciretur templum Sancti Laurentii Peruſini, in quo jacet, inventum fuiſſe corpus ejus omninò integrum, & minoriticum habitum, in quo ſepultus eſt, omninò illæſum.

HONORIUS IV *Pontif.* CXC.

Anno Domini MCCLXXXV.

I. *Honorius IV eligitur Peruſii.* MArtino IV die vigeſima octava menſis Martii anni 1285. mortuo, & exequiis ejus per tres tantum dies celebratis, die prima Aprilis ejusdem anni Cardinales *libera nulla incluſionis coactione præambula* convenerunt de ſucceſſoris electione tractaturi, & *tandem in craſtinum ſcrutinii via electa concorditer* elegerunt Jacobum Sabellum Cardinalem Diaconum S. Mariæ in Coſmedin, ut ipſemet aſſerit in literis encyclicis de ſua electione datis, quæ extant apud Raynaldum num. 17. & ſeqq. Eumdem diem ejus electioni aſſignant Continuator Martini Poloni his verbis: *Honorius IV, natione Romanus, de Sabellenſibus, prius Diaconus Cardinalis, electus fuit Peruſii anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto, die ſecunda menſis Aprilis,* & plures alii apud Ptolomæum Lucenſem Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 24. cap. 13. ubi licet Honorii IV electionem conjungat cum die prima Aprilis, quæ concurrebat cum octava Paſchæ, ibidem tamen ait, alios dicere *die lunæ poſt octavam* Paſchæ, ideoque die ſecunda Aprilis. Rectè itaque idem Martini Poloni continuator, relata Martini IV morte, jam ſcripſerat, *vacavit ſedes quatuor diebus*, tot enim interjiciuntur inter diem 28. Martii, quo obiit Martinus IV, & ſecundum Aprilis, quo Honorius IV electus eſt. Ex quibus conſtat, obſervatam non eſſe Conſtitutionem Gregorii X de recluſione Cardinalium in conclavi poſt novemdialia.

II. *Romæ conſecratur Pontifex.* Idem Ptolomæus Lucenſis aſſerit, Honorium *ſtatim* poſt ſuam electionem in Urbem ſe tranſtuliſſe, & ſæpius laudatus Martini Poloni continuator apertè dicit, ideo Romam petiiſſe, ut ibidem conſecraretur & coronaretur, *& Romæ apud S. Petrum*, inquit, *conſecratus & coronatus.* Ciaconius & alii poſt eum ex Onuphrio Panuinio in Chronico Eccleſiaſtico ſcribunt, Honorium IV Romæ conſecrationis & coronationis inſignia ſuſcepiſſe apud S. Petrum decimo ſeptimo Kalendas Maii, ſeu die XV menſis Aprilis in Dominica, & Honorii IV nomen aſſumpſiſſe. Papebrocius verò in Conatu Chronico-Hiſtorico ex encyclica de ſua electione, quæ data eſt *Romæ apud S. Petrum VIII Kalendas Junii, Pontificatûs anno I*, colligit conſecrationem & coronationem factam dominica præcedenti illum diem, ideſt die XX Maii in octava Pentecoſtes, quod non

non eſt improbabile; ſed cum Honorius eſſet tantum Diaconus, non *SEC. XIII.*
video, conſecrationem ejus in presbyterum, & in Pontificem, ejuſque HONORIUS
coronationem una eademque die peragi potuiſſe. IV.

Id eo magis videtur incredibile quod ita infirmitatibus gravabatur, III.
ut manibus & pedibus impeditus eſſet, quod præter Continuatorem Martini Poloni diſerte aſſerit Ptolomæus Lucenſis laudatus: *Honorius*, inquit, *ita impeditus in manibus & pedibus quod celebrare non poterat, niſi cum quibusdam inſtrumentis.* Weſtmonaſterienſis ad annum 1285. ait, Honorium adeo morbo articulari pedes manuſque præpeditum, ut ſæpe nonniſi ſedens, atque adminiculo quorundam inſtrumentorum ad id apte fabrefactorum, ſacra agere poſſet. Manibus porrò pedibuſque impeditus erat Honorius, quia ſicut frater ejus Pandulphus podagra & chiragra admodum vexabatur: *Hic habuit fratrem*, inquit Ptolomæus Lucenſis, *virum prudentem & virum humanitatis non modica, ambo autem multum podagrici.* Platina addit fratrem ejus dictum Pandulphum, Senatoriam dignitatem gerentem, tanta juſtitia ac ſeveritate viguiſſe, ut quoties populus Romanus Urbem latronibus & nefariis hominibus purgare vellet, non alium Senatorem quàm Pandulphum deligeret, quamvis & ipſe podagra & chiragra admodum vexaretur; illud dictitans non manus & pedes, ſed caput imperare.

Non obſtantibus infirmitatibus.

Honorius IV è nobiliſſima Sabellorum Romana familia, ſicut Honorius III ortus, primò in Pariſienſi Academia pluribus annis operam dedit, ut ipſemet teſtis eſt in Pontificio diplomate ad Joannem Choletum tit. S Cæciliæ presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, cui dirimendæ controverſiæ inter eamdem Academiam & illius ſcrinii præfectum exortæ, provinciam demandavit Epiſtola 263. lib. 1. Ubi & extat Epiſtola 431. ex qua conſtat, illum excitaſſe monaſterium in paterno fundo, magniſque opibus amplificatum anno 1281. religioſis viris, qui S. Guillelmi ſacra inſtituta ſectabantur, contuliſſe, ac poſtea anno 1286. Apoſtolica auctoritate corroboraſſe. Geſſerat pariter ante Pontificatum canonicatum in Eccleſia Catalaunenſi, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola 270. lib. 2. eidem Joanni Cardinali Legato data anno 1287. Emenſus deinde varios honorum gradus, ab Urbano IV in Cardinalium numerum cooptatus, ab Hadriano V, unà cum Sabinenſi Epiſcopo, & Joanne Caietano tum Cardinale S. Nicolai in carcere Tulliano, dicto poſtea in Pontificatu Nicolao III, Viterbium miſſus eſt, ut controverſias inter Rudolphum Romanorum, & Carolum Siciliæ, Reges exortas componeret; demum ob perſpectam virtutem ad Romanæ Eccleſiæ regimen aſſumptus eſt. *Secundus hic natione Romanus de domo Sabellorum qua antiquum genus erat in Urbe, dictus dominus Jacobus de Sabello*, inquit Ptolomæus Lucenſis loco laudato.

IV. *Ejus genus, patria & primordia.*

Rudol-

SEC. XIII. HONORIUS IV.

V. *Ejus cura pro Carolo Claudo Siciliæ Rege captivo.*

Rudolphus Romanorum Rex certior factus de electione Honorii IV, ei ſtatim literis, quibus de adepta omnium auguſtiſſima dignitate gratulabatur, pollicitus eſt ſe hæredum Caroli Siciliæ Regis nuper defuncti cauſam ſuſcepturum, ob quam egregiam erga Eccleſiam voluntatem, Pontifex gratias egit literis datis *Tibure Kal. Auguſti anno I*, quibus & ipſum monuit, ne gravius ferret nonnullas decimas in Leodienſi, Metenſi, Virdunenſi, & Baſileenſi Epiſcopatibus fuiſſe conceſſas Philippo Francorum Regi, cum ille pro tuenda Eccleſiæ cauſa in Petrum Aragonium expeditionem ſuſcepiſſet. Has Honorii literas refert Raynaldus anno 1285. num. 23. Nihil autem non egit Pontifex, ut Carolum Claudum Siciliæ Regem à captivitate liberaret; quamvis nec literis, nec Legatis, neque etiam beneficentia id à contumacibus Eccleſiæ hoſtibus obtinere potuerit: ex Surita quippe in Indic. rerum Aragoniæ lib. 2. conſtat, eum ob gravia onera, quæ à Friderico Imperatore, ejuſque filiis impoſita fuiſſe obtendebantur, & à Martino IV, Caroli Regis conſenſu in ordinem redacta fuerant, Apoſtolico decreto ſanxiſſe, uti tributorum onera quæ Siculis intolerabilia imponebantur, tollerentur. Eam conſtitutionem refert etiam Raynaldus num. 29. & ſeqq. datam *Tibure XV Kal. Octob. Indictione XIV, Incarnationis Dominicæ anno MCCLXXXV*. Quare quantumvis, ut ait Platina, neminem lædere in Pontificatu conſtituiſſet Honorius, provocatus tamen Petri Aragonii injuriis, & Siculorum contumacia ac duritie, Martini deceſſoris ſui decreta & ſententias in eum confirmavit. Petrus autem Aragonius, qui Rudolphum pertentarat, nihil ab eo obtinuit præter ſpecioſa verba, ſive quia tunc Helvetico bello implicitus erat, ſive quòd pronior eſſet in filios Caroli apud Aragonios captivi, eò quòd Clementia ipſius Rudolphi filia jam deſponſa fuiſſet Carolo Martello, prædicti Caroli captivi filio primogenito.

VI. *Rudolpho ad coronam Imperii Romæ recipiendam diem præfigit.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto Rudolphus Imperator Oratores ad Honorium Pontificem miſit cum literis datis *Lauſanæ X Kal. Decembris, Indictione XIV anno Domini MCCLXXXV*, apud Raynaldum num. 22, quibus proponebat, aut ſimulabat ſe Romam venturum ad coronam Imperii recipiendam, & flagitabat, ut diem ejus conſecrationis conſtitueret. Quare Pontifex literis ad eum datis *Romæ apud S. Sabinam II Kal. Junii anno II*, ideoque anno 1286. diem purificationi B. Virginis ſacrum anni 1287. ei præfixit ad accipienda ornamenta Imperialia in Baſilica S. Petri, & ſi nova aliqua emergeret difficultas, conſilio Joannis Cardinalis Epiſcopi Tuſculani Apoſtolicæ Sedis Legati ea componeretur, & interim hortatus eſt, ut qua par erat pompa & apparatu ad celebritatis augendam majeſtatem ſe compararet. Cæterùm Rudolphus, licet toties promiſiſſet Romam petere ad Imperialem coronam accipiendam, nunquam tamen promiſſis ſtare, ſive legitimè

timè impeditus, ſive volens neglexit, ut ſunt qui excuſent, & accuſent. Nam & tradunt aliquando interrogatum à ſuis, cur non iret Romam, apologo Æſopico reſpondiſſe, invitatis quondàm animalibus diverſi generis à leone, ut ſuam adirent Regiam, ceteriſque accedentibus ſolam vulpem cum redire nullum ex eis animadvertiſſet, pedem retuliſſe: ex eaque fabula concluſiſſe multos ante ſe Reges lætos intraſſe Italiam, paucos verò ſine luctu & mœrore reverſos eſſe.

VII. *Cardinalem unicum creavit.*

Ille porrò Joannes Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis eſt Joannes Buccamatius Honorii IV affinis, quem idem Pontifex unicum Cardinalem creavit toto ſui Pontificatûs tempore, anno ſcilicet 1285. ut habet Ciaconius, certè ante finem menſis Maii anni 1286. quo ſecundo Kalendas Junii eum Apoſtolicæ Sedis Legatum in Germaniam delegavit; de cujus promotione ad Epiſcopatum Tuſculanum ex Archiepiſcopo Montis Regalis hæc habet Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 24. cap. 14. *Hic unam ſolam ordinationem fecit, in qua unum ſolum Cardinalem fecit, videlicet dominum Joannem Baclamanum, quem Epiſcopum Tuſculanum inſtituit.* Dicebat enim, ut ait Platina in ejus Vita, *viros bonos ac doctos, non etiam rudes & rerum humanarum ignaros, in tantum collegium cooptandos eſſe.* Ex quibus corrigendus Papirius Maſſonus, qui in Vita Honorii IV ſcribit, hunc Pontificem obiiſſe nulla Cardinalium ordinatione facta, eamque in rem citat Bernardum Guidonis in Hiſtoria, quod ſane, inquit Maſſonus, novum atque inuſitatum illis temporibus potuit videri. Sed id non erat ita inuſitatum, cum Clemens IV juxta Panuinium & Ciaconium, neminem inter Cardinales admiſerit, vel ſi aliquem admiſit, ſolum Bernardum Aiglerium creavit, ſi deceptus non eſt Ferdinandus Ughellus in Notis ad Ciaconium.

VIII. *Carmelitarum habitum in alium decentiorem mutari jubet & S. Auguſtini Eremitarum ordinem confirmat.*

Plures Religionum Mendicantium ab Apoſtolica Sede nondum confirmatas, fuiſſe in Concilio Lugdunenſi II ejuſdem ſedis diſpoſitioni reſervatas; Carmelitarum verò & Eremitarum Sancti Auguſtini Ordines, in ſuo ſtatu permanere juſſos, *donec de ipſis fuerit aliter ordinatum*, conſtat ex cap. 23. Conſtitutionum ejuſdem Concilii, quod incipit, *Religionum diverſitatem nimiam*, in quo Prædicatorum & Minorum ordines excipiuntur. Cum itaque Carmelitarum ordo non ſatis in Concilio approbatus fuiſſet, hunc ab Honorio IV Papa, primo ſui Pontificatûs anno confirmatum ponunt Chronicon Citizenſe Pauli Langii & Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico; & mutatis palliis rotundis & brevibus, quæ antea Religioſi illi ferebant, datum eis eſſe ab hoc Pontifice habitum, quem nunc deferunt, albam videlicet & amplam cappam & deſuper nigram tunicam deferendam, mutatis ſcilicet eorum Chlamydibus, quæ ex albo panno latis faſciis pullis, ſive canuſinis intermixtis variatæ erant, tanquam oculis Chriſtianis minus gratis, in purè albas. *Ordinem Carmelitarum*, inquit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſ. lib. 24. cap. 13.

SEC. XIII. HONORIUS IV.

ſolidavit, qui prius in Concilio remanſerat in ſuſpenſo: inter alia cappas variatas mutaverunt in cappas albas. Quibus ex verbis, & ex conſtitutione 3. Bonifacii VIII, quæ extat Tomo 1. Bullarii, intelligi datur, Honorium quidem conceſſiſſe fratribus illius Ordinis, habitum Religionis, ob varietatem ipſius minus decentem in alium decentiorem commutare, non tamen qualis eſſe deberet, deſignaſſe; verùm ipſos poſtmodum in capitulo ſuo generali deliberaſſe cappis purè albis imposterum uti, quam mutationem ipſe demum Bonifacius confirmavit ſeptimo Kalendas Decembris, Pontificatûs ſui anno primo. Scribunt autem Villanius lib. 7. cap. 108. S. Antoninus tit. 20. cap. 5. & continuator Belli Sacri lib. 5. cap. 3. Soldanum Saracenorum adeo hac veſtis reformatione offenſum fuiſſe, ut cum antea illos venerationi haberet ob reverentiam Eliæ Prophetæ, qui montem Carmeli, à quo ſic denominati, incoluerat, jam eos in contemptum Pontificis ac Chriſtianæ religionis ejecerit de monte, locumque ſuis colendum tribuerit, ad quem tamen poſtliminio ſunt reſtituti, & eumdem montem adhuc habitant. Ordinem quoque Eremitarum Sancti Auguſtini ad maturiorem etiam deliberationem relatum, & Pariſiis per id temporis improbatum, idem Pontifex confirmavit, ut ſcribunt Platina in Honorio IV & Auctor Chronici Citizenſis laudatus.

IX. *Linguarum ſtudium Pariſiis inſtituit.*

Eodem Pontificatûs ſui anno primo idem Honorius fidei chriſtianæ dilatationem ſummo ardore deſiderans; pro convertendis Saracenis, & reducendis ſchiſmaticis Orientalibus, Arabicæ & aliarum linguarum peregrinarum ſtudium, Pariſiis ab Innocentio, Alexandro & Clemente horum nominum quartis, ut institueretur ſæpe præceptum, atque à ſubſequentibus Pontificibus ſolerter commendatum, ille omninò inſtitui voluit, ſcriptis ea de re literis, quæ extant apud Wadingum anno 1287. ad Joannem Choletum Cardinalem Sanctæ Cæciliæ, Legatione Apoſtolica in Gallia fungentem. Hujuſmodi porrò inſtituendis collegiis, & Mahumetanorum converſioni, indefeſſo labore ac ſumptu incubuiſſe per hæc tempora reperitur Raymundus Lullus Catalanus, qui ea de cauſa varias in Italiam, Galliam & Africam ſuſcepit difficiles ac periculoſas peregrinationes, ut legere eſt apud eumdem Wadingum.

X. *Ordinem quemdam novum pſeudo-Apoſtolorum damnat.*

Anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, Pontificatûs ſui primo exeunte, quinto ſcilicet Idus Martii Honorius Conſtitutionem, quæ extat in Regeſto Vaticano promulgavit, ad univerſos Epiſcopos, contra ſectam, quæ ſub nomine *Ordinis Apoſtolorum* his temporibus novo Religionis habitu per Italiam, aliaſque diverſas orbis partes mendicando diſcurrere, contra prohibitionem Lugdunenſis Synodi ſub Gregorio X celebratæ, non verebatur; quam unà cum ejus ſectatoribus omninò damnavit, & habitu privari mandavit. Cum verò hi impoſtores contemptis Pontificiis præceptis diverſas terrarum oras ad eleemoſynas corradendas

radendas

radendas peragrarent, Nicolaus IV, Honorii ſucceſſor, literis datis Romæ apud S. Mariam Majorem Pontificatûs ſui anno 3. Chriſti 1290. Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis in eos inquirendi provinciam dedit. Has literas refert Raynaldus ad eum annum num. 51. iiſque Pontifex mandat, ut *unà cum Inquiſitoribus provincialibus hæreticæ pravitatis*, eos compellant *ad deponendum hujuſmodi habitum, & reſpondendum de articulis fidei, ſuper quibus illos examinari* præcepit. SEC. XIII. HONORIUS IV.

XI. *Pſeudo-Apoſtolorum errores.*

Hos pſeudo-Apoſtolos fuiſſe illos, qui auctore, ſeu præcipuo propagatore *Gerardo* quodam *Segarello*, patria Parmenſe, de quo ſpeciatim videndus Pegna in Comment. ad direct. Inquiſ. per diverſas mundi partes mendicando vagabantur, multum veriſimile eſt. Hic enim vitam Apoſtolorum & mores imitari mentiens; ſoli Chriſto ſe ſuoſque ſubjectos aſſerebat, nec Papam, aut ullum alium aliquem in ipſos habere poteſtatem: totam enim auctoritatem ſpiritualem quam Chriſtus dedit Eccleſiæ, translatam eſſe in ſectam ipſorum, quòd eadem perfectione viverent, qua vixiſſent Apoſtoli Chriſti, ac ſpeciatim in obſervatione paupertatis & humilitatis; cum nihil pecuniarum Apoſtoli à quoquam in ſuum uſum acceperint, aut quicquam in craſtinum reſervarint: Nullum Papam habere poteſtatem abſolvendi à peccatis, niſi ſit ita ſanctus ut fuit S. Petrus: omneſque prælatos Romanæ Eccleſiæ fuiſſe prævaricatores & ſeductores, excepto fratre Petro de Murrhone, qui fuit Papa Cœleſtinus Nicolai IV ſucceſſor: Neminem poſſe ſalvari extra ipſorum ſocietatem; ac proinde licitum eſſe de quolibet ſtatu & ordine tranſire ad eorum vitam, adeoque conjugibus ſine conſenſu conjugum: Laicos non debere dare decimas Sacerdotibus aut prælatis, niſi ſint in tanta perfectione, quanta fuerunt primi Apoſtoli, erantque iidem ipſi eorum ſectatores: Commiſceri inter ſe ſe carnaliter quando tentatio ſubrepit, non eſſe peccatum; Perfectius eſſe vivere ſine voto, quam cum voto: Eccleſias conſecratas non plus valere ad orationem, quàm ſtabula equorum vel porcorum: Nullo caſu vel cauſa licitum eſſe jurare, niſi pro defenſione articulorum fidei, vel præceptorum Dei; in ceteris omnibus licere mentiri. Hæc & alia hujuſmodi impii pſeudo-Apoſtoli, ſive fuerint iidem, quos damnarunt Honorius IV & Nicolaus IV, ſive alii ejuſdem farinæ impoſtores, quos tamen omnes fuiſſe ab *Apoſtolicis* tertii ſeculi, & *pſeudo-Apoſtolicis* duodecimi, intelligi poteſt ex collatione eorum ſingulorum. Iſti porrò mendicabant, comedebantque publicè: tunicâ albâ longâ funiculo cinctâ, pallioque albo ſuperpoſito induti, criniti, nudique caput ac pedes incedebant, pœnitentiam per pagos & plateas prædicantes. Quorum auctor Gerardus Segarellus igne demum crematus eſt. Agunt de ea ſecta, qui de hæreſibus; ac nonnulli diverſis annis, ſecundum quod noti fuêre diverſis locis, aut etiam reſpectu habito ad diverſa judicia contra illos acta. Hæc ex Spondano ad annum 1297. num. 10.

 Cum

SEC. XIII. HONORIUS IV.

XII. *Montiſferrati Marchionem abſolvi permittit & quibus conditionibus.*

Cum Eccleſiaſtica dignitas violata fuiſſet in Inſubria in Terdonenſi Epiſcopo, qui ex inſidiis à facinoroſis hominibus necatus fuerat ſpectante familia Guillelmi Montis-Ferrati Marchionis, hic audito facinore magnum præ ſe animi dolorem tulit, atque Epiſcopi corpus magno funebri apparatu extulit. Sed juſſus paulo poſt S. di Apoſtolicæ ſe ſiſtere, plures excuſationes attulit: quibus auditis Honorius Pontifex, cum rei gravitas ſeveritatem poſceret, hinc verò æquitas ſeveritatem temperari ſuaderet, ſi excuſationes valerent, Conſanenſi Epiſcopo & Provinciali Fratrum Prædicatorum in Lombardia dedit in mandatis, ut ſi Marchio abſolvi flagitaret, nec tamen accedere ad Pontificem poſſet, deſcriptas in diplomate ad illos miſſo pœnas illi infligerent, ipſumque abſolverent. Iis jubebatur Marchio nudis pedibus, tunica tantum amictus nonnullis in locis incedere: Terdonenſi Eccleſiæ erepta reſtituere: condere altare & duo ſacerdotia ſuis ditata vectigalibus inſtituere: expeditionem Aſiaticam, vel Compoſtellanam peregrinationem obire; & tandem conſtituendo tempore ad Sedem Apoſtolicam accedere. Diploma datum eſt *Romæ apud S. Sabinam XIII Kal. Januarii anno I*, ideoque menſe Decembri anni 1285. & refertur à Raynaldo num. 68. & ſeq.

XIII. *Filios Petri Aragonii excommunicat.*

Petro Aragonio menſe Novembri anni milleſimi ducenteſimi octogeſimi quinti morte ſublato, ſucceſſit ei in regnum Aragoniæ Alphonſus filius natu maximus, paternarum ditionum hæres patris teſtamento dictus. Alter filius Petri Jacobus, qui cum matre Conſtantia Siciliam regebat, *Regem* ſe ejuſdem *Siciliæ*, nec non *ducatûs Apuliæ ac principatûs Capuæ* nominavit; eoque titulo poſteri Reges Siculi ſtirpis Aragoniæ uſi fuêre, quandiu cum Caroli Regis nepotibus bella geſſerunt. Hos, Alphonſum ſcilicet, & Jacobum, Honorius Pontifex diebus Cœnæ dominicæ & Aſcenſionis Chriſti, ac dedicationis Baſilicæ principis Apoſtolorum anni Chriſti 1286. anathemate percuſſit, Jacobum quod regnum Siciliæ occupaſſet; Alphonſum quod Carolum Claudum ejus Regem in cuſtodia detineret; nec moniti mandatis Apoſtolicis obtemperare vellent. Quare & miſſos ab eis, ut habet Surita Indic. lib. 2. ad ſedem Apoſtolicam de more nuncios ad profitendam obedientiam, audire reſpuit, niſi prius in his ſatisfacerent. Sententias anathematis in eos lati refert Raynaldus ad annum 1286.

XIV. *Conditiones liberationis Caroli Claudi Siciliæ Regis abrogat.*

Quod attinet ad Caroli Claudi Siciliæ Regis liberationem, ineunte anno 1287. agente Rege Angliæ Eduardo, cum Alphonſo Aragonio apud Oleronem civitatem Bencharni convenientibus, in has præcipuè conditiones conventum eſt; teſtibus Surita lib. 2. & Mariana lib. 14. cap. 11. ut Jacobo Alphonſi fratri Siciliæ regnum quod uſurpaverat cederet; Pontifex exoraretur id annuere, Aragonioſque anathematis religione ſolvere; Carolus Valeſius Philippi Francorum Regis frater jure

Ara-

Aragonii regni, quod à Martino IV Papa acceperat, decederet; Alphonſo magnum auri pondus numeraretur, eaque omnia, niſi intra triennium præſtita eſſent, Carolus Claudus in cuſtodiam rediret; interimque obſides daret tres filios, & ſexaginta ex provinciæ Phocæenſis primaria nobilitate viros: ſponderetque curaturum ſe, ut trium annorum induciæ, à Rege Franco ejuſque fratre concederentur Alphonſo, ejuſque fratri Jacobo. His ab Honorio Pontifice Romæ auditis, confeſtim Carolum Claudum quod cum Aragoniis anathemate damnatis, & Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, adeoque de regno Siciliæ Sedis Apoſtolicæ beneficiario, abſque ejus conſenſu tranſigere præſumpſiſſet, per literas datas *Romæ apud S. Sabinam IV Non. Martii Pontificatus anno II*, quæ extant apud Raynaldum num. 4 & ſeqq. redarguit; ac ne ulterius quicquam ſtabilire auderet omninò prohibuit, & quæcumque Aragoniis per ſummam neceſſitatem concedere compulſus fuiſſet, ex Cardinalium conſilio penitus reſcidit & abrogavit. SEC. XIII. HONORIUS IV.

XV. *Mortalitatem explet.*

Non multò pòſt Honorium IV Pontificem magna quæque pro bene gerenda republica Chriſtiana cogitantem mors occupavit die tertia menſis Aprilis, quæ anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo concurrebat cum die Cœnæ Domini: *Honorius Papa*, inquit Auctor Vitæ ejus MS. in bibliotheca Vallicellana, *obiit Romæ in cœna domini, fuitque ſepultus in die Paraſceve ſancta juxta Nicolaum Papam III in Eccleſia S. Petri.* Idem habet Auctor Appendicis ad Martinum Polonum, qui addit, eum ſediſſe *annis duobus die uno*, computando à die electionis, electus enim fuerat die ſecunda Aprilis anni 1285. Eadem ſcribit Bernardus Guidonis, eum ſcilicet, mortem oppetiiſſe in Cœna Domini, atque Paraſceves die juxta Nicolaum III in Baſilica Vaticana ſepulturæ mandatum. Idem denique habet Ptolomæus Lucenſis. Nec ab iis diſcrepat Guillelmus Nangius in Chronico, licet mortem ejus conjungat cum anno 1286. quia ſcilicet, ut alibi diximus, initium anni repetebat à Paſchate, ideoque juxta illum calculum obiit in fine anni 1286. Wadingus in Annalibus Minorum ad annos 1251. num. 58. & 1287. num. 1. refert ipſius corpus ſepulchro manda um in Eccleſia S. Petri, deinde incerta occaſione in Eccleſiæ Aræ Cœli ſacello à Sabellis extructo tranſlatum. Auguſtinus verò Oldoinus in Notis ad Ciaconium ait, ex Vaticana Baſilica ad Eccleſiam S. Mariæ in Aracœli, juſſu Pauli III tranſlatum eſſe Honorii corpus, & in ſacello majorum conditum mauſoleo marmoreo cujus delineationem æri inciſam ex Franciſco Gualdo Atiminenſi Equite ſancti Stephani exhibet.

XVI. *Ejus virtutes.*

Martini Poloni Continuator de Honorio IV loquens ait: *Hic fuit omninò homo temperatus, & magnus diſcretione, impeditus tamen corpore in pedibus & manibus, libenter ubique pacem quærens.* Laudavit etiam illum Ptolomæus Lucenſis, hujus omninò itidem ætatis Scriptor, quòd ſa-

SEC. XIII HONORIUS IV. *ſapiens homo fuit, nulli luſivus: ſed ſuis bene profeſſivus*, poſteaque addit: *Statim creatus in Urbem ſe transfert, & in monte Aventino juxta ſanctam Sabinam magna fabricat palatia, & ibidem Sedem Pontificalem conſtituit, totuſque ille mons renovatur in ædificiis.* Scribit tandem eum *apud S. Sabinam continuam reſidentiam* feciſſe, *niſi in æſtate quia tunc ſe Tyburim cum Curia transferebat.* Quod factum arguit Jacobus Cardinalis S. Gregorii ad Velum aureum lib. 1. V. 80. tanquam peſſimi exempli in ſucceſſore Nicolao IV, idem faciente ad S. Mariam Majorem. Papebrocius verò exiſtimat id factum à duobus illis Pontificibus juſto reſpectu, ut ſcilicet Urbs, diuturna Curiæ abſentia haud parum deſolata & deformata, iis in locis inſtauraretur. *Conſilio & prudentia tantum valuit*, inquit Platina, *ut non multum corporis vires in eo deſiderarentur, quippe cum ſolus plura prope videret, quam omnes ſimul, qui tum in Urbe aderant.* Cardinalis autem Aegidius Viterbienſis apud Andream Victorellum in Notis ad Ciaconium de Honorio IV ait: *Chiragra morbo ita laborans, ut in ſacris faciendis, organis, pro manibus, uti oporteret: tanto tamen oneri haud ſane impar viſus: cum conſtet animo res ſacra, non corpore, ac paſtoria navis conſilio, non viribus, virtute non nervis, ſanctitate ac ſapientia, non impetu & robore gubernetur.* Vide hac de re dicta initio hujus Pontificatûs num. 3. Honorii IV teſtamentum Romæ aſſervari MS. in bibliotheca Barberina ſcribit Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia.

NICOLAVS IV *Pontif.* CXCI.

Anno Domini MCCLXXXVIII.

I. *Electio Pontificis quare dilata.* GRegorius X. ſtatuerat, ut novi Pontificis Comitia haberentur, ubi Pontifex cum ſua Curia reſidens, cauſarumque & literarum Apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuiſſet. Cum itaque Honorius IV obiiſſet die 3. menſis Aprilis anni 1287. apud S. Sabinam in Monte Aventino, ubi ex dictis continuam reſidentiam fecit; ſacer Cardinalium Senatus in palatio Pontificio apud eamdem S. Sabinam coactus eſt. Verùm cum plures ex Cardinalibus adverſa Valetudine tentati eſſent, ac nonnulli morbi gravitati ſuccubuiſſent ob aëris intemperiem; Mons enim Aventinus magna ex parte noxiis Auſtri flatibus expoſitus eſt; ad colligendas puriores auras, Cardinales ſuperſtites diſceſſerunt; & electionem diſtulerunt in tempus magis ſalubre, ut tradit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 24. cap. 19. *Recluſerunt ſe Cardinales*, inquit, *in S. Sabina: & quia in æſtate locus infirmus erat, multi Cardinales infirmati ſunt ibidem & mortui circa ſex Cardinales vel ſeptem, inter quos fuit dominus Jordanus de Urſinis, dominus Comes de Mediolano, domi-*

nus

nus Hugo Anglicus, dominus Gervaſius Andegavenſis & Decanus Piſanus, & dominus Antonius. Inde omnes redierunt ad propria. Quod in cauſa fuit cur ſedes vacaverit decem & amplius menſibus, à die ſcilicet Cœnæ domini, ſeu à die tertia Aprilis anni 1287. ad diem vigeſimam ſecundam menſis Februarii anni ſequentis 1288. unde idem Ptolomæus Lucenſis jam dixerat: *Vacavit tunc Eccleſia à cœna domini, quia tunc mortuus eſt Honorius, uſque ad Cathedram S. Petri, in qua electus eſt Nicolaus* hujus nominis IV.

II. *Nicolaus* IV *eligitur & coronatur.*

Hieronymus Aſculanus Cardinalis Præneſtinus eo in loco perſtitit incolumis, quia, ut ſcribunt Joannes Villanius lib. 7. cap. 118. Ptolomæus Lucenſis & alii, ad depellendam aëris gravitatem plures ignes toto palatio excitari juſſit, ardente licet medio æſtu, ut ſi qua aëri ineſſet labes, flammis purgaretur. Sedata autem hyemis frigoribus epidemia, reverſi Cardinales, conſpirantibus omnium votis elegerunt dictum Hieronymum, quem nonnulli perperàm Joannem vocant. Facta eſt hæc electio in feſto Cathedræ Sancti Petri, ideoque die XXII Februarii anni MCCLXXXVIII, ut non ſolum Ptolomæus Lucenſis laudatus, ſed & Continuator Martini Poloni, Bernardus Guidonis, Joannes Villanius & alii ſcribunt. Hieronymus grati animi ergo in Nicolaum tertium à quo Cardinalium collegio adſcriptus fuerat, Nicolai IV nomen accepit. Veroſimile autem eſt eum eodem die 22. Februarii, qui erat Dominicalis fuiſſe benedictum & coronatum, cum die ſequenti 23. ſeu ſeptimo Kalendas Martii, literas encyclicas de ſua electione ſcripſerit, & quidem, ut videtur, poſt ſuam coronationem, more deceſſorum ſuorum. Ab his non diſſentit Nangius in Chronico ſcribens, Nicolaum electum anno 1287. quia annum inchoat à Paſchate, qui anno 1288. concurrebat cum die 28. Martii; unde Paulus Langius in Chronico Citizenſi ait, Nicolaum Honorio ſubrogatum *in fine prædicti anni* 1287.

III. *Coactus admittit Pontificatum.*

Henricus Monachus Rebdorfienſis in Annalibus, quos ab anno 1295. ad 1362. perduxit, ideoque hujus ferme temporis Scriptor, ad annum 1314. refert, Nicolaum bis electum cum lachrymis reſignaſſe, & tertiò compulſum ab omnibus Cardinalibus, acquieviſſe: *Nicolaus IV de Ordine Minorum*, inquit, *doctor Theologiæ, anno domini* 1288. *electus, ſedit annos V & bis electus, cum lachrymis reſignavit, tertiò compulſus ab omnibus Cardinalibus acquievit.* Pontificatûs curam invitum ſe & reluctantem ſuſcepiſſe, teſtatur ipſemet Nicolaus in literis encyclicis ad Præſules Principeſque datis *Laterani VII Kalendas Martii Pontificatûs anno I,* in iis enim ait: *Fratrum importunitati diverſarum excuſationum obicem opponendo, qua potuimus reluctatione reſtitimus, apertè negantes electioni præmiſſæ præſtare conſenſum, & tam ipſi, quàm juri nobis ea quæſito renunciantes expreſſe. Verùm fratres iidem noſtræ reſiſtentiæ inſtantius obviantes, electione nihilominus*

SEC. XIII. NICOLAUS IV.

minus repetita concordi, ut ei aſſentiremus, & inſtitère ferventius, & in virtute obedientiæ injunxerunt. Neque dici poteſt id per ſimulationem à Nicolao jactatum, cum certum ſit, eum etiam Cardinalatum antea admittere recuſaſſe, eamque dignitatem invitum acceptaſſe, ne Ordinem ſuum offenderet, aut fratribus noceret, inter quos dicebat, teſte S. Antonino part. 3. tit. 20. ſe malle converſari, & in humilibus obſequiis inſervire, quam Cardinalitio eminere faſtigio: de quo vide Wadingum anno 1278. num. 21. In iiſdem literis encyclicis, quæ extant apud Raynaldum anno 1288. num. 3. & ſeqq. jam dixerat, electionem factam concorditer via ſcrutinii *in dominica I præſentis Quadrageſimæ*, ſed ibi legendum, *in dominica II*, quæ eo anno concurrebat cum die 21. Februarii, ut ex laudatis Auctoribus, & ex literarum ejus encyclicarum data conſtat.

IV. *Ejus primordia.*

Nicolaus, dictus antea Hieronymus, patria Aſculanus in Piceno, humili genere natus, ſi Ciaconio fides, à ſuæ *juventutis auſpiciis* Ordinem Fratrum Minorum intraverat, in quo variis miniſteriis fuit occupatus, & demum in Miniſtri Generalis officio. Poſt hæc ad dignitatem Cardinalatus in Sacerdotii gradum à Nicolao III aſſumptus, abſens & inſcius, dum reformandæ concordiæ inter Philippum Francorum, & Alphonſum Hiſpaniæ Reges legatione fungeretur; tùm à Martino IV in Epiſcopum Eccleſiæ Prænestinæ promotus eſt, ut ipſemet refert in laudatis literis encyclicis. Deinde primus ex Ordine Sancti Franciſci renunciatus eſt Pontifex concordi ceterorum Cardinalium conſenſu. Eum etiam ante Cardinalatum, imò & ante Ordinis Generalatum, Legatum ad Imperatorem & Prælatos Græcorum miſſum fuiſſe diximus in Concilio Generali Lugdunenſi II ſub Gregorio X celebrato.

V. *Jacobum Aragonium & Siculos admonet ut ad Eccleſiæ obſequium redeant.*

Suſcepta Eccleſiæ adminiſtratione Nicolaus, ad componendas res Siculas, è quibus tot mala in Chriſtianam rempublicam redundarent, ac majora in dies emerſura timebantur, Pontificias curas admovit; ac primùm antequam ſententiam in Jacobum Siculi regni invaſorem & in Siculos ferret, ſolemni ritu eos die vigeſima quinta Martii, quæ anno 1288. concurrebat cum die Cœnæ Domini, eos admonuit, ut ad Romanæ Eccleſiæ obſequium redirent. Ejus Epiſtola hac de re data, eſt prima libri primi, extatque apud Raynaldum eodem anno num. 10. dataque dicitur *Laterani in die Cœnæ domini Pontificatus anno I.* Cumque poſt hæc Siculi Eccleſiæ juſſis ſe ſubmittere recuſarent, iterum Nicolaus Pontifex Epiſtolâ 30. ejuſdem libri, ſacro Pentecoſtes die, qui incidebat in diem decimum tertium Maii, ipſos & Jacobum, ſervato judiciario ordine, propoſito publicè edicto ad officium provocavit, & recurrentem Sancto Michaëli ſacrum diem peremptorium conſtituit, ac ſi perſtarent in contumacia, legum ſeveritatem objecit.

Ipſo

Ipſo etiam Pontificatûs initio Nicolaus Archiepiſcopis Ravennæ & Montis regalis Apoſtolicæ ſedis nunciis apud Alphonſum Aragonium Petri filium & in regno ſucceſſorem in mandatis dedit, ut cum eo de liberatione Caroli Salernitani Principis agerent; diemque ei dicerent, quo ſe intra ſex menſes ſiſteret, rationem de omnibus Pontifici redditurus, alioqui divinarum legum humanarumque in eum judicio ageretur. Epiſtolam eam in rem Alphonſo à Pontifice datam *Romæ apud S. Petrum Idibus Martii Pontificatûs anno I*, refert Surita Indic. lib. 2. & ex eo Raynaldus num. 12. Cum verò reſpondiſſet Alphonſus, obſequentem ſe fore ſi modo ſibi tutum eſſet Romanum Pontificem adire, confeſtim Nicolaus tum ipſe conceſſit Epiſtola 68. ejuſdem libri primi ſeptimo Kalendas Decembris data, tum Philippo Francorum, ejuſque fratri Carolo Valeſio Aragoniæ, & Jacobo Majoricarum Regibus auctor fuit; ut literas ſalvi-conductus, ut vocant, hoc eſt liberi commeatûs, venienti Alphonſo, aut procuratores mittenti concederent. Acceſſiſſe ad Apoſtolicam Sedem circa finem ejuſdem anni 1288. Alphonſi oratores, ac pluribus eum purgare, & Pontifici fruſtra conciliare niſos refert Jordanus MS in bibliotheca Vaticana ſæpius laudatus apud Raynaldum num. 14. Nicolaum tamen ſtatim in limine Pontificatûs rogatum, ut novas adderet excommunicationes & cenſuras contra Alphonſum, reſpondiſſe ſe nolle ei, cui ſemel benedixit, adeò facile maledicere, ſcribit Hieronymus Surita ex Thoma Jordane, qui conventus Cæſarauguſtani Minorum res præcipuas uſque ad ſua tempora, ideſt uſque ad annum 1399. ſcripſit, cujus codex MS. ſervatur in ejuſdem Conventûs cartophylacio, ubi addit, dixiſſe inſuper Nicolaum, velle ſe omnes tentare vias priuſquam gladium diſtringeret. Benedixiſſe porrò refert idem Auctor, quando Miniſtri Generalis fungens officio pertexit in Hiſpaniam conſodales viſitaturus, & Cæſarauguſtæ Jacobum Aragoniæ Regem, hujus Alphonſi avum ſibi & filiis atque nepotibus genuflexis humiliter & devote petiiſſe, ut bene precaretur & Sancti Franciſci, cujus vice fungebatur, benedictionem impartiret. Sed dum hæc Romæ agerentur ab Alphonſi oratoribus, convenientibus iterum Eduardo Angliæ Rege & Alphonſo ad ipſa Pyrenæi culmina, deductoque etiam illic Carolo captivo, ut coram pacta Oleronæ conventa anno ſuperiori 1287. de quibus in Honorio IV num. XIV locuti ſumus, jurejurando firmaret, id præſtitum ab eo quarto Kalendas Novembris anni 1288. tribus filiis obſidibus datis, cum ceteris qui in prædicto conventu Oleronenſi promiſſi fuerant. Nangius tamen ad annum 1288. in Chronico ait, Carolum libertate donatum *circa purificationem beatæ Virginis*, quia ſcilicet annum 1288. continuat juxta morem Francorum uſque ad Paſcha anni 1289.

SEC. XIII. NICOLAUS IV. VI.

Agit pro libertate Caroli Claudi.

VII. *Gratum accipit nuncium de converſione Tartarorum.*

Sub ipſis tamen Pontificatûs ſuſcepti initiis, inter turbas & curas recentis dignitatis Nicolaus gratiſſimum accepit nuncium de converſione multorum Tartarorum; de certa ſpe baptizandi Argonis Regis eorumdem; de baptizatis jam Tuctane & Elegage Reginis; de reductis quibusdam Epiſcopis, aliiſque ſchiſmaticis, idque operâ Fratrum Minorum, ad illas partes à Miniſtro Generali Ordinis Bonagratia miſſorum. Abagha Tartarorum Orientalium Rex Legatos ad Concilium Lugdunenſe II ſub Gregorio X miſerat, ut ibidem diximus, ad fœdus cum Chriſtianis ineundum. Verùm eo, anno 1282. occiſo, ſucceſſit frater ejus nomine Tangodor, qui Chriſtiano baptiſmate in pueritia tinctus nomen Nicolai acceperat; ſed converſatione Saracenorum quam dilexerat, eorum ſectæ ſe dedidit, accepto nomine Mahometi, & quà pœnis, quà præmiis Tartaros Chriſtianos pervertit, cunctas Eccleſias funditus evertit, & ſocietatem cum Soldano iniit. At anno 1285. ab Argone ſupradicti Abaghæ filio comprehenſus per medium detruncari juſſus eſt. Argon itaque in regnum evectus, & à Cobila ſummo Tartarorum Imperatore in eo confirmatus, Chriſtianorum Eccleſias ab apoſtata illo Mahometo dirutas reparavit, & nuncios ac literas ad Romanum Pontificem miſit, quibus eum certum faciebat de ſuo prompto erga religionem Chriſtianam affectu, ferventique deſiderio ſuſcipiendi baptiſmum in ipſa civitate Jeruſalem, quam è manibus Saracenorum vindicare meditabatur.

VIII. *Eos hortatur ad chariſmata meliora.*

Nihil ſe jucundius audire potuiſſe monſtravit Nicolaus Pontifex, benignè & hilariter receptis Nunciis, reſcriptiſque congratulatoriis literis ad omnes, atque ſecundis ad Argonem Regem, in quibus eum exhortatus eſt, ut non expectaret recuperationem regni Jeroſolymorum è manibus impiorum, ad effectum ſe Jeroſolymis baptizandi, ſed potius ſtatim ſacrum baptiſma ſuſciperet, eoque ſuſcepto facilius ſperaret, ſucceſſuram regni prædicti liberationem. Reginas quoque eorum Tartarorum Tuctanem & Elegagem, quæ jam baptizatæ fuerant, ad perſeverantiam & profectum excitavit. Ad Epiſcopos illarum partium dogmaticas Epiſtolas, cum ampla & accurata fidei profeſſione tranſmiſit: Interpretes variarum linguarum atque nationum apud eumdem Regem degentes monuit, ut ſicut prudenter & laudabiliter ſe gerebant in dilatandis fidei Chriſtianæ terminis, in ſancto opere ſolicite pergerent: ac demum fratribus Ordinis Minorum inter eoſdem Tartaros conſtitutis, quorum operâ prædicta bona ſucceſſerant, multas largitus eſt facultates*, quibus commodius & majori auctoritate inchoatum opus exequerentur. Has omnes Nicolai Epiſtolas datas *Romæ apud S. Petrum, quarto Nonas Aprilis anno I*, Pontificatûs referunt Wadingus & Raynaldus ad annum 1288.

Re-

SEC. XIII. NICOLAUS IV.

IX. *Sclavorum ſalutem curat.*

Regibus etiam Sclavorum Stephano & Uroſio, quorum dominium tunc latè patebat per Illyricum & Dalmatiam, ſcripſit Nicolaus Pontifex ex magno erga illam gentem affectu, illinc orto, quòd apud eos olim Miniſtrum egiſſet Provincialem, & ex deſiderio hos Principes, quos tunc cognoſcebat, ad fidem convertendi: cum præcipuè Elena Regina eorum mater, Catholica ſectaretur inſtituta, quam etiam ſuis literis hortatus eſt Pontifex, ut eadem ſuis filiis inſtillaret, eoſque ad obedientiam reduceret Romanæ Eccleſiæ. Eam in rem miſit ad eoſdem Reges, duos ex fratribus ſui Ordinis Minoritas, ut Reges eorumque ſubditos Chriſtianis inſtruerent dogmatibus, quibus conſignavit literas datas *Reate X Kalend. Auguſti anno I*, & alias ad Elenam Reginam, datas itidem *Reate VI Idus Auguſti anno primo*, quæ extant apud Wadingum ad eumdem annum.

X. *Venetos redarguit de bello in Patriarcham Aquileienſem moto.*

Cum Joannes Dandulus Venetorum Dux bello Patriarchæ Aquileinſis ditionem vexaret, eumque multis caſtris & juribus Patriarchatûs ſpoliaſſet, indeque Patriarcha Venetorum viribus impar grave damnum ferret, ad Sedem Apoſtolicam retulit. Quare Nicolaus Pontifex literis datis *Reate XV Kal. Septembris anno I*, quas refert Raynaldus num. 19 Ducem & Senatum ſeverius admonendo præcepit, à Patriarcha perſequendo ceſſare, ablataque reſtituere: ſi quippiam juris in ea prætenderent, apud Sedem Apoſtolicam, infra duorum menſium ſpatium à receptione ſuarum literarum inchoandum, cauſam agerent: ſi autem obtemperare contemnerent, factam eſſe poteſtatem Archiepiſcopó Raguſino, in eos anathema diſtringendi, & univerſo eorum dominio ſacris interdicendi. Compoſuiſſe Venetos controverſiam cum Patriarcha colligit Raynaldus ex Appendice ad Chronicon Andreæ Danduli, quamvis Patriarcham Venetorum potentiæ imparem ad pactiones coactum fuiſſe decendere ſcribat, rem omnem ad Joannis Danduli Ducis gloriam interpretatus.

XI. *Inquiſitionem Venetam inſtitui procurat.*

Eumdem etiam Ducem & Senatum Venetum monuit Nicolaus Pontifex, ut diligenter animadverteretur in hæreticos in eorumdem dominio irrepentes, quod ut maturiori conſilio, & ex conſcriptis facerent legibus, præcepit, ut ſtatutas olim à Friderico Imperatore pœnas contra hæreticos, in ſuis codicibus adſcriberent, & ex earum formula contra fidei læſæ reos procederent. Epiſtolam hac de re ad eos datam *XV Kalend. Octobris*, quæ eſt ordine 47. libri primi laudat Wadingus ad annum 1288. num. 23. qui & anno 1289. num. 14. ſcribit, Joannem Dandulum Ducem & Senatum Venetum, his literis & monitis Nicolai Pontificis excitatos, miſiſſe Internuncios ſeu Syndicos ex parte Reipublicæ dicturos ſe omnem opem & operam Inquiſitoribus fidei Catholicæ miniſtris præſtituros, atque ita jam communi conſilio ſtatutum: & repoſitam eſſe ex communi ærario pecuniam, ut neceſſarii ſumptus

SEC. XIII. Inquiſitoribus miniſtrarentur. Senatûs decretum Pontificio diplomati inſertum, factum Venetiis *anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono, die quarto Auguſti, ſecunda Indictionis* referunt Wadingus ibidem, & Raynaldus num. 54. qui addit, in Appendice ad Chronicon Andreæ Danduli de Joanne Dandulo legi: *Prælibatus Dux libertatem & honorem aſſiduè recogitans, à ſummo Pontifice privilegium obtinuit, quod bona damnatorum de hæreſi, in commune Venetiarum debeant devenire: ita tamen quod commune ob hoc teneatur omnes expenſas facere officio Inquiſitionis opportunas.* Rectè itaque Wadingus citatus exiſtimat, ab hujus decreti & inſtituti ærarii tempore originem traxiſſe Inquiſitionem Venetam, quamvis eam difficile ſciri poſſe dixerit Ludovicus Paramus cap. 34. ſui operis de Origine & progreſſu officii S. Inquiſitionis in univerſis orbis regionibus, ubi ait, ante Urbani ſexti Pontificatum nullum ſe inveniſſe in ditione Veneta Inquiſitorem, quem referret, ſed primum ſub eodem Pontifice nominavit fratrem Ludovicum Donatum Minoritam, mox Cardinalem. Quod non ſolum ex dictis corruit, ſed etiam ex eo quod cum poſtea Petrus Gradonicus Venetorum Dux impediret Inquiſitores Minoritas uti neceſſariis officialibus ad officii ſui executionem, nec obſervari aut admitti permitterentur Apoſtolicæ atque Imperiales conſtitutiones contra hæreticos editæ, idem Nicolaus Pontifex literis datis *Romæ apud S. Mariam Majorem V Idus Martii anno V*, ſeu anno 1292. quæ extant apud eumdem Wadingum ibidem num. 5. monuit Ducem & Senatum, ut deinceps prudenter corrigerent, quod huc uſque forsàn minùs laudabiliter egerant.

NICOLAUS IV.

XII. *Inquiſitorem inſtituit in comitatu Venaiſcino.*

Dum infidelitatis error etiam in Comitatu Venaiſcino ſpecialiter ad Romanam Eccleſiam pertinente, invaleſceret, ſcripſit Nicolaus Pontifex ad Miniſtrum Provinciæ Ordinis Fratrum Minorum, ut ibidem auctoritate Apoſtolica ex ſuis fratribus unum prudentem & doctum, tanto muneri idoneum inſtitueret Inquiſitorem, qui ſecundùm leges olim à Clemente IV præſcriptas officium hoc ſolerter exerceret, & plenariam haberet poteſtatem & auctoritatem in ejuſdem literis contentam. Declaravit tamen penès eumdem Miniſtrum, vel ejuſdem Vicarium remanere poteſtatem eumdem Inquiſitorem removendi ob juſtas cauſas, habito tamen conſilio & deliberatione cum aliquibus viris diſcretis ſuæ Religionis, atque in ejus locum ſubſtituendi alium, idque ipſum conceſſit ut faceret moriente Inquiſitore. Datæ ſunt literæ *Reate Nonis Septembris anno primo*, apud Wadingum anno 1288. num. 15.

XIII. *Conatur convertere ad frugem Regem Hungariæ & Cumanos ad fidem.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo octavo Ladislaum Hungariæ Regem, à turpitudine *Chunum* cognominatum, pellicibus Cumanis in prædam ſede & cum regni ſui ſcandalo datum, & depravatæ fidei ob cumanarum conſuetudinem ſuſpicione notatum, ab Epiſcopo Firmano Apoſtolicæ Sedis legato Epiſtolâ 106. octavo Kalendas Auguſti data,

SEC. XIII. NICOLAUS IV.

data, ut reſipiſceret admonitum, & graviter reprehenſum, Nicolaus Papa conatus eſt, miſſis quam plurimis ex Prædicatorum & Minorum ordinibus, viris doctis & piis, ad Chriſtianæ vitæ ſemitam reducere; & Cumanos, reliquosque illarum partium Gentiles ad Eccleſiæ unitatem convocare, quos etiam magnis privilegiis dato diplomate munivit. Ita Wadingus. Raynaldus verò ad eumdem annum num. 24. addit, Nicolaum iisdem literis monuiſſe Ladislaum, contra ipſum crucefignatorum exercitum in Hungaria & Germania conflatum iri, niſi è flagitio, in quo tamdiu jacuerat, emergeret: ac propterea Lodmerio Archiepiſcopo Strigonienſi Epiſtolà 107. præcepiſſe, ut ſi religio in diſcrimen adduceretur, contra infideles ſacram militiam indiceret. Data eſt hæc ultima Epiſtola *Reate VI Idus Auguſti anno* 1.

XIV. *Carolum II Siciliæ & Apuliæ Regem coronat.*

Carolus II *Claudus* dictus, Siciliæ Rex è diuturno carcere ab Alphonſo Aragonio ſub finem anni 1288. emiſſus, in Galliam abiit ad Philippum Francorum Regem & ad Carolum ejus fratrem, à quibus cum nihil obtinere poſſet eorum quæ Alphonſus poſtulaverat, in Italiam perrexit anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, & Florentiæ initio menſis Maii exceptus honorificentiſſimè, Ducem eis militiæ conceſſit Americum Narbonenſem, clariſſimum bello virum, cum facultate lilia gerendi in vexillo militari, qui valde depreſſit partem Gibellinam, ut refert Villanius lib. 7. cap. 130. Carolus Florentià Nicolaum Pontificem Reate conveniens, feria ſecunda Pentecoſtes, quæ erat vigeſima nona Maii, ſolemni ritu ſimul cum conjuge Maria coronatus eſt ab eodem Pontifice Rex Siciliæ & Apuliæ iis ipſis conditionibus, ac revocationibus, quas pater ejus juraverat in accipienda ſimili inveſtitura à Clemente IV de utraque Sicilia: cum negaret Pontifex fœdus ratum fore, quod injuſſu ſuo in colloquio Regum paciſcentium Oloronæ, oppido ad Pyrenæi montis radices, factum fuerat de regno Romanæ Eccleſiæ ab antiquis temporibus vectigali. Quæ res vehementer Aragoniorum animos perculit, qui Carolum nonniſi Regem Apuliæ, & hoc ingratiis volebant. Nonnulli quidem hanc coronationem Romæ à Pontifice factam volunt V Kal. Junii in feſto Pentecoſtes; verùm major fides habenda Villanio tunc viventi & hæc videnti lib. 7. cap. 129. cum præſertim id teſtetur ipſemet Pontifex in Epiſtola 364. lib. 2. ad Epiſcopum & Clerum Reatinum data, quam laudat Raynaldus anno 1289. num. 1. ex qua conſtat, tunc Pontificem non Romæ, ſed Reate egiſſe.

XV. *Libertatem Eccleſiaſt. in regno Luſitaniæ priſtino ſplendori reſtituit.*

Alphonſo hujus nominis III Luſitaniæ Rege anno 1279. mortuo, ſucceſſit Dionyſius ejus filius, qui non ſolum regni, ſed & paternarum in Clerum Luſitaniæ injuriarum ſucceſſor extitit, adverſus quem querelæ & accuſationes ab Archiepiſcopo Bracarenſi & reliquis Epiſcopis ac univerſo Luſitanici regni Clero, olim adverſùs Alphonſum patrem ad Sedem Apoſtolicam delatæ, hactenus continuatæ ſunt uſque ad Pontifica-

Digitized by Google

SEC. XIII. NICOLAUS IV. tum Nicolai IV, de violatione ſcilicet immunitatis Eccleſiaſticæ circa bona, templa, cauſas, perſonas, deque uſurpatione jurium ac judiciorum; violentiâ rapinarum, contumeliarum, tormentorum, neciumque non ſolum per Chriſtianos, verum etiam per Judæos ac Saracenos in ſacras perſonas, & tam mares, quàm fœminas crudeliter excitatâ; aliorumque ejuſmodi ſacrilegiorum & impiorum facinorum perpetratione; nec non iniquarum conſtitutionum in depreſſionem auctoritatis & libertatis Eccleſiaſticæ ab eodem Rege promulgatione. Quæ controverſiæ pleniori judicio cognitæ & terminatæ fuêre initio anni 1289. primo Pontificatûs Nicolai anno nondum finito. Hic enim Pontifex huic negotio præfecit Latinum Cardinalem Oſtienſem, Petrum tit. S. Marci Presbyterum, & Benedictum S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum, Cardinales, coram quibus inter Regis & Cleri Legatos ad id miſſos conventum eſt, ut leges illæ antiquarentur, libertas Eccleſiaſtica reſtitueretur, & damna illata reſarcirentur; pœnis ſtatutis graviſſimis in Regem, alioſque, qui quovis modo contra jura, privilegia & immunitates Eccleſiaſticas impoſterum delinquerent. Confectaque ſunt hac de re Acta publica Romæ apud S. Mariam Majorem *anno Domini MCCLXXXIX, Indictione II, Pontificatûs Domini Nicolai Papæ IV anno I, die duodecima menſis Februarii.* Hæc Acta Pontifex ineunte anno ſecundo Pontificatûs, Nonis nempe Maii, auctoritate Apoſtolica confirmavit; Priorique ordinis Prædicatorum & Guardiano Minorum civitatis Uliſſiponenſis commiſit, ut ex more à Rege Dionyſio & reliquis, qui in prædictis deliquerant, juramentum parendi mandatis Eccleſiæ, & obſervandis pacis conditionibus, reciperent, omnes anathemate exolverent, regno ſacra à multo tempore interdicta, reſtituerent, idemque multis rebus deformatum ad normam Eccleſiaſticam conformarent. Quæ omnia Acta capitulis quadraginta conſtantia, & Epiſtolæ legi poſſunt apud Raynaldum anno 1289 à num. 16. ad 40.

XVI. *Nuncios dirigit pro converſione magni Cham & aliorum Principum Tartarorum.*

Argonem Tartarorum Regem per ſuos nuncios Nicolaum Papam certiorem feciſſe de ſuo prompto erga religionem Chriſtianam affectu ſuperius vidimus. Per eoſdem nuncios ſignificaverat Argon Cobylam magnum Cham Tartarorum deſiderare apud ſe habere aliquos Latini nominis & Chriſtianæ fidei Magiſtros. Anno itaque 1289. cum Nicolaus accepiſſet à Joanne de Monte Corvino, aliiſque Minoritis ex Orientis regionibus, ad quas pro evangelizando verbo Dei miſſi fuerant, reverſis, immenſam gentium multitudinem ad fidei unitatem acceſſiſſe, populos ſitire verbum Dei, & Principes illud non abhorrere, neque impedire, ſed potius cupere, ut Chriſti fides in ſuis dominiis longe lateque dilataretur; Pontifex, inquam, Nicolaus animo exhilaratus, hos ipſos eoſdem Minoritas deſtinavit, qui eorumdem Principum deſiderio ſatisfacerent, & ſacri dogmatis incrementum apud eos urgerent. His

nunciis

Digitized by Google

nunciis conſignavit literas, quas ſcripſit Argoni, quibus poſt religionis *SEC. XIII.*
Chriſtianæ multa cumulata encomia, vitæ fragilitatem propoſuit, ut NICOLAUS
omni abjecta mora ad baptiſmum pro æterna adipiſcenda ſalute provo- IV.
laret. Non modo Argoni, ſed & Cobilæ Cham, Summo Tartarorum Imperatori, per eoſdem nuncios ſcripſit Nicolaus, eumque hortatus eſt, ut fidem, quam Romana tenet Eccleſia, amplecteretur. Quia verò inter Tartaros etiam eminebat dignitate Caydonius Princeps, pari ſtudio ad Evangelicam lucem admittendam eum aliis literis provocavit Pontifex. Has omnes literas referunt Wadingus & Raynaldus datas Reate, vel Idibus, vel III Idus Julii anno II Pontificatûs. Proſpere in hac miſſione Minoritis ſucceſſiſſe, ſcribunt antiqua Chronica Franciſcanorum, quippe Argonem Regem & Caydonum Principem baptiſmum ſuſcepiſſe & Chriſtianis ſummopere faviſſe narrant. Quibus fidem conciliat Marinus Sanutus lib. 3. part. 13. cap. 8. ubi de Argone ait: *Hic fuit aſpectu pulcherrimus, fortis robore & prudens in agendis; Chriſtianorum Eccleſias reparavit; redieruntque ad ejus obedientiam Reges Armeniæ atque Georgiæ, qui à Mahumeto* (ejus deceſſore) *receſſerant. Rogatus quoque pro Terræ ſanctæ liberatione, reſpondit ſe velle cum vicinis omnibus pacis inire fœdera, ut ſecurius opus illud perficiat: ſed dum hæc aguntur, quarto anno regni ſui vita exceſſit* 1289. (fallitur Sanutus in anno mortis Argonis, cum extent literæ Nicolai Papæ ad ipſum anno 1291. ſcriptæ) *cui ſucceſſit frater Quegato, qui annis ſex quaſi brutum animal vixit, gulæ & luxuriæ deditus: propter quod à ſuis ſuffocatus eſt. Cui ſucceſſit conſanguineus Baydo* (aliis dicitur Caydo) *chriſtianus fidelis, qui citò mortuus eſt.* De Cobyla verò Magno Chamo fratre Mangonis in regno prædeceſſoris, ita alibi ſcribit Marinus Sanutus, teſte Wadingo: *Mangoni ſucceſſit frater Cobyla Cham, qui annis quadraginta duobus tenuit Imperium Tartarorum. Hic Chriſtianus fuit & fundavit in regno Catai civitatem Româ majorem vocatam* Jong, *ubi continuè immoratus eſt.*

Sed dum ita inter Gentiles concionatorum Evangelicorum ſudoribus XVII.
exculta religio Chriſtiana efflorefcebat, maximam in Terra ſancta à Sa- *Auxiliares*
racenis cladem accepit. Soldanus enim Babyloniæ hoc eodem anno 1289. *copias in Sy-*
ut ſcribunt Bernardus Guidonis, Joannes Villanius & alii, Tripolim *riam mittit.*
urbem nobilem, munitam & mercibus abundantem magno circumfuſam exercitu adeo crudeliter oppugnavit, ut tandem debilitatis Chriſtianorum viribus eam ceperit, diripuerit, incenderit, ac funditus everterit circa finem menſis Martii. Nicolaus Pontifex de hac clade certior factus, Principes omnes Chriſtianos ſedulò ad ſacrum bellum excitavit, inſtitutis ubique concionatoribus, qui ad crucem ſuſcipiendam fideles cohortarentur. Id etiam muneris commiſit Epiſtolâ 64. lib. 2. data *Reate Kalendis Septembris anno II* Pontificatûs Epiſcopo Tripolitano, cujus res agebatur, ut in Sclavoniæ & Marchiæ Tarviſinæ partibus, ac in Venetiarum

SEC. XIII. NICOLAUS IV. netiarum & Ferrariæ civitatibus; nec non in earum & Marchiæ Anconitanæ & Romaniolæ ripariis contra Saracenos crucis prædicatione milites convocaret. In luctuoſa Epiſtola ad hunc directa miſerabiliter deſcribit direptam à Soldano Babyloniæ civitatem Tripolitanam, occiſos in ore gladii, vel igne conſumptos milites præſidiarios, & tenues Latinorum reliquias in Syria ad ultimum redactas eſſe diſcrimen. Huic ut quantocyus occurreret, non expectandas eſſe ſeras nimis Principum ſuppetias judicavit, ſed ut poſſet, mittendas à ſe ſtatim copias auxiliares. Suo ære conduxit & miſit duo peditum millia & quingentos equites, atque ex eo quod Eccleſiaſticæ ditionis populi contulerant, addidit tantum nummorum, quantum eſſet ſatis in ſumptum viginti triremium, quas à Venetis, miſſo ad hoc præfato Epiſcopo Tripolitano, pro vehendis militibus impetravit. *Nicolaus IV*, inquit Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana apud Raynaldum ad annum 1290. num. 7. *fecit armari Venetiis galeas viginti pro ſubſidio Terræ ſanctæ, quibus præfuit Nicolaus Teupulo dictus Scopulus. Providit quoque Papa Joanni dicto Grilli capitaneo ſtipendiatorum Regis Franciæ tria millia unciarum auri, & mille Rubeo de Suly qui ſe obtulit ad eundum.* Veneti etiam ipſi, ne in tanta neceſſitate viderentur Chriſtianæ rei deeſſe, præter commeatum & res nauticas liberaliter præſtita, quinque alias triremes ſub Jacobi Tepuli imperio addiderunt, ut ſcribit Petrus Marcellus de Principibus Venetis ſub duce 48. Præter hæc, alia pleraque tentavit Pontifex & peregit in ſubſidium Chriſtianorum in illis partibus miſere laborantium. Sed cecidêre irriti ii omnes conatus; Nam chriſtiani nominis cauſa ab iis, quibus contrahendæ claſſis demandata erat provincia, turpiter prodita eſt, & ex viginti illis triremibus Eccleſiæ ſumptu conductis; excenſione Chriſtianorum facta, vix tredecim balliſtis & milite inſtrui potuêre: quare Epiſcopus Tripolitanus repetundarum judicio à Pontifice poſtulatus eſt Epiſtola 95. lib. 3. *data XIII Kal. Novembris anno III*, ideoque anno 1290. apud Raynaldum num. 8. & ſeq.

XVIII. *Providet ſaluti aliarum nationum orientalium.* Verùm ut ad geſta anni 1289. redeam, Nicolaus Pontifex cui univerſi orbis ſollicitudo pro ſui muneris debito competebat, cùm per eumdem Joannem de Montecorvino, aliiſque Minoritis, de quibus numero ante ſuperiorem locuti ſumus, audiſſet de ſtatu Aethiopiæ, Armeniæ ac Perſidis, ſingularum provinciarum peculiaribus neceſſitatibus providens, eodem Joanne cum ſociis remiſſo; ſcribens etiam ad Imperatorem Aethiopiæ, Demetrium Regem Georgianorum, Davidem Regem Hiberorum, & ad omnem populum Neſtorianorum & Aethiopum, pariterque ad earum gentium Patriarchas, Epiſcopos & Prælatos (unaquæque enim harum nationum ſuum peculiarem habebat Patriarcham, qui Metropolitis, Epiſcopis, & ceteris Eccleſiarum Prælatis jura dabant) ſingulari affectu hortatus eſt ad unionem Romanæ Eccleſiæ,

ejuſque

Digitized by Google

ejuſque fidem in omnibus recipiendam: cujus & formam tranſmiſit, eamdem ipſam quam olim Clemens IV Græcis ſchiſmaticis anno 1267. præſcripſerat.

SEC. XIII. NICOLAUS IV.

XIX. *Academia Monſpelienſis erectionem indulget.*

Eodem anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono Nicolaus Pontifex univerſitatem, ſive gymnaſium generale in civitate Montepeſſula, auctoritate Apoſtolica erexit, quod hodieque celeberrimum eſt, maximaque ſcientiæ laude & gloria floret. Jam tunc locus Montiſpeſſulani celebris plurimùm & famoſus erat, & valde aptus pro ſtudio, ut aſſerit ipſemet Pontifex in diplomate pro hac inſtitutione dato *Romæ apud S. Mariam majorem VII Kal. Novembris anno II.* Advertendum eſt autem Academiam illam erectam fuiſſe pro jure tantum canonico & civili, necnon pro medicina, ait enim ibidem Nicolaus: *Si qui proceſſu temporis in eodem ſtudio fuerint, qui ſcientiæ brevio aſſecuto, ſibi docendi licentiam, ut alios licentius erudire valeant, petierint impertiri, ſentimus ut in jure canonico & civili, necnon & in medicina & artibus examinari poſſint ibidem, & in eiſdem facultatibus duntaxat titulo magiſterii decorari; ſtatuentes, ut quoties aliqui ad magiſterium fuerint promovendi, præſententur Epiſcopo Magalonenſi loci diœceſano, qui fuerit pro tempore*, &c. Erectionis diploma refert Raynaldus num. 51. In hac tamen Academia non multo poſt additam eſſe facultatem Theologiæ conſtat ex charta Joannis Franciæ Regis die decima quinta Januarii anni milleſimi treceteſimi quinquageſimi primi data *ad ſupplicationem magiſtrorum, Baccalariorum & ſcholarium facultatis Theologiæ univerſitatis Montiſpeſſulani* apud Baluzium Tomo 2. Vitarum Paparum Avenionenſium col. 743.

XX. *Alias Academias privilegiis ornat.*

Tum anno ſequenti milleſimo ducenteſimo nonageſimo Ulyſſiponenſem Academiam eodem anno Dionyſii Luſitaniæ Regis auſpiciis excitatam privilegiis quibuſdam & prærogativis exornavit Epiſtolâ data *apud Urbem veterem V Idus Auguſti anno III* apud Raynaldum eodem anno num. 52. Anno deinde milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo Epiſtolâ 55. lib. 4. ut ait idem Raynaldus eo anno num. 62. Archiepiſcopo Biſuntino facultatem fecit, ut Grajaci etiam Academiam excitaret; ſed Raynaldum deceptum exiſtimo, & Academiam illam non *Grajaci*, vulgo *Gratz* in Pannonia ſuperiori, quæ nunc civitas eſt Germaniæ, Stiriæ Ducatûs caput; ſed in urbe *Grai*, vulgo *Gray* in Burgundiæ Comitatu, Nicolaum Papam Archiepiſcopo Biſuntino totius Comitatûs Burgundiæ Metropolitano erigendam permiſiſſe. Bononienſi itidem Academiæ Epiſtola 435. indulſit, ut qui in eo collegio approbatus eſſet, in ceteris omnibus Academiis docere poſſet.

XXI. *Conſtitutionem Gregorii X de incluſione Cardinalium in conclavi an revocaverit.*

Ad eumdem annum 1289. pariter revocat Raynaldus Epiſtolam primam libri 2. qua Nicolaus Pontifex revocavit conſtitutionem à Gregorio X in Concilio Lugdunenſi editam de incluſione Cardinalium in conclavi pro electione Romani Pontificis, quoad omnium illius capitum obſer-

Digitized by Google

SEC. XIII. NICOLAUS IV.

vationem, ac literas à Joanne XXI eo argumento Viterbii pridie Kalendas Octobris primo ſui Pontificatûs anno exaratas confirmavit; ſed quanto publicæ rei detrimento, diuturnum ab ejus morte interpontificium oſtendet, inquit idem Raynaldus num. 49. Verum non tenuis mihi injecta eſt ſuſpicio falſitatis hujus revocationis factæ per Nicolaum IV, ex lectione trium diplomatum Cœleſtini V ejus immediati ſucceſſoris apud eumdem Raynaldum in addendis ad Tomum tertium, in quorum duobus prioribus Sanctus Cœleſtinus aſſerit, Gregorii X conſtitutionem ab Hadriano V & Joanne XXI fuiſſe ſuſpenſam, in tertio verò eam etiam per eumdem Joannem XXI fuiſſe revocatam, nulla in his omnibus Nicolai IV revocationis mentione facta, quam certè non ſiluiſſet, ſi revera pius hîc Pontifex eam conſtitutionem, quoad omnium illius capitum obſervationem revocaſſet, ut ſupponit Raynaldus ex laudata ejus Epiſtola, quam referre debuiſſet, cum tot alias ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem parum neceſſarias retulerit: licet iſtius nec locum, nec tempus, nec motiva repræſentet. De hujus Conſtitutionis Gregorii X abrogatione per Joannem XXI vide dicta in ejus Pontificatu, & de ejus confirmatione dicenda in Cœleſtino V.

XXII. *Fructus & redditus Eccleſiæ Rom. inter Papam & Cardinales æquali portione dividit.*

Spondanus ad annum 1291. num. 3. ſcribit, ſe reperiſſe in collectione Nicolai Cardinalis Aragonii conſtitutionum Romanorum Pontificum, eumdem Nicolaum IV ſtatuiſſe, ut de omnibus & ſingulis fructibus, redditibus & proventibus, quos reciperet perpetuis temporibus Romana Eccleſia à quibuſcumque terris, locis & cenſibus, fierent duæ partes æquales, quarum una eſſet Papæ, altera Cardinalium: idque confirmaſſe Benedictum XII Avenione. Hanc conſtitutionem integram recitat Raynaldus ad annum 1289. quo emiſſa eſt, ſic enim clauditur: *Datum Reate per manum Magiſtri Joannis Decani Baiocenſis S. R. E. Vicecancellarii XV Kalend. Auguſti, indictione ſecunda, Incarnationis dominicæ anno MCCLXXXIX, Pontificatûs vero Domini Nicolai Papæ IV anno II.* Obſervat autem ibidem Spondanus, hanc conſtitutionem, ſi aliquando ſervata fuit, à multo tempore abiiſſe in deſuetudinem; cum nihilominus aliunde habeant Cardinales jura ſua & proventus quibus dignitatem honeſtè ſuſtineant.

XXIII. *Regulam Tertii Ord. S. Franciſci confirmat.*

Cum Tertius Ordo Pœnitentium à Sancto Franciſco inſtitutus, de quo ſuperius actum, mirum in modum hoc tempore floreret, compluresque Patricii viri ac principes eum habitum induerent; Nicolaus Pontifex Regulam iiſdem Tertii Ordinis Pœnitentibus à Sancto Franciſco traditam, quibuſdam pro temporis & perſonarum conditione additis, Apoſtolico confirmavit diplomate, eodem anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, quod communiter circumfertur, & habetur in Regeſto Vaticano Epiſtolâ 405. data XV Kalendas Septembris. Regulam hanc publici juris fecit & commentariis aſceticis illuſtravit Lucas Wadingus inter

Digitized by Google

inter cetera Sancti Franciſci Opuſcula, & Dionyſius Carthuſianus vir doctus & pius eam dignam judicavit cui ſuas adderet elucubrationes.

XXIV.

Caroli Martelli jura in regnum Hungariæ tuetur.

Ladiſlao Chuno Hungariæ Rege, de quo num. XIII dictum eſt, à Cumanis quibus familiariter & amicè utebatur, anno 1290. die decima nona Julii occiſo, nullo hærede relicto, ut tradit Thurocſius in Chronico Hungarorum, grave diſſidium circa ſucceſſionem in regno Hungariæ exortum eſt; Andreas enim Venetus à magna procerum parte Rex conclamatus eſt, quamvis legitime regnum devolveretur jure hæreditario materno ad Carolum Martellum Caroli II Siciliæ Regis filium primogenitum annos tantum natum ſeptemdecim, utpote ex Maria ipſius Ladiſlai ſorore genitum. Quare Carolus Rex die octavo Septembris Neapoli magna celebritate eum militem creavit; ac per Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum coronari fecit Hungariæ Regem, ut ſcribit Joannes Villanius lib. 7. cap. 134. Sed cum inter hæc Rudolphus Romanorum Rex à Pontifice flagitaſſet regnum Hungariæ, atque dum reſponſum expectabat, Albertum filium ſuum Regem Hungaris deſtinaſſet; Nicolaus Pontifex Eugubinum & Eſinum Epiſcopos miſit, qui Rudolpho ſignificarent, regnum Hungariæ in clientela Sedis Apoſtolicæ eſſe; ac proinde ſciret ſe non potuiſſe Regem Hungaris præficere, aut Carolum jure ſuo ac beneficio Sedis Apoſtolicæ exuere; hortarenturque contra Andream Venetum invaſorem pro legitimo hærede Carolo Martello poteſtatem ſuam auctoritati Pontificiæ commodare. Hæc conſtant ex Nicolai Epiſtolis 82. & 83. quinto Idus Semptembris anno III apud Urbem veterem datis.

XXV.

Scotiam Angliæ ſubmitti debere negat.

Alexandri Scotiæ Regis hujus nominis 3. principis ſingularis virtutis obitum, Hiſtorici Angli etiam conferunt in eumdem annum 1290. omneſque aſſerunt, eum obiiſſe nulla relicta prole, quò factum eſt ut plurimi de regni ſucceſſione contenderent, inter quos duo præcipui erant propinquitate longe anteriores, *Joannes* ſcilicet *Baliolus* ex filia majore Davidis fratris Guillelmi olim Scotiæ Regis deſcendens, ſed per fœminam; & *Robertus Bruſius*, qui ex minore quidem filia ejuſdem Davidis, ad cujus ſtirpem jus regni reciderat, progenitus erat, cum tamen ex mare proveniſſet, potior ejus pars videbatur. Juris utriuſque judicio ad Eduardum Angliæ Regem à primoribus regno delato, Eduardus Baliolo, cæca regni cupidine regnum Scotiæ, Angliæ ſubmittendi, quod Bruſius denegaverat, adjudicavit. Poſt hæc Eduardus prætenſi in Scotiam ſui juris confirmationem à Sede Apoſtolica petiit; ſed Nicolaus Pontifex Epiſtolâ 102. Kalendis Martii anno quarto Pontificatûs, ideoque anno 1291. data, diſertè reſcripſit, ſe non poſſe in regno Scotiæ ſedi Apoſtolicæ obnoxio, juribus Eccleſiæ Romanæ derogare, ejuſque fiduciarios Regi Anglo ſubmittere. Quibus tamen non obſtantibus, idem

SEC. XIII. NICOLAUS IV. idem Joannes Baliolus in verba Eduardi juravit, & coronatus eſt ſolemniter poſt mortem Nicolai anno 1293. more patriæ conſueto, ex quo plures turbæ poſtmodum exortæ ſunt.

XXVI. *Res Angliæ curat.* Quod porrò in Anglia libertas Eccleſiaſtica valde depreſſa per injuſtas leges & iniquas oppreſſiones eſſet, eodem anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo miſit eò Nicolaus Papa Bartholomæum Groſſetanum Epiſcopum Minoritam, cum mandatis, ut tam Regem Eduardum, quam proceres alioſque injurios pietatis Chriſtianæ admoneret, & ad officium etiam ſeveriore virga diſciplinæ Eccleſiaſticæ reduceret. Id conſtat ex Epiſtola 46. libri 3. & ex Epiſtola 43. ejuſdem libri, qua Eduardum hortatur, ut ſuorum licentiam compeſcat, data *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem XIII Kal. Junii anno III* Pontificatûs, ideoque anno 1290.

XXVII. *Item res Africæ.* Ad amplificandum in Africa Chriſtianæ religionis cultum Nicolaus Pontifex ad inſtantiam Regum Caſtellæ & Luſitaniæ, necnon Cleri ac populi Marrochitani in Africa Rodericum Minoritam Eccleſiæ Marrochitanæ præfecit Epiſtolâ 771. libri 2. data *Romæ apud S. Mariam Majorem V Idus Decembris anno II*, ſeu anno 1289. Anno verò ſequenti 1290. Epiſtola 845. ejusdem libri data ibidem *V Idus Februarii anno II* legationem Apoſtolicam in eas terras decernendam ratus, id munus eidem Marrochitano Epiſcopo injunxit, quem dictâ Epiſtolâ ad nobiles Chriſtianos, alioſque ſtipendiarios, qui in Tremeſino, Marrochitano & Tunetano regnis verſabantur, commendavit, hortatuſque eos eſt, ut vitæ exemplo, ac morum ſanctitate Mauros ad religionem Chriſtianam perducerent. Dictum porrò Epiſcopum Marrochitanum privilegiis multis & facultatibus magnis condecoratum per univerſam Africam Apoſtolicæ Sedis Legatum inſtituit, datis aliis literis *univerſis Chriſti fidelibus per Africam conſtitutis*, quæ ſunt 844. ejuſdem libri & datæ *XV Kalend. Martii anno II* Pontificatûs.

XXVIII. *Pacem inter Aragoniæ Franciæ & Siciliæ Reges per Legatos conciliat.* Martinum IV Aragoniam, Cataloniam & Valentiam, quibus Petrum Aragoniæ Regem privatum declaraverat, Philippo III Francorum Regi attribuiſſe, pro Carolo Valeſio filio ſuo minori, ex ipſius Petri ſorore ſuſcepto, diximus in ejus Pontificatu. Hoc verò tempore, anno nempe 1290. cum arma pararentur in Aragoniam à Francis, quibus conjuncti erant Caſtellani, nequicquam Carolo II Siciliæ Rege illa avertere conato, Alphonſus Petri quondam Regis filius, tantis viribus impar ad pacem propenſus Oratores ad Nicolaum Pontificem miſit pro ea concilianda: eodemque fine Jacobus Alphonſi frater, Siciliæ occupator Joannem Prochrytam auctorem rebellionis Siculæ ad eumdem Pontificem legavit. Nicolaus autem Papa de iis controverſiis appellatus, ad eas componendas Legatos conſtituit duos Cardinales, Gerardum Parmenſem Epiſcopum Sabinum, & Benedictum Cajetanum Diaconum tit.

S. Ni-

S. Nicolai in Carcere Tulliano, poſtea Papam ſub Bonifacii VIII nomine, qui menſe Februario anni 1291. Taraſconem in Provincia Galliæ convenientes, unà cum miſſis à Philippo IV Francorum Rege, & Carolo Valeſio ejus fratre, & Oratoribus Alphonſi Aragonii cum ampla poteſtate, ipſoque Carolo II Rege Siciliæ præſente, pax ab iiſdem Legatis Apoſtolicis ſancita eſt his conditionibus. Ut Aragonius miſſa Romam legatione, eorum quæ commiſſa fuiſſent, veniam ſupplex peteret; vectigalis nomine uti Jacobus ejus proavus pactus fuerat, Romanæ Eccleſiæ triginta auri uncias annuas penderet; feſto Nativitatis domini proximo ſe Romæ ſiſteret; in Syriam ad auxilium Chriſtianorum auxilium duceret; & in Siciliam appellens, Conſtantiam matrem, ac fratrem Jacobum ad ejus inſulæ reſtitutionem induceret: interimque ex ea omninò Aragonios ac Catalanos, tàm Proceres quàm milites ſevero edicto evocaret, obſideſque à Carolo II Siciliæ Rege acceptos redderet: Iis conditionibus Pontifex Alphonſum Aragonium in gratiam reciperet, legaretque qui provincias ejus interdicto Eccleſiaſtico ſolveret; & Carolus Valeſius jure cederet, quod ei Martinus Papa in regnum Aragoniæ attribuerat; huic enim Carolus Siculus Clemenriam filiam (Margaritam alii vocant) cum dote Comitatus Andegavenſis nuptui dedit, ea lege, ut Aragonii regni repetendi jure actioneque decederet; Carolus quippe Siculus Princeps erat adeo ſinceræ fidei, ut Sumontius in Hiſt. Neapol. lib. 3. cap. 2. tradat, eum ad illud colloquium acceſſiſſe eo animo, ut niſi Valeſium inducere poſſet ad renunciationem juris Aragonici, ſe iterum ex pacto in cuſtodiam traderet. Alphonſus poſt hæc Oratores miſit ad Pontificem, Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum & Cancellarium ſuum, uti ipſius nomine in Pontificis verba juſjurandum præſtarent. Sed ne alia, quæ promiſerat, præſtaret, repentina mors obſtitit; defunctus eſt enim Barcinone decimo quarto Kalendas Julii ejuſdem anni 1291.

XXIX. *Iacobum Siciliæ occupatorem & Siculo huic paci adverſantes excommunicat.*

Sed ante Alphonſi mortem Jacobus Siciliæ occupator ejus frater & Siculi, quorum Legati huic ſanciendo fœderi non affuerant, idque Alphonſi artibus, ne pacem turbarent, ſe proditos atque deſertos à quo minime oportuiſſet, conqueſti ſunt. Quare Siculi Jacobo ſpoponderunt, ſe in ejus fide perſeveraturos, vitamque ante profuſuros, quàm imperium Gallorum paterentur. Quamobrem & illos & Jacobum Nicolaus Pontifex, ſemel, iterumque ac tertiò diebus Cœnæ Domini, Aſcenſionis dominicæ, & dedicationis Baſilicæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli anathemare damnavit Epiſtolâ 78. & ſeqq. Romæ anno IV Pontificatûs ſui data. Verùm Jacobus accepto Alphonſi fratris mortis nuncio continuò in Aragoniam accurrit, & jure propinquitatis debiti ſibi regni coronam ſuſcepit Cæſarauguſtæ octavo Kalendas Octobris, relicto in Sicilia fratre ejus Friderico adminiſtratore; qui tamen Alphon-

Digitized by Google

SEC. XIII. NICOLAUS IV. ſi fratris teſtamento fretus, Siciliam ſibi legantis, non pro Rege, ſed ut Rex eam adminiſtrare cœpit, indeque inter fratres graviſſimæ ortæ diſſenſiones. Hæc omnia deſumta ſunt ex Surita in Indic. lib. 2. & ex Mariana lib. 14. cap. 14. & ſeq.

XXX. *Agit pro religione in regnis Boſnenſi & Bulgaria.* Inter tot rerum turbines & gravium negotiorum moleſtias Nicolaus Pontifex non neglexit fidei conſervandæ & contra hæreticos procedendi ſtudium. Etenim ad preces Stephani Regis Serviæ, olim Dardaniæ, ipſo eodem anno 1291. inſtituit in principatu Boſnæ ejuſdem ditionis fidei Inquiſitores ex fratribus Minoritis contra hæreticos iis partibus graſſantes, ſcriptis ea de re tam ad ipſum Regem, quàm ad Provincialem Minorum literis. Epiſtolam ad Regem datam *apud Urbemveterem X Kalendas Aprilis anno IV* refert Wadingus ad eumdem annum num. 12. Eumdem Stephanum Regem, Elenam Reginam matrem regnum cum civitatibus, caſtris, terris, villis & bonis omnibus, quæ legitimè poſſidebant ad illorum inſtantiam ſub beati Petri & ſua protectione ſuſcepit Epiſtola 17. Eidem inſuper Reginæ Elenæ Epiſtolam in Regeſto Vaticano ordine 20. eadem die dedit, qua pium ejus laudavit conatum, quo Georgium Imperatorem Bulgarorum ſtudebat ad fidem reducere Catholicam, rogavitque impenſe, ut quod piè propoſuit, conſtanter exequeretur. In eadem Epiſtola commemorat ſe literas ſcripſiſſe ad Archiepiſcopum & Regem Bulgarorum, ut conjunctis ſuis cum Reginæ precibus, efficacius hujus Regis ſequeretur converſio. Epiſtolam ad Elenam Reginam recitat idem Wadingus num. 13. qui & jam num. 9. retulerat Nicolai Epiſtolam ad Archiepiſcopum Bulgarorum, eadem die qua præcedentes datam, in qua ei revocat in mentem quatenus unionem cum Eccleſia Romana profeſſus ſit publicè in palatio Blachernio Conſtantinopolitano cum aliis Prælatis Orientis anno 1274. ſedente Gregorio X.

XXXI. *Templa reſtaurat & ornat.* Præter plura pietatis & religionis officia, res civiles prudenter adminiſtrari curavit Nicolaus Pontifex, Urbis ſplendorem pulcherrimis ædificiis adauxit, vias aperuit, plateas fecit nobiliores, templa reſtituit; atque ex his potiſſimùm Baſilicas S. Salvatoris in Laterano, & Sanctæ Mariæ majoris in Exquilino reſtauravit; Lateranenſis templi anteriorem, poſterioremque partes ruinoſas, fortiſſimis repagulis additis, firmavit; partem aliam à fundamentis erexit, & abſidam ſive tribunam egregio opere muſivo exornavit. Quæ omnia in tabula ad abſidæ dextram muſivis his carminibus exprimuntur, ex quibus & conſtat, Nicolaum IV fuiſſe primum Pontificem ex ordine Minorum aſſumptum, & ex conſequenti Vicedomini Papatum non admittendum:

Fran-

Franciſci proles, primus de ſorte Minorum,
Hieronymus, quarti Nicolai nomine ſurgens
Romanus Præſul, partes circumſpicit hujus
Eccleſia certâ jam dependere ruinâ,
Ante, retroque levat, deſtructa reformat & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Poſtremò quæ prima Dei veneranda refulſit
Viſibus humanis, facies hæc integra ſiſtens,
Quo fuerat, ſteteratque ſitu, relocatur eodem.
Præſulis ecce ſui, Deus, hæc complectere vota,
Quæ tibi perſolvit, domus hujus amando decorem,
Serva, vivifica cœlo, terraque beatum
Effice, nec manibus tradas hunc hoſtis iniqui.
Ingrediens populus devotus munera ſumat,
Quæ beatus hic Paſtor dedit indulgendo benigne;
Et larga pietate Pater peccata remittens.
Anno ab Incarnat. Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCXCI.
Pontificatûs ejuſdem Domini Nicolai ano IV.

In alia tabula muſivis etiam characteribus deſcripſit & enumeravit præcipua ſanctuaria & reliquias, quæ in ambitu Baſilicæ conſervabantur. Omnia exſcripſit Onuphrius Panuinius in hujus Baſilicæ deſcriprione apud quem legi poſſunt, & apud Wadingum ad annum 1291. num. 15. & ſeqq. ubi addit, Nicolaum ſimiliter exorſum eſſe adornare Sanctæ Mariæ Majoris Baſilicam, ſed morte præventum perficere non potuiſſe, cujus Baſilicæ refectionis ſermo eſt in ejus epitaphio infrà adducendo.

XXXII. *Chriſtiani Ptolemaide & tota Syria pelluntur.*

Adveniens interea eodem anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo clades reliquiarum Chriſtianorum Syriæ, Nicolaum ad majora molienda impulit. Eodem quippe anno Soldanus Ægypti, menſe Aprili Ptolemaidem, urbem Syriæ nobiliſſimam, mercatorum Orientis & Occidentis ditiſſimum emporium, Accon antiquo nomine à quampluribus dictam, cujus celebris memoria habetur in Machabæorum libris, obſedit, & obtinuit menſe Maio cum ingenti Chriſtianorum clade, ex quibus ſexaginta millia deſiderata ſunt, quorum potiorem partem gladius devoravit, partem alteram ignis abſumpſit, tertiamque mare deglutivit. Sicque luit peccata, inquit Marinus Sanutus lib. 3. part. 12. cap. 21. ſed non abluit ſcelerata civitas, gratiis divinis ingrata, pugnantibus adversùs eam omnibus elementis: Terra videlicet ſanguinem necatorum ebibente, Mari fugientes abſorbente, Igne ædificia conſumente, Aëre fumo & caligine obtenebrato. Cujus civitatis audita amiſſione, confeſtim Tyrii civitatem vacuam relinquentes Victoribus, ſine ictu gladii conſcenſis navibus abierunt. Continuòque Sidone, Baruтho & reliquis omni-

omnibus locis Chriſtianorum, aut captis, aut derelictis, omnis Syria amiſſa eſt; cunctique Chriſtiani Terræ Promiſſionis aut morte extincti ſunt, aut profugi exulesque ſuis demeritis in Cyprum confugerunt: ubi ſecum habentes quam ſecum in conſcientia detulerant peccatorum ſarcinam & cauſam prædictæ deſolationis, in multa anguſtia miſeram vitam traduxerunt.

XXXIII. *Nicolaus PP. expeditionem in Syriam urget.*

Nicolaus Pontifex audito calamitoſo Chriſtianorum Syriæ ſtatu, majori quàm unquam ſtudio ſubſidium paravit, conſcribi milites Crucesignatos ſtuduit, & Crucem ubique prædicari juſſit, amandatâ hujus rei curâ Provincialibus Minorum & Prædicatorum, ut conſtat ex ejus Epiſtolis 10. & 42. quæ extant in archivo Vaticano. Deinde ad Europæ Principes converſus, ſingulos hortatus eſt arma convertere in barbaros. Neque ſolum Europæos Principes ad ſacrum hoc bellum excitavit, verum ab Orientalibus quibuſque poſtulavit auxilium; Andronicum quippe Palæologum Græcorum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Joannem Comnenum Imperatorem Trapezuntii, Argonem Regem Tartarorum, Regeſque Armeniæ, Iberorum & Georgianorum, ſingulos ingenti affectu literis ſuis 66. & ſeqq. in eodem archivo ſollicitavit, ut opem & operam pro viribus huic negotio impenderent: iiſdemque annunciavit Eduardum Anglorum Regem, jam aſſumpſiſſe crucis ſignaculum, & brevi in Syriam transfretaturum. Ad hæc gravi edicto, quod continetur in Epiſtola 50. ibidem, vetuit arma, ligna, ferrum & quaſcumque merces in quævis loca Sultano ſubjecta à quibuſcumque Chriſtianis mitti aut deferri, eoſque qui talia agerent, velut hoſtes Eccleſiæ notavit, & diris devovit; illud enim jam pridem fuerat interdictum ab aliis Pontificibus, ut videre eſt extr. *multa mentis* inter extravag. communes, & cap. *quorundam* & alibi. Cardinales duos Gerardum Parmenſem & Benedictum Cajetanum in Gallias miſit, ut pacem inter Aragoniæ, Siciliæ & Galliæ Reges componerent. Egit etiam per Internuncium cum Rodolpho Romanorum Rege, ut copias auxiliares transmitteret, ne etiam Cyprus, & Armenia Minor, olim Cilicia dicta, quæ ſolæ in fide pro Chriſtianorum rebus conſtanter remanſerant, in Saracenorum poteſtatem venirent.

XXXIV. *Sed irrito conatu, & quare.*

Sed parum prævaluit apud hos Principes Pontificis Nicolai auctoritas, & pium Chriſtianis ſubveniendi deſiderium; cum enim ab aliquibus ei perſuaſum fuiſſet, optimum fore ſi ex duabus Religionibus militaribus Templariorum & Hoſpitalariorum, quæ poſt cladem Ptolemaidis in Cyprum ſeceſſerant, quæque ut inſignes erant ac potentes, ita perpetuis diſſenſionibus inter ſe laborabant, una fieret ſub uno duce iiſdem inſtitutis vivens: eam rem idem Pontifex, non ſolum prædictis Imperatori Conſtantinopolitano, Regibuſque Francorum & Angliæ, ipſiſque Militiarum Magiſtris, ac Prælatis Eccleſiarum ubique ſignificavit,

vit, quid de hac re ſentirent, eorum judicium exquirens: verùm etiam juſſit per ſingulas provincias Concilia, ad acceleranda auxilia, & dandum conſilium de prædictorum Ordinum unione celebrari. Verùm expeditio potius retardata, quam accelerata eſt; ex Principibus enim, qui ad eam ſuſcipiendam aptiſſimi exiſtimabantur, Gallus magis diſtinebatur rebus Hiſpanicis; Anglus, qui omninò ſe itineri apud Pontificem obſtrinxerat, petendis continuò pecuniis ex decimis fructuum Eccleſiaſticorum ac piis legatis inſtabat, nec acceptis ſatiabatur. Parte alia Rudolphus Romanorum Rex, qui præ ceteris negotio velle incumbere præ ſe ferebat, ſenio & laboribus confectus, mortuus eſt hoc ipſo anno 1291. in oppido Germersheim juxta Spiram, pridie Kalendas Octobris, ut habet antiquum Chronicon Alberti Argentinenſis, ex epitaphio, ut ait, ipſius ſepulchro appoſito, necnon Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico, & nonnulli alii. In cujus locum anno ſequenti 1292. electus eſt Francofurti Adolphus Naſſoviæ Comes ipſo die Epiphaniæ ſexto Januarii. *SEC. XIII.* NICOLAUS IV.

XXXV. *Sollicitat auxilia pro Armenia.*

Sacra itaque illa expeditio nullum effectum ſortita eſt, imò potius Saraceni Armenios aggreſſi ſunt tanto impetu, ut Rex Armeniæ potentiſſimo exercitui, atque efferæ genti viribus impar, ſe reſiſtere non poſſe judicans, Legatos ad Nicolaum Pontificem, Reges Galliæ & Angliæ miſerit, qui eis ſignificarent, quam in miſerabili ſtatu res ſuæ & Chriſtianorum, barbaræ Saracenorum feritati undique expoſitæ ſe haberent. Quibus auditis Nicolaus Pontifex magna quæque in Eccleſiæ Romanæ & Chriſtiani orbis incrementum moliri non deſiſtens, eosdem Legatos ad prædictos Reges remiſit cum Epiſtola, quæ in Regiſtro Vaticano eſt ordine 85. data X Kalend. Februarii anno 4. Pontificatus, ſeu menſe Januario anni 1292. quâ hortatus eſt, ut Armeno opem ferrent. Iniunxitque præterea omnibus prædicatoribus crucis, ut tam Reges & Principes, quàm alios quoſcumque ad id opus cierent, ſtatuto tempore mittendi copias in Terræ ſanctæ ſubſidium ſub feſtum Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi tertii, quod ita legi in literis Cameral. anni 4. num. 10. aſſerit Wadingus ad eumdem annum num. 1.

XXXVI. *Moritur.*

Sed hoc Nicolai Pontificis propoſitum mors deſtruxit, quæ illum ex hac vita eodem anno ſuſtulit pridie Nonas Aprilis, ſeu die quarta ejuſdem menſis, ut legitur in ejus epitaphio recentiori ejus mauſoleo inſculpto, quod deſumptum videtur ex Bernardo Guidonis, qui eum obiiſſe ait in Chronico Romanorum Pontificum, in Sancta Paraſceve, quæ anno 1292. incidebat in diem quartum Aprilis. Plures tamen dies ſupervixiſſe ſuſpicatur Wadingus, quippe undecimo Kalendas Maii datæ ab eo inveniuntur Epiſtolæ in ejus Regeſto, niſi forte dicatur, inquit, calami ſeu ſcriptoris vitium, quod non ita facile licet, ne cetera

Digitized by Google

SEC. XIII. NICOLAUS IV.

eadem facilitate revocentur in dubium. Sed valde pronum eſt ſcriptori pro undecimo Kalendas Martii, ſcribere undecimo Kalendas Maii, ideoque exiſtimo Nicolaum revera obiiſſe die quarta Aprilis, in die Paraſceves, quæ à Continuatore Martini Poloni, ſicut & à nonnullis aliis dicitur aliquando dies Paſchæ; idem enim Continuator ait eum obiiſſe in die Paſchæ. Certè vel ante Paſcha, ſeu ante diem ſextum Aprilis obiit, vel erravit Nangius in Chronico, qui cum annum à die Paſchatis inchoet, ſcribit tamen Nicolaum obiiſſe anno 1291. qui terminari debebat anno 1292. die quinta Aprilis, cum Paſcha incideret in diem ſextum ejuſdem menſis. Hæc poſtquam ſcripſi, inveni Jordanum toties laudatum apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hiſtorico ita habere: *Nicolaus Papa obiit Romæ in paraſceve ſancta, ſepultuſque fuit in Sancta Maria Majore terminante anno prædicto MCCXCI.* Ubi Jordanus annum producit uſque ad Paſcha.

XXXVII. *Vita ejus ſanctimonia, & locus ſepulturæ.*

Utcumque ſe res habeat, Nicolaus magnum ſui reliquit deſiderium; illum enim hoc brevi, ſed nobili elogio exornat Sanctus Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 7. in principio, ſcilicet, quod eſſet *reputatus rectus homo & ſanctæ converſationis*, cui gratus & dignitate plenus aſpectus majeſtatem conciliabat, optima mens & integritas vitæ ſingularis amorem. Præditum ſingulari religioſa demiſſione fuiſſe, & faſtu vacuum, cum ad honores invitus raptus eſt, tradit idem ſanctus his verbis: *Cardinalis effectus humilitatis gloriam, quæ prius in eo relucebat, ita prudenter ſervavit, ut miro modo communiter & humiliter ageret, & honorem nihilominus dignitatis maturitate honeſtiſſima retineret. Confeſſus eſt ſæpe, multum tamen ſobriè, ſed certo, ut dicebat, ſermone, quod potius vellet coquinam fratribus facere, quam Cardinalatûs faſtigio præeminere; ſeque aliter obſtiturum fuiſſe gradui illi, niſi offenſam ordinis timuiſſet.* Sepultus eſt ad caput Baſilicæ Sanctæ Mariæ majoris, verſus cornu Evangelii, humili ſepulchro in pavimento ex porphyreticis lapidibus ornato, hoc inciſo epitaphio, ex quo evincitur, eum eamdem animi moderationem ſervaſſe in Pontificatu. Illud licet rude & inconcinnum hic repræſentare non piget:

Hic tumulus tumulat humilem, qui faſcibus auctum
Sic moriens ſtatuit oſſa manere ſua.
Hunc Franciſcus alit, Cardo ut ſit, almaque Petri
Sedes magnificat, gratia Dei beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus, virginis ædem
Hanc lapſam reficit, ſitque vetuſta nova.
Petrus Apoſtolus ſocium, Franciſcus alumnum
Protegat, Omnipotens matre rogante beat.

Sed in penultimo verſu ubi legitur, *Petrus Apoſtolus*, Cardinalis Sirletus ita ſcriptum reliquit, *Petrus Apoſtolicus*, ſicut in primo, loco *auctum*,

auctum, legit, *auctus*. Corpus ejus anno 1573. dum chorus ejuſdem SEC. XIII.
Baſilicæ reficeretur, repertum Felix Perretus à Monte-alto Cardinalis NICOLAUS
S. Hieronymi Illyricorum, qui poſtea fuit Papa ſub Sixti quinti nomi- IV.
ne, nobili honeſtavit mauſoleo, cum inſcriptione ejus virtutum teſte,
quam refert Wadingus & ex eo Oldoinus in Notis ad Ciaconium.

Nicolai IV doctrinam fuiſſe ſummam his verbis nos docet Paulus XXXVIII.
Langius in Chronico Citizenſi: *Hic*, inquit, *Ordinis Minorum fuit*, *Ejus doctri-*
qui propter eminentem ſcientiam, & morum probitatem primò Generalis Or- *na & ſcrip-*
dinis Miniſter, exin Cardinalis, poſt creatus eſt Summus Pontifex. Et *ta.*
revera priuſquam ad ſummas dignitates eveheretur, ſcripſit, teſte Wa-
dingo in Scriptoribus Ordinis Minorum, In multos ſacræ Scripturæ
libros poſtillas valde utiles. In quatuor libros ſententiarum commen-
tarios. Sermones de tempore. Sermones de ſanctis. Epiſtolam egregiam
ad patres Capituli Generalis Patavini. Epiſtolas plures ad diverſos. Qua-
re non mirum ſi probos tantum ac eruditos viros loco cognatorum
habuerit, ut in ejus recenti epitaphio à Sixto V edito legitur.

Præter ea quæ ſummatim in hoc Breviario de ejus geſtis recenſui- XXXIX.
mus, multa alia & magna egregie præſtitit in Pontificatu. Provinciam *Quædam*
Flaminiæ, quæ tunc Romandiola dicitur, in Eccleſiæ Romanæ ditio- *alia ejus*
nem iterum redegit, tumultus Urbicos, Principumque factiones ſedavit. *geſta.*
Multas diſcordias inter Chriſtianos Principes auctoritate ſua ſuſtulit,
eoſque ſacro fœdere devinxit: jura Eccleſiæ ab aliis occupata, armis
etiam repetiit; fidei candorem multis in locis hæreticæ pravitatis In-
quiſitoribus plenè reſtituit; tandemque, ut jam dictum eſt, anno Pon-
tificatûs ſui ſecundo Tertiam Regulam Fratrum & Sororum Tertii Or-
dinis à B. Franciſco inſtitutam, pro ſecularibus in propriis domi-
bus viventibus; qui & de pœnitentia vocati ſunt, approbavit.

S. COELESTINUS V *Pontif. CXCII.*

Anno Domini MCCXCIV.

POſt Nicolai IV obitum, qui, ut diximus, contigit die quarta I.
Aprilis anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi ſecundi, ſedes Ro- *Diſſidium*
mana vacavit uſque ad menſem Julium anni milleſimi ducenteſimi no- *inter Cardi-*
nageſimi quarti. Tradito enim ſepulturæ Pontifice Cardinales numero *nales pro ele-*
duodecim, Romani ſex, Italici quatuor, Gallici duo adeo inter ſe diſ- *ctione Novi*
cordes erant, ut eodem loco convenire non poſſent, *ſed nec ante ſecun-* *Pontificis.*
dum annum, tertiique partem tertiam vacationis hujuſmodi Antiſtitem ſum-
mum crearent; ſed nunc uno, nunc alio Urbis loco, vicibuſque interceptis
pro electionis miniſterio conveniebant, inquit Jacobus Cardinalis Diaco-
nus S. Georgii ad Velum aureum in Præfatione ad Poëma de Sancto

Cœleſtino apud Bollandianos ad diem XIX Maii. Diſcordiæ præcipuam cauſam affert Joannes Villanius lib. 7. cap. 150. quia nempe alii, partem ducente Matthæo Rubeo de Urſinis Priore Diaconorum Cardinalium, gratum Carolo Siciliæ Regi Pontificem creari volebant; alii verò, alteram partem ducente Jacobo Columna, Diacono etiam Cardinali S. Mariæ in Via lata, iis adverſabantur: duæ enim illæ illuſtriſſimæ familiæ Romanæ non parva invicem invidia eo tempore laborabant. Confuſionem auxêre ambitio Procerum Senatoriæ dignitatis adipiſcendæ æmulorum, & morbi qui ſupervenerunt eodem tempore: quidam namque Cardinales Anagniam, alii in urbem Reatinam, alii aliò ſeceſſerunt, & tres tantum Romæ remanſêre, ut ſcribit laudatus Jacobus Cardinalis ibidem, qui addit, quòd cum ſchiſmatis inceſſiſſet timor, *ne vel Romani tres* Cardinales *tunc in Urbe commorantes, loci, ut fatebantur, privilegio, ut qui alios non Romanos ſcriptis præſolicitaverant; neve alii etiam Romani tres, ceterique Patres Reate longe numero plures in electionem prorumperent*, tandem ex compromiſſo electum eſſe per arbitros urbem Peruſinam pro loco electionis, ad quam *in feſto beati Lucæ Evangeliſtæ tunc ſatis proximo, ſecundo ſcilicet vacationis anno, termino aſſignato convenerunt*, ideoque anno 1293.

II. *Carolus Siciliæ Rex eos hortatur ad maturandam electionem.*

Sacro Cardinalium Senatu Peruſii agente, Carolus Siciliæ Rex è Gallia in Italiam rediens, unà cum Carolo Martello Hungariæ Rege majori natu filio, qui patri ex Apulia obviam procurrerat, Peruſium divertit, ut Cardinales ad concordiam & electionem Novi Pontificis adhortaretur. Qua pompa & apparatu Reges ab iis excepti fuerint, refert idem Jacobus Cardinalis lib. 1. cap. 2. de Cœleſtini electione. Hortatum autem eſſe eos ad electionem maturandam ita inſinuat:

Non longa dies & tendere curſum
Parthenopem decrevit herus: ſed primitus omnem
*Alloquitur cœtum Sparagi * ſermone profatur*
Rex pater, & precibus rogitans ſpiramine ſacro
Afflari, populoque Dei Paſtore quietem
Imponi.

Carolum Regem Peruſium adiiſſe, & purpuratos patres ſollicitaſſe, ut citò Pontificem crearent, refert etiam Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana, ubi addit, Benedictum Caietanum Cardinalem, poſtea Papam ſub Bonifacii VIII nomine, aſperioribus verbis ab ipſo exceptum. *Tunc etiam*, inquit, *Rex Carolus de Provincia veniens, per Peruſium tranſit: ad eligendum Pontificem Cardinales inducit. Dura quoque verba cum domino Benedicto Gaitoni habuit; nihil tamen profecit.* Blondus autem & Platina ſcribunt, Carolum ab eodem Benedicto Cajetano aſperè re-

* proprium nomen *Regii fortaſſis Secretarii*, inquiunt Bollandiani.

Digitized by Google

rè redargutum, quod inſtando acerbè nimium, ipſis Cardinalibus vim *SEC. XIII.*
oppreſſionis afferre videretur, re infecta abſceſſiſſe. COELESTINUS V.

Tandem poſt diuturnam & pernicioſam Cardinalium diſſenſionem, qua, annis duobus, menſibus tribus & die uno, Eccleſia mœrore afflicta & paſtore orbata fuit, feſſi magis cives, quam Cardinales, illos adeo urſerunt atque inſectati ſunt, ſicut narrat Joannes Villanius lib. 8. cap. 5. ut demum nutu divino, potius quam deliberata eorum voluntate, factâ à Latino Cardinale Oſtienſi ſacri collegii Decano magnæ virtutis & integritatis viro, mentione Petri, patria Iſernienſis, patre Angelerio, matre Maria honeſtis & probis oriundi, Eremitæ ſeu Monachi de Murthone cognominati à monte Murthonis, quem ex ſolitudinis & pacatioris vitæ deſiderio inhabitabat, duobus paſſuum millibus à Sulmone civitate diſtante, ex familiari commercio dicto Cardinali Latino probè noti, confeſtim reliqui electores quaſi divinitus inſpirati, non ſine lachrymis unanimiter, nemine diſcrepante, eum in ſummum Pontificem elegerunt die quinta menſis Julii. *Anno MCCXCIV*, inquit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſ. lib. 24. cap. 29. *ad perſuaſionem Domini Latini Oſtienſis Epiſcopi, & poſt receſſum Regis* (Caroli) *vota ſua dirigunt Cardinales in quemdam Eremitam de Abrutio, cujus nomen frater Petrus de Murrone; ipſumque in ſummum Pontificem eligunt, qui vocatus eſt Cœleſtinus V.* Jacobus verò Caietanus laudatus in præfatione ſui operis, ait: *Lapſis vacationis conſeſtim annis duobus, quartaque tertii parte, menſis Julii principio infra Apoſtolorum octavam, nacta mirificè fratris Petri de Murrone Eremitæ viſionis cujuſdam occaſione, eodem Latino inter fratres patreſve cœtûs viſionis ipſius ex inopino verbum movente, ſubitò Dei nutu idem religioſa & miræ ſanctitatis vir frater Petrus de Murrone Eremita Ordinis S. Benedicti, in cella in monte de Murrone ſupra Sulmonem ſita manens, in Summum, unanimi voto & conſenſu Patrum eſt electus Pontificem.* Eadem habent Jordanus laudatus, Continuator Martini Poloni, Bernardus Guidonis & alii. Diem electionis, nempe quintum Julii, qui concurrebat cum die lunæ, exhibent tabulæ de hac confectæ, quæ extant apud Wadingum & apud Raynaldum.

III. *Petrus de Murrone eligitur Pontifex ſub Cœleſtini V nomine.*

Electionis decretum ad ipſum miſerunt Cardinales *per Archiepiſcopum Lugdunenſem, Epiſcopos duos, duoſque Apoſtolicæ Sedis Notarios*, ut idem Jacobus Cardinalis ſcribit in præfatione ad Acta S. Cœleſtini part. 2. num. 11. rogantes ut aſſenſum præberet, ac Peruſium ſe conferre dignaretur. Aſperrimum vitæ genus ducentem Petrum de Murrone adiêre oratores, qui venerandum ſenem inculta veſte horridum, ſqualidum macie, tumentibus ex continuo lachrymarum profluvio palpebris conſpicati; ſe ad illius genua demiſêre. Quibus ille attonitus viciſſim ad eorum genua procubuit. At illi expoſita adventûs causâ, & Cardinalium ſuffragiis è ſcripto prolatis, vix à colendæ ſolitudinis ſuſcepto conſilio, Petrum

IV. *Invitus acceptat Pontificatum.*

SEC. XIII. COELESTINUS V. trum abducere, atque ejus conſtantiam in reſpuenda ſumma dignitate infringere potuerunt. Franciſcus Petrarcha lib. 2. de vita ſolitaria ſect. 3. cap. 18. ſcribit, illum fuga ſe ſubducere meditatum, ſed accurentium populorum pietate ex ea retractum eſſe: *Statim*, inquit, *ab initio tentavit fugam cum diſcipulo quodam ſuo Roberto Salentino tunc juvene; ſed inopinata & ſubita populi multitudine circumventus, cum evadendi nulla ſpes eſſet, in diſcipulum verſus quaſivit; an ſe ad excelſa tractum & coactum ſequi vellet? Ille autem, qui à magiſtro didiciſſet mundum ſpernere, Chriſtum verò & quibus ad Chriſtum itur, virtutem, pacem, ſilentium & ſolitudinem amare: Quæſo, ait, ut & labori & periculo meo parcas, meque potius cellæ inopis & tuti otii ſucceſſorem, quam divitis, ac ſolicitæ gloriæ participem velis: quod & factum eſt.* Procul dubio tamen electioni de ſe factæ acquieſcere recuſaſſet, niſi urſiſſent preces Caroli Siciliæ Regis, & Caroli Martelli ejus filii pariter Hungariæ Regis, qui eò accurrerant, & Cardinalis Latini aliorumque, qui hoc unico remedio diuturnis & maximis Chriſtiani orbis incommodis ſubveniri poſſe proteſtabantur, & magnis ſacramentis ſuperventurorum malorum rationem, niſi acceptaret à Deo decretum & miſſum Pontificatum, eum coram ſupremo Judice reddíturum inſtanter inculcabant.

V. *Aquilam pergit & à Cardinalibus convenitur.*

Victus his precibus & piis commonitionibus Petrus Pontificatum demum aſſumere acquievit. Aquilam itaque Aprutii urbem ſe contulit, ſcribens ad Cardinales Peruſii agentes, ſe ob æſtatis fervorem longius progredi non poſſe: *Attendendum*, inquit Ptolomæus Lucenſis laudatus cap. 30. *quod ipſo creato ſimul cum decreto Cardinalium literas eidem tranſmittunt, & ſuæ Sanctitati ſignificant, ut ad locum communem, ubi ſua facta erat electio, dignaretur venire. Ille verò ad inſtantiam Regis venire recuſabat: quin imò eisdem mandavit, ut ad ipſum venirent.* Et infra: *Sibi perſuaderi non potuit, ut veniret Peruſium, ſed in Aquila aliquo tempore pedem fixit. Tantus autem fuit ibidem concurſus ad ipſum de villis & caſtris, quod ſtupor erat videre, quia magis veniebant ad ſuam obtinendam benedictionem, quam pro prælenda acquiſitione: unde oportebat eum ſæpius ad feneſtram accedere ad benedicendum populum, victus eorum clamoribus: quod & ego vidi, & præſens fui quando iſta fiebant. Interim autem Cardinales aliqui precedunt ad Papam, aliqui ſubſecuuntur verſus Aquilam: ultimus tandem ad veniendum fuit Dominus Benedictus Gaytani, & dubitabatur quod non veniret, quia Regem verbis offenderat in Peruſio. Venit igitur ultimò, & ſic ſcivit deducere ſua negotia, quod factus eſt quaſi dominus Curiæ.*

VI. *Siciliæ & Hungariæ Regibus frena tenentibus Aquilam ingreditur.*

Cum autem dimoveri non valeret Cœleſtinus à ſuſcepto olim vitæ genere, nequaquam induci potuit equo vehi, ſed humili aſello ſedens Aquilam pertexit, ut ornamenta Pontificalia ſuſciperet, à Carolis patre & filio Regibus Siciliæ & Hungariæ, aliiſque magnatibus deductus, eam-

SEC. XIII.
COELESTINUS V.

eamque urbem ingreſſus eſt, iiſdem Regibus aſini fræna tenentibus. Quam pompam ita deſcribit Caietanus Cardinalis laudatus:

> *Intumidus vilem Murro conſcendit aſellum,*
> *Regum fræna manu dextra lævaque regente*
> *Pontificis.*

Eoſdem Reges & Cardinales, qui accurrerant, Cœleſtinum ab eo demiſſionis Chriſtianæ conſilio revocare fruſtrà conatos eſſe, narrat Petrus Cardinalis de Alliaco in ejuſdem Pontificis Vita lib. 2. cap. 11. his verbis: *Cum audita e us electionis fama Reges Siciliæ & Hungariæ veloci curſu ad eum perveniſſent, & relictâ cella ad monaſterium S. Spiritus cum eis deſcendiſſet, & peractis ibi aliquot diebus ire Romam diſponeret, non magnum equorum apparatum, ſed parvum aſellum ſibi adhiberi præcepit. Quod Reges admirantes, ac alii Cardinales viæ ejus comitantes veſtigia, ſuadebant ne hanc Eccleſiæ Dei inferret injuriam. Sed ab incœpto humilitatis propoſito eum fruſtrà conantur abſtrahere, nam uſque ad civitatem Aquilæ ſuper aſellum ſedens, honorabili ac innumerabili turba comitatus acceſſit. Hoc autem ab eo factum eſt non quidem ſuperba ſingularitate, quaſi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit, ſed ſingulari humilitate, quæ à ſeculi ruſticitatis monaſtica conſuetudine nec facile, nec citò evelli potuit.* Explicat poſtea Petrus de Alliaco cauſas quibus moventur Pontifices ad externam pompam patiendam.

VII. *Ejus humilitas inſigni miraculo comprobata.*

Tandemque addit Cœleſtini demiſſionem inſigni miraculo divinitus fuiſſe commendatam: *Quod autem Chriſtus*, inquit, *illam ſingularem ſervi ſui humilitatem non ſibi ac Eccleſiæ ſuæ imputaret ad injuriam, ſed ad honorem, ſingulari voluit declarare miraculo. Nam cum multi poſt eum infirmi portarentur, ut ſaltim poſſent ejus tangere fimbriam veſtimenti (erat enim totius populi mira erga eum fidei devotio) homo quidam filium ſuum ambobus claudum pedibus portans, cum ad virum ſanctum, præ multitudine non valeret accedere, aſello, de quo deſcenderat, puerum impoſuit, qui, ſanitate recepta, ab illa hora firmiter ambulavit.* Hujus miraculi meminit etiam Weſtmonaſterienſis in Hiſtoria ad annum 1294.

VIII. *Locus, tempus & pompa ejus conſecrationis & coronationis.*

Cum Aquilam confluxiſſent Cardinales pro novi Pontificis conſecratione, electus eſt ad hanc celebritatem dies vigeſimus nonus Auguſti, decollationi Sancti Joannis baptiſtæ ſacer, qui cum dominica concurrebat, ad eamque tantam hominum multitudinem accurriſſe teſtis oculatus Ptolomæus Lucenſis lib. 24. cap. 29. refert, ut ad ducenta hominum millia aſcenderet, eum aſpecturi & veneraturi, ut hominem de cœlo lapſum, & proinde aiebant meritò Cœleſtinum appellatum. *In dicta civitate Aquilæ*, inquit Petrus de Alliaco laudatus cap. 12. *vocato Cardinalium cœtu pater ſanctus in feſto decollationis S. Joannis Baptiſtæ coronam aliaque Apoſtolica ſuſcepit inſignia: & quia in terris habitans jam cœleſtis erat, & cum Apoſtolo verè dicere poterat: Noſtra converſatio in cœlis.*

Digitized by Google

SEC. XIII. COELESTINUS V.

lis eſt, *in ſua coronatione, Deo, ut credimus, inſpirante, Cæleſtini nomen accepit.* Conſecratus eſt ab Hugone Epiſcopo Oſtienſi & Veliternenſi, coronatus autem à Matthæo Rubeo de Urſinis Priore Diaconorum Cardinalium; quæ duo diſertè aſſerit Jacobus Cardinalis Cajetanus lib. 3. cap. 1.

Veſtibus ornati byſſis, auroque decoris
Inſiſtunt operi Proceres, præſulque novellus
Velletrenſis Hugo liquidam fundebat olivam
In caput Electi, cui pallia candida lana
Inſuper altari grandis Levita Matthæus
Obtulit, & phrygium gemmis auroque coruſcum,
Poſt celebrata Deo miſſa ſolemnia, Papa
Impoſuit capiti, populo ſpectante coronam.

Bollandiani hæc ultima verba mutaverunt, ut ipſimet aſſerunt, & legerunt, *populi ſpectante corona.* Facta ſunt autem hæc ſolemnia in Eccleſia S. Mariæ de Collemedio Aquilano Ordinis S. Benedicti extra civitatis muros ſiti, ut ipſemet Cœleſtinus aſſerit in diplomate dato in favorem ejuſdem Eccleſiæ apud Raynaldum num. 14. E xea rediit coronatus in urbem Aquilanam, idem enim Cardinalis Cajetanus ſubjungit:

Deforis ea thelamus campo ſublimis aperto
Structus erat juxta templum, quo turba ſedentem
Cerneret hunc apicem, nimium populata pedeſtris.
Hinc albo provectus equo proceſſit in urbem,
Quam dixêre Aquilam, ſervat proceſſio ritum,
Ante Ducem tendens longis clamoribus actum.
Diſcubuitque ſuis cum fratribus ordine Præſul,
Ut decet antiquus regni mos feſta peragrans.

IX. *Conſecratus ab Hugone Oſtienſi Epiſc. Latini ſucceſſore.*

Ex his conſtat Hugonem Seguin Cardinalem Presbyterum à Nicolao IV creatum, jam fuiſſe Epiſcopum Veliternenſem & conſequenter Oſtienſem, ad quam dignitatem evectus eſt *à reliquis patribus*, ſeu Cardinalibus pòſt mortem Latini Frangipanis, ut ſcribit Jacobus Cajetanus in Præfatione ad Acta S. Cœleſtini part. 2. num. 11. cum Pontificem ut Oſtienſis Epiſcopus conſecraverit, poſtquam ipſe ab Archiepiſcopo Beneventano conſecratus eſt Epiſcopus Oſtienſis, ut diſertè docet idem Cardinalis Cajetanus, qui relata Latini Oſtienſis Epiſcopi morte ait, inventum eſſe modum *magna novitatis*, ut nempe Cœleſtinus mandaret, Hugonem *ſacrari à patre Samnitum*, ideſt ab Archiepiſcopo Beneventanorum, qui propriè erant Samnites, ut obſervavit Michaël Antonius Baudrand in ſuo Lexico Geographico. Conſtat inſuper hallucinatum eſſe Bzovium cum ſcripſit, Latinum Frangipanis vel Malabrancam, Epiſcopum Oſtienſem, menſe tantum Novembri anni 1294. obiiſſe,

obiiſſe, cum Hugo ejus ſucceſſor die vigeſima nona Auguſti ejuſdem anni Cœleſtinum V conſecraverit. Obiiſſe itaque videtur Latinus die IV Idus Auguſti, ut legitur apud Ciaconium, ex Leandro, ut puto, Alberto in margine citato; qui juxta Miræum in Bibliotheca Eccleſiaſtica anno 1517. Bononiæ publicavit libros ſex de viris illuſtribus ſui Ordinis, nempe Prædicatorum, ex quo Latinus aſſumptus fuerat. Quare Hugo *Præſul novellus* appellatur à Jacobo Cajetano mox laudato. Hic porrò Latinus Frangipanis inter alia ſcripſit proſam, quæ canitur in miſſa defunctorum, *dies iræ, dies illa*, ſi fides ſit Auctori Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum & Guillelmo Eiſengrenio, qui vivebat anno 1564.

X. *Cardinalium numerum auget.*

Cœleſtinum V Papam auxiſſe numerum Cardinalium conſentiunt omnes Hiſtorici, & Jacobus Cajetanus Cardinalis loco laudato lib. 3. cap. 2. teſtatur ſeptem ex iis fuiſſe Gallos, quinque verò Italos, ſed nullum Romanum:

Venerat ecce dies ignota ad culmina tollens,
Qua Cæleſtinus Proceres augere Senatus
Flagitat, & votum complet: nam bis repetitos
Sex creat & Gallos ſeptem, paucoſque Latinos
Quinque tamen, binos Fratres ſub lege morantes
Inſtituit propria, nullum quem ſubdita ſedi
Immediata parit tellus, ex Ordine Patrum
Murro dedit.

Nonnulla eorum Cardinalium nomina recenſet Ptolomæus Lucenſis lib. 24. cap. 29. *Fecit autem poſt hæc ad petitionem Regis unam magnam ordinationem Cardinalium, inter quos tres fuerunt de regno, videlicet dominus Landulphus de Neapoli, unus de Ordine ſuo, qui vocatus eſt dominus Thomas, tertius autem Archiepiſcopus Beneventanus, qui ante fuerat Abbas Montis Caſſini: fecit & Cancellarium Regis dominum Guillelmum de Pergamo, fecit & dominum Joannem Monachi, & Archiepiſcopum Lugdunenſem, ac Archiepiſcopum Bituricenſem, primus vocatus dominus Beraldus de Glocho, & factus eſt Albanenſis, ſecundus factus eſt Praneſtinus.* Hanc Cardinalium creationem factam eſſe à Cœleſtino Neapoli in quatuor Temporibus Septembris, ſcribunt plerique omnes poſt Ciaconium, quod neutiquam ſubſiſtere poteſt, nam Cœleſtinus Aquilæ adhuc verſabatur die trigeſimo Septembris, quo emiſit diploma in favorem Eccleſiæ S. Mariæ de Collemedio, in qua conſecratus fuerat, quod extat apud Raynaldum num. 14. Imò multum veriſimile eſt, Cœleſtinum ante menſem Novembrem Neapolim non perrexiſſe; Marius ſiquidem Vipera in Chronologia Epiſcoporum Beneventanorum, refert apud Ciaconium in antiquo Sueſſ. MS. Chronico hæc legi: *Eodem anno 1294. die 24. Octobris D. Papa Cæleſtinus venit Theanum* (ſeu Teanum) *& ſtetit ibi per octo dies, & ibi exiſtentibus ſex Cardina-*

Digitized by Google

SEC. XIII. COELESTINUS V.

libus promovit ad Cardinalatum fratrem Joannem de Caſtrocœlis Beneventanum Archiepiſcopum, poſt mortem ſcilicet Petri Aquilani, qui erat de Ordine Papæ Cœleſtini, ut ſcribit Jacobus Cardinalis lib. 3. cap. 2. ubi addit, Joannem illum Archiepiſcopum Beneventanum dictum eſſe Cardinalem à Cœleſtino *cœnam poſt*, ideſt, poſt comeſtionem, quod Cardinalium exulceravit animos. Fallitur itaque Oldoinus in Notis ad Ciaconium, inquiunt Bollandiani in Notis ad Acta S. Cœleſtini, in hoc quod Joanni de Caſtrocœlis ſuffectum velit in Archiepiſcopatum Beneventanum, Petrum Aquilanum. Rectius verò Ughellus immediate Joanni de Caſtrocœlis ſufficit Joannem alterum ex familia Capuana; Conertenſem antea in Hibernia Epiſcopum, ſexto Nonas Octobris anni 1295. uti ex Regiſtro Bonifacii VIII habetur. Porrò promotio Joannis de Caſtrocœlis in Cardinalem facta poſt cœnam, exacerbavit Cardinales; adeoque contentio exarſit, ut Joannes dignitate cedere coactus ſit, qua tamen poſtea ex antiquo titu donatus eſt, ut ait idem Jacobus Cardinalis Cajetanus. Denique hic Joannes de Caſtrocœlis dictus eſt S. R. E. Vicecancellarius, ut mox videbimus. De Archiepiſcopo Lugdunenſi vide dicenda num. XVII.

XI. *Gregorii X legem de includendis in conclavi Cardinalibus renovat.*

Poſt illam duodecim Cardinalium creationem Cœleſtinus Papa Neapolim proficiſci ſtatuit; eâ enim relatâ idem Jacobus Cardinalis ſubdit:

Addidit errato diris proceſſibus aſper
Inſuper hac Murro, quod cum ſibi Roma dediſſet
Sceptra ſui, dudumque viam ſuccinctus ad Urbem
Tenderet eximiam, Petri Paulique dicatam
Sanguine, ſubductus Carolo cœtuque ſequente
Parthenopen deflexit iter.

Neapolim ſic ab Auguſto dictam, cum priùs Parthenope diceretur, notius eſt quàm ut probatione indigeat. Sed antequam illud iter ſuſciperet Cœleſtinus, arctam illam Gregorii X decretalem de incluſione Cardinalium in conclavi vacante ſede, in Concilio Lugdunenſi II datam renovavit diplomate dato Aquilæ *X Kal. Octob.* quod extat apud Raynaldum in Addendis ad Tomum tertium. Cum autem advertiſſet, vim hujus edicti eludi poſſe à Cardinalibus, qui Peruſii exiſtentes Carolum Siciliæ Regem ſacramento adſtrinxerant, ipſum Cardinales non detenturum, ſi Pontifex in regno Neapolitano obiret, vim illius ſacramenti convulſit, & à Carolo Cardinales eo caſu in conclave adigendos ſanxit diplomate dato *apud S. Germanum XVI Kal. Novembris* apud eumdem Raynaldum ibidem. Denique diplomate dato *Neapoli IV Idus Decembris* Gregorii Conſtitutionem iterum confirmavit, ea adjecta lege, ſive Pontificis obitu, ſive voluntaria abdicatione, ſive quavis alia

alia ratione Sedes vacaret. De hujus legis innovatione à Cœleſtino V *SEC. XIII.*
facta, ita canit immediatè poſt Jacobus Cajetanus: COELESTINUS V.

Sed primitus arctam
Gregorii legem ſtatuit, quæ clauſtra ſubire
Cardineos apices juſſit, paſtore vacante
Eccleſiâ. Quando lex illa timenda receſſit
Concilii ſuſpenſa prius, renovata per iſtum.
Quam licet aſſiduo laudent vulgaria plauſu
Certa tamen verum docet experientia, grandes
Urgenteſque metus, infandaque crimina, nondum
Antiquis congeſta malis, incumbere ſponſæ.
Heu dolor, heu lachryma! patimur ſine murmure ſævum,
Quod loquimur vulnus, vulnus, miſerabile vulnus.

Verùm hæc ſcripſit Jacobus Cardinalis Cajetanus animo exulcerato propter illius decretalis renovationem. Sed non incluſis, ut mos poſtea tulit, in conclavi Cardinalibus, diuturna interpontificia magno Eccleſiaſticæ rei detrimento conſecuta, experimento compertum eſt. Ea tamen innovatio etiam irrita fuiſſet, ſi eam Bonifacius VIII, Cœleſtini V ſucceſſor non confirmaſſet.

XII. *Confirmat pacis conditiones inter Carolum Siciliæ Regem & Iacobum Aragonium.*

Licet Cœleſtinus paucis menſibus Eccleſiam rexerit, plura tamen geſſit, quæ ejus ſanctitatem, ac divinam qua excellebat ſapientiam redolent. Et primò quidem cum animadverteret turbidos Siciliæ motus maximam cladem religioni invexiſſe, ſecumque Syriæ traxiſſe exitium, primas curas convertit ad reſtituendas priſtino ſtatui res Siculas. Eam in rem, agitatam à Carolo II Siciliæ Rege & Gallis fœderatis cum Jacobo Aragonio de pace actionem firmavit, ſuiſque diſtinctas capitibus ſingulas pactiones ſanxit diplomate, quod ſicuti & quædam alia mox memoranda è tabulario MS. Vaticano deſcripſit Raynaldus in Addendis ad Tomum 3. Ex eo conſtat Cœleſtinum decreviſſe, non aliter Jacobo Aragoniæ & Valentiæ regnorum ac Barcinonenſis comitatûs jura reſtitutum iri, quam ſi bellicos tamdiu labores ſubiret, donec Siciliæ inſula in Caroli II poteſtatem redacta eſſet: ex qua re triſtia bella, quæ Eccleſiam diutiſſime concuſſerunt, in ſuo fomite præfocata fuiſſent. Diploma illud *datum eſt Aquilæ per manus Joannis Archiepiſcopi Beneventani S. R. E. Vicecancellarii Kalend. Octobris, Indictione VII, anno domini MCCXCIV, Pontificatûs domini Cæleſtini Papæ V anno I.* Eſt is Joannes de Caſtrocœlis ab eodem Cœleſtino dictus Cardinalis & S. R. E. Vicecancellarius, de quo mox egimus.

XIII. *Decimas Galliæ & Angliæ Siciliæ Regi concedit.*

Ceterum Cœleſtinus meditans fidelium arma in Saracenos convertere, & religionem in Syria inſtaurare, prius debellandam eſſe Siciliam prævidebat, ideoque ut Siculos ad officium reduceret, ſubſidiarius Galliæ & Angliæ decimas in bellicos ſumptus Carolo Siciliæ Regi attri-

SEC. XIII. COELESTINUS V.

buit diplomate dato *Aquilæ VI Nonas Octobris*, *Pontificatus anno I*, quo conceptum animo ex Terræ ſanctæ ſervitute dolorem candide expreſſit: *Cenſentes conſentaneum rationi*, inquit, *ut pro ipſa inſula & Terra ſancta per conſequens eripienda de faucibus odientium dominum, ac poteſtate & violentia detentorum Chriſti patrimonium ad ipſius inſulæ ſubſidia requiramus.* Deinde decimam omnium Eccleſiaſticorum redditunm in toto regno Franciæ per quadriennium, & in regno Angliæ per unum annum, dicto Regi Siciliæ, in ſubſidium recuperationis præfatæ inſulæ, ac pro defenſione alterius partis ejuſdem Regni Siciliæ, peculiaris Patrimonii Romanæ Eccleſiæ, quæ continuis & violentis incurſibus vexatur ab hoſtibus, auctoritate Apoſtolica concedit.

XIV. *Iacobum Aragonium monet, ut conventa cum Siciliæ Rege impleat.*

Nihilominus Sanctiſſimus Pontifex, ut conventa inter Carolum Regem & Jacobum Aragonium ad exitum perduceret, Epiſcopum Valentinum & Boniſacium de Calamandrano generalem præceptorem Hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani in partibus ciſmarinis, mediatores tractatus ejuſdem ad Jacobum Aragonium deſtinavit, eumque literis datis Sulmonæ *VIII Idus Octobris* monuit, atque hortatus eſt, quatenus ad conſummationem proſperam tractatûs illius, ſolerter inſiſteret; adjiciens ſe illum tractatum acceptabilem ac gratum habere, præcipue contemplatione Terræ ſanctæ, cui per regnum Siciliæ opportuna ſuffragia poterant provenire. Hæc ſincerè agebantur à Cœleſtino, quæ, poſtquam à Pontificatu abiit, variis intricata anfractibus & confuſa fuerunt. Quia verò idem Jacobus Aragonius vetitas canonicis legibus nuptias cum filia Sancii Regis Caſtellæ contraxerat, Cœleſtinus eum ad eas diſſolvendas, intentato divini numinis terrore, urſit aliis literis poſtridie ad ipſum datis *VII Idus Octobris*, quas omnes refert Raynaldus laudatus.

XV. *Pio Minoritæ concedit ut S. Ludovico Minores Ordines conferat.*

Carolum Siciliæ Regem in Aragonia captivum anno 1187. pro libertate recuperanda tres filios Aragonio dediſſe obſides diximus in Pontificatu Nicolai IV. Horum filiorum unus erat Ludovicus, qui Barcinone ubi detinebatur adhuc tempore Cœleſtini V ſanctitatis ſuæ radios fundebat; qui cum deſideraret in Clericali habitu Domino famulari, petiit ab eodem Pontifice, ut frater Franciſcus de Apta Ordinis fratrum Minorum ſibi primam tonſuram & omnes Minores ordines conferret, quod & obtinuit literis à Cœleſtino datis, quæ quidem non extant, ſed quarum mentio eſt in aliis ejuſdem Pontificis, quibus eidem Sancto Ludovico Archiepiſcopatum Lugdunenſem concredit, quarum hoc eſt initium: *Dilecto filio Ludovico nato chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris. Cum deſideres in Clericali habitu Domino famulari, nuper ad tua ſupplicationis inſtantiam dilecto filio fratri Franciſco de Apta Ordinis fratrum Minorum, quod tibi, qui apud hoſtes Eccleſiæ detineris ut obſes, primam tonſuram & omnes Minores Ordines conferre valeat,*

Digitized by Google

valeat, per alias literas noſtras conceſſimus facultatem. Epiſtola Data eſt *Sulmonæ VII Idus Octobris Pontificatûs* Cœleſtini *anno I.* Quis fuerit ille Franciſcus de Apta Ordinis Minorum, cui tam ſingulare privilegium conceſſum eſt, non legitur apud Wadingum, qui id ſcire non potuit, iſtæ enim literæ in lucem prodierunt anno tantum 1651. operâ Odorici Raynaldi. Pronum eſt autem exiſtimare, illum Franciſcum de Apta, urbe Epiſcopali hujus Provinciæ Phocenſis, eſſe Franciſcum Brun, ſive Bruni, ſocium & familiarem ejuſdem Sancti Ludovici, qui teſtis nominatur in Teſtamento ejuſdem ſancti apud Brinoniam anno 1297. die 19. Auguſti condito, & quo eidem Franciſco Brun S. Ludovicus partem ſuorum librorum legat his verbis: *Omnes autem libros meos lego fratribus Petro Scarrerii & Franciſco Bruni ſociis & familiaribus meis, inter ipſos æqualiter dividendos, propter plura grata ſervitia, quæ ab ipſis longo tempore recolo ſuſcepiſſe.* Nullus enim alius Franciſcus Minorita hoc tempore reperitur, qui Sancto Ludovico Minores Ordines conferre potuerit, præter iſtum Franciſcum Brun, vel Bruni, qui ideo Aptenſis fuit. SEC. XIII. COELESTINUS V.

XVI. *Hic Minorita erat Confeſſarius S. Ludovici.*

His ſcriptis percurri Epitomen Annalium Wadingi à Franciſco Haroldo ejuſdem inſtituti Romæ anno 1662. curatum, qui ad annum 1295. num. 1. de ſuo addit (nihil enim tale habet Wadingus) Sancto Ludovico hoc tempore *Confeſſarium fuiſſe Fr. Franciſcum de Apeâ, Caroli genitoris ſucellanum* docere *Regia ſcrinia Neapolitana.* Quare non dubitavi quin iſte Franciſcus de Apta fuerit Confeſſarius ejuſdem ſancti, & quin Haroldus male legerit, *de Apea*, cum legere debuiſſet *de Apta*, ut in literis Cœleſtini V laudatis habetur; nulla enim civitas, nullum oppidum reperitur *Apea* nomine indigitatum. His tamen opponi poteſt, Franciſcum illum fuiſſe *de Apta* dictum, non quod Aptenſis fuerit, ſed quod ejus cognomen fuerit *de Apta*: quæ conjectura fulciri poteſt ex teſtamento S. Elzearii de Sabrano, non multo poſt, anno nempe 1317. Toloni condito die 18. menſis Julii in eo enim legitur: *Item legamus domino Franciſco de Apta militi noſtro de Cucurono* &c. ubi Franciſcus à cognomine familiæ dicitur *de Apta*, ut ex ſe patet. Certè omnes ferè Minoritæ hoc tempore, non à loco, in quo nati erant, vel in quo morabantur, ſed à cognominibus deſignabantur, ut legere eſt in laudatis SS. Ludovici & Elzearii Teſtamentis, in quorum priori nominantur Franciſcus Brun, vel Bruni, Petrus Scarrerii & Raymundus Gaufridy; in poſteriori verò Sanctus Elzearius legat *Fratri Raymundo Vitalis de Ordine Fratrum Minorum, & Fratri Philippo Antiquiri ejuſdem Ordinis, decem libras reforciatorum.* Quare hæc ultima conjectura priori videtur præferenda. Hæc paulò fuſius contra morem ſunt diſcuſſa ad illuſtrationem Annalium Ordinis noſtri. Ceterùm fa-

cultitis Minores Ordines miniſtrandi, alicui ſimplici Sacerdoti, non Abbati ab aliquo Romano Pontifice conceſſæ, aliud exemplum non inveni.

XVII. *Cœleſtinus S. Ludovico Archiepiſcopatus Lugdun. adminiſtrationem tribuit.*

Sed, ut ad Cœleſtinum Papam redeam, hic Pontifex iiſdem literis confirmat Sancto Ludovico admiſtrationem Eccleſiæ Lugdunenſis, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quem jam antea ejuſdem Eccleſiæ Gubernaculis admoverat; ait enim in laudatis literis: *Ea propter licet ob locorum diſtantiam, qua ſepararis à nobis, brevitatem temporis, quo prædicta conceſſimus, adhuc nequiveris Ordines prædictos aſſumere; tamen quia in eſſe videntur quodammodo qua fieri ſperantur in brevi, tuum honeſtum & ſalubre propoſitum gratioſius proſequentes, procurationem Lugdunenſis Eccleſiæ vacantis tunc per promotionem venerabilis fratris noſtri Remundi Epiſcopi Albanenſis, nuper ad apicem Cardinalatûs aſſumpti, olim ipſius Eccleſiæ Archiepiſcopi (quamquam tonſuram & Ordines ipſos nondum receperis) ac adminiſtrationem ipſius in ſpiritualibus, & in temporalibus tibi fiducialiter duximus commendandam, & recipere & habere valeas juxta formam aliarum literarum tibi proinde conceſſarum, auctoritate præſentium de certa ſcientia & ſpeciali gratia indulgemus.*

XVIII. *Cauſas exponit quibus ad id motus eſt.*

Literæ, quas Cœleſtinus jam antea à ſe datas dicit, ſunt illæ quas dederat *in monaſterio S. Spiritûs prope Sulmonam Nonis Octobris*, quarum partem recitat ibidem Raynaldus, & quibus Cœleſtinus exponit graviſſimas cauſas quibus motus eſt, ad eumdem Sanctum Eccleſiæ Lugdunenſi præficiendum, non modo ex illius virtutibus, verum ex ipſius etiam Eccleſiæ anguſtiis petitas, cum à vicinis magnatibus opprimeretur inique & tanti Principis clientela in priſtinum ſplendorem aſſerenda putaretur: *Attendentes*, inquit, *claritatem excellentis Generis, eminentiam luminoſæ ſcientiæ, venuſtatem morum, & multiplicia dona virtutum, quibus clarere dignoſceris: depreſſum quoque ac laceratum ſtatum majoris Eccleſiæ Lugdunenſis, quæ per vicinorum potentum injurias & preſſuras gravem diminutionem ſuorum jurium & facultatum amaris fletibus ingemiſcit; quodque per tui tuorumque favoris auxilium Eccleſia ipſa, concedente domino, reparabit prætacta diminutionis incommoda, & votiva recipiet reſtitutionis augmenta*, &c. Hanc Cœleſtini nominationem à Bonifacio VIII fuiſſe reſciſſam ſcribit Raynaldus ibidem, ubi etiam addit, S. Ludovicum poſtea Subdiaconum & Sacellanum ejuſdem Bonifacii ſingulari demiſſione egiſſe, conſtare ex Epiſtola Bonifacii 107. in eodem MS. Vaticano. Ex his porrò omnibus conſtat, deceptum eſſe Wadingum cum ſcripſit ad annum 1295. num. 5. Sanctum Ludovicum Minoribus Ordinibus eo anno initiatum præſente Jacobo Aragonio, & Carolo Rege genitore, qui tamen anno 1295. Romæ erat, ut infra videbitur. Conſtat ſecundò, vel hallucinatos eſſe etiam Ptolomæum Lucenſem, & poſt eum Ciaconium, ſcribentes, Archiepiſcopum illum Lug-

SEC. XIII. COELESTINUS V.

Lugdunenſem, qui à Cœleſtino V dictus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, fuiſſe Berardum de Gout, vel de Glocho, cum Cœleſtinus illum diſertè vocet *Remundum* Epiſcopum Albanenſem, *nuper ad apicem Cardinalatûs* aſſumptum, per cujus promotionem vacabat Eccleſia Lugdunenſis: vel potius, hunc Cardinalem binominem fuiſſe, dictumque Remundum Berardum de Gout. Certè plures extant bullæ Bonifacii VIII anno 1297. datæ in quibus vocatur Berardus Albanenſis Epiſcopus.

XIX. *Cœleſtinorum Ordinem cujus erat fundator, confirmat.*

Cœleſtinus, quem ab incunte ætate vitam eremiticam, aſperamque in monte Murronis ſectatum eſſe diximus, in eremo Magellana in Apulia Eccleſiam Sancti Spiritus & monaſterium conſtruxerat ſub Regula Sancti Benedicti, ibique Congregationi ſuæ initium dedit. Cum verò intellexiſſet Gregorium decimum in Concilio Lugdunenſi plures Ordines recens inſtitutos reprobaſſe, Lugdunum pedes abiens, confirmationem ſuæ congregationis, cognita auctoris probitate & ſanctitate, facili negotio obtinuit, eamque multis aliis monaſteriis, aut reparatis, aut recens extructis dilatavit ſub nomine congregationis Sancti Damiani, quæ tamen poſt hæc *Cœleſtinorum* dicta eſt ab ejus Pontificali nomine. Hanc congregationem Cœleſtinus ipſe Pontifex confirmavit, multiſque & maximis auxit prærogativis, ut tutius rebus divinis ſui vacarent, cujus diploma typis cuſum eſt in Bullario in Cœleſtino V. Poſtea Bonifacio VIII mortuo, Benedictus XI ejus ſucceſſor eamdem congregationem ſub ſedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepit, cum nonnullarum gratiarum elargitione, ut conſtat ex ejus diplomate, quod extat etiam Bullarii Tomo 3. in Appendice.

XX. *Indicatur minus aptus regendo Pontificatui.*

Sed interea exaſperatis Cardinalium animis, tum propter promotionem Archiepiſcopi Beneventani, tum propter renovationem Conſtitutionis Gregorii decimi, tum quod Cœleſtinus eamdem ſervaret vitæ normam, auſteritatemque, in qua tot ante annos fuerat maceratus, paucis extrinſecus dignitati conceſſit; rebuſque gerendis parum exercitatus, ex nimia in omnes facilitate, bona Eccleſiæ inconſultè effundere videretur, etiamque diverſis eadem concederet, ac proinde Eccleſiæ univerſali regendæ minus idoneus exiſtimaretur: his de cauſis, & quod etiam ipſos Cardinales reſecatis ſuperfluis ad ſtrictioris obſervantiæ formam reducere cuperet; de abrogatione ejus primùm ſecreta, deinde publica cœperunt haberi colloquia, incentore potiſſimum, ut volunt, Benedicto Cardinale Cajetano, viro ſagaciſſimo, qui pro auctoritate, quam apud Cœleſtinum, dexteritate ingenii obtinuerat, ut ſcribunt Blondus, Platina & alii, ſpe adipiſcendæ dignitatis, ſpecieque detrimenti, quod ex cunctatione Eccleſia Dei captura foret, eumdem ſatis propria ſponte ad ſarcinam deponendam pronum, rem quam maxime accelerare compulit: *Dominus Benedictus cum aliqui-*

bus

SEC. XIII. COELESTINUS V.

bus Cardinalibus Cœleſtino perſuadet, ut officio cedat, quia propter ſuam ſimplicitatem, licet ſanctus vir & vita magni foret exempli, ſæpius adverſis confundebantur Eccleſiæ, in gratiis faciendis, & circa regimen orbis, inquit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 24. cap. 33. Quod autem ſunt, qui ſcribant, eumdem etiam Benedictum Cardinalem, vel per ſe ipſum, vel per alios immiſſos ſubornatores noctu clanculum dimiſſa per arundinem quaſi cœlitùs voce Cœleſtinum monuiſſe, ut ſi ſalvus fieri vellet, Pontificatu abiret; merito id rejicitur à Spondano, cum apud nullum Antiquorum inveniatur; quare putat id proveniſſe ex famoſis libellis in ipſum Benedictum poſtea Pontificem per orbem ſparſis à Cardinalibus Columnenſibus ab ipſo depoſitis. Neque enim, addit, his vaframentis opus habuit Cœleſtinus vir ſanctus ad onus deponendum, quod invitiſſimè ferebat: nec etiam credendus eſt adeo rudis fuiſſe in diſcernendis ſpiritibus, ut his ſe deludi paſſus eſſet, qui cum angelis Dei frequenter converſabatur & ſpiritu prophetico donatus erat.

XXI. *Abdicat conſtitutione ea de re edita.*

Sic igitur Cœleſtino perſuaſo, idem, obnitente nequicquam Carolo Siciliæ Rege, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis, qui præſens aderat Hiſt. Eccleſ. lib. 24. cap. 31. ac populum inducente, ut etiam celebratis proceſſionibus & ſupplicationibus, nullum ſe alium Pontificem velle conclamaret; facta conſtitutione, quæ extat *cap. quoniam de renunc. in 6.* licere Pontifici abdicare ſe dignitate, pridie Idus, ut habet Petrus de Alliaco, vel potius ipſis Idibus Decembris, ut Jacobus Cardinalis Cajetanus, & Bonifacius VIII ejus ſucceſſor in literis encyclicis de ſua electione datis, ſcribunt, ibidem Neapoli in publico Cardinalium conſeſſu, abdicationem ſuam his verbis ex ſcripto expreſſit: *Ego Cœleſtinus Papa quintus motus ex legitimis cauſis, idest cauſa humilitatis & melioris vitæ & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ, & ut præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem; ſponte ac liberè cedo Papatui, & expreſſè renuncio loco & dignitati, oneri & honori; dans plenam & liberam facultatem ex nunc ſacro cœtui Cardinalium, eligendi & providendi duntaxat canonicè Univerſali Eccleſiæ de Paſtore.* Statimque depoſitis ornamentis Pontificiis ad Cardinalium pedes conſedit. Exiſtimatum eſt autem Benedictum Cajetanum Cardinalem, qui, ut Ptolomæo Lucenſi narravimus, dignitatis Pontificiæ deponendæ præcipuus ſuaſor extiterat, hujus ſcripti fuiſſe auctorem.

XXII. *Laudatur hoc ejus facinus.*

Inſuetum facinus, quo, ut ait Jordanus MS. in Bibliotheca Vaticana, Cœleſtinus *præbuit humilitatis exemplum ſtupendum cunctis, imitabile paucis*, quodque revera nemo hactenus imitatus, nec forſan imitaturus eſt, non defuerunt qui damnarent; abdicationem illam in degeneris & abjecti animi vitium conferentes, licet alii in tranquillitatis ſtudium,

dium, alii in humilitatis Chriſtianæ amorem retulerint; Bernardus verò Guidonis in Chronico Romanorum Pontificum, eam majori admiratione dignam, quàm ejus electionem fuiſſe affirmat. Ne autem quis male ipſum Pontificatu abiiſſe arbitraretur, non minus poſtea miraculis effulſit Cœleſtinus quam antea, Petrus enim de Alliaco in ejus Vita apud Papebrocium ad diem XIX Maii lib. 2. in fine cap. 2. narrata ejus abdicatione, ſcribit: *O humilitas ſingularis! rara utique, ſed ideo meritò pretioſa, non ſolum in cœlo ſublimibus pretiis exaltata, ſed etiam in terris ſingularibus extollenda præconiis. Unde ut inter executionem hujus facti & ipſius laudem & admirationem, nulli dubio mentis judicio fluitarentur, miraculum, quod prima die poſt ejus renunciationem dominus per eum facere dignatus eſt, certum indicium fuit. Nam cum poſt ejus Miſſam quidam claudus membris contractis ſe ſe ad pedes ipſius proſterneret, accepta ab eo benedictione, ſanus erectus eſt: quod profectò non fieret, ſi quod ab eo geſtum erat, tanquam indignum dominus reprobaret. Erubeſcant itaque qui huic humilitati ſuperbè detrahentes, temerariè dicere auſi ſunt, hoc non ex virtute, ſed ex vilitate animi proceſſiſſe.* Eamdem abdicationem commendarunt Franciſcus Petrarcha lib. 2. de Vita Solitaria ſect. 3. cap. 18. Ptolomæus Lucenſis laudatus cap. 35. Sanctus Antoninus & alii, & ante eos Clemens V eam, ut heroicæ virtutis exemplum commendavit in bulla ejus canonizationis.

SEC. XIII. COELESTINUS V.

XXXIII. *Cœleſtinus hilaris ad eremum redit.*

Poſt Cœleſtini abdicationem, die undecimo, in vigilia ſcilicet Natalis Dominici, Benedictus Cardinalis Cajetanus Summus Pontifex renunciatus eſt ſub Bonifacii VIII nomine, qui cum virum ſanctum tradere cuſtodiæ meditaretur, ille fugâ ſolitudinem repeiiit. Id nos docet idem Jacobus Cardinalis libro primo de canonizatione S. Cœleſtini, ubi ſcribit, Bonifacium tentaſſe Cœleſtinum Romam ducere:

At ſummum ſortitus erat Bonifacius inde
Culmen Apoſtolicum, celebri provectus honore
Aſſenſuque Patrum, ſacram & ſacrandus ad Urbem
Accelerabat iter; monitis hunc ducere tentans,
Quem purum ſanctumque putat. Sed callida purum
Ne capiat fraus docta timens, ſucceſſibus ardens
Efficitur nam mane volens diſcedere Præſul
Parthenope, petiiſſe fugam precedere juſſum
Comperit.

In Præfatione verò ad Poëma de Actis S. Cœleſtini part. 2. cap 11. apud Bollandianos ait de Bonifacio: *Qui humane cedentem tractans, eum ſecum ad Romanas, vel Campaniæ partes ducere tentabat; cavens ne ſibi Eccleſiæve, aliquorum calliditate, periculoſum aliquid viro ſimplici ſuaderetur: ſed tamen ſua in tempus fruſtratur opinione. Nam die feſti Circumciſionis* (ſeu die prima Januarii anni 1295.) *ejuſve craſtino, Neapoli Ro-*

SEC. XIII. COELESTINUS V. *Romam aggreſſurus iter, præmiſſum, ſuas celantem vias, Murronem, ejus inſciis cuſtodibus, divertiſſe comperit. His Bonifacius cautè anxius, nec cœptum iter proſequi, nec latitantem, ac ſi e,us rei nil advertiſſet* [*inveſtigare*] *deſtitit.* Petrus de Alliaco in Cœleſtini Vita lib. 2. cap. 3. apud eoſdem Bollandianos refert etiam, ſanctum virum, *illo honore maximo, velut onere mortifero depulſo, ad ſuave jugum Chriſti, in priſtina ſolitudine ferendum* lætum *redire* ſategiſſe. *Sed quam indignum his*, ſubdit, *tam dignis meritis ac moribus ſuis procellam exceperit, audiamus.* Ait poſtea Cœleſtinum à Bonifacio, *quem ſibi ſucceſſurum prædixerat*, licentiam redeundi ad cellam ſuam humiliter pedibus ſuis proſtratum poſtulaſſe, ſed Bonifacium *terribilibus ei verbis* negaſſe; *timebat enim*, inquit, *ne forte vir ſanctus à devoto ſibi populo tanquam Summus Pontifex coleretur, maxime quia in dubium vertebatur, utrum ipſe Papatui reſignare potuerit.* Ipſe nihilominus *vir ſimplex ac rectus à Neapoli clandeſtinè fugiendo* abſceſſit, ut propoſitum quod ante renunciationem diſpoſuerat, impleret, Deo pacificè ſolitarieque deſerviendo, & *ne vel ipſe, vel alius hanc fugam inobedientiæ aut alterius culpæ ream eſſe crederet*, Deum per eum miraculum facere dignatum eſſe; nam cum in via mulier quædam filiam ſuam ambabus manibus paralyticam ei præſentaſſet, ille *compatiens ſanctæ crucis ſignum fecit, & ex illa hora ſubito ſanata, perfectum manuum ſuarum uſum recepit.* Poſt hæc verò ad cellam ſuam tandem pervenit.

XXIV. *Ad Bonifacium VIII ducitur, & in arce Fumonis recluditur.*

Bonifacius audiens virum Dei abſque ſua licentia diſceſſiſſe, timuit eum non ad cellam ſuam, ſed ad alium migraſſe locum, ad Papatum, cui renunciaverat, reſumendum; ideoque miſit, qui rogarent, ut citò ad Papam rediret, ne ejus indignationem incurreret; ipſe verò ſupplex oravit, ut Summus Pontifex eum in ſolitudine pacificè vivere permitteret, pollicitus ſe nulli hominum, niſi ſolis ſuis fratribus locuturum. Sed cum nuncius qui diſceſſerat Apoſtolicas literas accepiſſet, quibus jubebatur, ut virum ſanctum abſque mora etiam involuntarium reduceret, abſcondit ſe & fugit ad partes Apuliæ in obſcuram ſilvam, ubi quidam ſervi Dei habitare dicebantur. Sed cum ab omnibus, etiam ab iis, qui nunquam eum viderant, agnoſceretur; & tempore Quadrageſimæ ad eum locum ſuperveniſſent, qui eum captivum ducere volebant, inde abire compulſus eſt, & mare tranſire diſpoſuit. Poſtquam per quindecim milliaria navigaſſet, ad terram iterum impellitur, & juxta civitatem, cui nomen Veſtia, vulgò *Vieſti*, vel *Vieſte*, in extimo cornu Japygiæ, quæ hodie Capitanata dicitur, Anagnia circiter 160. paſſuum millibus diſtantem applicuit, ubi Præfectus Urbis eum captivum detinuit, & Papæ intimavit. Rex Siciliæ tunc Romæ degens, mandatum accepit à Papa, ut de regno ſuo eum ad ſe venire, & ſecurè

curè ac celeriter duci faceret. Cum Romam duceretur, multi ei ſuadebant, ut ſe Papam faceret nominari, dicentes eum de jure non potuiſſe renunciare Papatui. Ipſe verò, licet ſuper hoc ſæpius interpellatus, firmus in propoſito perſtitit, aſſerens id, quod juſtè fecerat, etiamſi non feciſſet, voluntariè ſe eſſe facturum. Refert poſtea Petrus de Alliaco Cœleſtinum Anagniam ductum, in quadam domo prope cameram Papæ arctiſſimè recluſum eſſe, indeque miſſum ad caſtrum Fumonis, in quo diu noctuque ita tenebatur arctatus, ut nulli hominum ad eum patere poſſet acceſſus. *Erat enim*, inquit, *tanta ipſius turris arctatio, ut vir ſanctus ubi habebat pedes dum miſſam celebraret, ibi caput reclinaret, dum dormiendo quieſceret.*

SEC. XIII. COELESTINUS V.

XXV. *Ibidem ſanctè moritur.*

Sed hæc & alia, quæ Petrus de Alliaco in Bonifacium ſcribit, quemquam commovere non debent; quamvis enim fieri potuerit, permittente ad id virtutis exercitium Deo, ut durius hic ſanctus tractatus fuerit; id certe factum eſſe præter Pontificis Bonifacii mentem, eruitur ex præfatione Jacobi Cardinalis in Poëma de Sancto Cœleſtino, in qua part. 2. cap. 14. ita ſcribit: *Eumdem quondàm Cœleſtinum, ad Græciæ remotas tendentem plagas, ut littoribus Veſtiæ civitatis maris Adriatici inventum fortè comperit (quatenus orbis ſui Eccleſiæque diſcrimina vitaret) ſolemnioribus à ſe, Siciliæque Carolo ſecundo Rege tranſmiſſis [nunciis] conſentientem, Anagniam meare facit; blande ſuſcepit, laudemque exhibuit acquieſcenti Præſulis monitis caſtro Fumonis Campaniæ Provinciæ morari. Ubi aſſuetam ſicut prius vitam agens Eremiticam, nolens laxioribus quibus poterat uti, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, decimo quarto Kalendas Junii Catholicè, ſanctè, religioſeque defunctus, terram cœlo, calamitatem felicitate, mortem vita commutavit; Ferentini, loco ſui Ordinis Fratrum, reverenter ſepultus.* Eumdem morti ejus diem aſſignat Petrus de Alliaco, dicens eum diem fuiſſe diem ſabbati. Ex quibus diluuntur quæ durius contra Bonifacium ſcripſit idem Petrus de Alliaco. Porrò caſtrum Fumonis, vulgò *Fumone*, ſitum erat in Latio prope Alatrium, Anagnia diſtans non plus quam decem paſſuum millibus, ſed valde decepti ſunt, qui ſcripſêre, Bonifacium caſtrum illud, ſeu arcem extrui feciſſe, cum ſuperius oſtenderimus Gregorium Antipapam, dictum antea Mauricium Burdinum, ab Honorio II in eamdem Fumonis arcem deductum, ibidem mortuum eſſe.

XXVI. *Crux tempore mortis ejus in aëre viſa.*

Tempore mortis Sancti Crucem ſuper cellam, in qua ægrotabat, apparuiſſe teſtatur Petrus Alliacenſis laudatus num. 18. *Milites, qui eum cuſtodiebant in carcere*, inquit, *tam Papa, quam aliis pluribus retulerunt, quod à feria ſexta, uſque ad horam mortis ejus* (quæ accidit *ipſo die ſabbati hora veſpertina*, ut dixerat idem Auctor num. 17) *viderunt ante januam cameralæ ſuæ Crucem coloris aurei, non affixam alicubi, ſed mirabiliter pendentem in aëre. Quo miraculoſo Crucis ſigno patenter oſten-*

ſum eſt, crucem pœnitentiæ, quam ille per carnis mortificationem jugiter portaverat, domino placuiſſe. Idem aſſerit Jacobus Cajetanus Cardinalis in poëmate de canonizatione ejuſdem ſancti lib. 1. juxta correctiones Bollandianorum.

Cujus in abſceſſu rutilans in lumine parva
Crux micat inſignis. Viſa eſt vertigine verſa
Parva tamen, quia parvus erat, nam mente ſubentans
Ut magis eniteat, juſſiſque in ſingula ſubdi,
Huncque Cruci fixum mundo, mundumque viciſſim
Hunc doceat, memoremque crucis, memoremque laborum.

Bonifacium Papam audita ejus morte miſſam pro eo celebraſſe, notavit idem Cardinalis Cajetanus:

Et celebrem ſublimis Apex Bonifacius Heros
Miſſam doctus ait Romæ. Reverentia quidni?
Promeruit patris: quondam diademate fulſit
Papali, miruſque fuit virtutibus Orbi.

Idem ſcribit Petrus Alliacenſis laudatus num. 17. Bonifacius, inquit, *exequias ejus in Eccleſia Sancti Petri de Urbe cum Cardinalibus ſolemniter celebravit. Miſitque unum Cardinalem & Camerarium ſuum, qui cum omnibus Epiſcopis & plurimis Religioſis de provincia Campaniæ corpus ejus ad Eccleſiam S. Antonii de Ferentino, quam ipſe noviter conſtruxerat, honorificè tranſtulerunt, ubi juxta majus altare cum debita veneratione ſepultum eſt.*

XXVII. *Cœleſtinus poſt mortem miraculis coruſcat.*

Conſpectam Cœleſtini animam ſublimem in cœlum efferri à Roberto Salentino viri ſancti diſcipulo, qui ab eo dum ad Pontificatum vocabatur, oblatos Eccleſiaſticos honores reſpuerat, diſertis verbis refert Franciſcus Petrarcha lib. 2. de Vita Solitaria ſect. 3. cap. 18. *Animam è carcere gemino ad ſydereas ſcandentem ſedes conſpexiſſe dicitur* (Robertus) *ignarus rerum & miraculo ſtupens, atque interrogans, an ſe tum etiam ſequi, an quid aliud agere juberet? Quem ille, ut in ſolitudine perſtaret, admonuit, & ſic cœlum petens, inter verba diſparuit. Diſcipulus autem ille conſilii memor, uſque ad tempora noſtra perveniens, & dierum plenus, ante hos paucos annos poſt magiſtrum abiit, magna quidem apud ſuos ſanctitatis opinione, & mirabilium fama operum relicta.* Cœleſtinum ingentibus miraculis poſt mortem effulſiſſe aſſerit Jacobus Cardinalis lib. 3. de ejus canonizatione:

Poſt obitum ſecreta tenens cœleſtia pauper,
Dives opum, fiduſque potens, domiſque refertum,
Signa novat. Nam voce carens, linguaque tremiſcens
Quoque artu tremulus, nec firmus greſſibus, hærens
Lecticulo (quia membra fluunt, nec pacta reſiſtunt)
Ad loca reductus, miram quibus ille peregit

Vi-

Vitam eremi, zonamque patris per ſingula cinctus
Membra, jacens ſurrexit ovans, laudeſque rependit
Sanus, & ex toto morbi diſcrimina neſcit.
Sicque alius ſtandi ac gradiendi commoda ſenſus
Perdiderat, celeriſque manus & triſtius uſum:
Eccleſia recubans noctu, qua corpus humatum
Almifici Murronis erat, de mane reſurgens
Se ſanum reperit extemplò, ſeque fatetur.

Addit idem Auctor alia à ſancto viro patrata miracula, quibus permotus Clemens Papa quintus, anno poſt obitum ejus decimo ſeptimo, Chriſti milleſimo trecenteſimo decimo tertio, Sanctorum Confeſſorum Catalogo ſolemniter eum adſcripſit Avenione. Bullam canonizationis referunt Bollandiani ad diem XIX Maii, ſed in ea deſunt annus & dies factæ canonizationis, quos deſignant Bernardus Guidonis in Vita Clementis V apud Boſquetum, aliique ejuſdem Pontificis Vitæ Scriptores apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionenſium; omnes enim conſentiunt id factum eſſe apud Avenionem anno MCCCXIII, quinta die Maii in ſabbato, & Ptolomæus Lucenſis, Auctor ſecundæ Vitæ addit, Clementem mandaſſe, *ipſum vocari Sanctum Petrum Confeſſorem, quia ſic vocabatur ante Papatum, videlicet frater Petrus de Murrone. Per quod videtur dictus dominus Clemens ratificaſſe renunciationem, quia noluit ipſum vocari Cæleſtinum.* Unde Bernardus Guidonis apud Boſquetum ita habet: *Hic Clemens Papa, Pontificatus ſui anno VIII, dominica Incarnationis MCCCXIII, quinta die Maii in ſabbato, apud Avenionem canonizavit Fr. Petrum de Murrone, quondam Papam Cæleſtinum, & ſub nomine S. Petri ſanctorum Confeſſorum catalogo adnotavit; à tranſitu S. Petri anno XVII.* Aſſignata eſt autem ejus feſtivitas ad diem XIX Maii, quo ex hac vita ad immortalem tranſiit. Porrò bulla canonizationis apud Raynaldum anno 1313. num. ult. dicitur *dat. Avenion. Nonis Maii anno VIII*, eodem ſcilicet die quo in ſanctorum numerum relatus eſt. Ejus ſacrum corpus poſtea tranſlatum ad Eccleſiam Aquilani Monaſterii Collismedii in quo fuerat Pontifex conſecratus, anno 1317. die quinto decimo Februarii, ut legere eſt in Hiſtoria ejus Tranſlationis apud Bollandianos ad diem XIX Maii. XXVIII. *Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcribitur à Clemente V.*

Cæleſtini V ſeu Petri de Murrone Vitam ſcripſit, ut jam dictum eſt, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, quæ extat apud Surium & apud Bollandianos ad diem XIX Maii. Ipſe verò Cæleſtinus ſcripſit Relationem vitæ ſuæ, quam Latino ſermone Cæleſtinus Telera Sipontinus, Monachus & Abbas Cæleſtinus anno 1640. edidit Neapoli, uti etiam ejuſdem Sancti Opuſcula, videlicet de virtutibus opus quinque partibus diſtinctum. De vitiis & de hominis vanitate De exemplis ac ſimilibus moralibus. De ſententiis Patrum Eremitarum. De Miraculis XXIX. *Ejus ſcripta.*

SEC. XIII. COELESTINUS V. B. Mariæ Virginis. De cenſuris, ſeu ſummam Cœleſtinam. De ſacramentis Eccleſiæ. De decem præceptis decalogi. De præceptis Eccleſiæ. De legibus. Epiſtolas ſeptem ad varios. Formularium literarum dimiſſorialium ad ordines ſuſcipiendos. Orationes devotiſſimas viginti. Quaſdam conſtitutiones Eccleſiaſticas, quarum unâ habetur, *Licere Pontifici Romano abdicare ſe Magiſtratu.* Petrus Creſpetius Cœleſtinus aſſerit in ſermone de Sancto Cœleſtino V extare librum 1. MS. in monaſterio Meduntenſi *de perfectione Religioſorum*, quem ſe legiſſe ait. Hæc ex Ludovici Jacob Bibliotheca Pontificia.

BONIFACIUS VIII *Pontif.* CXCIII.

Anno Domini MCCXCIV.

I. *Cardinales poſt dierum X vacationem ſedis conclavi includuntur.*

CUm Cœleſtinus V tribus Conſtitutionibus, de quibus ſuo loco dictum eſt, legem de incluſione Cardinalium in conclavi poſt dies decem à morte Pontificis, confirmaſſet, edixiſſetque, ut ſive Pontificis obitu, ſive voluntaria abdicatione, ſive quavis alia ratione ſedes vacaret, hæc lex locum haberet; poſt abdicatum ab eo die decima tertia Decembris Pontificatum, Cardinales Neapoli, ubi ea abdicatio facta eſt, *die Jovis, X Kalendas Januarii*, ſeu die Vigeſima tertia ejuſdem menſis Decembris, ſe in conclavi *apud Caſtrum novum civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem frater Petrus*, ſeu Cœleſtinus V, *cum ſua reſidebat familia incluſerunt*, ut de electione Romani Pontificis tractarent, inquit Bonifacius VIII Cœleſtini ſucceſſor in literis encyclicis quas ſcripſit de ſua promotione apud Raynaldum anno 1295. num. 8. Tum itaque, ideſt in electione Bonifacii VIII, non verò, ut ſcribit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſt. in electione Benedicti XI ejus ſucceſſoris, obſervari cœpta eſt lex Gregorii X de novendie interponendo inter Pontificis prioris mortem & conventionem ad conclave pro ſucceſſoris electione. Id diſertis verbis confirmat Jacobus Stephaneſcus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum Cœleſtino & Bonifacio VIII coævus & familiaris in Papatu, lib. 1. de electione & Coronatione Bonifacii VIII cap 1.

Jam veneranda Ducum, Cleri ſtipata catervis
Turba, novum lectura patrem, convenerat aula
Regis: & excuſſo bis quino lumine Phœbi
Lege dato, Proceres obductis marmore valvis
Carcere clauduntur.

Hos

SEC. XIII. Bonifacius VIII.

Hos libros de electione & coronatione Bonifacii VIII refert idem Papebrocius in Actis SS. menſis Maii ad diem XIX in S. Petro Cœleſtino.

II. *Bonifacius VIII eligitur Papa.*

Poſtridie ingreſsûs conclavis, ſeu die vigeſima quarta Decembris, *die veneris*, ut legitur in dictis literis encyclicis, Benedictus Cajetanus tit. S. Martini Presbyter Cardinalis concordi omnium voto electus eſt in Summum Pontificem, & Bonifacii VIII nomen ſumſit, licet dicendus fuiſſet duntaxat ſeptimus, rejecto ſcilicet Bonifacio VII, quem Antipapam fuiſſe ſuo loco diximus. Eumdem diem electioni ejus adſcribit Jacobus Cardinalis laudatus in Præfatione ſui Operis, ubi & eum Bonifacium hujus nominis VIII appellat: *Extemplo, poſt hujuſmodi Cœleſtini ceſſionem die undecima, vigilia ſcilicet Natalis domini, quæ labentis tunc milleſimi ducenteſimi nonageſimi quarti anni ultimo decurrebat die* (Jacobus Cardinalis initium anni deſumit à die XXV Decembris, Natali Chriſti ſacro) *Bonifacius octavus, tunc Benedictus Cajetanus nomine, profundæ juris utriuſque ſcientiæ, longique in illis exercitii doctaque experientiæ, in Romana Eccleſia moribus veteranus, cardine etiam inſignis, in ſummum Pontificem ſcrutinio acceſſioneque eligitur.* De Bonifacio dictum eſſe à S. Cœleſtino, *Intrabit ut vulpes, regnabit ut leo, morietur ut canis*, ſcribunt Thomas Walſingamus in Eduardo I, Wernerus Rollevinck in Faſciculo Temporum, Paulus Langius in Chronico Citizenſi, aliique ejuſdem ævi, & minoris fidei Auctores; ſed hanc calumniam in odium Bonifacii adinventam exiſtimo, cum Auctores hujus temporis nihil tale habeant: unde Genebrardus in Chronico ad annum 1303. ſcribit, *illud falſo & temere uſurpatum à malevolis & Principum aſſentatoribus plerique exiſtimant, quoniam Platina, valde alioqui pronus ad notandas Pontificum maculas, nihil tale retulit, ſed nec alii, qui eorum Vitas ſcripſere.*

III. *Ejus Genus, primordia, virtutes & vitia.*

Bonifacius ante Pontificatum Benedictus Cajetanus dictus, Anagnia Campaniæ civitate, patre Luitfredo illuſtri Cajetano ſtemmate ortus, Alexandri IV ex nepte pronepos, à Martino IV primùm Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, tum à Nicolao IV Presbyter Cardinalis SS. Silveſtri & Martini tit. Equitii creatus, ac poſtmodum electus eſt in Summum Pontificem, poſtquam variis legationibus functus eſſet, quibus tanto throno præ ceteris collegis dignum ſe oſtenderat: quippe qui juris divini humanique peritiſſimus, & experientia rerum inſignis, per omnes honorum gradus ad eum pervenerit, magni animi vir, juriumque Eccleſiæ Zelator præcipuus: *Nobilis ſecundum ſeculum*, inquit S. Antoninus tit. 20. cap. 8. §. 1. *vir utique prudens & literatus, & magni animi, zelator magnus, & conſervator jurium Eccleſiæ.* Faſtûs tamen vitio vulgò notatur ab Hiſtoricis hujus temporis, è quibus Jordanus apud Raynaldum anno 1294. num. 23. poſtquam nonnulla de

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

de ſingulari illius induſtria peritiaque dixit, ſub ungit: *Sed ex hoc factus eſt faſtuoſus, & arrogans, omnium contemptuvus: unde factus Pontifex, prædeceſſorum ſuorum Nicolai & Cæleſtini gratias revocavit.* Ambitionis etiam & avaritiæ notatur à Ciaconio: *Virtutes rarò ſolas*, inquit, *ſua vitia comitabantur, improbitas, vafricies, arrogantia, audacia, multa præterea immodica ambitio & immanis avaritia.*

IV. *Operâ Caroli II Siciliæ Regis eligitur.*

Ptolomæus Lucenſis in Annalibus ſcribit, quod *licet* Bonifacius *Regem Carolum multum exaſperaſſet*, tamen *ſuis miniſteriis & aſtutiis factus eſt* non ſolum *Dominus Curiæ*, ſed etiam *amicus Regis*, & Ciaconius ait, Bonifacium noctu ad Regem acceſſiſſe, ſpemque ei feciſſe recuperandæ Siciliæ, ſi ejus operâ Pontifex eligeretur; itaque cum Cardinalibus Regem egiſſe, ut non alium eligerent. Hæc omnia ab æmulis Bonifacii fuiſſe conficta putant Bollandiani, quòd contrarium aſſerere videatur Jacobus Cardinalis lib. 1. cap. 2. de electione coronatione Bonifacii, ubi narrata ejus electione, ſubdit:

In voces modularis ſpiritus almas
Concrepat: at populus feſtinat: currere miles
Tentat in auditum, Caroli ſpes cepta precando
Defecit, miſerante Deo. Sunt iſta relatu
Digna quod & Patri, necnon ſibi præſtita noſcens
Munera ab Eccleſia, vultus avertit & ora

Quæ ſic intelligenda putant Bollandiani, ut *ſpes cepta*, ſeu concepta à Carolo, qua ſperaverat aliquem ſuæ factionis eligendum, defecerit, ideoque cum non valeret diſſimulare rancorem, vultum & ora avertiſſe. Verùm Ptolomæo Lucenſi ſuffragantur Joannes Villanius lib. 8. cap. 6. & Sanctus Antoninus qui part 3 tit. 20. cap. 8. §. 1. ſcribit: *Dominus Benedictus Cardinalis de Guatanis, qui ſatis videbatur ambire Pontificatum Romanum: propter quod dicitur ſuaſiſſe Cæleſtino de renunciatione. Sollicitus erat ad hoc procurandum cum Cardinalibus & cum Rege Carolo, non expectans quidem ſe vocari tanquam Aaron. Unde & nocte quadam cum modica comitiva, ne agnoſceretur, acceſſit ad palatium ejus, offerens ei omne auxilium Eccleſiæ in recuperatione regni Siciliæ, ſi operam daret cum Cardinalibus amicis ejus, ut Cardinales noti ejus ipſum omnino, aliis poſtpoſitis, eligerent.* Cum igitur Carolus Bonifacio electo omne genus obſequii detulerit, ipſumque Romam euntem ſecutus, coronationi ejus præſens fuerit, non videtur dubitandum, quin Bonifacius Caroli operâ ad ſummum Pontificatum evectus ſit, cum præſertim *Mattheus de Urſinis & Jacobus de Columnenſibus, qui erant capita partium Cardinalium*, addicti eſſent partibus Caroli Regis, & tamen S. Antoninus aſſerit, eos *primos* dediſſe *vocem* præfato Benedicto. Quod attinet ad verſus Jacobi Cardinalis, qui valde ſunt obſcuri, fateor mihi aquam hærere in illorum explicatione, quos ideo ſagaciori conjectatori explicandos relinquo. Li-

Digitized by Google

Licet porrò Sanctus Antoninus, verè, meo judicio, ſcripſit poſt Ptolomæum Lucenſem tunc viventem, & poſt Joannem Villanium non multò poſt ſcribentem, Bonifacium operâ Caroli Siciliæ Regis ad ſummum Pontificatum evectum eſſe; mihi tamen videtur deceptus, in eo quod ſcripſit, cum ſuaſiſſe Cœleſtino ut renunciaret, & nocte quadam acceſſiſſe ad Carolum, eique ſpem feciſſe recuperandæ Siciliæ, ſi ejus operâ Pontifex eligeretur. Nam quod attinet ad renunciationem Cœleſtini, quam ſuaſiſſe, ſcribit etiam Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſ. lib. 14. cap. 33. Regidius Romanus, dictus communiter Columnenſis, ideoque propinqua conſanguinitate attingens Columnas, non multo poſt infenſiſſimos Bonifacii hoſtes, in libro Apologetico de Renunciatione Papæ, diſerte aſſerit, Bonifacium Cœleſtino contrarium ſuaſiſſe, ſcilicet, *quòd non renunciaret.* Ejus verba adducam num. XXXI. Jacobus item Cardinalis ſæpius citatus Sancto Antonino adverſari videtur quantum ad narrationem illam de acceſſu Bonifacii noctu ad Carolum, ſcribens eum non ſine lachrymis Pontificatum acceptaſſe: SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. V. *Purgatur à calumniis.*

Lachrymans & molis ponderâ librans,
Aſſenſit geſtare jugum, jam doctus ab ante
Quis labor, & meritum cruciat quæ publica cura
Pontificem.

Et revera S. Antoninus hæc deſumſiſſe videtur ex aliqua falſa relatione, unde loquitur dubitanter, *propter quod dicitur ſuaſiſſe*, &c. Longe itaque abſuit Bonifacius ab iis criminibus, quæ inimici ei poſtea calumnioſè affinxerunt.

Bonifacius Pontifex electus, Pontificii decoris arbitratus eſt Romæ dignitatis inſignia accipere, ideoque Neapoli profectus eſt die ſecunda menſis Januarii anni 1295. ſeu in craſtino Circumciſionis Domini ut refert idem Jacobus Cardinalis Stephaneſcus ſeu Cajetanus in Præfatione ad poëma de Actis Sancti Cœleſtini part. 2. cap. 13. in Cœleſtino V num. XIII à nobis laudatus qui lib. 1. cap. 5. de coronatione Bonifacii VIII, poſtquam dixit, Pontificem Anagniæ magna pompa exceptum, ſubdit Romanos in occurſum ejus effuſos eum excepiſſe, & quidem Laterani, quæ his paucis verbis exprimit: VI. *Romam pergit, ibique conſecratur & coronatur.*

Roma velut ſponſum remeantem carcere ab hoſtis
Exceptura foret, frontem veſtita coronas
Vadit in occurſum, ludenſque excurrit in arvis
Miles, Eques: Clerusque canens ſua thura miniſtrat
Pontifici. Primum Laterani templa novellum
Suſcipiunt patrem, confeſtim Principis aula
Clavigeri Petri gaudens ſuſcepit euntem.
Hic locus, hic thalamus, ſedes quoque feſta ſacrando;

SEC. XIII. Bonifacius VIII. Quibus verbis claudit librum primum. Libro verò poſtea ſecundo conſecrationis ejus & coronationis pompam & ceremonias fuſè deſcribit; *nam à longis retroactis temporibus, nullius Romanæ urbis Antiſtitis ſic celebris, ſic præclara coronatio memoratur*, inquit in Præfatiuncula ad librum primum. Poſthæc deſcribit Ordinem proceſſionis, quæ facta eſt à Sancti Petri Baſilica ad Lateranum, quæ ex dictis in Alexandro III fiebat ſtatim poſt conſecrationem, aitque Pontificem equo albo inſedentem, Carolo II Siciliæ, & Carolo Martello ejus filio Hungariæ Regibus frænum tenentibus, frigio ſeu tiara inſignitum proceſſiſſe:

Sublimi frigio veſtitus & auro,
Cornipedemque ſedens niveum, ſub tegmine nacli
Mandentemque genis, ibat quo latior aura.
Adven'abat equo candens ad bemata bellâ
Auratâque ſuper pallâ, nam cuſpide plumâ
Cyprenſi conſuta nitet. Tunc lora tenebant
Illuſtres Gallique Duces, Caroluſque ſecundus
Rex Siculus, Caroluſque puer proleſque juventa
Floridus, Ungariæ materno à ſtipite nomen
Regis habens: dextram pater accipit, atque ſiniſtram
Filius.

Denique cap. 3. ejuſdem libri ſecundi reliquas dictæ proceſſionis & ſolemnitatis ceremonias deſcribit, quomodo Lateranum perveniens in ſede ſtercoraria collocatus fuerit, inde ad porphyreticas traductus, indeque in ſancta Sanctorum, ac tandem quomodo menſæ accubuerit, miniſtrantibus ei Regibus. Diem quidem ejus conſecrationis & coronationis non exprimit Jacobus Cajetanus, ſed eum fuiſſe diem vigeſimum tertium Januarii, qui anno 1295. concurrebat cum Dominica, deducitur ex eo quòd poſtridie, ſcilicet die vigeſima quarta ejuſdem menſis encyclicas literas de ſua promotione dederit, quæ extant apud Raynaldum num. 7. & ſeqq. datæ *Laterani IX Kal. Febr. Pontificatûs anno I.*

VII. *Poſtea inthronizatur.* Sed hic obſervandum Bonifacium, licet ante conſecrationem Laterani primùm ſuſceptus fuerit, inthronizationem tamen ſuam diſtuliſſe poſt coronationem; nam idem Cajetanus, poſtquam ſcripſit, eum poſt coronationem Lateranum perveniſſe, omnes inthronizationis ceremonias deſcribit:

En ſedes capiens de ſtercore nomen
In platea eſt circa templum, deſpecta parumper
Viſa novis, quia fœda loco: qua maximus Heros
Hoc fortaſſe die recubans, ubi primitus illic
Non fores adventu poſitus, ter miſſile jactat
In populum

Eaſ-

Digitized by Google

Eaſdem aliaſque ceremonias poſtea expreſſas ponit etiam poſt conſecrationem idem Cardinalis Cajetanus in Ordine Romani XIV, qui extat apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici. Cencius tamen Camerarius ſeculo fere integro antiquior Cajetano, in Ordine XII ibidem à Mabillonio relato, eaſdem ceremonias inthronizationis ponit ante conſecrationem, quæ *in proxima die dominica* fieri debebat in Baſilica Sancti Petri. Nulla tamen eſt inter illos duos Ordines Romanos contrarietas, nam idem Cencius Camerarius cujus verba retulimus in Cœleſtino III, ponens inthronizationem ante conſecrationem, loquitur de Pontifice Romæ electo, tunc enim inthronizatio præcedebat, & conſecratio proxima die dominica fiebat in Eccleſia S. Petri; quando verò electio fiebat extra Urbem, vel in ipſa S. Petri Baſilica, tunc conſecratio fiebat in eadem Baſilica, & poſt eam ſequebatur coronatio, ac tandem inthronizatio in Eccleſia Lateranenſi, ut idem Cencius explicat in eodem Ordine Romano pag. 213. & ſeq. Cum itaque Bonifacii VIII electio facta fuiſſet extra Urbem, nempe Neapoli, conſecratio ejus in Baſilica S. Petri præceſſit non ſolum coronationem, ut de more fiebat, ſed etiam inthronizationem, quæ ſubſecuta eſt eamdem coronationem.

SEC. XIII. Bonifacius VIII.

Alia tamen difficultas ſupereſt, cur nempe Bonifacius VIII, quem ante portam Baſilicæ Sancti Petri poſt conſecrationem Regno, ſeu phrygio redimitum pro ſua coronatione, dicit idem Cajetanus perrexiſſe ad Lateranum proceſſionaliter, ut moris erat, poſtea tamen ex eodem Cajetano lib. 2. cap. 13. Lateranum appulerit, non phrygio, ſed mitra redimitur.

VIII. *Infauſta ſigna in ejus coronatione.*

Progrediens Princeps, Lateranum ſummus in orbe
Appulit; haud frigium, mitram ſed vertice geſtans
Pondere confectus nimio.

Forſàn Cardinalis Cajetanus reticere voluit duo infauſta ſigna, quæ tunc contigiſſe, legitur apud Wadingum ad annum 1294. num. 8. quæ aliquo modo turbaſſe videntur pompam coronationis, & in cauſa fuiſſe cur Bonifacius, antequam Lateranum perveniret, depoſito Regno mitram induerit. Primum eſt, quòd incedente Bonifacio Pontificalibus induto, ſupervenerint denſiſſimæ tenebræ, ità ut videretur dies in noctem obſcuram converti, ortaque vehementi tempeſtate ventorum, lampades & cerei in Eccleſia extincti fuerint. Alterum, quòd dum egrederetur è templo, phrygio indutus, orta commotione ſeu colliſione in plebe, occiſi fuerint homines amplius quadraginta. In Alexandri autem III Vita oſtendi, Pontificem in ſua coronatione Phrygium, ſeu Regnum deponere ſolitum fuiſſe quando pervenerat ad ſedem ſtercorariam; tunc enim loco Regni ei imponebatur mitra.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

IX. *Ejus profeſſio fidei ante conſecrationem.*

Ciaconius ſcribit Bonifacium VIII omnium Romanorum Pontificum primum fuiſſe, qui fidei profeſſionem emiſerit. Hanc deſcripſiſſe ſe dicit Abrahamus Bzovius ad annum 1294. num. 11. ex codice MS. Vaticano, ſicque incipit: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis amen. Anno dominicæ Incarnationis* 1294. *indictione octava ego Benedictus Cajetanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis & Electus, ut fiam per Dei gratiam, hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ humilis Miniſter profiteor tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps*, &c. Sacramento poſtea ſe obſtringit, nunquam ſe ab Eccleſia defecturum; fidem de Deo uno & trino, deque incarnato Verbo, & quæ in Conciliis œcumenicis definita erant, ſpreto mortis diſcrimine conſtantiſſimè defenſurum: canonicas ſanctiones & Patrum traditiones, ac Pontificum decreta ſervaturum; tum ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam Cardinalium conſilio uſurum. Sic verò deſinit: *Hanc autem profeſſionem meam per Notarium & Scriniarium S. R. E. me jubente ſcriptam propria manu ſubſcripſi, & tibi beate Apoſtole Petre Apoſtolorum omnium princeps pura mente & devota conſcientia ſuper ſanctum corpus & altare tuum ſinceriter offero. Actum Romæ anno, menſe, indictione quibus ſupra notata ſunt ad plenum.* Eamdem fidei profeſſionem deſcripſit Raynaldus in Appendice ad Tomum 3. ſuorum Annalium ex MS. archivi Vaticani Nicolai Cardinalis Aragonii, ſed ubi Bzovius initio habet, *anno dominicæ Incarnationis* 1294. *indictione octava*, Raynaldus legit, *anno dominicæ Incarnationis MCCXCV, indictione VII*, & circa finem profeſſionis, ubi Bzovius legit, *filiorum meorum ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium*, Raynaldus legit, *fratrum meorum* &c. Wadingus in Annalibus Minorum ad annum 1294. num. 8. loquens de ea fidei profeſſione, quæ extat apud Bzovium, ſcribit eam ſibi non conſtare, quia anno tantum 1295. Romam pervenit Bonifacius, & indictio octava non incidit in annum 1294. quod ultimum admitti non poteſt, cum indictio octava initium ſumpſerit Kalendis Septembris anni 1294. Quare de ejuſdem profeſſionis ſinceritate dubitare videtur Wadingus. Ceterum fallitur Ciaconius dum ſcribit, Bonifacium VIII primum fuiſſe Pontificum Romanorum, qui fidei profeſſionem emiſerit, hoc enim priſtinis ſeculis non fuiſſe inſolitum, oſtendit ſolemnis formula ab antiquo recepta, quam ex codice MS. Antonii Auguſtini profert Baronius ad annum 869. & aliæ à Joanne Garnerio poſtmodùm editæ in libro Diurno Romanorum Pontificum.

X. *Commentitia videtur.*

Sed, ut ad Wadingi dubitationem redeam, magna mihi ſuſpicio eſt, eam profeſſionem fidei non eſſe legitimum Bonifacii VIII fœtum, non ſolum propter illas diſcrepantias, quæ reperiuntur in Bzovio & in Raynaldo circa annum, indictionem & alia, licet uterque eam deſcripſerit ex codice Vaticano; ſed etiam, & præcipuè ex eo quòd Bonifacius in utroque exemplari dicitur *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardina-*

Digitized by Google

dinalis & electus; cum tamen certum ſit, eum, cum electus eſt Pontifex, fuiſſe Cardinalem Presbyterum SS. Silveſtri & Martini, ut ipſemet in literis encyclicis poſt ſuam conſecrationem datis his verbis aſſerit: *Nos tunc tituli S. Martini Presbyterum Cardinalem in Summum Pontificem canonicè elegerunt*. Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium eam fidei profeſſionem ex Bzovio referens, cum ſenſiſſet difficultatem, loco horum verborum, *S. R. E. Diaconus Cardinalis & Electus*, de ſuo poſuit, *Presbyter Cardinalis & Electus*, ſed nullam hujus mutationis adduxit rationem. His addi poteſt in fine utriuſque exemplaris dici actam profeſſionem, *anno, menſe & indictione ut ſupra*, & tamen initio, menſis non eſt memoratus. Mabillonius etiam Muſei Italici Tomo I. pag. 151. refert, ſe vidiſſe in bibliotheca Capranica Romæ profeſſionem *quam fecit Benedictus Cajetanus*, poſtea Bonifacius VIII anno MCCXCIV cum gloſſa ſuper eamdem: cujus Gloſſæ auctor ait, ſe prædictam profeſſionem repeciſſe multis in locis, nempe *in diurno libro*, *& in fine Mallonis Sancti Petri, in domo Cæleſtinorum Pariſius, atque pluribus in locis in Francia*, aſſerentibus qui eam exhibebant, *quod Bonifacius Papa VIII miſerat Regi Franciæ ſcire volenti an habuiſſet ipſe introitum canonicum in Papatu. Et inter alia quæ Rex allegabat, quod ad hoc Romanus Pontifex teneretur, inducebat Epiſtolam Papæ Pelagii Gilberto* (legendum Childeberto) *Regi Franciæ pro cauſa ſimili deſtinatam.* Ita ex Gloſſatore Mabillonius. Sed Gloſſatorem in hoc falli exiſtimo; ſi enim Rex Franciæ ſcire volebat, an Bonifacius habuiſſet introitum canonicum in papatu, quo pacto hoc diſcere potuiſſet ex hac profeſſione fidei non video; cum enim Bonifacii hoſtes jactarent, Cœleſtini V abdicationem fuiſſe illegitimam, & conſequenter electionem Bonifacii nullam, ex ea profeſſione, in qua ne unum verbum de ea abdicatione legitur, certior fieri non poterat Francorum Rex Bonifacii electionem fuiſſe legitimam & canonicam: Quod tamen verè diſcere poterat ex literis encyclicis ab eodem Bonifacio ad Præſules Catholicos, Reges & Principes datis die 24. Januarii anni 1295. ſtatim poſt ſuam conſecrationem, quibus eos certiores fecit, ut Cœleſtino ſponte ob juſtas cauſas Pontificatu ſe abdicante, ceſſionemque admittente Cardinalium Collegio, communibus ſuffragiis ad ſummum Pontificatum advectus eſſet; ſed in iis literis nullum eſt veſtigium profeſſionis fidei; adjectæ ſunt tantum preces, ut divina illi præſidia ad gerendum arduum munus, moderandaque probè Eccleſiæ gubernacula piis orationibus compararent. Verum quidem eſt anno 1297. Cardinales Columnenſes plura congeſſiſſe argumenta, quibus contendebant ceſſionem Cœleſtini irritam fuiſſe, & inter alia dixiſſe apud Raynaldum in Appendice ad Tomum 3. quod *vovet Papa de facto ipſi Deo, quod curam habebit univerſaliter gregis ſui totius, ſcilicet*

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

univerſalis Eccleſiæ, à quo *voto ſolus eum Deus abſolvere poſſe videtur*: at per illud votum non intelligebant Columnenſes aliquam fidei profeſſionem, ſed tantum *vinculum obligationis inter Papatum & Eccleſiam*, quod *ſolo conſenſu contrahitur, contrario conſenſu diſſolvitur*, ut ſcribit Petrus de Palude MS. in bibliotheca Vaticana in Commentario de Eccleſiaſtica poteſtate apud eumdem Raynaldum loco laudato, in quo etiam addit, *quod omnes obligationes quæ ſolo conſenſu contrahuntur, conſenſu mutuo diſtrahuntur*; ex quibus ſequitur, nec Cœleſtinum V nec Bonifacium VIII aliquam fidei profeſſionem emiſiſſe, ut ait Garnerius in Appendice ad Notas capitis 2. libri Diurni Rom. Pontificum, ſed tantum conſenſu ſuo Pontificatum acceptaſſe. Hic porrò Petrus Paludanus juxta Labbeum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, mortuus & ſepultus eſt Pariſiis anno 1342. edid itque inter alia tractatum *de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis* impreſſum Pariſiis anno 1506. qui ſine dubio diverſus eſt ab iſto commentario de Eccleſiaſtica poteſtate MS. in bibliotheca Vaticana, quem laudat Raynaldus, & cujus aliqua fragmenta refert.

XI. *Reſpondetur rationi deducta ex exemplo Pelagii primi.*

Quod ſpectat ad exemplum Pelagii primi, ex eodem Gloſſatore à Philippo Francorum Rege adductum, illud potius conjecturæ noſtræ ſuffragatur, quàm officiat: Nam ſi Philippus Rex ſcire voluit, an Bonifacius habuiſſet introitum canonicum in papatu, debuiſſet Bonifacius ad eum mittere profeſſionem, qua oſtenderet electionem ſuam fuiſſe canonicam, ſicut Pelagius primus, qui calumnioſè accuſatus fuerat apud Childebertum Regem, quod de Incarnatione Verbi divini non perinde ſentiret ac Sanctus Leo primus, ad eumdem Regem miſit fidei ſuæ profeſſionem, qua calumniam illam diluit; quod cum non fecerit Bonifacius VIII, illa ejus prætenſa profeſſio ad Philippum Regem miſſa, inter figmenta reputanda videtur, cum ex ea ejus introitus canonicus in papatu probari non poſſet. Joannes Garnerius in Appendice ad Notas capitis 2. libri diurni Romanorum Pontificum exiſtimat, Romanos Pontifices profeſſionem fidei emiſiſſe vel ante conſecrationem, vel poſt conſecrationem per literas ſuas Synodicas uſque ad Bonifacii octavi tempora; ſed cum nullibi poſt ſeculum undecimum occurrat mentio hujuſmodi profeſſionis à Pontificibus Romanis emiſſæ, eam eodem ſeculo undecimo deſinente deſiiſſe conjectura eſt, cum iſta Bonifacii valde incerta, imò & fictitia videatur, ut ex dictis liquet, & eruitur etiam ex eo, quod eam non omiſiſſet Jacobus Cardinalis Cajetanus, ſeu Stephaneſcus, cum in duobus libris de ejus electione & coronatione, quæ Bonifacius Neapoli & Romæ egit, antequam conſecraretur, minutatim deſcribat.

XII. *Quo tempore Pontifices Rom. deſierint fidei profeſſionem emittere.*

His ſcriptis, reperi extare Epiſtolam encyclicam Urbani II de ſua electione in veteri codice quem ſe habere teſtatur Mabillonius Tomo I. Muſei Italici part. 2. pag. 42. inſcriptam, *Venerabili Salceburgenſi Archie-*

Digitized by Google

chiepiſcopo, ceteriſque reverentiſſimis Epiſcopis, Patavienſi, Vurceburgenſi, Wormatienſi, Auguſtenſi, Conſtantienſi, & venerandis Abbatibus, & glorioſſimis Welphoni E. & B. atque omnibus majoribus & minoribus. Ex ea autem conſtat, Urbanum II non emiſiſſe fidei profeſſionem à Romanis Pontificibus emitti ſolitam, ſed tantum declaraſſe ſe in omnibus Gregorii VII prædeceſſoris ſui veſtigiis inhæſurum: *De me porrò*, inquit, *ita in omnibus confidite & credite, ſicut de beatiſſimo patre noſtro PP. Gregorio: cujus ex toto ſequi veſtigia cupiens, omnia quæ reſpuit reſpuo; quæ damnavit, damno; quæ dilexit, prorſus amplector: quæ verò rata & Catholica duxit, confirmo & approbo; & ad poſtremum in utramque partem, qualiter ipſe ſenſit, in omnibus omninò ſentio.* Hoc ſolum fragmentum Epiſtolæ Urbani refert Mabillonius, qui ait, his verbis Urbanum II generalem tantum exhibere ſuæ fidei profeſſionem. Idem habet Bertoldus in Chronico ad annum 1088. Urbanus, inquit, *ſtatim inſequenti die* (nempe poſt ſuam electionem & coronationem) *miſſis literis omnibus Catholicis, & ſuam ordinationem omnibus declaravit, & ſe in omnibus veſtigia ſui prædeceſſoris piæ memoriæ Gregorii Papæ obſervaturum denunciavit.* Cum ergo ante Urbanum II non reperiatur mentio literarum encyclicarum, ſeu circularium hoc modo ſcriptarum, dici jure meritò poteſt, eas tunc ſubſtitutas fuiſſe loco, non ſolum illius profeſſionis fidei, quæ fiebat ante conſecrationem; ſed & illius quæ fiebat per literas Synodicas poſt conſecrationem. Poſtea tamen Patres Conſtantienſes profeſſionem fidei ante conſecrationem emittendam, velut antiquatam renovare velle viſi ſunt, cùm Seſſione 39. ſtatuerunt formulam, qua Summus Pontifex fidem ſuam profiteri deberet, antequam ipſius electio publicaretur. Quod idem decreverunt Baſileenſes, qui eamdem formulam *conſenſus*, ut aiunt, ſtatuerunt, addentes confeſsioni pollicitationem atque juramentum. Mabillonius quidem ibidem ex ea Epiſtola probare intendit, ſub Urbano II intermiſſum penitus fuiſſe morem mittendi decreti electionis novi Pontificis ad Imperatorem, ut confirmaretur; ſed licet verum ſit, tunc illum morem abrogatum fuiſſe, id tamen induci non poteſt ex ea Epiſtola, quia decretum electionis, quale exhibuimus in Gregorio VII, mittebatur ab electoribus Romani Pontificis ad ſolum Imperatorem, literæ verò iſtæ encyclicæ ab ipſo Romano Pontifice conſecrato mittebantur ad omnes Præſules, Reges & Catholicos, quæ ideo valdè diverſæ erant à decreto electionis, quod ab Imperatoribus confirmabatur. Quare nulla inter illud & literas encyclicas erat convenientia, quæ tamen reperiebatur inter eas & profeſſiones fidei, quas ideo eodem ſeculo undecimo abrogatas omninò exiſtimandum; Synodicam quidem, quæ mittebatur præcipuè ad Patriarchas, occaſione ſchiſmatis Græcorum per Michaelem Cerularium excitati;

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

tati ; ſymbolum verò , ſeu profeſſionem illam fidei , quæ fiebat ante conſecrationem , occaſione nobis incognita.

XIII. *Bonifacius VIII Acta Cœleſtini V deceſſoris caſſat.*

Antequam Bonifacius Romam pergeret, ut ibi conſecraretur , ſexto Kalendas Januarii anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi quarti, Neapoli adhuc exiſtens, Acta ſancti Cœleſtini deceſſoris ſui nondum executioni mandata reſcidit, ut diſertè tradit idem Jacobus Cardinalis Cajetanus lib. 1. cap. 4.

Igitur vacuata jubemus
Viribus indulta, & quæ temnens Murro Senatus
Cardineos apices tunc ſummus contulit Heros
Largituſque dedit.

Et infra :

Numine forte Dei, ſacri tunc feſta Joannis
Orbita conduxit, quibus hæc ſunt geſta, novata.

Significat Auctor hæc reſciſa die vigeſima ſeptima Decembris, quo celebratur feſtum Sancti Joannis, quove novus annus ex ſtylo Romanæ Curiæ inchoatus erat à feſto Nativitatis. Spondanus ad annum 1294. num. 8. ſcribit , Bonifacium reſcidiſſe etiam Acta Nicolai quarti nondum executioni mandata , ſed nullum teſtem ad id probandum adducit , idque à quoquam alio ſcriptum non reperi. Quo modo ſe erga ſanctum Cœleſtinum geſſerit Bonifacius , diximus ſupra in ejus Vita.

XIV. *Encyclicam de ſua promotione ſcribit.*

Cum autem quamplurimi Pontificatum Bonifacii in dubium revocarent , deque eo diſputarent , ipſe ante omnia poſt ſuam conſecrationem , nono Kalendas Februarii encyclicas ad omnes Prælatos & Principes ac univerſos Chriſtianos , more deceſſorum ſuorum , ſcripſit literas, quibus , ut jam diximus, rationem dedit abdicationis Cœleſtini , quam ex legitimis cauſis factam dicit , & à Cardinalibus admiſſam , *cum illam*, inquit , *poſſe ſic legitime fieri & primorum geſta Pontificum & conſtitutio declarent apertius , & ad eam etiam faciendam expreſſus acceſſerit Cardinalium prædictorum aſſenſus.* Deinde ſuam aſſumptionem ad Pontificatum ſignificat. Extant hæ literæ apud Raynaldum anno 1295. num. 7. & ſeqq. Poſtea , quo tempore incertum , Conſtitutionem , quam diximus à Cœleſtino factam de licita Pontificatûs abdicatione confirmavit , aliâ à ſe edita , quam inſertam voluit libro ſexto Decretalium à ſe non multo poſt compaginato , extatque nunc lib. 1. Sexti Decret. tit. 7. de renunciatione cap. *quoniam aliqui curioſi.* Ac denique effecit ut Aegidius Columna Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini doctiſſimam pro illo ſcripſerit Apologiam , quâ eum verum & legitimum Pontificem oſtendit , nec niſi neceſſitate univerſalis Eccleſiæ compulſum ea , quæ ſuperius diximus, in Cœleſtinum admiſiſſe. Inſcripta eſt Apologia illa , *de Renunciatione Papæ.*

Boni-

Digitized by Google

SEC. XIII.

BONIFACIUS VIII.

XV. *Pro pace inter Gallia & Anglia Reges, Legatos mittit.*

Bonifacius poſt ſuam coronationem rebus agendis manum admovens, primum omnium pacem inter Principes Chriſtianos diſſidentes conſtabilire ſtatuit. Eduardus Angliæ & Adolphus Romanorum, Reges, pellectis ad defectionem nonnullis Belgii Principibus in Philippum Francorum Regem, qui Jacobum Aragonium in ſocietatem traxerat, conjurarant. Bonifacius, quem Reges illos ad pacem adducendi cura urebat, Berardum Albanenſem, & Simonem de Belloloco Prænеſtinum, Epiſcopos Cardinales ad Reges Galliæ & Angliæ legavit literis datis *Laterani XII Kal. Martii Pontificatûs anno I*, quarum partem recitat Raynaldus num. 40. qui primùm in Galliam, inde in Angliam appulſuri, eos ad concordiam revocare conarentur. Quia verò audierat Adolphum Romanorum Regem in ſocietatem belli ab Anglo pecuniâ allectum, Reginum Archiepiſcopum, & Senenſem Epiſcopum ad eum nuncios mitit, qui eum ab incœpto deſiſtere, & magis pacem inter eos Reges firmare monerent; ſcriptis ad eum ea de re literis, *Anagniæ quinto Kalendas Julii* datis apud eumdem Raynaldum num. 44. ex quibus conſtat, prius legationem Adolphi à Bonifacio ſuſceptam, ad exhibendam obedientiam, & offerendam omnem promptitudinem erga ipſum & Sedem Apoſtolicam. Aliis autem literis eodem die datis, & ibidem num. 45. relatis, Bonifacius Adolphum paternè obiurgavit à majorum gloria defeciſſe, bellum, ex leviſſimis cauſis enatum, commoviſſe magis, atque exaſperaſſe; cum tamen ad pacem orbi Chriſtiano afferendam electus eſſet; quodque maximum ipſi dedecus inureret, ad movendum Chriſtiano Principi bellum mercede conductum fuiſſe; tandemque hortatus eſt, ut ſuſcepta in Galliarum Regem perverſa conſilia deponeret, Sediſque Apoſtolicæ ſtudia non abalienaret. Ut autem pacis negotium tantò efficacius promoveretur, ſcripſit pariter ad Archiepiſcopos Moguntinum, Trevirenſem & Colonienſem, ut ad id diligenter incumberent. Sed pios omnes illos conatus irritos fuiſſe conſtat, tam ex bello inter prædictos Reges poſthàc continuato, quàm ex Auctoribus ac præcipuè Anglis, quorum teſtimoniis conſtat, prædictos Cardinales Legatos, cùm apud utrumque Regem permulta de pace in medium adduxiſſent, ad extremum videntes inſediſſe in eorum animis, conceptum odium explere armis, infecto negotio Romam rediiſſe.

XVI. *Pacem ſancit inter Siciliæ & Aragoniæ Reges.*

Verùm Bonifacius, ut erat à multo rerum uſu, & magnarum artium diſciplinis inſtructus, feliciorem ſucceſſum conſecutus eſt in tractatu pacis ab ipſomet inter Francos & Aragonios, de rebus Siculis multis annis ſanguinolenter contendentes, toties à ſuis prædeceſſoribus fruſtrà tentato, hoc ipſo anno 1295. Pontificatûs ſui primo Anagniæ concluſo, quo Carolus II Siciliæ Rex, Franci & Aragonii Legati, viri ex utraque parte Principes ad Pontificem convenerunt. Pacis leges hæ fuêre:

Digitized by Google

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

Ut reſciſſis pactis nuptiis inter Jacobum Aragonium & Iſabellam, Sanctii Caſtellæ Regis, qui hoc eodem anno ſeptimo Kalendas Maii Toleti obiit, filiam, propter conſanguinitatem, Blancam Caroli Regis filiam Aragonius duceret, cum dote ſeptuaginta millium argenti pondo: Univerſa Sicilia & quidquid Aragonii in Brutiis & citra pharum occupaſſent, ad jus Eccleſiæ Romanæ rediret: Si recuſarent Siculi obedire, Aragonius ſubminiſtratis adverſus eos copiis rem juvaret: Carolus Valeſius Regis Francorum frater jure penitus cederet regni Aragonii à Martino IV ſibi olim collato: Quæcumque perſonæ locave his controverſiis interdicti aut anathematis ſententiæ ſubjecuiſſent, ea religione à Pontifice exſolverentur: Obſides tandem filii Caroli Regis libertati darentur. Narrant iſta Surita Indic. lib. 2. Mariana lib. 14. cap. 17. Fazellus lib. 2. decad. 3. cap. ?. Auctores Hiſpani & Siculi, extantque de prædicto fœdere literæ Bonifacii menſe Junii datæ, plurimæque aliæ ſpeciatim ad ſingulos quorum intererat ſcriptæ, inquit Spondanus. Jordanus MS. in bibliotheca Vaticana de hoc fœdere ſcribit apud Raynaldum: *Pro cujus pacis obſervantia firmiori, inter ipſum Jacobum, & dominam Blancam ipſius Caroli II filiam, interque Robertum ejuſdem Caroli primogenitum, & jam dictam dominam Yolendam ipſius Jacobi ſororem matrimonia ſolemniter ſunt contracta.*

XVII. *Siciliæ regni adminiſtrationem Mariæ Reginæ defert poſt mortem Caroli Martelli filii.*

Cum autem Jordanus hoc ipſo tempore vivens vocat Robertum Caroli II primogenitum, duo ex hoc eruuntur: primum, Sanctum Ludovicum ejuſdem Caroli II filium ſecundo genitum jam juri primogenituræ renunciaſſe & Clericalem tonſuram accepiſſe, ut diximus in Cœleſtino V: ſecundum, Carolum Martellum omnium Caroli II filiorum natu maximum, Hungariæ Regem jam fuiſſe defunctum, ideoque corrigendos Spondanum ad annum 1296. num. 7. Boucheum in Hiſtoria Provinciæ & alios, ſcribentes Carolum Martellum tunc fuiſſe in Hungaria, ubi tamen ob partem Andreæ haud pacifice rerum potiri potuit. Caroli enim Martelli mortem contigiſſe menſe circiter Junio exeunte anni 1295. Neapoli, eo tempore quo Carolus II pater è regno Siciliæ diſceſſerat, & in Gallias venerat, ut ad exitum perduceret fœdus cum Aragonio initum, conſtat ex Epiſtola Bonifacii Papæ, datâ *Anagniæ III Kal. Septembris anno I*, apud Raynaldum num. 19. qua Mariæ Reginæ Siciliæ Caroli Martelli matri procurationem regni Siciliæ detulit, propter mortem ejuſdem Caroli Martelli, & abſentiam Caroli II Regis: *Pridem*, inquit, *non abſque gravi noſtræ mentis amaricatione, percepto quod claræ memoriæ Carolus Rex Ungariæ, Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Siciliæ illuſtris ac tuus primogenitus, ipſiuſque Regis in regno Siciliæ Vicarius Generalis, mortem, ſicut domino placuit, apud Neapolim ſubierat temporalem, nos .... attendentes, quod in regno ipſo, Rege abſente præfato, non habebatur qui vices exerceret ipſius .... dilectos*

Digitized by Google

lectos filios noſtros Landulphum S. Angeli Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, & nobilem virum Philippum, natum ejuſdem Regis atque tuum, Principem Tarentinum, Vicarios & bajulos dicti regni ...... duximus ordinandos ...... nuperrime autem fide digno relatu ad noſtram perductò notitiam, quod ſtatui dicti regni foret utilius, ac ejus incolis acceptius redderetur, ſi tu ...... Vicariatus & bajulatus hujuſmodi regimen exerceres; de prædictorum fratrum conſilio, & ejuſdem plenitudine poteſtatis, te ſolam dicti regni Generalem Vicariam & bajulam ordinamus; curam, adminiſtrationem, gubernationem, poteſtatem & regimen, ac omnem plenamque juriſdictionem in regno prædicto, tenore tibi præſentium committentes, donec per eamdem ſedem, aut per Regem ipſum aliud in hac parte ordinari contigerit, &c. Longè itaque ante menſem Auguſtum obierat Carolus Martellus, & Carolus II in Gallias profectus erat, ut conditiones pacis executioni mandaret.

XVIII. *Aragoniæ & Valentiæ regna ac comitatum Barcin. Iacobo Regi Aragono reſtituit.*

Una ex pacis inter Francos & Aragonios conditionibus erat, ut Carolus Comes Valeſiorum accepta Apoſtolicæ ſedis benevolentiâ, in Aragoniam, Valentiam & Catalauniam jura Pontifici permitteret; ac tum Bonifacius illa Jacobo Regi in gratiam Eccleſiæ revocando, reſtitueret. Quod ita factum eſſe oſtendit diploma ejuſdem Bonifacii à Raynaldo num. 21. & ſeqq. relatum, in quo ait, facta jam in manibus ſuis per Philippum Francorum Regem, & Carolum Comitem Valeſium ejus fratrem renunciatione legitima de prædictis regnis & Comitatu Barcinonæ, ſe reſtituere, reddere atque concedere dicta regna & comitatum, ac honorem regium eidem Regi Jacobo: *Nec intendimus*, inquit, *quod per prædictas reſtitutionem, redditionem & conceſſionem, nobis vel ipſi Eccleſiæ jus aliquod acquiratur, nec retineatur in illis occaſione retentionis ſeu reſervationis, quam fecit Eccleſia in dictis regnis & comitatu, cum ipſa prædicto quondam Philippo Francorum Regi conceſſit .... ſed eidem Jacobo, ſuiſque ſucceſſoribus in eisdem regnis, comitatu, ſeu terris, ſua jura firma & illibata perſiſtant, nec ex iis ſibi, vel ſuis in aliquo præjudicium generetur; ſed ea habeant & teneant, ut prædicitur, eo modo, quo habebat & tenebat dictus Petrus* (Jacobi pater) *antequam Romanam Eccleſiam in aliquo offendiſſet ...... Inveſtientes per noſtrum annulum de prædictis omnibus & ſingulis, ejuſdem Jacobi & hæredum ſuorum nomine dilectum filium noſtrum Guillelmum tit. S. Clementis Presbyterum Cardinalem, quem pro votiva perfectione tractatus ejuſdem verſus partes ultramontanas præſentialiter deſtinamus.* Diplomati dato *Anagniæ per manum magiſtri Petri de Piperno S. R. E. Vicecancellarii XI Kal. Julii, indictione octava, Incarnationis dominicæ anno MCCXCV, Pontificatûs vero domini Bonifacii Papæ VIII anno I*, ſubſcripſère ſeptemdecim Cardinales ibidem nominati. Vulgata porrò fœderis illius fama Siculis graviſſima extitit, ultimum malorum putantibus ad Francorum imperia re-

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. redire; quare menſe Decembri ejuſdem anni Fridericum Jacobi Regis Aragonii fratrem, tunc Siciliæ Præfectum, Panormi Regem ſibi crearunt.

XIX. *Appamiarum Epiſcopatum erigit.*

Ad eumdem annum 1295. Bonifacii VIII Pontificatûs primum, refert etiam Henricus Spondanus Appamiarum Epiſcopus, Appamienſis Epiſcopatûs erectionem à Bonifacio factam, quod probat ex bulla ſeu conſtitutione ipſius erectionis, quam ſe vidiſſe ſcribit, data *XVI Kalendas Octobris Pontificatus anno primo.* Ejus tamen erectionem communiter Chronographi conjungunt cum anno 1296. quia bulla erectionis, nonniſi eo anno publicata fuit per Aegidium Narbonenſem Archiepiſcopum, cujus Metropoli novus Epiſcopatus ſuppoſitus fuit, æquè ac Toloſanus à quo divulſus fuit. Conſtituit autem ibi Bonifacius primum Epiſcopum Bernardum Sayſſeti Abbatem monaſterii Sancti Antonini Canonicorum Regularium ejuſdem civitatis, & ipſam Abbatialem Eccleſiam erigens in Cathedralem, pluribus redditibus optime dotavit, eamdemque limitavit. Verùm cum ejuſmodi erectio & perſonæ electio, ut ſcribit Nicolaus Gillius in Annalibus, ingratæ eſſent Philippo Francorum Regi, Sanctus Ludovicus Caroli II Siciliæ Regis filius, qui ipſo eodem anno 1296. dictus eſt Epiſcopus Toloſanus, utramque diœceſim rexit uſque ad mortem, quæ contigit die XIX Auguſti anni 1297. quod diſerte teſtatur Nangius in Chronico ad eumdem annum 1296. *Urbs Appamia*, inquit, *à Toloſano Epiſcopatu hoc tempore ſeparata proprium Epiſcopum per Papam Bonifacium obtinuit; ſed protinus Ludovicus filius Regis Siciliæ, Frater Minor duos integraliter eſt ab ipſo Papa Bonifacio conſecutus.* Thomas etiam Walſinghamus in Hiſtoria apud Spondanum ait, S. Ludovicum utrumque Epiſcopatum ſimul reunitum rexiſſe.

XX. *Venetos & Genuenſes conciliare conatur.*

Bonifacius Pontifex, cujus menti, ut jam dictum eſt, alte inſederat omnes Principes Chriſtianos inter ſe diſſidentes pacificare, ut arma ad Chriſti defenſionem in Terram ſanctam converterent, Genuenſes & Venetos, his temporibus inexpiabili bello implicitos, non tantum ex veteri odio mutuis injuriis concepto, verum etiam ex contentione de ſummo in navalibus rebus honoris loco, ac de maritimo imperio, ad concordiam reducere tentavit. Quare utrique populo inducias uſque ad feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ anni 1296. Apoſtolica auctoritate indixit, utque Oratores ad ſe componendi fœderis gratia mitterent, ſollicitavit. Verùm cum Veneti Pontificiis monitis paruiſſent, ac ſe ad pacem propenſos exhiberent, Genuenſes à concordia alieni, claſſem in Venetos compararunt. Quod cum ad aures Bonifacii perveniſſet, ne hujuſmodi obedientia Venetis nociva eſſet, & ne Genuenſes de ſua in hac parte ſuperbia gloriarentur, literis ad Venetos datis *Anagniæ Idibus Auguſti anno I*, apud Raynaldum num. 38. decla-

claravit, quod ſi Genuenſes contra eos hoſtiliter procederent, & treugas hujuſmodi non ſervarent, ſuæ intentionis non eſſe *per hujuſmodi inditionem treugarum & pœnam in iis appoſitam* Venetos arctare, quo minus ſe defendere valerent contra Genuenſes treugas illas non ſervantes. SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

Joannes Archiepiſcopus Lundenſis, Sueciæ primas in vincula conjectus fuerat ab Erico Daniæ Rege, ſive calumniis apud eum circumventus, ſive quod ejus avaritiam & ſacrilegia corripuiſſet. Quare Bonifacius Pontifex Iſarnum Archipresbyterum Carcaſſonenſem Legatum ad eumdem Regem miſit, qui Archiepiſcopi liberationem curaret, & ut Rex illum ad Sedem Apoſtolicam, ad quam provocaverat, judicandum remitteret. Literas hac de cauſa ad Ericum Regem datas *Anagniæ X Kal. Septembris anno primo*, recitat Raynaldus num. 50. in quibus Iſarnus non dicitur Epiſcopus Carcaſſonenſis, ut ſcribit Spondanus num. 10. ſed Archipresbyter Carcaſſonenſis: prædictum Archiepiſcopum *benignè reſtituas priſtinæ libertati; eum ad noſtram præſentiam unà cum dilecto filio Iſarno Archipresbytero Carcaſſonenſi, Capellano & Nuncio noſtro, latore præſentium, quem pro jam dicto negotio ſpecialiter deſtinamus, accedere libere* permittas, inquit Pontifex in iis literis. Albertus Krantzius lib. 8. Metropol. cap. 56. & Pontanus Rerum Danicarum lib. 7. ſcribunt, Bonifacium poſtea graviſſimam ſententiam pro eodem Archiepiſcopo adversùs Regem dixiſſe, & eumdem Iſarnum Legatum miſiſſe pro concilianda inter eos pace. Quod verò duriorem ſe Rex in obſequendo exhiberet, regnum interdicto ſuppoſitum, ipſeque cenſuris irretitus, quibus ſolutus non eſt ante annum 1299. Quo Bonifacius eidem Iſarno, quem Legatum iterum in Daniam miſit, hanc Provinciam demandavit, ut conſtat ex ejus Epiſtola eo anno à Raynaldo num. 9. relata. XXI. *Item Regem & Archiepiſcopum Daniæ.*

Eodem anno 1295. *Bonifacius Pontificatûs ſui anno primo anno domini MCCXCV ſtatuit feſta Apoſtolorum & quatuor Evangeliſtarum, ac quatuor Doctorum, videlicet Gregorii, Auguſtini, Ambroſii & Hieronymi ſub honore feſti duplicis ab omnibus celebrari*, inquit Auctor Vitæ ejus MS. apud Raynaldum num. 55. Quod idem ſcribit Jordanus itidem MS. ibidem: *Statuit feſta Apoſtolorum Evangeliſtarum & quatuor doctorum Eccleſiæ eſſe duplicia.* Extat hac de re in formulario Marini Ebuli & majori ex parte in ſexto Decretalium cap. *Glorioſus*, tit. *de Reliquiis & veneratione Sanctorum* diploma quod idem Raynaldus integrum recitat, inſcriptum *Archiepiſcopo Remenſi & ejus ſuffraganeis*, datum *Anagniæ XII Kalendas Octobris Pontificatûs anno primo*, ex quo conſtat, jam antea, ab aliquo prædeceſſorum Bonifacii fuiſſe ordinatum, ut beati Gregorii feſtum ſimili modo celebraretur, *nulla* tamen *de hoc teſtimonium ſcriptura fide digna* perhibebat, *nec aliàs plenaria* innotuerat *certitudo*. Cum autem ibi- XXII. *Apoſtolorum, Evangeliſtarum & doctorum feſta duplicia conſtituit.*

ibidem dicat Pontifex ſe imitari velle nonnullos ſuorum prædeceſſorum, *qui ſpecialis devotionis proſequentes affectum aliquorum feſta Sanctorum ſub duplici ordinaverunt officio celebranda*, apparet, jam ante hæc tempora feſtorum duplicium & ſemiduplicium diſtinctionem in uſu fuiſſe.

XXIII. *Siculos ad obſequium revocare fruſtrà tentat.*

Anno 1296. Bonifacius Pontifex nihil tam deſiderans quàm Carolo Claudo legitimo Regi Siciliæ regnum vindicare, illudque, utpote Apoſtolicæ Sedis ſtipendiarium ad officium revocare, ad mulcendos Siculorum animos, qui omninò detrectabant Gallorum, quos valde offenderant, imperium, & Fridericum Principem menſe Decembri anni ſuperioris 1295. ſibi Regem crearant, literas omnibus amoris notis plenas ad eos miſit, datas *Romæ apud S. Petrum IV Non. Januarii anno primo*, eodemque die alias ad Fridericum ſcripſit, quibus ipſum ad conſilia pacis inflectere conatus eſt. Utraſque literas refert Raynaldus anno 1296. Non ſolum blandis literis, ſed & Nunciis Siculos ad obſequium provocavit Pontifex: at illi Apoſtolicos nuncios repulerunt; uni enim ex illis Siciliam deſerere ſub pœna mortis edixerunt, ut narrat Raynaldus ex antiquo codice MS. quem laudat num. 10. & ad coronationem dicti Friderici proceſſerunt, quæ facta eſt die vigeſima quinta Martii Annunciationi B. Virgini ſacra, quæ eo anno cum die Reſurrectionis dominicæ concurrebat.

XXIV. *Iacobum Aragoniæ Regem Romam invitat.*

Cum itaque Pontifex poſt nunciorum ſuorum repulſam, cerneret Siculos obſtinatiores in dies fieri, ad conſilia de iis quoquomodo reducendis capienda, Jacobum Aragoniæ Regem Romam invitavit, quo ipſos illius opera ad obſequium revocaret, ut ſcribit Surita lib 5. Annal. cap. 17. cui conſentiunt Pontificiæ literæ ab eo eidem Regi ſcriptæ & datæ *Romæ apud S. Petrum Nonis Februarii anno II* Pontificatus, quibus eum ſollicitat, ut adventum maturet, monetque Carolum Regem ejus ſocerum adfuturum, ac hujuſmodi colloquium omnibus Chriſtianis, ac Terræ ſanctæ utiliſſimum futurum. Jacobum Regem eodem anno Romam pertexiſſe ſcribit Joannes Villanius lib 8 cap. 18. Confluxiſſe pariter Romam Carolum Siciliæ Regem, Conſtantiam Reginam Jacobi matrem, cum Joanne Prochita, de quo ſuperius dictum eſt, ſcribunt Auctores laudati Villanius & Surita, qui addunt tunc, anno ſcilicet 1297. magna pompa Roberti Caroli Regis filii, unà cum Jolanta Jacobi ſorore nuptias celebratas, juxta quod in tractatu pacis inter eumdem Carolum & Jacobum Reges pactum fuerat. Fridericus autem, qui ſe pro Siciliæ Rege gerebat, ad illud colloquium vocatus, non modo venire reſpuit, ſed ad Siciliæ tyrannidem confirmandam incubuit, ad quem inde divellendum agitata ſunt à Bonifacio Pontifice & à Regibus Carolo & Jacobo conſilia.

Et

Digitized by Google

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

XXV. *Eum Eccleſiæ Rom. Vexilliferum creat.*

Et primò quidem Bonifacius ut Jacobum Aragonium magis Eccleſiæ Romanæ & Carolo Regi propitium redderet, illum vexilliferum, Ducem & maritimarum rerum, claſſiumque Eccleſiæ Præfectum, quem Ammiratum vocant, creavit diplomate dato *Romæ XIII Kalend. Februarii anno*, ſeu die XX Januarii anni 1297. Ex eo diplomate, quod extat apud Raynaldum ad eumdem annum 1297. num. 19. conſtat, Bonifacium hunc Ammirati titulum Aragoniæ Regi contuliſſe, ut Chriſtiani nominis fines latius circumferret, & Terram Sanctam à Saracenis occupatam vero Numinis cultui reſtitueret. Sed Surita laudatus cap. 35. ſcribit, Pontificem hæc non perfeciſſe ſtudio recuperandæ Terræ ſanctæ, ſed Siciliæ, ut Aragonios & Catalanos omnes à Friderico ea arte abduceret, illiuſque operâ ad Siciliam expugnandam uteretur. Non multò poſt, Nonis ſcilicet Aprilis, alio diplomate, quod etiam legitur apud Raynaldum num. 2. eidem Jacobo Regi Sardiniæ & Corſicæ regna, ex Piſanorum aliorumque invaſorum manibus eripienda tradidit ſub certis legibus in eo expreſſis.

XXVI. *Carolum Valeſium Romam accerſit.*

Jacobus Rex edici imperavit, uti Aragonii & Caſtellani proceres, primariique viri Sicilia inſula excederent; detrectantes in deſertorum ac proditorum numero haberentur: magnamque claſſem, ac potentem exercitum comparare curavit. Qui nihilominus, quòd lentius ageret, quàm pro ardore Bonifacii, indeque ſuſpicionem ingereret, conveniſſe inter illum & fratrem ejus Fredericum, ut hic non ſolùm Sicilia non excederet, verum etiam regnum ſuſciperet, ut Caroli urbes invaderet, ut revera feciſſe ſcribit Fazellus lib. 9. cap. 3. idem Bonifacius Pontifex, ut alium haberet quo in his aliiſque neceſſitatibus Eccleſiæ efficacius uteretur, Philippo Francorum Regi ſcripſit Epiſtolam 91. datam Anagniæ XV Kalend. Septembris, ut Carolum Valeſium fratrem Romam mitteret, quo cum de magnis & ſecretis conſiliis conferret. Quippe cogitaſſe putatur, de Carolo ad Imperium Romanum evehendo, Siculis opponendo, & expeditioni Orientali præficiendo. Hæc Spondanus ad annum 1296. num. 1. quæ tamen ante annum 1297. contingere non potuêre, cum ex dictis conſtet, Jacobum Regem Eccleſiæ vexilliferum creatum non eſſe ante prædictum annum 1297.

XXVII. *Conſtitutionem à ſe contra Cleri gravamina editam in gratiam Regis Franciæ interpretatur.*

Sed ut ad Geſta anno 1296. redeat narratio, ad eum annum communiter refertur conſtitutio Bonifacii Papæ de immunitate Clericorum. Cum enim audiret Pontifex diriſſimis pecuniarum exactionibus ab omnibus ubique Principibus Clerum ſine modo & ſine gravari, ut immunitati ordinis conſuleret, undecimo Kalendas Octobris Pontificatûs anno ſecundo Anagniæ exiſtens, ut conſtat ex ejus Regeſto, & ex Actis inter ipſum & Philippum Regem, conſtitutionem edidit, quæ poſtmodum inſerta eſt ſexto Decretalium de immunitate Eccleſiæ cap. *Clericis laicos*, ne qui, ſcilicet Reges aut Principes ac poteſtates à Sacerdotibus

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

tibus & Clericis ullas omninò decimas, vel alia cujuſvis nominis ſubſidia aut auxilia quocumque titulo, vel colore exigerent; neve illi petita aut impoſita conferrent injuſſu Romani Pontificis, ſub pœna excommunicationis in dantes & accipientes, & interdicti in loca. Regi tamen Francorum Philippo gratificaturus, ad inſtantiam ejus & Prælatorum regni, undecimo Kalendas Martii anni ſequentis 1297. conſtitutionem illam ita interpretatus eſt, ut non extenderetur ad donaria voluntaria, etiamſi petita fuiſſent, modo ceſſaret coactio; & ut pro neceſſaria univerſali vel particulari regni defenſione, vel etiam Regis, aut filiorum ejus redemptione, liceret ea exigere & ſolvere etiam inconſulto Romano Pontifice. Extat enim in Actis inter Bonifacium Pontificem & Philippum Regem reſponſio nomine Philippi ad prædictam conſtitutionem Bonifacii, necnon ſupplicatio Prælatorum regni pro ejuſdem interpretatione. Itemque in codice MS. Sancti Victoris Pariſienſis & alibi extat ipſa Bonifacii declaratio, ſive interpretatio, quam diximus; ac denique extant in Regeſto anni tertii Pontificatûs Bonifacii multæ de his datæ utrimque literæ. Hanc poſtea conſtitutionem, quæ incipit, *Clericis laicos*, revocavit Clemens V ut in ejus Vita dicetur.

XXVIII. *Bonifacii PP. odium in Columnenſes.*

Cum Bonifacius electus eſt Pontifex duo erant ex familia Columnenſium Cardinales Diaconi, Jacobus ſcilicet tit. S. Mariæ in Via lata, & ejus nepos Petrus tit. S. Euſtachii, quos Bonifacii electioni adverſatos eſſe ſcribit Joannes Villanius lib. 8. cap. 21. à Spondano laudatus, ſed Villanius eo in loco dicit tantum Columnenſes fuiſſe contrarios coronationi Bonifacii, non autem ejus electioni, cui eos conſenſiſſe diſerte aſſerit cap 6. ejuſdem libri. Ciaconius ait, eos Cardinales abdicationi Cœleſtini V impedimento fuiſſe, & quamvis poſtea conſenſerint, Bonifacium tamen hujus rei memorem, eorum poſtulata ſpreviſſe, nec eis conceſſiſſe, quæ ab aliis Pontificibus facile conſequi ſolebant, hincque ipſo Pontificatûs initio diſſenſionem inter Pontificem & Columnenſes ortam eſſe. Sanctus Antoninus part. 3. tit. 20. cap 8. Joanni Villanio conſentit circa electionem Bonifacii, de qua ſcribit: *Cum igitur eſſent in conclavi Neapoli, D. Matthæus de Urſinis, & Jacob de Columnenſibus, qui erant capita partium Cardinalium, perpendentes fallum, primi vocem dederunt præfato domino Benedicto, quos alii ſecuti ſunt.* Aliam odii in Columnenſes cauſam affert Platina, quod nempe factioni Gibellinæ addictiſſimi eſſent, quam Bonifacius ſumme odiſſe cœpit, cum olim non parum ei addictus fuiſſet. Sed quidquid ſit de cauſa illius odii, Bonifacii iram in Columnenſes anno 1296. ſeſe manifeſtaſſe, tradunt Continuator Martini Poloni, Stero & alii: Ptolomæus verò Lucenſis in Annalibus, Joannes Villanius laudatus & alii, qui ab eo excerpſerunt, ſequenti anno 1297. quo videlicet lata eſt in eos ſententia.

Erupit

Digitized by Google

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

XXIX. *Bonifacius eos dignitatibus & bonis privat.*

Erupit porrò hæc controverſia occaſione ſacræ & Pontificiæ ſupellectilis, ab Stephano Columna fratre prædicti Petri Cardinalis, in via dum Anagniâ Romam tranſmitteretur ſurreptæ, atque direptæ, cùm ex priſtino odio, tùm in vindictam cujuſdam ſententiæ in ipſum ac fratres ex controverſia partium in favorem aliorum ex eadem familia latæ: *Eodem anno*, nempe 1296. inquit Auctor Vitæ Bonifacii apud Papebrocium, Bonifacius *cœpit proceſſum facere contra Columnenſes occaſione & cauſa, quia Stephanus de Columna theſaurum ejuſdem Papæ fuerat deprædatus: deinde domni Jacobus & Petrus de Columna, patruus & nepos, Cardinales, videntes contra ſe motum Papam, libellum conficiunt famoſum contra eum; quem ad multas partes dirigunt, aſſerentes in eodem ipſum non eſſe Papam, ſed ſolummodo Cœleſtinum: unde citati à Bonifacio Papa non duxerunt comparendum, & facti ſunt contumaces. Ob quam cauſam tandem fuerunt per eum in conſiſtorio, tanquam ſchiſmatici condemnati, & privati capellis rubeis, & omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, & omni Cardinalatûs titulo, commodo & honore. Inſuper bona ipſorum & filiorum Joannis de Columna, videlicet Agapeti & Stephani, & Sciarræ, fuerunt pariter confiſcata die Aſcenſionis domini* anni 1297. ut conſtat ex diplomate quod extat apud Raynaldum dato *Romæ in die Aſcenſionis domini Pontificatûs anno tertio*, quæ dies concurrebat cum vigeſima tertia menſis Maii, ante quam, ſcilicet die decima ejuſdem menſis alio diplomate Petrum & Jacobum Cardinales inſignibus Cardinalatûs privarat, illud etiam refert Raynaldus datum *Romæ apud S. Petrum in publico conſiſtorio noſtro VI Idus Maii Pontificatûs noſtri anno III.* Eadem verba quæ apud Papebrocium, legi etiam ſcribit Raynaldus in Vita MS. Bonifacii, quæ extat in bibliotheca Vallicellana. Conſtitutionem porrò illam in die Aſcenſionis Domini promulgatam inſeruit Bonifacius libro ſexto Decretalium cap. *ad ſuccidendos* de ſchiſmaticis, ex eaque conſtat, Bonifacium non ſolum Stephani, & fratrum Agapeti & Sciarræ, aliorumque ex ea ſtirpe deſcendentium bona juraque publicaſſe; ſed & eorum poſteros ad honores, officia & beneficia Eccleſiaſtica inhabiles pronunciaſſe, omneſque prædictorum fautores anathemate damnaſſe.

XXX. *Crucem contra eos publicari jubet.*

Columnenſes non ſolum dignitatibus & bonis privavit Bonifacius, ſed & irarum in eos ut perduelles plenus, crucem cum indulgentiis peccatorum contra illos tanquam ſchiſmaticos, necnon contra eorum complices, fautores & receptatores prædicari juſſit, ut ſcribit Joannes Villanius lib. 8. cap. 21. & conſtare aſſerit Spondanus anno 1297. num. 1. ex Bonifacii Epiſtolis 75. & 131. imò ædes eorum in Urbe diſjecit, quædam oppida & caſtella cepit, diruitque & quoquò fugientes perſecutus eſt. Tuncque, anno ſcilicet 1297. Cardinales Columnenſes perverſo animo famoſos in Bonifacium libellos, ad univerſos

populos & Principes ſparſerunt, quibus eum ambitionis, avaritiæ, arrogantiæ, impotentiſque dominatûs inſolentiſſimè infamarunt; eaque ſpecie ab ejus judicio appellare præſumpſerunt, quaſi non legitimus Pontifex eſſet, nec ipſi ei obedire tenerentur.

XXXI. *Defenditur à calumniis Columnenſium.*

Libellum famoſum quo profeſſi ſunt, Cœleſtinum V ſe Pontificatu abdicare non potuiſſe, ideoque nec Bonifacium ei ſubrogari, & quo ad Concilium œcumenicum provocabant, ex MS. autographo Avenionenſi in Urbem delato refert Raynaldus in Addendis Tomo tertio ſuorum Annalium ſubjectis, datum *ſub anno Domini MCCXCVII, indictione X, die Veneris X menſis Maii.* Sed Columnenſium argumenta pluries variis verborum ambagibus repetita, Petrus Paludanus poſtea Patriarcha Jeroſolymitanus in Tractatu *de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis*, qui Pariſiis anno 1505. editus eſt, ad duo præcipue capita redegit, quæ erudite ſolvit. Eorumdem Columnenſium argumenta pluribus etiam diſſolvit Joannes Andreas, Bononienſis, celeberrimus Juriſconſultus in *Lectura in Regulas libri ſexti decretalium*, quam *Mercuriale* vocavit de Renunciat. C. 1. Sed præ omnibus aliis Bonifacii cauſam egregiè defendit Aegidius Romanus, dictus etiam Columna, Bituricenſis Archiepiſcopus libro Apologetico edito, cui titulum *de Renunciatione Papæ* præfixit, in quo Bonifacium legitimè electum ſolidè oſtendit, & cap. 23. ad duodecimum & ultimum caput Columnenſium, quo Bonifacius accuſatur S. Cœleſtinum ſubornaſſe, ut Pontificatu cederet, ideoque ejus ceſſionem non tenere, cum in fraudem inductus ſit, reſpondet, comprobari potuiſſe *ex pluribus tunc viventibus dominum Bonifacium Papam VIII tunc in minoribus agentem, & Cardinalem tunc exiſtentem, perſuaſiſſe domino Cæleſtino, quod non renunciaret, quia ſufficiebat collegio, quod nomen ſuæ ſanctitatis invocaretur ſuper eos.* Reliquos Cardinales contra impias & ſchiſmaticas Columnenſium querelas commotos, pro defenſione auctoritatis Bonifacii publicas literas ſcripſiſſe, extantes in collectione Archiepiſcopi Auxitani Collegii Fuxenſis Toloſani fol. 212. aſſerit Spondanus loco laudato.

XXXII. *Columnenſes profugi vagantur.*

Poſtquam autem Columnenſes in munitione Prænestina, ut ſubdit Spondanus, diu reſtitiſſent; tractata inter hæc reconciliatione, accedentes tam Cardinales, quàm alii Reate ad Pontificem, & ad pedes ejus proſtrati, miſericordiam conſecuti ſunt & abſolutionem à cenſuris, cum promiſſione reſtitutionis in integrum. Quod menſe Septembri anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi octavi contigiſſe tradunt Joannes Villanius lib. 8. cap. 23. S. Antoninus tit. 20. cap. 8. §. 11. & Thomas Walſinghamus in Hypodigmate Neuſtriæ & in Eduardo primo. Sed fruſtrati expectatione, iterum à Bonifacio deficientes, etiam ab eo repetitis ſententiis durius habiti ſunt; adeoque exagitati, ut nec occultiſſimis Italiæ latebris tuti in exteras regiones fugere compulſi fue-

Digitized by Google

fuerint. Ex quibus Stephanus in Galliam ad Philippum Regem confugiens, liberaliter ab eo exceptus eſt magna Bonifacii invidia, qui tam ad eumdem Regem, quàm etiam ad Anglum, alioſque ſcripſerat, ne eum ullo modo admitterent, ſed captum detineri facerent. Sciarra autem Stephani frater inopinato caſu à piratis Maſſilienſium interceptus, ut ſcribit Paulus Jovius in Elogiis, remoque adactus, ekgit aliquandiu duriſſima pati, bubalorum paſtorem ſe mentiens, quàm nomen ſuum prodere, ne Pontifici divenderetur. Maſſiliæ autem agnitus, & à Rege redemptus, perniciem Pontifici molitus eſt, de qua poſtea.

XXXIII.
Bonifacius ſanctionem edit contra eos qui Cardinales læderent.

Dum interim Bonifacius prædictos duos Cardinales Columnenſes ſic perſequeretur, ne forte inde ceterorum invidiam in ſe concitaret, vel occaſionem Principibus, aliiſve male eos habendi præberet, ſeveriſſimam eodem tempore, ut pronum eſt credere, de anno enim non conſtat, conſtitutionem edidit in eos, qui aliquem Cardinalem lædere ſacrilego auſu attentaſſent. Hæc conſtitutio, quæ quibuſdam additis, & quibuſdam detractis, eadem eſt cum illa quam Honorius III ediderat in eos qui Cardinales gravioribus injuriis afficerent, de qua ſuo loco eginius, extat in ſexto Decretalium cap. *fœlicis recordationis* de pœnis; eâque punit inſequentes, perſequentes aut capientes Cardinales, & eorus criminis ſocios; pœnas extendit in eorum filios & nepotes; quam ſatisfactionem cum abſolventur, facere debeant; quid per abſolutionem conſequantur, ac quædam alia addit ibidem legenda.

XXXIV.
An purpurei coloris veſtimenta Cardinalibus dederit?

Ciaconius, poſtquam de hac conſtitutione locutus eſt, ſubdit Bonifacium Cardinalibus *Purpurei Coloris veſtimenta* dediſſe. Sed licet id aſſerat ſine alicujus Auctoris teſtimonio, contrarium tamen affirmare mihi mens non eſt, quamvis valde ſuſpicer, jam ante Bonifacium VIII Cardinales iis veſtimentis uſos eſſe; certe id negari non poteſt de Cardinalibus, qui erant Legati *à Latere*, ſeu, ut loquitur Theodorus Balzamon in Gloſſa ad Concilium Trullanum, *à Facie*; in Innocentio enim III num. LXXXII oſtendimus ex Georgio Logotheta, Pelagium Legatum ejuſdem Pontificis Conſtantinopoli, & in Clemente IV num. XII Ottobonum Cardinalem, poſtea Papam ſub Hadriani V nomine, ab eodem Clemente in Angliam Legatum miſſum, rubeis indumentis uſos eſſe. In Gregorio autem IX num. 3. & ſeq. oſtendi ex Auctore anonymo ejus Vitæ, eum *inter purpuratam venerabilium Cardinalium* comitivam coronatum per Urbis mœnia deductum eſſe. Sed cum non conſtet de tempore quo vixit Auctor ille anonymus, nihil certi hac de re definiri poteſt, licet ut ibidem oſtendi multum probabile ſit tempore Urbani IV veſtimenta purpurea fuiſſe inſignia Cardinalium

XXXV.
Tiara cum duplici coronamento uti cœpit.

Superiores ante Bonifacium VIII Pontifices Regno ſeu Tiara cum unico coronamento uſos eſſe, Bonifacium verò & ſucceſſores ejus uſque ad Urbanum V cum duplici, Urbani verò ſucceſſores cum triplici, jam

 dixi-

diximus in Alexandro III loquentes de coronatione Romanorum Pontificum; quod jam dixerat Nicolaus Alemannus Vaticanæ Bibliothecæ præfectus cap. 13. diſſertationis Hiſtoricæ de parietinis Lateranenſibus ab Eminentiſſimo Franciſco Cardinali Barberino reſtitutis. Id autem Alemannum hauſiſſe ex gravi aliquo ejuſdem bibliothecæ monumento, exiſtimat Victorellus in Notis ad Ciaconium. Sed, ut loco citato diximus, id deducitur tantum ex antiquis effigiebus Pontificum, quæ Romæ extant, in quibus Tiaræ à Sancto Silveſtro ad Bonifacium VIII repræſentantur cum unico coronamento, à Bonifacio VIII ad Urbanum V cum duplici, & ab Urbano V cum triplici. Quod ſi Alemannus ex aliquo monumento antiquo eam obſervationem deſcripſiſſet, illud Lectori judicare, ſine dubio non prætermiſiſſet.

XXXVI. *Ludovicum IX Franc. Regem Sanctorum faſtis adſcribit.*

Gregorius decimus non multò poſt mortem Sancti Ludovici Francorum Regis hujus nominis IX, quæ contigit anno 1270. menſe Auguſto, Simoni tit. S. Cæciliæ Cardinali in Gallia Legato, poſtea Papæ ſub Martini IV nomine, mandaverat, ut privatam faceret inquiſitionem virtutum & miraculorum ejus. Nicolaus verò tertius anno 1278. ad preces Philippi Audacis dicti, ejus filii ac ſucceſſoris, conceſſit ut publica illa fieret inquiſitio, quia tunc crebra & glorioſa miracula patrabat. Miſſi etiam poſtea ſunt ad Martinum IV anno 1281. Matiſconenſis & Carnotenſis Epiſcopi, qui ab eo peterent, ut ſanctum Regem multis miraculis in dies magis coruſcantem, dignaretur catalogo ſanctorum adſcribere; quibus ille reſpondit, ad majorem rei commendationem, ulteriorem de miraculorum veritate indagationem requiri, hujuſque inquiſitionis commiſſarios inſtituit Archiepiſcopum Rotomagenſem, ac Antiſiodorenſem, & Spoletanum Epiſcopos, qui, teſte Bonifacio Papa in concione quam præmiſit canonizationi hujus ſancti, *de ſexagima tribus miraculis teſtes acceperunt, examinaverunt, rubricaverunt*, & ad Curiam remiſerunt. Ventilatum eſt etiam hoc negotium tempore Honorii IV, ſed ejus morte ſuperveniente ſiluit. Tempore autem Nicolai IV commiſſum eſt negotium tribus aliis Cardinalibus, de quorum numero erat Bonifacius, qui in eadem concione ait: *Per tot & toties examinatum eſt, rubricatum & diſcuſſum negotium; quod de hoc plus factum eſt de ſcriptura, quàm unus aſinus poſſet portare.* Et infra: *Ex iſtis ergo & pluribus aliis poteſt evidenter concludi, quod ſervata fuit maturitas in prædictis. Et ideo de tam egregio viro, & ſic in ſanctitate vitæ, & miraculorum probato, ſecurè poſſumus aſſerere, quod non debet amplius fama ſanctitatis ejus ſub modio latere, ſed debemus ei dicere: Amice aſcende ſuperius, ut ſit tibi gloria in Eccleſia militante coram ſimul diſcumbentibus*, Lucæ 14. 10. Hanc concionem habuit Bonifacius Pontifex in ædibus Pontificiis apud Urbemveterem die martis ante feſtum Sancti Laurentii anni 1297. in qua etiam

ait

ait, ſe ipſum virum ſanctum cognoviſſe & vidiſſe. In craſtino verò Sancti Laurentii, tertio Idus Auguſti, die dominica aliam de eodem ſancto concionem habuit in Templo Fratrum Minorum, in quo eodem die cum ſolemni ritu Sanctorum catalogo adſcripſit. Publicum diploma canonizationis, in quo præcipua hujus Sancti Regis geſta ſub compendio referuntur, *Datum* eſt *apud Urbemveterem tertio Idus Auguſti Pontificatûs anno tertio*, & legi poteſt tam in Annalibus Wadingi, quàm Raynaldi ad annum 1297. Duas illas Bonifacii Papæ conciones recitat Ducheſnius Tomo V pag. 481.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

XXXVII. *Sextum decretalium publicat.*

Anno 1298. quinto Nonas Martii, Pontificatûs quarto Bonifacius Papa Sextum Pontificii juris codicem decretalium juſſu ſuo à Guillelmo Archiepiſcopo Ebredunenſi, & Berengario Epiſcopo Biterrenſi, ac Richardo de Senis S. R. E. Vicecancellario, viris doctiſſimis & Juriſconſultiſſimis, poſtea Cardinalibus, compilatum promulgavit, cujus majori ex parte extant conſtitutiones declaratoriæ, & ſententiæ ab eo factæ: item conſtitutiones Summorum Pontificum à tempore compilationis Gregorii IX factæ: item multæ ex Conciliis Lugdunenſibus primo & ſecundo excerptæ: pauca verò ex Regeſtis Urbani IV, Clementis IV & Nicolai III. Fallitur autem Ciaconius Guillelmum hunc confundens cum Guillelmo Longo Cardinali à Cœleſtino V renunciato, in eum errorem inductus à nominis ſimilitudine; ex ipſo enim Bonifacio in proœmio Sexti Decretalium conſtat, hunc Guillelmum non fuiſſe Cardinalem, ſed ſolùm Archiepiſcopum Ebredunenſem: *per venerabiles fratres noſtros*, inquit, *Guillelmum Archiepiſcopum Ebredunenſem, & Berengarium Epiſcopum Biterrenſem, ac dilectum filium Magiſtrum Richardum de Senis S. R. E. Vicecancellarium, Juris utriuſque doctorem, decretales hujuſmodi diligenter fecimus recenſeri.* Fallitur & Ciaconius in eo quod Guillelmo & Richardo addit, non Berengarium Biterrenſem Epiſcopum, ſed Dinum Roſonium Mugellanum, de quo in dicto proœmio nulla mentio reperitur. Hunc librum Pontifex *Sextum* nuncupari voluit: *Quem librum*, inquit in eodem proœmio, *quinque libris aliis dicti voluminis Decretalium annectendum, cenſuimus Sextum nuncupari; ut idem volumen ſenarium (qui numerus eſt perfectus) librorum illo adjuncto, numerum comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat, & in moribus diſciplinam.* Anno autem antecedenti, ſcilicet 1297. die tertia Maii tradiderat eas conſtitutiones legendas in pleno conſiſtorio, quæ *perlectæ ſæpius cum magna diligentia, atque à Cardinalibus approbatæ* ſunt, unde *decrevit ipſe Pontifex, ut libro quinto Decretalium adjunctæ facerent ſextum librum*, inquit Nangius in Chronico ad annum 1297.

XXXVIII. *Sententiam arbitralem fert de diſſidiis inter Franciæ & Angliæ Reges.*

Ineunte anno 1297. ut ſcribit Meyerus Annalium Flandriæ lib. 10. Nicolaus Bocaſinus de Tarviſio Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, poſtea Papa ſub nomine Benedicti XI, & Joannes Minius de Muro

SEC. XIII. Miniſter Generalis Ordinis Minorum, appulerunt in Flandriam, miſſi
BONIFA- à Bonifacio Papa ad Reges Francorum & Anglorum, quos ipſius
CIUS VIII. nomine hortati ſunt, Oratores ſuos Romam dirigere cum ampla facultate tractandi de conditionibus pacis inter ipſos, Guidonem Flandriæ Comitem, alioſque Principes, coram ipſo Pontifice, qui non tanquam judex, ſed ut mediator & amicabilis compoſitor omnibus ritè diſcuſſis pacem ſtabiliret. Sed quia hæc abſque induciis fieri non poterant, pactæ ſunt illæ in biennium, comprehenſo etiam Comite Flandriæ, & unuſquiſque Regum ad propria rediit, ut ait Walſinghamus in Edwardo I. & in Hypodigmate. Uterque itaque Rex Oratores ſuos Romam miſit, Pontifex autem anno 1298. die vigeſima octava Junii, Indictione XI, Pontificatûs ſui anno quarto, ſanxit ſententia arbitrali, ut duplici affinitate pax inter eos firmaretur, nempe ut Rex Angliæ Margaritam ſororem, filiuſque ejus Iſabellam filiam Regis Francorum uxores ducerent, & utrimque ablata ſequeſtro darentur, donec Sedes Apoſtolica, quod cuique deberetur, decerneret. Hanc ſententiam arbitralem refert Raynaldus anno 1298. in qua mentio non eſt de eo quod Pontificem ſtatuiſſe circa Guidonem Flandrenſem ſcribit Meyerus laudatus, ut nempe Philippus Rex Franciæ filiam ejus atque urbes captas reſtitueret, addens Philippum ea quæ Flandrum tangebant tanta iracundiâ excepiſſe, ut exclamaverit, haud ſe illa ſervaturum; ſed ut primùm exiſſent induciæ, Flandriam hoſtiliter invaſurum; ac Robertum Comitem Attrebatenſem ſententiam arbitralem de manu Oratoris, qui eam detulerat, raptam dentibus laniaſſe & coram Rege in ignem projeciſſe. Quidquid ſit de hoc Roberti Attrebatenſis facto, certum eſt Bonifacium in Edwardi Angliæ Regis filii, & Iſabellæ filiæ Philippi Regis gratiam ſolviſſe legem de conſanguinitatis gradibus Epiſtolâ data *Romæ apud S. Petrum Kal. Julii anno IV.*

XXXIX. *Tres viros inſignes Cardinales creat.*

Ceterum Prædicti Nicolaus Bocaſinus de Tarviſio, & Joannes Minius de Muro, Prædicatorum & Minorum Generales, in his aliiſque ſibi commiſſis gravioribus negotiis ita prudenter & laudabiliter ſe geſſerunt, ut uterque ab ipſo Pontifice eodem anno 1298. ad Cardinalatûs dignitatem ſit promotus. Utriuſque quidem promotionem ad annum 1302. revocat Wadingus in Annalibus Minorum ex Ciaconio, ſed hunc deceptum conſtat, ex eo quod Joannes Villanius lib. 8. cap. 25. & Bernardus Guido in Chronico Romanorum Pontificum, hujus temporis Auctores aſſerant, Nicolaum Bocaſinum & Joannem Minium, cum Petro Hiſpano Epiſcopo Burgenſi Cardinales creatos hebdomada prima Adventus anni 1298. Quare mirum eſt Auguſtinum Oldoinum dixiſſe, hac in re magis credendum Panuinio, Ciaconio & aliis recentioribus, quam Auctoribus ejuſdem ævi, qui illos tres enumerant in promotione anni 1298. quod de Nicolao Bocaſino fatetur idem Oldoinus cum Ciaconio,

conio,

conio, qui & in eo corrigendus quod velit Joannem Minium in ſua creatione factum eſſe Epiſcopum Portuenſem & Sanctæ Rufinæ, cum conſtet Matthæum Aquaſpartanum Cardinalem Portuenſem à Nicolao IV in ſecunda promotione dictum, adhuc ſuperſtitem fuiſſe anno 1300. quo, ex eodem Joanne Villanio Florentiam à Bonifacio Papa Legatus miſſus eſt. Joannes itaque Minius ex altero titulo Cardinalitio ad Portuenſem & Sanctæ Rufinæ Epiſcopatum translatus eſt anno 1302. quo Matthæum Aquaſpartanum obiiſſe ſcribunt Ciaconius & Wadingus; ſicut Nicolaus Bocaſinus ex Presbytero Cardinali tit. S. Sabinæ dictus eſt Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, ipſomet Ciaconio teſte, & Petrus Hiſpanus eodem anno 1302. ex Presbytero Cardinali tituli nobis ignoti dictus eſt Epiſcopus Sabinenſis poſt Gerardi mortem, quæ eodem anno contigit. Hæc occaſione legationis Nicolai Bocaſini, & Joannis Minii, ſeu de Muro ad illuſtrationem Hiſtoriæ Cardinalium dicta ſunto. *SEC. XIII.* BONIFACIUS VIII.

Anno eodem 1298. Adolphus Romanorum Rex regno & imperio depoſitus eſt à quibuſdam Electoribus, Gerardo ſcilicet Archiepiſcopo Moguntino & à Saxoniæ ac Brandeburgenſi Ducibus in vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, idque Moguntiæ; eademque die ab iiſdem electus eſt in Regem Romanorum Albertus Auſtriæ, Rudolphi quondàm Romanorum itidem Regis filius, qui cum eodem Adolpho die ſecunda Julii congreſſus, eum in prælio occidit. Poſt cujus mortem cum priorem ſuam electionem illegitimam reputaret, eo quod facta eſſet vivente Adolpho, & nonnullis Electoribus abſentibus; eam ſpecie tenus illis reſignavit, & ab omnibus uno conſenſu iterum electus eſt ſexto Kalendas Auguſti. Hujus ſecundæ electionis confirmationem per ſolemnes nuncios à Pontifice petiit Albertus, ſed ab eo repulſam paſſus eſt, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 24. cap. 27. *Albertus prædictus Dux Auſtriæ*, inquit, *filius quondam præfati Rodulphi Regis, fuit electus in Regem Alemanniæ ab Electoribus congregatis Aquiſgrani anno Domini MCCXCVIII, miſitque ſolemnes nuncios ad Bonifacium Papam VIII pro confirmatione electionis ſuæ; quam idem Bonifacius Papa primò multis juris & facti rationibus allegatis repulit prima vice & aſſeruit nullam eſſe.* Non ſolum autem ejus electionem confirmare renuit; ſed etiam anno 1301. Electoribus Germanici Imperii ſcripſit literas, quibus Albertum in judicium accerſivit, & Moguntino, Colonienſi ac Trevirenſi Archiepiſcopis provinciam tradidit, ei denunciandi, ut Oratores ſuos ad Sedem Apoſtolicam mitteret, ad impoſitum ſibi læſæ majeſtatis crimen, quo cæſo Adolpho ſe devinxerat, purgandum, ut conſtat ex ejus Epiſtola, quæ extat apud Raynaldum eodem anno num. 2. Sed tandem ob ſimultatem cum Francorum Rege, ejus poſtea electionem approbavit Bonifacius, ut ſuo loco dicetur. XL. *Alberti Auſtriaci electionem in Regem Rom. confirmare recuſat.*

Co-

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

XLI. *Præneſte evertit, & civitatem Papalem dictam in ejus locum conſtrui jubet.*

Columnenſes Bonifacio Papæ, ut ſuperius diximus, reconciliati fuerant, ea lege ut ei Præneſte traderent, & Tibur ſecederent, ibidem ſenium ſuum expectaturi. Pontifex, ſive ante novam Columnenſium rebellionem, ſive poſt, de hoc enim non conſtat, munitiſſimam ejus arcem diruit, & urbem ex montis vertice ad radices tranſtulit, ac denuò conditam, veteri nomine antiquato, civitatem Papalem vocari juſſit, cum prius veterem excidi, aratro ſulcari ac ſale conſpergi juſſiſſet, affirmans, lapides diſſipari, non hoſtes ſpeluncis eorum manentibus. Præneſtina itaque civitate ita deſtructa, Epiſcopatus, qui Cardinalatûs honore potiebatur, à Bonifacio translatus eſt ad dictam novam civitatem Papalem. Hæc conſtant ex inſtrumento quod refert Raynaldus ad annum 1299. num. 6. in quo Bonifacius ait: *Decernimus etiam auctoritate prædicta, ut civitas eadem nequaquam habitetur ulterius, nullusque in ea incolatum, aut domicilium habeat, vel quomodolibet valeat obtinere: privando nihilominus eam privilegiis, libertatibus, & juribus quibuſcumque, ipſamque aratro ſubjici ad veteris inſtar Carthaginis Africanæ, ac ſalem in ea fecimus & mandavimus ſeminari, ut nec rem, nec nomen, aut titulum habeat civitatis. Attendentes quoque quod à ſanctorum Patrum pia & provida ordinatione proceſſit, ut in præfata Romana Eccleſia ſex ſemper exiſterent Epiſcopi Cardinales; poſtquam civitatem prædictam Epiſcopalis Cardinalatûs honore privavimus, civitatem novam, ut ſenarius Epiſcoporum numerus impleatur, conſtrui fecimus prope jam dictæ civitatis Præneſtinæ deſtructæ locum, quam appellari volumus & præcipimus civitatem Papalem, ipſamque à cunctis hoc nomine nuncupari.*

XLII. *Ad eam transfert Epiſcopatum Præneſtinum.*

In eam novam civitatem poſtea Epiſcopatum Cardinalitium transfert his verbis: *In Eccleſia verò beati Agapiti Martyris poſita juxta eam, quæ quidem Eccleſia ante deſtructionem civitatis Præneſtinæ & privationem Epiſcopalis dignitatis & Cardinalatus extitit Eccleſia Cathedralis, ordinamus erigi & conſtrui altare in honorem beati Bonifacii, ipſamque non illius, ſed hujuſmodi civitatis Papalis eſſe volumus Eccleſiam cathedralem, eamque habere illa privilegia .... quæ habuerat, quando erat Eccleſia Cathedralis Præneſtinæ civitatis ante deſtructionem ipſius tempore noſtro factam; ſtatuentes ut civitas Papalis prædicta ſub ſui expreſſione nominis Epiſcopum habeat Cardinalem, qui ſe civitatis Papalis Epiſcopum nominet, & ab aliis hujuſmodi nomine ſimiliter appelletur: quodque Cardinalis Epiſcopus; qui hujuſmodi præerit civitati Papali, habeat tam in Romana, quam in aliis Eccleſiis quibuſcumque omnia bona & jura, privilegia, dignitates & honores, quæ hactenus Præneſtina Eccleſia, & Epiſcopi Cardinales, qui ejus præfuerunt regimini obtinebant ante deſtructionem prædictam.* Datum eſt illud diploma *Anagniæ Idibus Junii anno quinto* Pontificatûs, ideoque anno 1299. ex quo ſequi videtur Præneſtinam civitatem anno ſuperiori 1298. fuiſſe deſtructam. Porrò ideo Bonifacius ait, in Eccleſia

Ro-

Romana ſex ſemper extitiſſe Epiſcopos Cardinales, quia licet ſub Stephano III, ex dictis Tomo primo hujus Breviarii, eſſent ſeptem, tempore tamen ſubſequenti Calliſtus II Epiſcopatum Sylvæ Candidæ, ſeu Sanctæ Rufinæ, qui erat unus ex illis ſeptem, univit Epiſcopatui Portuenſi.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

XLIII. *Theodoricum Cardinalem ei præficit.*

Novæ illi Eccleſiæ & civitati Bonifacius Theodoricum, quem anno 1295. XII Kalend. Octobris Archiepiſcopum Piſanum dixerat, ut ſcribit Auguſtinus Oldoinus, poſtmodum verò Cardinalem tit. Sanctæ Crucis in Jeruſalem renunciaverat, Epiſcopum Cardinalem præfecit; jam enim à die decima octava menſis Auguſti anni 1297. obierat Simon de Belloloco Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus. Idem Oldoinus aſſerit in Cornetana Margarita ad annum 1300. Theodoricum ita inſcribi: *Theodoricus miſeratione divina civitatis Papalis Epiſcopus, in patrimonio beati Petri in Tuſcia Rector & Capitaneus Generalis.* Ejus etiam meminit Clemens V Romanus Pontifex apud eumdem Oldoinum his verbis: *Theodoricus bon. mem. Epiſcopus Præneſtinus, ſeu Peneſtrinus, & tunc civitatis Papalis, quæ nunc dicitur Peneſtrina ſeu Præneſtina.* Poſt obitum enim Bonifacii VIII redditum fuit Præneſte nomen, reddita ſuis antiquis dominis Præneſte, redditæ Cardinalibus Columnenſibus antiquæ dignitates à Benedicto XI & Clemente V.

XLIV. *Gibellinos perſequitur.*

Bonifacius Pontifex Guelfæ factionis ſtudioſior plus quam Pontifici par fuiſſet, non Columnenſes modo huic adverſantes factioni, ſed & omnes Gibellinos tanto odio proſequebatur, ut ſi fides ſit adhibenda Flavio Blondo decad. 2. lib. 9. Platinæ & Aegidio Viterbienſi in Hiſtoria MS. cum aliquorum relatu accepiſſet, Cardinales Columnenſes, qui Gibellinæ factionis erant, ſe Genuam recepiſſe, Porcheto Spinolæ, quem tertio Nonas Februarii anni 1299. creaverat Archiepiſcopum Genuenſem, ad pedes ejus die cinerum prodeunti, atrocia quædam verba dixiſſe feratur: nam cum dici à Sacerdote ſoleat; *memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris*, Pontifex pronunciavit, *memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cineres reverteris*, in ejuſque oculos, non in caput aut frontem, ut mos eſt, cinerem conjecit. Eumdem verò Archiepiſcopum ob nomen factionis Archiepiſcopatu privavit, quem tamen ei poſtea reſtituit, cum intellexiſſet Cardinales Columnenſes, quemadmodum ſuſpicabatur, Genuam non acceſſiſſe. Quæ quidem ſi vera ſint, ut quam citiùs contigerunt anno 1299. quo, ex dictis, Porchetus Spinola ad Archiepiſcopatum Genuenſem promotus eſt, ut conſtat ex literis ejuſdem Pontificis datis *Laterani* 3. *Nonas Februarii anno quinto* apud Wadingum in Regeſto Pontificio Tomi ſecundi.

XLV. *Iubilei antiquitas & indictio per Bonifacium PP.*

Centenariæ indulgentiæ, quæ Jubilæi nomine appellatur, primum fuiſſe inſtitutorem Bonifacium VIII pleriſque viſum eſt. Sed hujus Sa-

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

cræ Indulgentiæ obſervationem Bonifacio longe antiquiorem eſſe, intelligitur tam ex conſtitutione, quam de eo edidit, de qua mox; quàm præcipuè ex Tractatu Jacobi Cajetani Diaconi Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, quem ea de re ſcripſit, inſcripſitque *de Centeſimo, ſeu Jubileo anno*. In eo enim traditur, adveniente principio anni trecenteſimi ſupra milleſimum, cùm rumor increbuiſſet de futuro centeſimo, cives Romanos ad Eccleſiam Vaticanam concurriſſe, ſubindeque exteros ad conſequendam Indulgentiam, quam ex antiquorum traditione ſingulis annis centeſimis illic acquiri acceperant. Mandaſſe propterea Bonifacium revolvi monumenta vetuſta; verum his temporum, bellorum, vel ſchiſmatum calamitate deperditis, nihil certi retuliſſe; ſed Sabaudum quemdam, non ignobili genere ortum, à filiis Romam ductum, annos centum & ſeptem agentem, aſſeveraſſe, ſe unà cum patre Romæ centeſimo adfuiſſe præterito ſub Innocentio tertio, ab eodemque genitore ſuo monitum, ut ſi forte centeſimo viveret anno futuro, ad lucrandam centum annorum Indulgentiam Romæ adeſſe non pigritaret, & ob hanc cauſam ſe Romam afferri præcepiſſe. Et tandem idem confirmaſſe duos provectæ ætatis Gallos diœceſis Bellovacenſis, alioſque tam Gallos, quàm Italos veneranda canicie præſtantes. Bonifacius itaque Pontifex populi pietate, ejuſque rei conſtanti aſſertione; Cardinalium, Procerumque Romanorum precibus ductus, eam Indulgentiam firmius ſtabilire decrevit conſtitutione edita octavo Kalendas Martii, feſto die Cathedræ Antiochenæ Sancti Petri Apoſtolorum Principis, Pontificatûs ſui anno ſexto, ſeu anno Chriſti 1300. quæ extat inter Extravagantes communes cap. *antiquorum de pœnit. & remiſſ.* qua *omnibus in præſenti anno milleſimo trecenteſimo à feſto Nativitatis domini noſtri Jeſu-Chriſti præterito proxime inchoato, & in quolibet anno centeſimo ſecuturo, ad Baſilicas ipſas* (Apoſtolorum Petri & Pauli) *accedentibus reverenter, vere pœnitentibus & confeſſis....... non ſolum plenam & largiorem, immò pleniſſimam omnium ſuorum* conceſſit *veniam peccatorum*, & Indulgentiam pœnarum eis debitarum; hoc enim præcipuè Jubileum operatur, cùm non remittatur pœna temporalis, niſi præceſſerit abſolutio culpæ, ut eſt communis Theologorum Sententia.

XLVI. *Ejus origo.* Voluit autem Bonifacius, ut Romani triginta diebus continuis, vel interpolatis, & ſaltem ſemel in die: peregrini verò aut forenſes ſimili modo diebus quindecim eas Baſilicas viſitarent. Aliqui putant eam inſtitutionem à Bonifacio factam ex populi Judaici ritibus, qui quinquageſimo quolibet anno Jubileum repetebat, quo debitores à creditoribus laxabantur, & ſervi libertatem vendicabant, ut legitur Levitici 25. & 27. & in Joſepho Antiquit. lib. 3. cap. 14. Sed non exiſtimo Bonifacium ad ritum illum Judaicum reſpexiſſe, licet enim plenior da-

ri non poſſit libertas, quàm cum debita peccatorum remittuntur, ut *SEC. XIII.* ſit in iſto Chriſtianorum Jubileo, quia tamen Bonifacius illud non BONIFA- ad annum quinquageſimum, ut Judæi, ſed ad annum centenarium pro- CIUS VIII. mulgavit, & Jubilei appellatione uſus non eſt, dici jure merito poteſt, videri potius hanc Jubilei inſtitutionem factam ex antiquæ Romanæ urbis ritibus, quibus centeſimo quolibet anno Ludos ſeculares magna religioſitate celebrabat. Quia enim Pontifices Romani varias Gentilium obſervationes, in ſacras ceremonias erga Dei cultum convertere ſemper conati ſunt, ideo ad tollendum ſuperſtitioſum Romanorum Secularem Annum, Sanctum iſtum Annum inſtituerunt ſpiritualiter quolibet ſeculi fine celebrandum; qui ritus ex anno centeſimo à Clemente VI ad inſtar Jubilei Antiqui Teſtamenti ad annum quinquageſimum reductus eſt, & revera Clemens VI primus ex Pontificibus Romanis reperitur, qui Jubilei appellatione uſus fuerit. Jubileum poſtea ad annos triginta tres limitavit Urbanus ſextus, tandemque Paulus II & Sixtus IV, humanæ vitæ brevitatem conſiderantes, ad terminum quinque luſtrorum, ſeu annorum viginti quinque ſtabilivêre; ſicut ſemper poſtea uſque ad noſtra tempora obſervatum fuit.

XLVII. *Bonifacius indignos à gratia Iubilei excludit.*

Prævidens autem Bonifacius Pontifex multos indignos ad eam Indulgentiam conſequendam acceſſuros, alio diplomate, eadem die vigeſima ſecunda Februarii promulgato, quod refert idem Jacobus Cardinalis, ab ea tanquam illius incapaces omninò excluſit, qui merces ſeu res prohibitas Seracenis portaſſent: nec non Fridericum Siciliæ occupatorem, ac Siculos Eccleſiæ Romanæ hoſtes, quos inſuper unà cum Genuenſibus belli ſociis, die cœnæ Dominicæ in Eccleſia Lateranenſi diris devovit, univerſæque Siciliæ ſacris interdixit. Excluſit etiam ab ea Columnenſes à Sede Apoſtolica damnatos. Qua occaſione facetum quid narrat Petrarcha. Nunciatum cum eſſet Bonifacio, Agapeti Columnenſis uxorem, quæ ſanguine illum contingebat, eſſe prægnantem, ſenſit Agapetum Romæ fuiſſe: hinc irâ ſuccenſus, perduci ante pedes ſuos mulierem juſſit. Venit illa verecundè ventrem ſtudio tegens. At ille, ut erat in ſermone acer: *Dimitte*, inquit, *meretrix pallium. Quis te gravidam fecit?* Reſpondit mulier: *Pater ſancte tu mihi virum meum abſtuleras. Quid facerem, quod ætas & forma ſuaſerunt, conſilium cœpi. Inter innumerabiles peregrinos, quos hic ſacer annus in urbe hac congregavit, conſpiciens unum viro meo ſimillimum, notavi. Placuit ille oculis meis, & in exulantis viri memoriam ſuſceptus eſt per noctem, mane abiens, qualem cernis, me dimiſit*, viri habitum innuens, qui ſub peregrini ſpecie ad uxorem penetraverat. Riſit Bonifacius muliebri fatigatus facundia; ſed non ſolum Columnenſes, at in univerſum omnes & ſingulos publicos Eccleſiæ Romanæ hoſtes, eorumque fautores &

Xxx 2 ad-

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. adjutores, quantiſper in ſua malitia perſeveraret, ab hac Indulgentia lucranda excluſit.

Exceptum eſt magna gratulatione Bonifacii diploma à Romanis:

XLVIII. *Ingens Romam concurſus ad Iubileum.* *Nec mora*, inquit Jacobus Cardinalis cap. 4. *totius orbis caput Roma, civitatis populus, nullo ſexûs vel ætatis, dum pubertatis annos exceſſiſſet, diſcrimine, ad ſuorum patronorum Baſilicas, quoad dierum intervallum finem accepiſſet, curſitabat.* Imò tantam undique ex univerſo Orbe hominum utriuſque ſexûs multitudinem ad hunc theſaurum conſequendum concurriſſe fertur, ut magna anni parte extraneorum haud minus ducentis millibus viſi fuerint; vixque per eam, quantumvis amplam & vaſtam incedere liceret; præter innumerabilem numerum eorum, qui erant in via euntes & redeuntes. Quibus tamen nihil neceſſarium defuit, quin potius quantò magis populus multiplicabatur, tantò amplius alimenta hominibus, jumentiſque juſto & æquo pretio redundare videbantur, nulla concuſſione aut contentione: prout inter alios lib. 8. cap. 36. tradit teſtis oculatus Joannes Villanius Florentinus, qui Romam ea de cauſa peregrinatus, ex conſpectu antiquorum monumentorum ejus, & exemplo Auctorum qui de rebus geſtis Romanorum ſcripſerunt ait, ſe excitatum fuiſſe ad mandandum memoriæ res civitatis ſuæ Florentinæ, adeoque ceteras per orbem ſuo tempore geſtas, quæ ad ipſius cognitionem pervenire potuiſſent. Quod tanto candore præſtitit, ut Sanctus Antoninus maximam partem ejus Hiſtoriæ Chronicis ſuis inſeruerit.

XLIX. *Ingentes oblationes Apoſtolis factæ.* Prætereundum autem non eſt, quod ſcribit idem Jacobus Cardinalis cap. 9. apud Raynaldum, ſcilicet ex tot peregrinorum non modo ex Italia, Sicilia, Sardinia, Corſica; ſed etiam Gallia, Hiſpania, Anglia, Germania & Hungaria muneribus, adeo creviſſe Apoſtolorum Petri & Pauli altaria, ut quinquaginta & eo amplius auri florenorum millia retulerint, eaque non ex magnis aurî, vel argenti donis, ſed ex tenuiori ære oblato conflata; poſt quæ ſubdit: *Devotè oblata devotè diſpenſantur: caſtris, caſalibus, prædiis ex ea pecunia, ipſo Summo Pontifice jubente, ad jus & proprietatem Baſilicarum comparandis, ac deinde ex ipſorum reditibus, divinis, Apoſtolorumque augendis cultibus, officiiſque.*

L. *Pontifex ægrotorum & aliorum ſaluti proſpicit in fine Iubilei.* Sicut porrò Bonifacius indignos à lucranda Indulgentia excluſerat, ita in fine anni centeſimi, qui erat milleſimus trecenteſimus in die Natalis Domini, piorum peregrinorum devotioni & commoditati intendens; tam illis qui in Urbem tardè appulſi, vel in ægritudinem in ea lapſi, aut etiam mortui præſcriptum dierum numerum complere non potuiſſent; quàm etiam illis qui in via deceſſiſſent, aut alio legitimo impedimento Romam pervenire prohibiti fuiſſent; nihilominus eamdem pleniſſimam Indulgentiam aſſequi conceſſit. Denique ſaluti ani-

animarum providere volens, omnibus illis qui erant verè confeſſi ſecundùm formam Indulgentiæ ſuæ, & de alieno ſatisfacere non potuerant intra annum, nec poterant commodè ſatisfacere propter temporis brevitatem, prorogavit terminum, ad ſatisfaciendum duntaxat, uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ anni milleſimi trecenteſimi primi, eodemque tempore declaravit Jubileum finitum eſſe in die Natalis domini anni trecenteſimi ſupra milleſimum, nec extendi ad annos Incarnationis ſecundum quoſdam, ideſt uſque ad XXV Martii anni ſequentis, ſed ad annos domini ſecundum ritum Romanæ Eccleſiæ. Hæc refert idem Jacobus Cardinalis in calce ſui tractatus de *Centeſimo ſeu Jubileo anno*, in quo pariter ſcribit, toto eo anno quamplurimos in Baſilicis Apoſtolorum variis morbis miraculosè ſanatos eſſe, multos energumenos liberatos, infinitas animas à pœnis purgatorii ad cœleſtia gaudia translatas, uti per certas revelationes conſtitit.

LI. *Carolum Valeſium in Italiam vocat, & dignitatibus auget.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo Bonifacius Pontifex Carolum Valeſium Comitem Andegavenſem, Philippi Galliarum Regis fratrem, qui, ut alibi diximus, eo comitatu à Carolo II Siciliæ Rege donatus fuerat, ut Aragoniæ juribus cederet, iterum in Italiam accerſivit, utpote Principem acerrimi ingenii, ac magnæ in rebus bellicis induſtriæ, tum ut ejus operà adverſus Fridericum Siciliæ occupatorem, tum ad comprimendas exorientes in Italia factiones, uteretur. Ne autem Italia ejus adventu commoveretur, Bonifacius promulgavit Apoſtolico diplomate dato *Laterani II Kal. Decembris anno VI* apud Raynaldum anno 1300. num. 21. ſe illum principem ad edomandos Eccleſiæ perduelles, ac maxime pro Siciliæ regno recuperando exciviſſe. Joannes Villanius lib. 8. cap. 42. addit Bonifacium obtinendi Imperii ſpem Carolo injeciſſe, rejecto Alberto Auſtriaco cujus necdum electionem approbare voluerat: aut ſaltem auctoritate qua pollebat Eccleſia Romana vacante Imperio promiſiſſe Carolum Imperii Vicarium creandi, ut Etruriam per factiones peſſumdatam componeret. Carolus itaque Valeſius menſe Julio anni milleſimi trecenteſimi primi Mediolanum, ut ait Bernardinus Corius part. 2. Hiſt. Mediolanenſis; menſe verò Septembri, ut ſcribit Joannes Villanius laudatus cap. 48. Anagniam ad Bonifacium Papam pervenit, unà cum conjuge ac magno nobilium comitatu, ibique maximo honore à Pontifice exceptus, & à Carolo Siciliæ Rege viſitatus, cum eis convenit, ut proximo vere Sicilia tentaretur. Ne verò interim dum claſſis Neapoli pararetur, Carolus Valeſius otioſus quieſceret, creatus à Pontifice univerſæ ditionis Eccleſiæ Romanæ præfectus, necnon Tuſciæ Paciarius, ſeu pacificator, & Imperii Vicarius; mandato ejuſdem Pontificis Florentiam profectus eſt, factionibus valde agitatam, quas Matthæus Cardinalis Aquaſpartanus Minorita, Legatus eo antea miſſus compeſcere non valuerat, propoſitis etiam interdictis.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

LII. *Pacem ab eo inter Carolum Siciliæ Regem & Fridericum ſancitam ratam habet ſub quibuſdam conditionibus.*

Verùm fortunatior non fuit Carolus, poſtquam enim Florentiæ manſiſſet ab initio Novembris anni 1301. ad Aprilem anni ſequentis, abſceſſit, quòd majora Florentiæ & per agrum committi ſcelera videret, quam quæ mitiſſimi & verè Regii vir ingenii inſpicere poſſet, ut ſcribit Flavius Blondus lib. 2. decad. 9. Neapolim itaque menſe Aprili accedens, inventa ibi numeroſa claſſe, quam interim Rex Carolus paraverat, in Siciliam tranſmiſit, & aliquot Oppida cepit, Friderico nequaquam auſo cum eo congredi, vel aperto marte ſe ei opponere, ſed cautè ſubducendo ſe, aut inſidiando, ac commeatum impediente, exercitum ejus defatigante. Unde & quod dira peſtis è corrupto aëre, Francorum equos, univerſumque exercitum invaſiſſet: conſideraretque Valeſius propter agnationis jura bellum haud alium, quàm miſerandum effectum ſortiri poſſe, pacem inter Carolum II Siciliæ Regem & Fridericum his præcipuè conditionibus firmavit: Ut Fridericus Eleonoram Caroli II Regis filiam uxorem duceret: Philippus Princeps Tarentinus ejuſdem Caroli filius libertati redderetur: Continentis Italiæ oppida, quæ in poteſtate Friderici eſſent, & quæ in inſula Siciliæ Carolus poſſideret, utrimque reſtituerentur: Siciliam Fridericus & adjacentes inſulas dotis profectitiæ nomine retineret, donec Sardiniam aut quodvis aliud regnum Pontificis permiſſu opeque accepiſſet; poſtque ejus obitum omninò ad Carolum ejuſque hæredes perveniret, numeratis Friderici hæredibus centum millibus unciarum auri: interimque Fridericus non Siciliæ, ſed Trinacriæ (antiquo Siciliæ nomine) Rex appellaretur. Quæ ſic pacta firmataque pridie Kalendas Septembris anni 1302. Bonifacius Papa ſequenti anno 1303. rata habuit, his conditionibus, ut Fridericus trium millium unciarum auri tributum, in ſingulos annos, in feſto S. Petri Eccleſiæ Romanæ conferret, juramentum fidelitatis pro rebus temporalibus ac ſecularibus Summo Pontifici præſtaret; liberamque & plenariam in ſpirituales & Eccleſiaſticam poteſtatem ei relinqueret. Hiſque ſacramento coram Geraldo Cardinale Legato confirmatis, fœderis conditiones utrimque pro tempore adimpletæ ſunt, & longo poſtliminio pax Siciliæ, ſacraque quibus Siculi per interdictum arcebantur, reſtituta fuêre. Hæc Spondanus ad annum 1302. ex Joanne Villanio lib. 8. cap. 49. Ptolomæo Lucenſi, Continuatore Guillelmi de Nangiaco, qui poſt eum editus eſt Tomo XI Spicilegii Dacheriani, Aretino, Antonino & aliis, ac tandem ex Epiſtolis Bonifacii datis *Laterani VIII Idus Decembris anno VIII* Pontificatûs, & *Anagniæ XII Kalend. Junii anno IX.* Ceterum Carolus Valeſius eodem anno 1302. in Franciam à Philippo fratre Rege revocatus menſe Novembri rediit.

LIII. *Origo diſſidii inter Bonifacium PP. & Philippum Franc. Regem.*

Graviſſimum diſſidium inter Bonifacium Papam & Philippum Francorum Regem natum, quod utinam æterno ſilentio involutum fuiſſet;

Regi

Regi enim multas ærumnas attulit, Pontifici immaturam mortem; cauſæ multæ præceſſerunt; quas hîc, ſicuti & illud diſſidium, quanta potero brevitate attingam. Primò quidem cum Bonifacius anno 1300. miſſis quoquoverſum ſacræ militiæ præconibus, omnes Principes ad mittenda auxilia Caſſano Tartarorum Regi, religione Chriſtiano, qui Soldanum Aegypti Syriæ imperantem apud Emeſam ingenti prælio devicerat, & in Aegyptum fugaverat; à laicis etiam ſubſidia poſtulaſſet, & præ ceteris Philippum Regem de his ſollicitaſſet, apud eum parum profecit, quod bello Flandrico diſtractus, & pecuniis indigens, nec copias tranſmittere, nec collectas ad id operis decimas dare, aut alias in regno ſui exigi, præter eas quas nuper idem Pontifex Carolo Valeſio fratri in Italiam evocato dari præceperat, permittere poſſe excuſavit. Diſſenſiones auctæ ſunt ex eo, quod Philippus Columnenſes implacabiles Bonifacii hoſtes apud ſe perfugas recepiſſet, eorumque defenſionem ſuſcepiſſe crederetur. Quæ duo fuerunt non minimæ, commotionis Pontificis in Regem cauſæ. Sed ejuſdem diſſidii cauſa fatalis erupit anno 1301. quo Bonifacius Bernardum Epiſcopum Appamienſem, de quo ſupra num. XIX legavit ad Philippum Regem, qui eum ad expeditionem Orientalem impelleret, vetaretque decimas ad eum inductas in alios uſus convertere, & vacantium Eccleſiarum fructus ſibi retinere, earumque titulos citra conſenſum Pontificis conferre, ac libertatem Eccleſiaſticam violare; quæ omnia Rex facere dicebatur. Hæc cum prædictus Epiſcopus, Bonifacii Pontificis benevolentia fretus, qua loco laudato vidimus, renuente Rege creatum fuiſſe Epiſcopum, inſolenter nimis exponeret, minaſque depoſitionis, niſi Pontifici ſuffragarentur, Regi intentaret; iratus Rex eum in cuſtodiam Archiepiſcopo Narbonenſi ipſius Metropolitano tradidit. Ita plerique Auctores, ſed antiquiores inſinuant, Bernardum obtentu conſpirationis in Regem, & quod jactaret, nihil ſe ei debere, ſed tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus ſoli Pontifici ſubeſſe, accerſitum eſſe à Rege, ac Archiepiſcopi cuſtodiæ traditum, judicandum ab eo unà cum Epiſcopis comprovincialibus, poſteaque puniendum. In Actis verò Conventûs apud Silvanectum, ad hoc à Rege celebrati, & aliis proinde geſtis, quæ Lutetiæ repeciuntur in archivis Regiis, ſeptem accuſationum capita Bernardo objecta recenſentur apud Spondanum anno 1301. num. 6. legenda. *SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.*

LIV. *Acerba ad Regem Pontificis legatio.* His auditis Bonifacius, ut erat ardentioris ingenii, continuò ad Regem miſit Jacobum de Normandis Archidiaconum Narbonenſem Notarium ſuum, virum inſignem, qui nomine ſuo Philippo Regi mandaret, ut miſſum faceret Epiſcopum Appamienſem, & à vexando Clero, ab opprimenda libertate Eccleſiaſtica, & à collatione ac uſufructu quorumcumque beneficiorum abſtineret, nec communem omnium

Digitized by Google

SEC.XIII. BONIFACIUS VIII. nium Chriſtianorum utilitatem, in iis quæ ad Terræ Sanctæ expeditionem pertinerent, perverteret. Id ſi non impetraret, conteſtaretur regnum Franciæ ob contumaciam Philippi, ad Sedem Apoſtolicam devolvi, cui omnes Reges eorumque regna ſubeſſent: adderetque anathema, & ſubditos à ſacramento fidelitatis abſolveret: atque inſuper omnes Antiſtites & Doctores Romanæ juberet adeſſe Synodo Kalendis Novembris anni 1302. celebrandæ; ut de eorum conſilio corrigerentur injuriæ, & damna, quæ per Regem, ejuſque miniſtros & officiales, tam Eccleſiaſticis, quàm laicis illata fuerant.

LV. *Indignatio Regis in Pontificem.* Hæc cum Archidiaconus Narbonenſis Pariſios appulſus diligentiſſimè exequi ſatageret, literæ Pontificiæ ei ereptæ ſunt, ac præſente Rege, nec impediente per Comitem Attrebatenſem palam in ignem conjectæ & combuſtæ ſunt, Archidiacono procul faceſſere juſſo, unà cum Epiſcopo Appamienſi libertati tradito. Moxque Philippus Rex celebratis trium regni Ordinum comitiis, cum cuncti in Bonifacium Papam, tum ob prædicta in dedecus regni, & regiæ auctoritatis depreſſionem intentata, quàm ob plura accuſationum capita ei oppoſita, quæ illum Pontificatu prorſus indignum redderent, conclamarent; ſeverè prohibuit, ne quis ex Eccleſiaſticis Romam peteret, aut aurum vel argentum è regno extraheret, cuſtodibus ubique appoſitis, ne ullæ aliæ Pontificiæ literæ in regnum deveherentur; tandemque unum è ſuis præcipuis Conſiliariis nomine *Petrum Flottam* militem, dominum Revelli & caſtri Eſcolli diœceſis Claromontenſis in Alvernia, ad Pontificem miſit, qui cuncta ei intrepidè ſignificaret. Hæc ita geſta eſſe, tam ex antiquis Scriptoribus, Ptolomæo Lucenſi & Eberardo in Annalibus, Chronico Monfortiano, Continuatore Martini Poloni, Guillelmi Nangii Continuatore, Bernardo Guidonis in Chronicis, Joanne Villanio lib. 8. cap. 62. & aliis, quàm ex literis Antiſtitum ad Bonifacium Papam poſtea datis, intelligi ſcribit Spondanus loco laudato num. 7. ex quo hæc & ſequentia excerpta, cum omnia ferè retulerit ex Actis & Epiſtolis tunc ultrò citroque factis & miſſis, quibus nihil certius eſt in Hiſtoria.

LVI. *Rex prohibet abſtractionem pecuniæ è regno.* In codice MS. Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis notato MM. 7. fol. 89. reperitur decretum Regium editum Pariſiis die 17. Auguſti anni 1296. quo, ut ait, ad ſtatum proſperum & defenſionem neceſſariam regni, Rex inhibuit, ne quis cujuſcumque conditionis, nationis aut dignitatis, aurum, vel argentum, ſive in maſſa, ſive in moneta aut vaſis, aliâve qualibet formâ, lapides pretioſos, victualia, arma, equos terra vel aqua extrahere è regno, aut literas pro pecuniis intra fines regni deportatis extra illud aſſignandis conficere, abſque ſpeciali Regis licentia præſumeret, ſub pœna confiſcationis tam rerum ipſarum, quàm bonorum tranſgreſſorum. Ideo autem id ſe edixiſſe dicit Rex, quia cum ad regni impugnationem hoſtilis iniquitas ex diverſis undique

dique partibus ſuæ conatus malignitatis exerceret, de bonis & facultatibus ejus vires adverſantium augeri poterant. Ita in eo edicto legitur. Sed quod tunc univerſim prohibitum fuerat, & à Pontifice utcumque toleratum, anno demum 1301. cum res in apertum diſſidium prorupit, etiam ad Romanam Curiam ſpeciatim extentum fuit. Unde & Pontifex, ac pro ceteris, quæ diximus, in Comitiis regni contra ipſum decretis, ipſe quoque aſperiùs in Regem agere cœpit.

LVII. *Bonifacius ſuſpendit gratias Regibus Franc. factas.*

In eodem enim codice fol. 66. continetur Bonifacii Conſtitutio data Laterani 2. Nonas Decembris anno Pontificatûs ſeptimo, ideoque anno 1301. quæ incipit, *Salvator mundi*, qua Pontifex ſuſpendit omnia privilegia & gratias factas Regi Philippo ejuſque ſucceſſoribus, & Clericis ac Laicis, qui de eorum ſtricto conſilio forent, uſque ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum; ob damna, quæ eorum occaſione per abuſum Eccleſiis & Eccleſiaſticis regni inferrentur. Atque inſuper quidquid Prælatis & aliis Eccleſiaſticis titulo decimæ, vel cujuſvis ſubſidii impoſitum fuiſſet, etiamſi ipſi aſſenſum præſtitiſſent, abſque ejuſdem ſedis ſpeciali mandato decrevit non ſolvendum. Mandans nihilominus prædicta privilegia & gratias ſibi exhiberi Kalendis Novembris anni conſequentis 1302. ad quas Synodum Romæ Gallis indixerat, ut iis conſideratis providere poſſet, utrum hæc ſuſpenſio foret in aliquo moderanda. Conſtitutionem illam, ſeu potius literas Bonifacii juſſu Clementis V omninò poſtea eraſas eſſe è Regiſtro Vaticano ſcribit Raynaldus ad annum 1301. num. 30.

LVIII. *Ejuſdem Pontificis Epiſtola monitoria ad Regem.*

Biduo poſt, hoc eſt Nonis Decembris gravem Epiſtolam ad Regem ſcripſit Pontifex, quæ integra reperitur in alio codice ejuſdem bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis p. 13. fol. 25. quæ incipit, *Auſculta fili chariſſime præcepta patris*, quâ dicens ſe conſtitutum à Deo ſuper Reges & regna ad avellendum, deſtruendum, ædificandum, atque plantandum ſub ejus nomine, & ut gregem paſcens dominicum conſolidet infirma, ſanet ægrota, vinumque infundat & oleum vulneribus ſauciatis; hortatur Regem, ne ſibi perſuaderi ſinat, ſe ſuperiorem non habere, nec ſubeſſe ſummæ hierarchiæ Eccleſiæ. Decipere enim, qui ſic ſapit, & pertinaciter hoc affirmantem convinci Infidelem, nec eſſe intra boni paſtoris ovile. Monet ipſum poſtea de multis exceſſibus, quos ab eo commiſſos ait, & ut vel per ſe ipſum, vel per fideles & providos viros diligenter inſtructos interſit Synodo Romæ celebrandæ Kalendis Novembris anni 1302. in qua res ordinare ſtatuerat ad Regis directionem ac ſalutem & fœlix regimen regni. Prolixæ hujus Epiſtolæ ſummam refert Spondanus, minimam verò ejus partem edidit Raynaldus loco laudato num. 31. dempris omnibus locis, quæ notat non reperiri in Regiſtris Vaticanis, utpote penitus eraſa & deleta ejuſdem Clementis V juſſu in gratiam Philippi Regis.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

LIX. *Epiſtolium breve Bonifacii nomine Philippo Regi redditur.*

Quamvis contenta in dicta Epiſtola amariora in multis videri poſſint, longe tamen deterius accidit. Petrus enim Flotta, quem à Rege ad Bonifacium miſſum diximus, eo proceſſit fiduciæ cum Pontifice, ut cum minas in Regem intentaret Pontifex, reſponderit ei, *Sancte Pater Gladius veſter eſt verbalis, ſed Gladius domini mei eſt realis*, ſicut legitur in veteri Chronico S. Dionyſii. Quod ſi verè dixit, inquit Spondanus, ignem è ſilice quærebat enſe excitere: nec putandum eſt mandatum adeo acerbum habuiſſe à Rege, ad quem revertens Petrus Flotta maligno animo & ad diſſenſiones augendas ſolum intento, prædictam illam prolixam Epiſtolam ſibi à Bonifacio communicatam celans, ſummarium ejus ita compoſuit, ut ea tantum quæ Regi injurioſa videri poterant, exprimens, ac ſequiori ſenſu interpretans; de ſuoque acerbiora immiſcens, ſic Regi propoſuerit, ac ſi verè ita à Pontifice, nihilque aliud ſcriptum fuiſſet. Bonifacii itaque nomine Regi obtulit brevem Epiſtolam datam, ut ſuppoſuit, Laterani Nonis Decembris anno Pontificatus ſeptimo (nempe eodem ipſo die, quo ſcripta erat prolixior illa Epiſtola, ut nullum dubium ſit, hanc breviorem ejus loco ſuppoſitam fuiſſe) quæ ſic habet in prædicto codice Victorino fol. 53. *Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Philippo Francorum Regi. Deum time & mandata ejus obſerva. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & prabendarum ad te collatio nulla ſpectat. Et ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, uſumfructum eorum ſucceſſoribus reſerves. Et ſi qua contuliſti, collationem hujuſmodi irritam decrevimus, & quatenus de facto proceſſerint revocamus. Alind autem credentes, hæreticos* (Nicolaus Gillius in Annalibus & alii qui exſcripſerunt, *fatuos* legunt) *reputamus. Dat Later. Non. Decemb. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

LX. *Sed illud à Petro Flotta ſuppoſitum.*

Hanc venenoſam Epiſtolam ex parte Bonifacii ad Regem detulit Petrus Flotta, quam qui decurtatam eſſe non viderit, plane cæcum eſſe oportet, inquit Spondanus. Quis enim unquam ita ſtricte ſcripſerit? vel ipſis laconibus tanta breviloquentia ſuſpecta fuiſſet. Certè hanc Epiſtolam Bonifacio fuiſſe ſuppoſitam jam ſuſpicatus fuerat Paulus Æmilius lib. 8. Annal. Franc. *Extant*, inquit, *regia majeſtatis, Pontificiſque alterna Epiſtola utrimque miſſa, plena conviciis, ignominioſaque ſi modo vera, ab ipſiſque compoſita, & non conficta ab aliis, quod ſimilius vero ſit.* Jure autem merito tàm Paulus Æmilius, quam Spondanus hanc Bonifacii ad Regem Epiſtolam confictam exiſtimant; ſi enim eam verè ſcripſiſſet Bonifacius, ea ſine dubio è Regiſtro fuiſſet eraſa & deleta juſſu Clementis V, qui, ut mox diximus, alias minus duras deleri præcepit; cum præſertim tam hæc, quàm illa Philippi Regis ad Bonifacium, de qua mox, non Pontificiam & Regiam majeſtatem, ſed iratæ mulieris ex plebe ingenium prodant.

Nam

Digitized by Google

Nam poſtquam in Galliam delatæ fuêre anno 1301. per Archidiaconum Narbonenſem Nuncium Apoſtolicum literæ Bonifacii ad Regem, de quibus ſuperius, unà cum ficto Epiſtolio Petri Flottæ: Prælati quidem juſſu Regis in unum congregati Pariſiis die decima Aprilis anni 1302. illis diligenter & ad omnem rigorem examinatis, legationem trium Epiſcoporum, ſcilicet Noviomenſis, Conſtantienſis & Biterrenſis ad Pontificem decreverunt cum literis quæ extant in codice Vaticano 4177. unde & eas exſcripſit Bzovius ad annum 1302. quibus & ſe valde mirari teſtantur de inaudita eatenus propoſitione ſubjectionis regni Franciæ; & Regem ab objectis criminibus vindicantes, excuſarent ſe Romam accedere prohiberi, ne regnum tot ſimul columinibus in tanta quaſſatione deſtitueretur. Rex autem commotior irritatiori ſpiritu & aculeatiori ſtylo contra falſum Epiſtolium, quod verum credebat, in hæc prorupiſſe dicitur: *Philippus Dei gratia Francorum Rex Bonifacio gerenti ſe pro Summo Pontifice, ſalutem modicam ſeu nullam. Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non ſubeſſe. Eccleſiarum ac præbendarum vacantium collationem ad nos jure Regio pertinere, fructus earum noſtros facere: collationes à nobis factas, & faciendas fore validas in præteritum & futurum, & earum poſſeſſores contra omnes viriliter nos tueri: ſecus autem credentes, fatuos & dementes reputamus. Datum Pariſius*, &c.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. LXI. *Reſponſio Regis*

Hæc fortè nomine Regio, eoque inſcio, aut non advertente, ab eodem Bonifacianæ Epiſtolæ falſario Flotta, aut alio paris malignitatis calumniatore fabricata fuiſſe, ſuſpicatur Spondanus, quandoquidem, inquit, diſertè ſcribit Continuator Nangii Monachus Sancti Dionyſii tunc vivens, & quæ gerebantur, videns, Regem deſtinaſſe ad eumdem Pontificem Petrum Epiſcopum Antiſiodorenſem, rogatum ut ſui amore ſuperſederet negotio pro quo Epiſcopos vocaverat uſque ad tempus magis opportunum. Sed memoria ibi labitur Spondanus Continuatori Nangii attribuens, quod ab aliquo alio Auctore ſcriptum fuiſſe oportet, cum in hoc Continuatore, qui extat Tomo XI Spicilegii Dacheriani, ne verbum quidem reperiatur de iſto Petro Antiſiodorenſi Epiſcopo. Certè Epiſtolæ brevis Bonifacii ad Philippum Regem falſatio à Petro Flotta, de qua expreſsè loquitur Bonifacius ipſe in Sermone quem habuit, ſumpto hoc themate; *quod Deus conjunxit homo non ſeparet*, qui extat in laudato codice Victorino MM. fol. 81. non levem ſuſpicionem injicit, ipſum eumdem Flottam vel fabricaſſe hanc Philippi reſponſionem, vel ſaltem inſcio Rege eam ſcripſiſſe. Quare eam alibi reperiri non exiſtimo quàm in archivis Regiis, ex quibus cum aliis Actis judicialibus excuſa Pariſiis anno 1655. in Actis inter Bonifacium & Philippum, tanta aviditate ab Heterodoxis recepta eſt, quanta deteſtatione à bonis perlecta.

LXII. *Ab eodem Flotta vel falſata, vel Rege inſcio exarata.*

Digitized by Google

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

LXIII. *Quo ſenſu Bonifacius PP. intellexerit ſubjectionem regnorum Eccleſiæ.*

Ceterum Bonifacius in eodem ſermone aſſerit Petrum Flottam impoſuiſſe ſibi, quod mandaſſet Regi ut recognoſceret regnum ſuum ab ipſo: quinquaginta jam annis ſe expertum eſſe in Jure, & ſcire duas eſſe poteſtates ordinatas à Deo; ideoque neminem debere vel poſſe credere, tantam fatuitatem, tantamque inſipientiam fuiſſe vel eſſe in capite ſuo: proteſtari ſe quod in nullo vellet uſurpare juriſdictionem Regis: Regem tamen negare non poſſe, quin eſſet Pontifici ſubjectus ratione peccati. Ex quo apertè probatur, Bonifacium alienum fuiſſe ab illo ſupercilio quod plerique omnes ei impingunt de ſubjectione temporali regnorum omnium; ac ſpeciatim Francici, & quo ſenſu eam intellexerit. Eadem de re Cardinales per Epiſtolam die 26. Junii anni 1302. datam apud Joannem Palatium, Duces, Comites ac Francorum Barones certiores fecêre nunquam ſcripſiſſe Pontificem Regi *ut regnum ſuum in temporalibus à Romano Pontifice recognoſceret, illudque ab eo tenere profiteri cogeretur. Sed ſolum ſpiritualibus temporalia ſubeſſe; Romanum Pontificem ſummum eſſe in Eccleſia Hierarcham, ac poſſe omnem hominem arguere de peccato.* Plura hac de re Spondanus ad annum 1302. ubi num. XI explicat, quo ſenſu intelligenda ſit celebris illa ab eodem Bonifacio edita conſtitutio XIV Kal. Decembris ejuſdem anni, quæ incipit, *Unam Sanctam*, & extat inter Extravag. Comm. lib. 1. tit. de major. & obedient. in qua agit de auctoritate & poteſtate Eccleſiæ, duplicique gladio ei à Chriſto domino tradito. De ea Conſtitutione vide dicenda in Clemente V.

LXIV. *Bonifacius Alberti Regis Rom. electionem confirmat, contra Philippum Regem.*

Anno Chriſti 1303. Bonifacius Papa hanc cauſam vehementi ardore proſequens, ut haberet quem opponeret Philippo Regi, Alberti Romanorum Regis electionem, quam ante rejecerat, confirmavit recepta ab eo promiſſione ſatisfactionis omnium injuriarum, ac facinorum à ſe commiſſorum & juramento fidelitatis, ac confirmatione privilegiorum & donationum ab aliis Imperatoribus, Regibuſque Romanorum conceſſarum; omnes defectus qui in ejus electione intervenerant, aut tulit, aut Apoſtolica auctoritate ſupplevit literis datis *Laterani II Kal. Maii anno IX* Pontificatûs, quæ extant apud Raynaldum anno 1303. num. 2. ubi & num. 9. refert literas Alberti, quibus fidem Pontifici obſtringit, veteraque Eccleſiæ Romanæ jura illi aſſerit datas *apud Nuremberg anno domini MCCCIII, indictione prima, XVI Kalendas Auguſti.* Iiſdem literis Bonifacius omnia quæ ab Alberto à ſua electione ad hujuſmodi confirmationem geſta fuiſſent in regni adminiſtratione rata habuit; ſed aliis literis eadem die datis, quas extare apud Bzovium ſcribit Spondanus, omnes uniones, confœderationes, ſocietates & pactiones cum quibuſcumque Regibus aut Principibus in præjudicium Romanæ Sedis & Imperii ab eodem Alberto factas, etiamque juramento firmatas irritavit, nullas dixit, & quæcumque juramenta quibuſcumque verbis con-

cep-

Digitized by Google

cepta relaxavit. Fuiſſe autem illa omnia contra Philippum Regem, & te‹ſ›antur Scriptores omnes, qui de iis egerunt, & facile eſt cuivis perſpicere; inſignem enim, ut ait Ciaconius, habuit orationem, quæ adhuc extat, cujus initium eſt, *Refulſit ſol qui erat ſub nubibus*, qua exponens eum locum 1. cap. Geneſis, *creavit Deus duo luminaria in firmamento cœli* de Pontifice & Imperatore, Imperatorem deinde bonis, ut ſolem, malis ut lunam eſſe dixit, tanquam totius mundi monarcham: multa in Gallicanum faſtum cum oſtentatione perorans. Hanc inter ceteras prætexuiſſe Philippum offenſionis cauſam in Bonifacium, ſcribit Joannes Villanius lib. 8. cap. 62. quòd cum Pontifex pollicitus ei fuiſſet Romanum Imperium à Germanis in Gallos reducere, & primùm Carolo Valeſio fratri Regis aſſignari, nihilominus illud Alberto aſſeruiſſet.

SEC. XIII. Bonifacius VIII.

LXV. *Philippum Regem excommunicatum denunciari Legato ſuo jubet.*

Antequam ad ultima remedia adversùs Regem deſcenderet Bonifacius, aliam viam experiri deliberavit, miſitque in Franciam Legatum *Joannem Monachi* tit. SS. Petri & Marcellini Presbyterum Cardinalem, natione Gallum, patria Ambianenſem, virum plane inſignem, qui Regem induceret ut amicè Sanctæ Sedi de XIII capitibus ſatisfaceret, quorum ſummam refert Spondanus num. 2. Verùm cum Philippi reſponſiones Pontifici viderentur inanes, ſcripſit dicto Legato literas, quæ extant in dicto codice Victorino p. 13. quibus ſignificavit, haud ſe revocare in dubium, quin Philippus Rex ſententiis anathematis & excommunicationis contentis in proceſſibus, præteritis ſolemnibus diebus, nempe in die Cœnæ domini, quæ anno 1303. cum die quarta Aprilis concurrebat, de more promulgatis contra omnes generatim, qui obſtarent, ne Romam iretur, aut pecuniæ eò deferrentur, eſſet ligatus, quantumcumque regali præfulgeret dignitate, non obſtantibus privilegiis quibuſcumque ſibi ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari poſſet conceſſis; quæ omnino ipſe Pontifex revocanda duxiſſet, ad hoc ut contra hujuſmodi ſententias & proceſſus per ea nequiret ſe Rex tueri, quominus iis includeretur, ex eo quòd ad Sedem Apoſtolicam venientes, & ab ea recedentes multipliciter impediri mandaſſet, & ſpecialiter Prælatos Romam à Pontifice vocatos ire prohibuiſſet. Qua de cauſa ſe eumdem Regem nominatim à communione fidelium & perceptione ſacramentorum nunciare excluſum, & per ipſum Legatum, vel per alium præcipere nunciari: Et quicumque cujuſcumque dignitatis auſus foret ea illi adminiſtrare, aut coram ipſo Miſſam celebrare, ſe illos excommunicationis ſententia percellere; graviuſque contra ipſos acturum tam ſpiritualiter, quàm temporaliter: præſertim cum Rex oblatum ſibi à Pontifice per Legatum impendendum abſolutionis beneficium recipere contempſiſſet: Hoc ei denunciari procuraret, & ubique ſolemniter publicari: Ac fratri Nicolao Ordinis Prædicatorum ejuſdem Regis olim

Digitized by Google

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. Confeſſori diſtrictè præciperet, ut intra ſpatium trium menſium perſonaliter ſe coram Pontifice ſiſteret, recepturus pro meritis, aut ſuam innocentiam probaturus. Eodem die, nempe Idibus Aprilis, alio decreto, quod ibidem extat fol. 29. Prælatis & aliis Eccleſiaſticis atque Doctoribus, qui ab ipſo Pontifice Romam vocati ire neglexiſſent, in diverſis regni provinciis publice diem dici operâ dicti Cardinalis, ad ſe ſe intra tres menſes, per ſe, vel per procuratores idoneos, coram Pontifice ſiſtendum mandavit,

LXVI. *Rex conventum Pariſiis celebrat in quo proponuntur injurioſſima in Pontificem accuſationes.*

Hæc mandata, qui deferebat Nicolaus Benefractus Archidiaconus Conſtantienſis in Normannia, ejuſdem Joannis Monachi Legati familiaris, antequam ad dominum ſuum pervenire potuiſſet, Trecis comprehenſus cuſtodiæ traditus eſt, vetante Rege eum dimitti, & petenti ejus liberationem Legato denegante. Pariſiis inſuper Rex celebravit magnum Conventum Prælatorum, Doctorum & procerum, ut adverſus tantas molitiones munimentum quæreret, cujus exitum veritus Legatus, qui jam obſervari juſſus fuerat à Rege, ne cum aliquo agere, aut liberè quo vellet ire poſſet, ante ejus celebrationem, noctu clam receſſit Romam verſus, ne vel Papæ indignationem, à quo revocatus fuerat, vel Regis odium ei reſiſtendo incurreret. Celebratus eſt itaque Conventus ille, cujus Acta publica per Notarios confecta anno milleſimo trecentenſimo tertio, indictione prima, decimo tertio & quarto Junii, diebus Jovis & Veneris, Pontificatûs Bonifacii VIII anno nono, extant in dicto codice Victorino p. 13. fol. 30. & in Actis Pariſiis impreſſis anno 1655. rerum inter Bonifacium & Philippum geſtarum. In eo Conventu per Guillelmum de Pleſſeiano Militem, Dominum Vicenovii cum aſſeſſione Ludovici Comitis Ebroicenſis filii Regis, & Guidonis Sancti Pauli ac Joannis Drocenſium Comitum, propoſitæ fuerunt quamplurimæ in Bonifacium accuſationes diverſarum hæreſum, necis Cœleſtini V Papæ, & illegitimæ intruſionis in Sedem Apoſtolicam, ſimoniæ, luxuriæ, gulæ, ſævitiæ, ſacrilegii, magiæ, contemptus rerum ſacrarum & ceremoniarum Eccleſiaſticarum; maledicentiæ in quoſcumque Prælatos & Religioſos, fomenti bellorum & diſſenſionum inter principes Chriſtianos; commotionis Principum contra Regem, & gentem Francorum, quos tanto odio proſequeretur, ut aſſereret præcipitaturum ſe totam Eccleſiam & univerſum mundum, ſi aliter non poſſet eorum ſuperbiam comprimere; atque etiam propterea confirmaſſe Regem Germaniæ in futurum Imperatorem, publicè prædicando ſe id facere, ut deſtrueret ſuperbiam Francorum, qui jactabant ſe nemini ſubeſſe temporaliter; & anathema iis inferendo quicumque negarent omnes Reges mundi ſubeſſe eidem Regi Germaniæ; & aliorum enormium criminum.

Prop-

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

LXVII. *Ex eo ſit appellatio ad futurum Concilium.*

Propter hæc idem Pleſſeianus adhærendo appellationi & proceſſui ſuper his jam antea per nobilem virum Guillelmum de Nogareto factis, appellavit pariter & provocavit ad ſacrum Concilium Generale convocandum, & ad Sanctam Sedem Apoſtolicam; non odio Bonifacii, ſed zelo fidei & devotionis ad ſanctam Dei Eccleſiam & Sedem Romanam; rogans Regem, ad quem ſpectaret earum defenſio, ac Prælatos, qui futuri eſſent Judices in Concilio procurare efficaciter, ut illud loco & tempore congruo celebraretur, in quo ipſe Pleſſeianus propoſita probare valeret. Poſt quæ Rex Prælatos iterum requirens provocavit pariter. Ipſique demum Prælati ibi præſentes, videlicet quinque Archiepiſcopi, unus & viginti Epiſcopi, Abbates inſignes undecim, cum viſitatore domorum Ordinis Militiæ Templi, ac S. Joannis Jeroſolymitani in Francia, & S. Martini de Campis Pariſienſis prioribus; adhæſerunt ſimiliter prædictis requiſitionibus de congregando Concilio, ad diſcutiendas accuſationes contra Bonifacium prolatas: ſalvis tamen in omnibus, ut diſertè exceperunt, ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ honore & reverentia, à qua nullo modo recedere vellent.

LXVIII. *Bonifacius ab objectis ſe purgat, & excommunicationis decretum in Regem promulgare parat.*

His Bonifacius Papa auditis, Anagniæ exiſtens primùm omnium publico Patrum conceſſu purgavit ſe ſolemni jurejurando de objectis ſibi à Rege ejuſque miniſtris, criminibus; remque, ut diximus geſtam narrans, decimo octavo Kalendis Septembris, ipſa die Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis, declaravit inſuper, ut conſtat ex ſupradicto Codice Victorino MM. fol. 72. Regem prohibuiſſe ne ullus nuncios vel literas Pontificis reciperet, aut ei in aliquo obediret; ac Stephanum de Columna, ipſius Pontificis & Romanæ Eccleſiæ hoſtem in regno ſuo recepiſſe. Qua verò charitate, quove zelo hæc tam fatua, tamque ſuperba præſtiterit facile intellectu eſſe. Hæc & alia plura in eumdem ſenſum peroravit. Demum verò alia conſtitutione eadem die data, quæ extat ibidem fol. 78 juxta Spondanum, cenſuras in Regem immiſſas denuò confirmans, eum diris devovit; regno ſacris interdixit; Academias jure docendi privavit; ſubditos omnes ſacramento ſolvit; regnum Alberto Romanorum Regi ſubjecit, illudque invadere juſſit; Flandros & Anglos Philippi hoſtes acriùs in eum concitavit; denique nihil intentatum reliquit, quo ipſum a regno deturbaret. Hæc omnes Hiſtoriarum & Chronicorum Scriptores teſtari aſſerit idem Spondanus, qui addit, ſe vidiſſe in eodem codice Victorino fol. 74. decretum ipſum excommunicationis, quod incipit, *Super Petri ſolio*, quod etiam editum eſt in Actis impreſſis inter Bonifacium & Philippum, quodque datum dicitur *Anagniæ in Aula palatii 8. Idus Decembris*, *Pontificatus anno nono*, quia ſcilicet eo die promulgandum erat. Eo decreto poſt aliqua præmiſſa de auctoritate Sedis Apoſtolicæ in regendis quibuſcumque Chriſtianis in virga ferrea & directionis; non tamen adhuc aſſumere

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. mere ſe ait, quamquam juſtè poſſet, ferream ad confringendum, ſed directionis in viam ſalutis, quin imò neque Judicis, ſed tantum denunciatoris officium agentem nullas pœnas Philippo Regi ſe imponere, ſed propter exceſſus ſuos jam notoriè excommunicato inflictas potius à jure intimare. Deinde breviter repetens quæ geſta fuiſſent cum ipſo, & ab ipſo, demum ex iis denunciat eum excommunicatum, & ſubjectos ab ejus fidelitate & obedientia abſolutos; prohibendo ſub interminatione anathematis, ne quis ullum omninò ei obſequium præſtaret, aut beneficia ab eo acciperet, & confœderationes cum quibuſcumque Principibus reſcidit. Monuit ultimò, ut à facie arcus fugiens reſipiſceret, ad obedientiam rediret, & ad dominium converteretur, ne juſto in eum judicio ipſe Pontifex animadvertere compelleretur.

LXIX. *Conſilia agitantur contra Bonifacium PP.* Sed illud excommunicationis decretum promulgatum non eſt; die enim ſeptima Septembris Bonifacius captus eſt, & decretum die tantum ſequenti promulgandum erat. Nam conſiliis evertendi Pontificis inter Columnenſes Bonifacii hoſtes, quos Rex fovebat, & Guillelmum Nogaretum de Sancto Felice, Aquitanici Generis nobilem militem, eximiumque legum Doctorem, & primarium Philippi Regis conſiliarium, & Guillelmum Pleſſejanum, æque acerbi ingenii hominem, communicatis: iidem Columnenſes & Nogaretus in Hetruriam delati, Staggiæ prope Senas conſedêre: ſpecie quidem opportunitatem quærendi tractandæ cum Pontifice pacis, aut poſtulandæ celebrationis Concilii; re autem vera, ut interim per occultos nuncios corruptis auro quibuſdam Campaniæ proceribus, nonnulliſque ex ipſa Anagnia, patria ſua ubi tum agebat, nobilibus viris; quin etiam, ut fama fuit, aliquot Cardinalibus Gibellinæ factionis, exque ipſiuſmet Pontificis domeſticis & familiaribus non paucis in partes tractis, propoſitum facinus executioni mandarent.

LXX. *Bonifacius PP. Anagniæ capitur.* Dum itaque Bonifacius intentus eſſet ſcribendo decreto excommunicationis, quod in Philippum Regem die octava Septembris promulgandum erat, die ſeptima ejuſdem menſis, hoſtium inſidias non cavens, in eorum poteſtatem cecidit. De quo funeſto caſu hæc habet Bernardus Guidonis hujus temporis Auctor: *Eodem anno milleſimo trecenteſimo tertio in vigilia Nativitatis B. Mariæ Virginis, dum Bonifacius Papa Anagniæ in patrio ſolo & civitate propriæ originis cum ſua curia reſideret, ubi tutus eſſe amplius meritò crederetur in gente ſua & populo & natione, ibidem conſciis aliquibus domeſticis ſuis proditus fuit, captuſque atque tentus: & theſaurus ſuus atque Eccleſiæ depradatus & aſportatus, non ſine magna ignominia Eccleſiæ & dedecore grandi. Cardinales verò timentes, relicto eo, fugerunt, duobus exceptis, ſcilicet domino Petro Hiſpano Sabinenſi, & Domino Nicolao Oſtienſi Epiſcopis. Cujus captionis & ſceleris vexil-*

vexillifer fuit Guillelmus de Nogareto de Sancto Felice, diœceſis Toloſana, SEC. XIII.
complicibus & conſentaneis Columnenſibus, ex quibus duos olim decapella- BONIFA-
verat Cardinales. Super ipſum itaque Bonifacium, qui Reges & Pontifices, CIUS VIII.
ac Religioſos, Clerumque ac populum horrendè tremere fecerat & pavere, repente timor, & tremor ac dolor una die pariter irruerunt, aurumque nimis ſitiens perdidit & theſaurum: ut ejus exemplo diſcant ſuperiores Prælati non ſuperbè dominari in Clero & populo, ſed forma facti gregis ex animo curam gerere ſubditorum, priuſque amari appetant quam timeri. Hæc Bernardus apud Raynaldum, quæ ipſiſſima verba leguntur apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hiſtorico ex MS. codice, quem apud ſe extare ait ſine Auctoris nomine.

LXXI. *Inter hoſtes conſtantiſſimè ſe gerit.*

Induiſſe Bonifacium Pontificalia ornamenta & Chriſti è cruce pendentis effigiem amplexum manibus, cum irruptionem hoſtium ſenſit, Ptolomæum Lucenſem Hiſt. Eccleſ. MS. lib. 24. cap. 36. & Jordanum etiam MS. in bibliotheca Vaticana, ſcribere aſſerit Raynaldus, à quibus non diſſentit Sanctus Antoninus part. 3. tit. 10. cap. 8. §. 21. ubi Bonifacii animi magnitudinem, in hoc periculo quod non prævideřat, ſic deſcribit: *Animadvertens civitatem captam & palatium ſuum, judicavit ſe mortuum; ſed ut magnanimus & imperterritus, ait: Ex quo proditoriè ſicut Jeſus Chriſtus captus ſum & deditus in manibus inimicorum, ut occidar, ut Papa mori decerno. Et fecit ſe parari veſtibus ſacris cum pallio ſeu ammanto B. Petri & corona aurea à Conſtantino Silveſtro Papa collata, & cum clavibus & cruce in manibus reſedit in Papali throno. Ad quem accedens dictus Sciarra* (Columna) *cum aliis ſuis inimicis, verbis contumelioſis aggreſſi ſunt Pontificem & deriſerunt circumſtantes eum, & familiares ejus, qui cum ipſo remanſerant. Inter alios eum illuſit dominus Guillelmus de Lunghareto* (legendum de Nogareto) *qui pro Rege Franciæ tractatum duxerat captura Pontificis & minatus eſt ei, quod ligatum ipſum duceret Lugdunum, ut in Generali Concilio ſolemniter deponeretur. Cui Papa, non corde deficiens, reſpondit: Patienter feram me condemnari & damnari & deponi per Paterenos* (Patereni, ſeu Paterini vocabantur hæretici Albigenſes) *cujuſmodi erat ipſe cum progenitoribus ſuis, ut Paterenis igne combuſtis. Quibus verbis confuſus dominus Guillelmus reticuit. Domino autem diſponente ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis, nemo ex inimicis ejus auſus fuit mittere in eum manus, ſed indutum ſacris veſtibus dimiſerunt ſub honeſta cuſtodia, & ipſi inſiſtebant prædæ, diripientes theſaurum ejus & Eccleſiæ, quem in palatio Papæ invenerunt.* Hæc omnia inſcio Philippo Rege facta eſſe ex eo deducit Spondanus, quod Benedicto XI & Clementi V ſucceſſoribus Bonifacii certo poſtea conſliterit, nihil Philippum durius in Bonifacium ſtatuiſſe, quàm ut ei appellatio in Conventu Pariſienſi decreta enunciaretur: adeo ut quod præterea Nogaretus ad id nullus operatus eſt, cum fuerit ultra mandati fines, non Regi impu-

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII. randum fuerit, ſed ipſi Nogareto, atque etiam præcipuè Sarræ Columnæ impii & execrandi facinoris inventori. Certè Nogaretum *ad hoc duntaxat à Rege directum* ut à Bonifacio *convocationem Concilii* peteret, disertè aſſerit Continuator Guillelmi Nangii ad annum 1303.

LXXII. *Ab Anagniis liberatur & Romam pergit.* Manſit Bonifacius Pontifex triduo ſub honeſta cuſtodia iiſdem ædibus, nam cives Anagniæ in ſe reverſi pudoreque ducti, correptis armis conjuratos urbe expulerunt, ut ſubdit S. Antoninus: *Permanſit Pontifex ipſe cuſtoditus tribus diebus: tertia autem die ſurrexit à cuſtodia liber ſine precibus alicujus aut procuratione, domino illuſtrante, & velamen ſuæ cæcæ ingratitudinis à populo Anagnia auferente. Recognoſcentes ergo errorem ſuum cives Anagnia cum populo arma corripuerunt in favorem Antiſtitis, clamantes per urbem: Vivat Papa & moriantur proditores, & diſcurrentes per civitatem Anagniam ejecerunt Sciarram de Columna ſuoſque complices de ea, pluribus ex eis captis, & aliis occiſis. Liberatus igitur Pontifex Bonifacius cum familia ſua, dolore nimis abſorptus ex tanto dedecore, cum tota Curia inde diſcedens, Romam remeavit ad Sanctum Petrum, diſponens Concilium convocare, ob injuriam ſibi & Eccleſia factam vindicandam contra Regem Francia.* Jacobus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum lib. 1. de canonizatione S. Petri de Murrone, ſeu Cœleſtini V cap. 11. ſcribit, Bonifacium magna pompa & armorum apparatu à Romanis exceptum, adeo ut nuſquam tanta gloria fulgere ſit viſus, addens cives Anagninos plures ex proditoribus captos vulneraſſe, & inter eos captum fuiſſe maximum hoſtem Bonifacii, quem tamen ipſe clementer ſolvit:

Irruit in ſtolidos plebs docta furentibus armis,
Hos cerebro, quoſdamque manu, quoſdamque reciſis
Naribus evertit, capitur qui maximus horum
Extiterat, Summuſque pater jam carcere liber
Protinus hunc ſolvit, rediens feſtinus in almam
Urbem, quippe ſacram, miro circumdatus orbe,
Vallaturque armis. O mira potentia tantis
Enodata malis! nunquam ſic glorius armis
Sic feſtus ſuſceptus ea, Cleroque decorus,
Inſigniſve fuit.

LXXIII. *Ibidem pie moritur.* Non multò poſtquam Romam pervenit Bonifacius incidit in morbum ardentiſſimum, quo vitam cum morte commutavit die trigeſima quinta à die ſuæ captionis, ut legitur in laudato Anonymo apud Papebrocium, in quo tamen, typographi ſine dubio errore, legitur XXV, pro XXXV, obiit enim quinto Idus Octobris, octobris ſeu die undecima ejuſdem menſis; quinto & trigeſimo à captivitate die; ſedis anno octavo, menſe nono, die decimo octavo, numerando à die ſuæ electionis; ſepultuſque eſt in Baſilica Sancti Petri. Narrat iſta, qui tum vive-

vivebat, & fortè videbat Joannes Villanius lib. 8. cap. 63. & poſt eum S. Antoninus loco laudato & Paulus Æmilius lib. 8. Alii addunt, eum maledictis in Regem Philippum jactis, furenti ſimilem deceſſiſſe, cum antea caput muro ſæpe concuſſiſſet, & digitos momordiſſet, animi dolore ex ingenti calamitatis vi concepto. Sed præterquam quod illud, nec à S. Antonino, nec à Platina, nec à Paulo Æmilio, nec à Papirio Maſſono refertur, contrarium aſſerere videtur Jacobus Cardinalis mox laudatus, qui ait: SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

Pauco nam tempore fluxo,
Decurſoque die, lecto proſtratus anhelus
Procubuit, fuſſuſque fidem, veramque profeſſus
Romanæ Eccleſiæ, Christo tunc redditur almus
Spiritus & ſævi jam neſcit Judicis iram.
Sed mitem placidamque patris, ceu credere fas eſt.

Michael Mauclerus doctor Sorbonicus in opere de Monarchia Divina, Eccleſiaſtica & Seculari hæc de Bonifacii morte ſcriptum reliquit: *In Vaticano palatio ſpiritum Deo reddidit, non furenti ſimilis, ut quidam falsò calumniatorum & hæreticorum, ſchiſmaticorumque deliria ſecuti ſcripſère, ſed pleno judicio, integroque rationis ſenſu, vera commiſſorum peccatorum tactus contritione cordis exceſſit è vita.*

Certè non parum ad Bonifacii excuſationem, ac mortem piè obitam facit, quod duobus ac trecentis poſt annis, eadem ipſa die qua deceſſerat, nempe V Idus Octobris, anno MDCV, Pontificatûs Pauli quinti anno primo, corpus ejus plane incorruptum, adeoque membris omnibus integrum repertum fuerit, ut nonniſi naſus & labia corrupta eſſent; veſtibus quoque ſacris atque Pontificiis, quibus indutum erat, omnino ſanis, tota Urbe ad ſpectaculum concurrente; cum videlicet in demolitione antiquioris Baſilicæ Sancti Petri, ut in ampliorem auguſtioremque formam reduceretur, apertum eſt Bonifacii ſepulchrum, ut ejus oſſa unà cum ceterorum Pontificum eâ Baſilicâ ſepultorum reliquiis in alium locum transferrentur. Qua de re confectum eſt publicum inſtrumentum, quod deſcripſit Raynaldus ad annum 1303. num. 44. quo ſingulæ ejus corporis partes, ſingulaque veſtimenta & ornamenta graphicè deſcribuntur; ex quo corruit putida illa fabula, Bonifacium nempe rabiosè ſe ſe dentibus dilaniaſſe. Romæ ſe tunc extitiſſe aſſerit Spondanus anno 1303. num. 16. LXXIV. *Corpus ejus conſervatum incorruptum.*

Bonifacii captivitatem ſeverè Deus in omnes conſcios & complices vindicavit: prædicente etiam ſpiritu prophetico, quæ inde Regi Philippo ejuſque progeniei obventura forent, Aymoneto viro pio & docto Epiſcopo Maurianenſi; nam, ut refert S. Antoninus ibidem ex Joanne Villanio lib. 8. cap. 64. *Cum per civitatem Maurianenſem, quæ eſt poſt tranſitum* (Alpium in Sabaudia) *tranſiret nuncius iſta referens.* (ſcilicet LXXV. *Ultio divina in conſcios captivitatis Bonifacii PP.*

 captum

captum Pontificem) *Epiſcopus civitatis, qui erat religioſæ & caſtæ converſationis, hæc cum audiſſet, coram multis ait: Hoc novum dabit magnum gaudium Regi Franciæ; ſed extrema gaudii luctus occupabit: nam propter tantum exceſſum, notabile judicium Dei irruet ſuper eum & progeniem ejus: magnas ipſe luet pœnas, adverſa multa patietur, & plurimi inſurgent contra eum & filios ejus: quod totum impletum eſt non multo poſt tempore, & hoc id eo quia ſcriptum eſt, Nolite tangere Chriſtos meos.* Ex quo & ex dictis numero ſuperiori deduci meritò poteſt, Bonifacium fuiſſe omnino purum criminum, quæ illi Columnenſes & Philippi Regis miniſtri fervente diſſidio affinxêre.

LXXVI. *Item in civitatem Anagniam.*

Anagnini etiam poſt illum repentinum & inſperatum Bonifacii caſum triſte fuêre divinæ vindictæ monumentum: ea enim civitas, quæ antea populorum frequentia, opibuſque affluebat, ſemiruta ac prope deſolata erat anno 1526. ut refert Leander Albertus, Bononienſis Ordinis Prædicatorum, in deſcriptione univerſæ Italiæ, quam anno 1550. Romæ publicavit: *Anagnina urbs*, inquit, *antiquiſſima, ſemiruta ac prope deſolata jacet, cum nobis anno 1526. tranſitus per eam incidiſſet, ingentibus ruinis, maximeque palatii à Bonifacio Pontifice Romano, quem ſupra compellavimus ædificati, ſumma cum admiratione miſeratioeque ſpectatis, cauſſam cladis à quodam ex Optimatum numero interrogato didicimus, Bonifacii Pontificis capturam; quippe ex illo die uſque in præſens, variis occaſionibus urbem iviſſe præcipitem, adeoque bello, peſtilentia, fame, plurimum verò civilibus odiis in hanc calamitatem redactam. Inteſtinis enim contentionibus alios ab aliis ejectos pulſorum ædibus incenſis, viciſſimque per vim ſe reſtituentium, eoſdem ſpiritus, eamdem belli rationem in adverſarios fuiſſe. Hanc ob rem non pridem cum à paucis, qui ſupererant civibus, in cœtu conſilioque communi de malorum cauſſa quæſitum anxie eſſet, tandem hanc occurriſſe, quod Majores illorum Bonifacio Pontifice prodito, ſe graviſſimo ſcelere devinxiſſent, idque quoniam hactenus expiatum non fuerat, ideo Clemente VII Pontifice obteſtato, ut Epiſcopum ad ſe mitteret aliquem, qui populum ab illa majorum noxa liberaret, expurgaretque, hoc demum precibus, ac votis rite per incolas factis, ut à quadam, ut ita dicam, execratione, qua ob manus Pontifici Maximo violenter injectas, adhuc detineri videbantur, abſoluti Deo haberentur, impetratum.* Hæc refert Papirius Maſſo ex Alexandro Bononienſi, ſed Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſt. hunc ſcriptorem, non Alexandrum, ſed Leandrum Albertum vocat, & ita revera vocandus; compoſuit autem etiam libros ſex de Viris Illuſtribus ſui Ordinis.

LXXVII. *Bonifacii virtutes & vitia.*

Bonifacii virtutes & vitia exprimens idem Joannes Villanius lib. 8. cap. 65. ait, eum fuiſſe crudelem, ambitioſum, mundanum, avaritiæ ſe ſordibus fœdaſſe, ut Eccleſiam exaltaret, ac propinquos & Gentiles locupletaret, dignitatibuſque tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus augeret.

ret. Quæ mirum eſt Ciaconium exſcripſiſſe, ſicuti & eum ſæpe muto capur concuſſiſſe, digitos momordiſſe, tandemque in graviſſimam ægritudinem incidiſſe, *qui per plures dies irâ fervidus manus ſibi arrodere videbatur:* prætterquam enim quod id à veritate alienum eſſe ex dictis conſtar, etiamſi inter dubia recenſendum eſſet, fuerat à Catholicis ſilentio premendum, non typis vulgandum, ut ſeculo ſuperiori parum religioſè actum eſt cum magno gaudio hæreticorum, qui in his equuleis triumphare, atque his quiſquiliis conciones ad popellum ſuum adornare ſolent. Idem porrò Villanius fateri coactus eſt, Bonifacium doctum fuiſſe, & à multo rerum uſu excellentem & magnanimum, ingenio, memoria, & acri judicio præditum, ac liberalem in viros rerum bene gerendarum peritos. Iiſdem elogiis eum exornat S. Antoninus laudatus, & Dinus de Mugello Archidiaconus Bononienſis, qui juxta Miræum vivebat anno 1299. quique ſcripſit in titulum *de Regulis Juris* in ſexto, affirmat *neminem unquam ingenio excellentiori in piſcatoris cathedra ſediſſe.* Idem Mugellanus vocat eum apud Auguſtinum Oldoinum, *lucem mundi, regulam morum, Eccleſiæ Decorem, patriæ honorem, Juris illuminatorem*; & Paulus Jovius in virorum illuſtrium Elogiis, *divini Juris intelligentia clarum*; Andreas denique Victorellus in Notis ad Ciaconium ſcribit, Bonifacium Romanæ & Firmanæ urbis gymnaſia inſtituiſſe, & meritò de illo ſcriptum à Franciſco Petrarcha lib. 2. de Ocio Religioſorum. *Efficacius animos tangunt exempla quæ vidimus; ideo reſpicite, ubi nunc eſt Bonifacius VIII Romanus Pontifex, verus & populorum & Regum, atque, ut dicitur, Orbis ſtupor, quem, niſi fallor, veſtrum aliqui viderunt?* Temerè itaque Calviniſta Mornæus hæretico animo præoccupatus latrat contra Bonifacium, ſed nonnullos ejus lapſus detegunt Gretzerus cap. 56. Exam. myſt. pleſſ. & Coquæus in Antimornæo.

SEC. XIII. BONIFACIUS VIII.

LXXVIII Ejus opera.

Præter librum ſextum Decretalium juſſu Bonifacii VIII publicatum, ſcripſit hic Pontifex *de Regulis Juris.* Item reſcriptum *de Indulgentiis anni Jubilei.* Orationem, *Ave virgo glorioſa.* Item *ſermones duos Latinos*, quos dixit in canonizatione Sancti Ludovici IX Francorum Regis, quos edidit Ducheſnius Tomo V pag. 481. Item *de privilegiis Doctorum & ſtudentium almæ Urbis conſtitutionem*, quæ incipit, *In ſuprema præminentia dignitatis*, &c. quam Ludovicus à Sancto Jacobo in Bibliotheca Pontificia legi ait in collectione conſtitutionum & literarum Apoſtolicarum Romæ 1579. edita in fol. pag. 2. & 3. Inſuper ſingulari erga ſanctiſſimam Chriſti paſſionem affectu, Orationem unam, ſeu meditationem ſcripſit, quæ paſſim habetur impreſſa, & incipit; *Deus qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi*, &c. teſte Oldoino. Scripſiſſe denique traditur, *de Chriſtianæ fidei, & Romanorum Pontificum perſecutionibus*, tanquam præſagiret, quid ſibi eventurum eſſet.

Digitized by Google

SEC. XIV. BENEDICTUS XI.

BENEDICTUS XI *Pontif.* CXCIV.

Anno Domini MCCCIII.

I. *Benedicti XI electio & coronatio.* GRegorii decimi conſtitutionem de incluſione Cardinalium in conclavi Pontifice obeunte, à quibuſdam Pontificibus vel ſuſpenſam, vel revocatam, à Cœleſtino V & à Bonifacio VIII confirmatam ſuperius diximus. Bonifacio itaque octavo die undecima menſis Octobris anni milleſimi trecenteſimi tertii è vivis erepto, Cardinales Novemdialibus expletis, ſacriſque die decima, nempe die vigeſima prima ejuſdem menſis, ritè Sancto Spiritui factis juxta dictam conſtitutionem Romæ in Palatio Vaticano in quo Bonifacius obierat, conclave ingreſſi, poſtridie, ſcilicet die vigeſima ſecunda ejuſdem menſis Nicolaum Bocaſinum, Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, Tarviſii in Lombardia natum, in Summum Pontificem elegerunt *unico facto ac publicato ſcrutinio*, ut ipſemet aſſerit in literis encyclicis de ſua electione datis Kalendis Novembris poſt ſuam coronationem, quæ, ut legitur in MS. Papebrocii facta eſt dominica proximè ſequenti, vigeſima ſeptima die Octobris: *Benedictus natione Lombardus de Terviſia civitate, fuit electus in Papam Romæ XI Kalendas Novembris, & coronatus ex more die dominico ſequenti*, Benedicti hujus nominis XI nomen ſumſit.

II. *Ejus genus, patria, & primordia ante Pontificatum.* Nicolaus Bocaſinus juxta Joannem Villanium lib. 8. cap. 66. & S. Antoninum part. 3. tit. 20. cap. 9. Tarviſii infimo genere, patre opilione natus, Venitias acceſſit, pueros docens in grammaticalibus, ut paupertatem ſuam ſuſtentaret. Bernardus Guidonis Ordinis Prædicatorum in libro de Viris Illuſtribus ſui Ordinis, quem circa hæc tempora compoſuit, ſcribit, Nicolaum anno ætatis decimo quarto Ordinem Prædicatorum ingreſſum eſſe; & in eo quatuordecim primis annis ſtudiis magna diligentia vacaſſe; aliis quatuordecim ſumma cum laude docuiſſe, aliiſque demum quotuordecim variis dignitatum generibus, Prioris Conventualis, Provincialis & Magiſtri Ordinis Generalis vigilantiſſimè inſudaſſe. Ex Generali autem Ordinis, ob doctrinæ famam, & morum gravitatem, ac vitæ ſanctitudinem anno 1298. Cardinalis à Bonifacio VIII primùm presbyter tit. S. Sabinæ, poſtea Epiſcopus Oſtienſis dictus; diverſis quoque magni momenti legationibus in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia & alibi functus eſt. Pacata Hungaria Romam reverſus, Anagniæ intrepidè adſtitit Bonifacio inter hoſtium minas & ſceleratorum invaſionem, reliquis pene omnibus Cardinalibus fugientibus. In memoriam beneficiorum à Bonifacio VIII acceptorum, nomen Benedicti ſumſit, quod in baptiſmate Bonifacius acceperat, dictuſque eſt hujus nuncupationis undecimus, licet decimus dicendus eſſet; cum,

Digitized by Google

cum, ex dictis, Joannes Veliternus, qui ſub nomine Benedicti X Pontificatum invaſit medio ſeculo undecimo, fuerit Antipapa: quia tamen ab omnibus hujus temporis Scriptoribus dicitur Benedictus Undecimus, ita & nos ita nominandum cenſemus, cum præſertim ipſemet Clemens V ejus immediatus ſucceſſor, eum appellet Benedictum XI in inſtrumento dato *Burdegalæ V Kal. Junii* Pontificatus anno primo apud Raynaldum anno 1304. num. 16.

III. *Quomodo Benedictus cum matre ſe geſſerit.*

Admirandum Benedicti in tanto faſtigio conſtituti humilitatis exemplum referunt Sanctus Antoninus laudatus, Leander lib. 3. de Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum, & Krantzius lib. 8. Metropol. cap. 46. Nempe cum mater ejus paupercula adhuc ſuperſtes, audita filii exaltatione ad eum properaſſet, ſive eam vocaſſet, ut quidam habent, atque à matronis ſummo honore excepta, & pretioſis veſtibus ornata fuiſſet; ipſum ſe eam non agnoſcere ſimulaſſe; matrem enim ſuam neque nobilem eſſe, neque ejuſmodi veſtibus, ſed vilibus indui ſolitam: cum verò pannoſas ſuas veſtes reſumpſiſſet, Pontificem ingenti gaudio eam amplexatum, hanc chariſſimam ſuam eſſe matrem dixiſſe, eamque deinceps honorificè habuiſſe. Quod inſigne facinus demonſtrat quantum Benedictus ab omni faſtu remotus eſſet.

IV. *Oratores & literas Philippi Franc. Regis recipit.*

Quatuor menſibus ab electione Benedicti XI elapſis Philippus Francorum Rex ad eum ſcripſit Epiſtolam, qua ipſius deceſſoris Bonifacii VIII refricans in ſe acerbitatem, ei gratulatur Pontificiam dignitatem adepto, ejus virtutes plurimùm laudat, ſeque regnum & Eccleſiam Gallicanam ejus benevolentiæ commendat: *Cum Eccleſia ipſa*, inquit, *diebus nuper præteritis, poſt oppreſſiones & afflictiones multimodas, & graves, quaſi parturientis, anguſtias, quas ex malitia præſidentis in ea mercenarii, ſub umbra paſtorum, longo tractu temporis diſcriminoſi, pertulerat, quum proſtrata & naufragio proxima, videretur propria virtute deficere, ipſe pater miſericordiarum....... ipſam ab opprobrioſa captivitatis ærumnis dignanter eripuit, à deploranda viduitatis incommodis miſericorditer liberavit, dato ſibi cœlitus novi ſponſi ſolatio Benedicti, qui ut nomini rem conformet, & præteritis futura continuet, opera Deo grata ſperatur, & hominibus placitura facturus. Exultet igitur eadem ſacroſancta mater Eccleſia, & in jubilum ſupernæ laudis aſſurgat tenebrarum ſemota caligine, ſe nova lucis radio illuſtratam....... Exultet præcipuè ſacer Prædicatorum Ordo, ſe talem, & tantum filium peperiſſe, alumnum nutriviſſe tam inclitum, tam præclarum, quem patrem Orbis, & fidei ſucceſſorem Petri, Chriſti Vicarium, in ſupremo juſtitiæ ſedere ſolio gloriatur.* Et poſt pauca: *Ex eo præcipuè materia nobis gaudii & exultationis accreſcet, quod reginimis noſtri in Apoſtolica ſede virum ſedere conſpicimus, bonorum omnium, ſicut fama teſtatur, & publicat, nitore conſpicuum, virtutis ſpeculum, & ſanctitatis exemplar: virum utique ſecundum cor noſtrum, qui non quærit quæ ſua ſunt,*

ſed

Digitized by Google

SEC. XIV. Benedictus XI.

ſed quæ Dei, ad Catholicæ fidei & univerſalis Eccleſiæ bonum & exaltationis incrementa felicia. Deinde ſe & regnum & Eccleſiam Gallicanam Sanctitatis ſuæ favoribus commendat, & ad exhibenda omnimodæ reverentiæ & devotionis indicia, ait ſe mittere nuncios Beraldum, Dominum Mercolii, Magiſtrum Petrum de Bella-Pertica, inſignis ejus temporis Juriſconſultum, Canonicum Carnotenſem, & Guillelmum de Pleſſeiano militem. Nullus eſt temporis character in iis literis, ex quo detegere poſſimus, quibus menſe & die data ſint; ſed id erui poteſt ex inſtrumento extante in probationibus Hiſtoriæ hujus diſſidii pag. 224. quo Rex poteſtatem facit prædictis Nunciis ſuis, *quos*, inquit, *ad Apoſtolicam ſedem pro quibuſdam noſtris & regni noſtri negotiis deſtinamus*, tractandi cum Benedicto Papa, vel ab eo deputatis, de quibuſcumque diſcordiis, quæſtionibus, &c. inter quondam Bonifacium, tunc ipſi Eccleſiæ præſidentem, ac ſe & regnum ſuum ſubortis; cum enim illud inſtrumentum dicatur *Datum Nemauſi ſabbatho ante feſtum Beati Matthiæ Apoſtoli anno domini MCCCIII* more Gallicano à Paſchate incœpto, evidens eſt eos nuncios circa finem Februarii anni MCCCIV Romam miſſos, eodemque die, nempe vigeſimo quarto Februarii Epiſtolam illam ſcriptam, ideoque quatuor menſibus ab electione Benedicti elapſis.

V. *Ei non petenti abſolutionem à cenſuris impertit.*

Cum iiſdem Regiis Oratoribus Clerum Gallicanum ſelectos viros miſiſſe, ſupplicaturos, tàm eidem Regi, quàm toti Eccleſiaſtico Ordini, Academiæ Pariſienſi & univerſo populo ſacris interdicto, gratiam Apoſtolicæ Sedis & reſtitutionem in integrum, ſcribit Paulus Aemilius in Philippo Pulchro. Benedictus Regios Oratores lætus recepit, & libenter literas Regis vidit ab iiſdem oratoribus præſentatas, ac confeſtim in eorum præſentia, Regem abſentem & non petentem abſolvit ab omnibus excommunicationum ſententiis, quibus ex quacumque cauſa forsàn tenebatur adſtrictus; quod factum eſſe ipſis feſtis Paſchalibus eruitur ex literis ipſius Pontificis die ſecunda Aprilis ad Regem Philippum datis, in ipſa nempe hebdomada Paſchali, cum Paſcha anno 1304. celebratum ſit die 29. Martii, in quibus ait Pontifex: *Quanta nos, fili cariſſime, ad tui directionem ſolicitudo impulerit paſtoralis officii, quantave paterna pietatis dilectio ad ſalutem tuam ſuper ſe viſcera manſuetudinis noſtra, commoverit, abſolutio, quam Tibi nuper abſenti & non petenti, ab omnibus excommunicationum ſententiis, quibus ex quacumque cauſa forſitan tenebaris adſtrictus, in Tuorum nunciorum præſentia, Te in benedictionibus dulcedinis prævenientes impendimus, manifeſtat.* Epiſtolam autem ſic claudit: *Ad hæc nuncios tuos prædictos læti recepimus, & literas tuas libenter vidimus, quas nobis iidem Nuncii ex parte tua celſitudinis præſentarunt. Datum apud S. Petrum 4. Non. April. Pontificat. noſtri anno pri-*

ne primo. Sed in tota hac Epiſtola ne verbum quidem eſt de Bonifacio VIII, aut de excommunicatione ab eo in Regem decreta.

VI. *Cauſæ quibus ad id motus eſt.*

Cauſæ, quibus motus eſt Benedictus ad eam abſolutionem Regi abſenti & non petenti impendendam, quæ maximum ejus zelum & humilitatem oſtendunt, hic non prætermittendæ: *Id ne ſanguis tuus*, inquit, *de noſtris requiratur manibus feciſſe lætamur, id egiſſe non pœnitet, & quod plus eſt, illud etiam facere debebamus. Sumus namque illius Vicarius, qui dixit, Hominem illum qui fecit cœnam magnam ſervo ſuo dixiſſe;* Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea [Lucæ 14 21.] *In hoc parabolam illam implevimus, ſecundum quam habens centum oves, relictis nonaginta novem in deſerto, vadit ad illam quam deviaſſe putabat, donec inveniat eam, & inventam imponit in humeros ſuos gaudens. Nunquid igitur Te, etiamſi nolles, non cogemus intrare? Nunquid tantam ovem, quanta Tu es, ſic nobilem, præcipuam & præclaram relinquemus: quin impoſitam noſtris humeris reducamus? Abſit quantum in nobis ſit negligentia talis, abſit omiſſio tam damnoſa, nempe ſi corporum medici quandoque invitis apponunt medicamenta ſalutis, quanto magis nos, qui animarum omnium curam divina diſpoſitione ſuſcepimus, hoc implere tenemur? Porrò quis ſuperbus Epiſcopum Urbis & Orbis de humilitate redarguet? Quis ſuperſtitioſus ejus cui, ſicut ſcriptum eſt, ſanctitas igneſcendi dereliquit gloriam, ſi indulget, reprehendet? Quis præterea adeo rigidus, tam ſalubrem clementiam in ſua contineret ira, vel ſævitia conderet; certè nullus qui pacem diligat, qui quietem ſubjectorum deſiderat, & Eccleſiæ tranquillitatem exquirat.* Regem poſtea hortatur, ut hanc gratiam devotè ſuſcipiat, & ad obedientiam matris Eccleſiæ, Majeſtati ſuæ ſaluriferam & honorabilem ſe convertat. *Conſidera fili*, inquit, *quod Joas Rex Juda Glorioſus vixit, & recta eſt operatus, donec conſilio & doctrina Joiada Summi Sacerdotis eſt uſus, quo ceſſante ignominia affectus eſt, & occiſus Gladiis ſervorum propriorum occubuit. Auſculta ergo patrem tuum, & in ejus parabolas aures tuas inclina, ſic Deo propitio tuum ſtabilietur regnum, & gloriaberis in terra ſublimis.* Tam Benedicti, quàm Philippi Epiſtolæ extant in Hiſtoria diſſidii inter Bonifacium Papam & Philippum Regem pag. 107. & ſeqq.

VII. *Regem & Regnum Franciæ in integrum reſtituit.*

Quædam alia diplomata dedit Benedictus in gratiam regni Francorum. Primo quidem dato tertio Idus Maii ejuſdem anni 1304. Prælatos omnes & viros Eccleſiaſticos, ac Religioſos, necnon Barones, Nobiles & ceteros laicos ejuſdem regni, qui ſententiis excommunicationum à Bonifacio VIII, aut aliis Pontificibus in eos latis, qui ad Sedem Apoſtolicam accedere volentes impediebant; vel ob captionem ipſius Bonifacii & Nunciorum ejus erant irretiti, communioni fidelium reſtituit, uno excepto Guillelmo de Nogareto, cujus abſolutionem ſibi & Sedi Apoſtolicæ reſervavit. Alio diplomate dato XIII Kalendas

SEC. XIV. BENEDICTUS XI. Maii literas ac mandata Bonifacii VIII abrogavit, quibus Jus Reſervationis, ideſt, providendi Eccleſiis vacantibus, ſibi tribuerat, cum inhibitione omnibus ad quos jus eligendi & poſtulandi Prælatos in ipſis Eccleſiis, aut confirmandi electiones, hujuſmodi reſervatione durante ſe intromittere; & ad antiquam formam, juſque & conſuetudinem antea in Eccleſia Gallicana obſervatum revocavit. Alio diplomate dato die antecedenti, nempe XIV Kalendas Maii, poteſtatem conferendi gradum Licentiæ ac Lauream Doctoralem, ab eodem Bonifacio ſuſpenſam, Doctoribus Theologis, Juris Canonici & Civilis, in Academia Pariſienſi reſtituit, & ratum habuit, quod tempore ſuſpenſionis geſtum erat, ac ſi eadem ſuſpenſio nullatenus præceſſiſſet. Altero eadem die dato revocat ſuſpenſionem à Bonifacio factam gratiarum & indultorum olim ab Eccleſia & Sede Apoſtolica Regibus, & Regno Francorum, eorumque Officialibus conceſſorum: omnia in integrum reſtituit, uno excepto Nogareto, cujus abſolutionem ſibi reſervat; uno verbo omnia Bonifacii Acta contra Regem ac Regnum, Regis Conſiliarios, familiares & Officiales, auctoritate Apoſtolica reſcindit, eoſque omnes in priſtinum ſtatum aſſerit. Hæc omnia diplomata extant in laudatis probationibus Hiſtoriæ Diſſidii inter Bonifacium Papam & Philippum Regem.

VIII. *Columnenſes quoque reſtituit.* Interceſſione etiam Philippi Regis Benedictus Pontifex Columnenſes veniam poſtulantes in gratiam recepit, & ſententiam in eos à Bonifacio latam irritam declaravit, totamque familiam in integrum reſtituit, edita conſtitutione, quæ extat inter Extra vagantes communes cap. *dudum* tit. *de ſchiſmaticis*. Jacobum tamen & Petrum Cardinales, quamvis in gratiam receptos, purpurâ uti vetuit; & injuriam, vimque ſacrilegam Bonifacio deceſſori ſuo illatam, relinquere inultam nolens, Sciarram Columnem, Guillelmum Nogaretum, ceteroſque captionis Bonifacii auctores, ad Apoſtolicum tribunal ſiſtere ſe juſſit, & non comparentes ſeptimo Idus Junii publico ac diriſſimo anathemate damnavit. Adverſus quæ multa jactaſſe reperitur idem Nogaretus in ſui excuſationem poſt mortem Benedicti, publicis literis ea de re confectis eodem anno 1304. in Vigilia Nativitatis Beatiſſimæ Virginis, quo ipſo die anno 1303. Bonifacium invaſerat.

IX. *Ligium homagium recipit à Iacobo Aragoniæ Rege pro Sardinia & Corſica inſulis.* Bonifacius VIII Jacobo Aragoniæ Regi Sardiniæ & Corſicæ regna conceſſerat diplomate dato Nonis Aprilis anni 1297. ut in ejus Pontificatu diximus, ſub certis conditionibus, quarum una erat, ut Romanæ Eccleſiæ pro dictis regnis ligium homagium & fidelitatis juramentum præſtare teneretur. Quare Jacobus anno 1304. Oratores ad Benedictum miſit, qui ejus nomine ob acceptas jure fiduciario Sardiniam & Corſicam inſulas, Sedi Apoſtolicæ ſacramento fidei ſe obſtringerent. Oratores perhumaniter à Pontifice exceptos, quinta Junii die in publico

Car-

Digitized by Google

Cardinalium conſiſtorio clientelarem ſponſionem præſtitiſſe ; ac Pontificem ad eas inſulas ex invaſorum manibus eripiendas, decimas redituum Eccleſiaſticorum, in regnis Jacobo ſubjectis, ad triennium conceſſiſſe, refert Surita lib. 5. Annal. cap. 65. & in Indic. lib. 2. ad annum 1304. Cum autem ob inopinam Benedicti XI mortem hujus ſacramenti Acta publica conſcribi non potuiſſent, Clemens V Benedicti XI ſucceſſor, diplomate dato *Burdegalæ V Kal. Junii anno primo* Pontificatûs, quod extat apud Raynaldum anno 1304. num. 16. fidem fecit, Benedictum hujuſmodi ligium homagium à dictis oratoribus Jacobi Regis nomine præſtitum acceptaſſe.

X. *Legatum Florentiam mittit ad eam pacificandam.*

Benedictus XI inito Pontificatu, animum ad componendam Italiæ pacem applicans, cum in Hetruria magis, ac præcipuè Florentiæ, quam alibi ſeditionibus laboraretur, eò Nicolaum Pratenſem, Tuſcum Ordinis Prædicatorum, quem in feriis quatuor Temporum menſis Decembris anni 1303. Cardinalem creavit, cum ſumma poteſtate miſit, magnæ experientiæ & prudentiæ virum; qui novis Societatibus & Vexilliferis conſtitutis, cum plura ſibi licere arbitratus, de reducendis exulibus Gibellinis & Albis tractaret, contrariam factionem Guelphorum & Nigrorum in ſe concitavit; ut fuerit ei neceſſe, re infecta Peruſium ſe recipere ad Pontificem, prius tamen excommunicatione in cives, & interdicto in civitatem injectis. Rem fusè narrat Villanius lib. 8. cap. 69. & poſt eum Leonardus Aretinus Hiſt. Florent. lib. 4. & S. Antoninus tit. 20. cap. 9. §. 1. Illos autem Pontifex cum Lucenſibus & Pratenſibus, qui eumdem Nicolaum Cardinalem Legatum violaſſent, proceſſu ad undecimum Kalendas Julii anni 1304. publicato, anathemate damnavit. Ceterum duas hoc tempore in Italia & præcipuè Florentiæ fuiſſe factiones potentiſſimas, Piſtorii in Hetruria natas ex familia Cancellariorum, quorum alii dicti ſunt *Albi*, alii *Nigri*, docet nos Ptolomæus Lucenſis in Annalibus; quæ duæ factiones non ſolum Piſtorium & Florentiam, ſed totam penè Italiam vaſtarunt, non minus quam factiones Guelphorum & Gibellinorum, qui illis adhæſerunt, Guelphi ſcilicet *Cancellariis Nigris*, Gibellini verò *Cancellariis Albis*.

XI. *Juramentum & cenſum à Friderico Trinacriæ Rege recipit.*

Inter ceteras conditiones quas Bonifacius VIII appoſuerat, pacta conventa inter Carolum Siciliæ Regem & Fridericum Trinacriæ rata habens, hæc una erat, ut Fridericus trium millium unciarum auri tributum ſingulis annis, in feſto Sancti Petri, Eccleſiæ Romanæ conferret, ſicque Apoſtolicæ Sedis ſtipendiarium ſe profiteretur, atque ad clientis Principis officia novis Pontificibus præſtanda obſtrictus eſſet. Quare ubi Benedictus electus eſt Pontifex, Fridericus Conrado Auriæ partes impoſuit, ut ei fidem Regio nomine ſacramento devinciret. Formam juramenti fidelitatis à Conrado præſtiti refert Raynaldus ad annum 1303. num. 50. Actum eſt autem *Laterani VI Idus Decembris*

SEC. XIV. BENEDICTUS XI.

anno I, ut in ejus fine legitur. Quia verò idem Fridericus de pendendo trium millium unciarum auri vectigali Romanæ Eccleſiæ fidem non exolverat, ideoque anathematis pœna ſe irretierat, eum veniam poſtulantem priorum ſocietati reſtituit Pontifex, & penſitandi vectigalis diem ad Kalendas Maias anni 1304. extraxit ea lege, ut ſi officio deeſſet ſtata die, priſtinas cenſuras contraheret; cujus rei extat apud eumdem Raynaldum ibidem num. 54. diploma *datum Laterani V Idus Decembris anno I.* Partem poſtea illius vectigalis, nempe decem millia Florenorum pro duobus millibus unciarum auri ſolvit Fridericus anno 1304. ut conſtat ex diplomate Benedicti dato *Peruſii XV. Kal. Julii anno I*, apud Raynaldum eodem anno num. 18. ex quo & conſtat, poſt hæc reſtaſſe adhuc mille uncias à Friderico ſolvendas.

XII. *Albertum Regem Rom. monet ut Eccleſiæ Moguntinæ ablata reſtituat.*

Laboranti etiam hoc tempore inteſtinis diſſenſionibus Germaniæ ſuccurrere niſus eſt Benedictus; ac diſcordiæ quæ inter Gerardum Epiſcopum Moguntinum, & Albertum Romanorum Regem intercedebat, fomitem extinguere. Compulerat antea Albertus armorum potentia Archiepiſcopum ad indignas pactiones, nonnulliſque ipſum arcibus ac juribus Moguntinæ Eccleſiæ exuerat, monitaque Bonifacii VIII, ut ab Eccleſiaſticis bonis abſtineret, & comiter cum Archiepiſcopo tranſigeret, ſpreverat. Cui Benedictus paternis literis datis *Laterani V Idus Martii anno I*, apud Raynaldum anno 1304. num. 7. propoſuit ob oculos, quantùm Regium honorem læderet, ſi ex principatûs officio ad tuendam Eccleſiam obſtrictus, illius jura violaret: reſtitueret itaque ablata ac damna ſarciret, ne Eccleſiæ cœleſtis ſponſi in ſe iram concitaret. Albertum poſt hæc Gerardo conciliatum colligitur ex Siffrido Petro, dum lib. 2. ad annum 1304. narrat ipſum cum Othone Bavariæ Duce, aliiſque principibus & Epiſcopis, in ancipiti bello adverſus Wenceslaum Regem Bohemiæ Alberto adhæſiſſe.

XIII. *Moritur ex veneno.*

Dum majora meditaretur Benedictus Pontifex Peruſii die ſexta Julii, ut legitur in ejus epitaphio, obiit, & ſepultus eſt die ſeptima ejuſdem menſis in Eccleſia Prædicatorum ante altetare ſub terra, ut ex humilitate juſſerat, non elevato monumento: quod tamen procedente tempore elevatum fuit. Benedictum XI die ſeptima Julii ſepultum eruitur ex Bernardo Guidonis, qui diem obitûs pro die ſepulturæ ſumens, ſcribit in Chronico Romanorum Pontificum eum obiiſſe die ſeptima Julii. Villanius, Weſtmonaſterienſis & alii tradunt, mortuum eſſe ex veneno parato ei quorundam Cardinalium invidia: cum in menſa accumbenti juvenis quidam muliebri habitu mentitus ſe ancillam monialium S. Petronillæ, in vaſe argenteo ficus recentes obtuliſſet veneno infectas, quas ubi comedit in morbum incidit; Weſtmonaſterienſis Columnenſibus, Bernardinus verò Corius part.

a. Hiſt.

3. Hiſt. Mediol. Florentinis id tribuunt, quod ipſis infenſus eſſet. SEC. XIV.

BENEDICTUS XI.

XIV. *Claret miraculis.*

Sed quidquid hac de re ſit, omnes Auctores tradunt, Benedictum fuiſſe virum optimum atque ſanctiſſimum: *Hic Benedictus,* inquit Bernardus Guidonis in Chronico Pontificum Rom. *abiit in Peruſio Nonis Julii, Pontificatus ſui anno primo, ſepultuſque fuit in Eccleſia fratrum Prædicatorum Peruſii ante altare anno domini MCCCIV, ubi divina virtus & bonitas ejuſdem (gratia Benedicti & nomine) merita cœpit evidentibus miraculis declarare; maxime in dæmonibus expellendis de corporibus obſeſſorum & in multis infirmitatibus & languoribus propulſandis quorundam. Non pauca evid·ntia & probata alibi ſcriptura memoriæ ſunt mandata.* Hæc miracula recenſet idem Bernardus Guido in Tractatu de Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum, & poſt eum Leander lib. 3. de Viris itidem Illuſtribus ejuſdem Ordinis & alii. Sanctus verò Antoninus tit. 23. cap. 11. in principio hæc ſolum habet: *De hoc Benedicto legi in Chronicis Ordinis quindecim miracula fidei teſtimonio comprobata, meritis ejus facta de diverſis infirmitatibus, quorum infirmorum nomina & locorum deſcribuntur, & infirmitatum, quæ ob brevitatem dimitto,* quæque legi poſſunt apud Leandrum Albertum loco citato.

XV. *Ejus ſcripta.*

Scripſit Benedictus XI commentaria in pſalmos: in Matthæi evangelium, & ſermones plures juxta Ciaconium. Præter quæ Ludovicus Jacob à Sancto Carolo in Bibliotheca Pontificia recenſet commentaria in Job & in Apocalypſim: item de Ritibus opuſculum: commentaria in Matthæum ampla nimis & planè admiranda: tandemque ſermones in diebus ſolemnibus habitos ex Poſſevino. Quoad conciones in Matthæum, qui ei tribuuntur à Petro Louveto Dominicano in catalogo MS. Scriptorum ſui Ordinis, Ludovicus Jacob ſuſpicatur eos eſſe idem opus ac commentarium in Matthæum.

XVI. *Ejus epitaphium.*

Ceterum licet Benedicti corpus nulla fere pompa, ſepulchro humili, ut ipſe juſſerat, ſepulturæ mandatum fuerit, poſtea tamen ab ipſius memoriæ cultoribus politiſſimo marmore ſepulchrum elegans fuit excitatum cum hoc epitaphio:

O quàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus ille pater, prius extitit ordine frater
Sancti Dominici Chriſti vigilantis amici.
Lector honoratus, pius extitit ipſe vocatus.
Effectus talis frater, quoque Dux generalis:
Sic Ro. doctrina poſt hæc fit Cardo Sabina
Oſtia, Velletris titulis ſibi dant pia lætis,
Perficit Hungariæ Legatus juſſa ſophiæ.
Fit pater ipſe patris, caput orbis, gloria fratris:

Aaaa 3 *Eſt*

SEC. XIV.
BENEDICTUS XI.

Eſt merito dictus re, nomine vir BENEDICTUS
Treviſii datus, hic primo ſed Pontificatus
Anno deceſſit, ſibi rectè ſubdita rexit.
In nono menſe, is mortis proſternitur enſe;
Hunc hominem ſanctum reddunt miracula tantùm;
Innumeris ſignis dant grata juvamina dignis;
Lector habe menti, currebant mille trecenti
Quatuor appenſis dum tranſiit hic homo mitis,
Menſe, die ſexta, Julii ſunt talia geſta.

ADDEN.

Digitized by Google

ADDENDA QUÆDAM

Ad hunc & ſuperiores Tomos ac ſuis quæque locis inſerenda.

TOMO PRIMO.

Pag. 6. Poſt numerum VII adde à linea.

NOmen illud *Papa* primis ſeculis omnibus Epiſcopis commune, primus ſibi tribuit Siricius Romanus Pontifex in Epiſtola quæ ſic incipit: *Siricius Papa Orthodoxis per diverſas provincias*; illiuſque exemplum ſecutus in Epiſtola 104. *Leo Papa univerſis per Siciliam conſtitutis in domino ſalutem*, ut advertit Cantelius in Hiſtoria Metropolitanarum urbium part. 2. diſſert 1. cap. 2. qui & jam part. 1. diſſert. 1. cap. 1. obſervaverat ſeculo ſexto Ennodium Ticinenſem, Caſſiodorum & Liberatum vocare ſolitos fuiſſe Romanæ urbis Epiſcopum, *Papam*; reliquarum verò Eccleſiarum Præſules, *Epiſcopos*: poſtea ſenſim uſum obtinuiſſe, ut nono ſeculo exeunte, aut ineunte decimo, Papæ nomen, nec Epiſcopis, nec Patriarchis, ſed uni Romano Pontifici vulgò tribueretur: tandemque cum ſchiſmatici in odium Epiſcopi Romani nomen Papæ ſibi vindicarent, anno 1073. in Synodo habita Romæ à Gregorio VII ſancitum eſſe, ne quis, aut ſibi ipſe, aut alteri, Papæ nomen adſcriberet, ſed unus eſſet in orbe univerſo Summi Pontificis. Verùm neſcio à quo acceperit Cantelius id in Synodo Romana ſub Gregorio VII ſancitum eſſe; neque enim in decem, quas hic Pontifex Romæ celebravit Synodis, quarum prima habita eſt anno 1074. non 1073. hujuſmodi decreti veſtigium aliquod reperitur. Quare omninò mihi dicendum videtur, medio ſeculo nono, uſum tribuendi nomen Papæ ſine addito ſoli Epiſcopo Romano, jam apud Latinos obtinuiſſe; Avitus enim Viennenſis Archiepiſcopus apud eumdem Cantelium ibidem, ſolis Patriarchis illud tribuit, cum eo diſcrimine, ut ſi loquatur de Græcis, nomen addat illius urbis cui præſint; ſi de Romano non item; quod illorum poteſtas certis regionibus, hujus verò nullis eſſet terminis definita. Ille uſus à Latinis tranſiit ad Græcos, apud quos jam obtinebat ſeculo duodecimo; ſi enim Theodoro Balzamoni in Meditatis de Patriarcharum privilegiis credimus, Romanus Pon-

Nomen Papa uni Epiſcopo proprium.

Pontifex ſæpius dicebatur *Papa*; Conſtantinopolitanus, *Patriarcha Oecumenicus*; Antiochenus, *Patriarcha*; Alexandrinus, *Archiepiſcopus*.

Pag. 95. in fine numeri V, ubi legitur *Tomo primo*, lege, Tomo ſecundo Concil. pag. 773. & ſeq.

Pag. 151. num IX, poſt hæc verba, *& ſeptem provincias conſtitutos*; adde; in qua & ait: *Hoc autem privilegium formatarum Sancto Patroclo fratri & Coëpiſcopo noſtro* (Arelatenſi) *meritorum ejus ſpeciali contemplatione conceſſimus*, à quo literas formatas recipere debebant, ut ab Apoſtolica ſede ſuſciperentur, qui Romam pergere volebant. Juſſit præterea eâdem Epiſtolâ, ut præcipuam, *ſicut ſemper* habuerat *Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium civitatis in ordinandis Sacerdotibus* teneret *auctoritatem*; *& Viennenſem, Narbonenſem primam & Narbonenſem ſecundam provincias ad Pontificium ſuum revocaret.*

Eadem pag. 151. poſt numerum X adde à linea.

Cerei Paſchalis antiquitas.

Paſchale tempus primis Eccleſiæ ſeculis ſolemni baptiſmi adminiſtrationi fuiſſe præſtitutum ex dictis ſatis compertum eſt. Tunc autem competentes catechumeni, vel immergebantur fontibus, vel aquis perfundebantur, & aquæ fonteſque benedicebantur, ut liquet ex Victore Vitenſi lib. de perſecutione Vandalica. Benedicebatur ſive conſecrabatur & ingens cereus accenſus igne, qui conſervabatur in lampadibus feria quinta cœnæ domini; ſed ex præcepto Zachariæ Papæ nunc excutitur ex ſilice. A quo tempore extinctis luminibus omnibus nocte feriæ quintæ propter mœrorem atque triſtitiam ex paſſione domini atque morte conceptam, dum pſalmi recitantur, quindecim accenduntur candelæ, quæ XII Apoſtolos & II Marias, unàque ſanctiſſimam Dei Genitricem referunt, & ſingillatim extinguuntur præter ultimam, quia fides Deiparæ nunquam defecit: tenebræ quoque demonſtrantur, quibus Sole inſolitam eclypſim paſſo terra omnis fuit circumfuſa juxta Rupertum lib. de divinis officiis & Durandum lib. 6. cap. 71. Rationalis. At in ipſo quod conſequitur ſabbato ſancto, mane ob lætitiam Reſurrectionis Chriſti, & propter gaudium baptiſmi ſuſcitatur etiam ignis in cereo & benedicitur formulis antiquiſſimis; moxque cerei reliqui ac lampades undique ſuccenduntur. Hanc cerei Paſchalis benedictionem cecinit Sanctus Auguſtinus cum adhuc Diaconus eſſet, ut legitur in Sacramentario Gallicano à Mabillonio Tomo I. Muſei Italici publicato, non verò cum ordinatus fuit Presbyter à Valerio Epiſcopo Hipponenſi, uti volunt Rivius in ejus Vita & Gretzerus lib. 2. de Benedict. cap. 31. ſic autem incipit: *Exultet jam angelica turba cælorum*, &c. Sanctus etiam Ambroſius lib. de paſch. cap. ult. meminit cereorum Paſchalium, & elegantiſſimam formulam cum cereum benedicendi reliquit Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſi, quæ habetur lib. 6. Bibliothecæ Pa-

trum

cerum & in Ambroſianæ miſſæ codice. Ex quibus patet bujusmodi cerei benedictionem Zoſimo Papa antiquiorem eſſe.

Cerei Paſchalis occaſione quædam addenda duxi de *Agnis Dei*, qui vel ex eo cereo, vel ex nova cera benedicta conficiebantur & Sabbato in Albis diſtribuebantur. Nonnulli exiſtimarunt Agnos Dei benedicendi uſum Urbano V antiquiorem non eſſe, ut aſſerit Victorellus in Notis ad Ciaconium in Urbano V. Verùm hanc opinionem invictè refellunt non ſolum idem Victorellus ibidem, ſed & Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in libello Romæ anno 1656. evulgato *de Baptiſmo Paſchali & origine ac ritu conſecrandi Agnos Dei*, in cujus cap. 7. citat ordinem Romanum à Gelaſio Papa circa annum 492. concinnatum, in quo legitur: *Mane itaque primo venit Archidiaconus in Eccleſiam & fundit ceram in vas mundum majus, & miſcitat ibidem oleum & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum & ſervat in loco mundo.* Hæc tit. de ſabbato ſancto, ſeu ordine benedicendi cerei, & poſtea tit. in octavis Paſchæ: *In dominica poſt Albas infra civitatem Romanam dantur Agnus Dei ab Archidiacono poſt miſſam & communionem populo, & ex eis faciunt infra domos ſuos incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque neceſſitate.* Eadem verba leguntur in Appendice Ordinis Romani primi, omnium quos publicavit Mabillonius Tomo 1. Muſæi Italici antiquioris paſſim ab Amalario laudati. Ejusdem ritûs meminit Pollicitus, qui vixit ſub Innocentio II, in Ordine Romano XI pag. 138. apud eumdem Mabillonium: *In ſabbato ſancto mane ſurgit Archidiaconus, & miſcitat oleum & Chriſma annotinum in cera munda. Acolythus conficit eam & colat, & facit ex ea ſimilitudinem Agnorum quos dominus Pontifex expendit in ſabbato de Albis.* Et poſtea in ſabbato de Albis: *Dum Primicerius cum ſchola cantat Agnus Dei domnus Apoſtolicus expendit Agnos per populum, hac ratione, ut ſicut filii Iſraël in Ægypto poſiti precepto Domini de ſanguine immaculati Agni in liminibus domorum ſcripſerunt hoc ſignum T, ne ab Angelo percuterentur: ita & nos de ſanguine paſſionis immaculati Agni Chriſti debemus hoc ſignum ſcribere in limine domorum noſtrarum per fidem, ne à Diabolo & à vitiis percutiamur, & à poteſtate Diaboli liberemur. Aliud propter infantes noviter baptizatos in Eccleſia deponentes veterem tunicam, qui annunciant Alleluia, id eſt gloriam beatitudinis cœleſtis Patriæ. Tertium quia quicumque habuit de cera prædictorum Agnorum, & ex ea in domo ſua crucem habuerit, vel ſecum portaverit, non lædetur ab aliquo phantaſtico ſpiritu & à tonitruo.* Eadem refert Cencius de Sabellis poſtea Papa ſub Honorii III nomine in Ordine Romano XII apud eumdem Mabillonium pag. 202. & ſiq ut recentiores prætеream. Ex ceris illis, quæ ex cereo acceptæ Paſchali, ſacro Chriſmate delibutæ ac benedictione ſanctificatæ erant; quæ & eò quòd Agni Chriſti typum præ ſe ferentes

Agnorum Dei in Eccleſia uſus ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio.

rentes habent impreſſam imaginem, *Agnus Dei* dici conſueverant, permulta conſtat eſſe edita miracula ut ſcribit Baronius ad annum 58. Illos enim Agnos factos eſſe de cera benedicta, vel de cera cerei Paſchalis anni præcedentis admixto Chriſmate, & diſtributos fuiſſe ſabbato in Albis per Pontificem, inter alios ſcribit Guillelmus Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. 6. ubi agit de ſabbato Sancto. Benedicebantur olim Agni illi ab Archidiacono benedictione ſeu conſecratione quæ peragitur formulis precum ad Deum conceptis, ſed nunc ipſe Pontifex per dies hebdomadæ Paſchalis benedictionem illam ſeu conſecrationem perficit, Agnos abluens ſacratis aquis; immergendo ſcilicet cereos Agnos aquæ benedictæ in pelvibus capacioribus, tum extrahendo cum cochlearibus colatoriis ex argento: poſt hæc ſabbato in Albis dividit eos Clero & populo primo & ſeptimo ſuæ coronationis anno. Effingebantur olim Agni, ut ex dictis conſtat, ab Archidiacono, tùm à Subdiaconis Apoſtolicis, dein ab Acolythis, mox à Sacriſta, ut accidit anno 1378. quo Petrus Amelius Epiſcopus Senogalienſis Sacriſta illos efformavit, ut ipſemet aſſerit in Ordine Romano XV à Mabillonio laudato edito pag. 510. Hodie id factitatur à Monachis Sancti Bernardi Congregationis Fulienſis, ut docet Suareſius citatus cap. 8. apud quem plura de illis Agnis Dei, quorum ritum ab exordio naſcentis Eccleſiæ uſurpatum fuiſſe pluribus oſtendit.

Pag. 189. in fine numeri VII adde. Ideo porrò S. Leo Valentinianum III interpellavit ea de re, ne majores turbæ impoſterum concitarentur, nam ſine Imperatoris auctoritate executioni mandari poterat Pontificis Romani ſententia, unde ipſemet Imperator in ſuo reſcripto de ea ait; *quamvis ſine Imperiali ſanctione valitura eſſet, quid enim tanti Pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret?*

Pag. 220. lin. 33. poſt hæc verba, *menſe Februario*, adde, & Martio, de quibus loquitur Anaſtaſius,

Pag. 434. numerus V ſic inchoandus. Poſtquam Eugenius Epiſcopos XXII creaſſet, ideoque delenda hæc duo verba, *duabus ordinationibus.*

Pag. 449. poſt numerum IV adde à linea.

Legati Agathonis PP. diverſi à Legatis Concilii Rom. & quare.

Porrò licet ad alias Synodos Generales Orientis miſſi tantum fuiſſent Legati Sedis Apoſtolicæ, qui vicem Romani Pontificis gererent, & per conſequentiam Concilii quoque Romani in quo eorum legatio decreta erat; Agatho tamen Papa Legatos miſit ad Synodum ſextam cum diſtinctione, ſcilicet Theodorum & Georgium Presbyteros, ac Joannem Diaconum, qui vicem ſuam implerent; ac præterea tres ſupradictos Epiſcopos vice totius Concilii Occidentalis, cum aliquot Clericis & Monachis, ut docet Conſtantinus Imperator in Epiſtola ad Georgium Conſtantinopolitanum Patriarcham. Quare antiquus legationis ordo

nis ordo immutatus fuerit habemus ex Marca lib. 5. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 6. num. 4. & ſeq. Conſtantinus Imperator petiit à Pontifice ut ad Synodum dirigeret non ſolum ſuæ perſonæ Vicarios, tres numero, vel amplius ſi ipſi videretur, ſed etiam ſeorſim Concilii Romani Legatos uſque ad duodecim Metropolitas & Epiſcopos ac Abbates quatuor. Hujus autem petitionis novæ rationem fuiſſe putat Marca, quòd Romana ſedes invidia laboraret apud Orientales ob damnatos in Synodo Martini Papæ, propter novam hæreſim, Patriarchas Orientis. Itaque ut major fides Legatis Apoſtolicæ Sedis adhiberetur, Conſtantinus prudenter exegit, ut Legati quoque Concilii Occidentalis veritatem fidei aſſererent; præſertim cum Synodus Apoſtolicæ Sedis non ex ſolis Italiæ provinciis conſtaret, ſed etiam ex variis Conciliis provinciarum, quæ ſitæ erant in regnis ab Imperio alienis, Francorum ſcilicet, Britannorum, Gothorum & Longobardorum. Denique idem Marca notat horum Legatorum diſtinctionem obſervatam eſſe in ſubſcriptionibus Concilii, in quibus primus honor delatus eſt Legatis qui Agathonis vices gerebant; primo enim loco ſubſcripſerunt Theodorus, & Georgius Presbyteri Eccleſiæ Romanæ, & Joannes Diaconus, *locum tenentes* Agathonis Papæ; ſecundo loco Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Jeroſolymitanus vel eorum Vicarii; deinde tres Metropolitæ Theſſalonicæ, Cypri & Ravennæ; poſt hos ſubſcribit Joannes Portuenſis Epiſcopus *Legatus totius Concilii Apoſtolicæ Sedis Romæ*; poſt hunc Baſilius Cortynæ Epiſcopus qui eodem ſe titulo Legati Concilii ornat, quem Abundantius & Joannes Legati ſequuntur.

Pag. 471. poſt numerum XVI, Pontificatus Leonis II ultimum, adde à linea.

Pontifex Rom. abſque aliorum Epiſc. miniſterio poteſt Epiſcopos ordinare.

In hujus Pontificis Vita num. XIII dixi, Epiſcopum Romanum ſolum & abſque aliis Epiſcopis, Epiſcopos ordinaſſe, nulla hujus privilegii probatione adducta. Quare ea difficultas hic paucis excutienda, præcipuè ex Breviario Canonum Ferrandi Diaconi in cap. 6. ubi ex Concilio Teleptenſi ſeu Zellenſi refert decretum Siricii Papæ, *ut unus Epiſcopus Epiſcopum non ordinet, exceptâ Eccleſiâ Romanâ*; hac enim exceptione peculiarem Romani Pontificis fuiſſe prærogativam ordinandi Epiſcopum abſque ſociis Epiſcopis, nemo eſt qui non videat. Paſchaſius Queſnellus ea verba, *exceptâ Eccleſiâ Romanâ*, ab aliquo impoſtore addita eſſe exiſtimat, quòd in nullo Epiſtolæ Siricii exemplari reperiantur, & probabile non ſit addita fuiſſe à Ferrando viro Erudito & rei canonicæ peritiſſimo; cum præſertim exiſtimari non poſſit, Eccleſiam Africanam, quæ Romanæ erat celſitudinis æmula, hanc prærogativam Epiſcopo Romano concedere illa tempeſtate voluiſſe. Joannes Cotelerius in Notis ad Conſtitutiones Apoſtolicas pag. 217. cenſuit decreta Si-

ricii perturbata olim fuiſſe non culpâ Ferrandi, ſed fraude cujuſdam recentioris, ideoque & ea verba addititia eſſe. Verùm licet ea clauſula de prærogativa Romani Pontificis non reperiatur in Epiſtola Siricii, Mabillonius tamen Tomo 2. Muſei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum cap. 16. rectè, meo quidem judicio, ſcribit, eam appoſitam à Ferrando fuiſſe, habita nimirum ab eo ratione temporum quibus ſcribebat, quia, inquit, extat *antiquiſſimus codex Corbeienſis ante annos mille ſcriptus continens varia Concilia cum Ferrandi Breviatione, in quo totidem verbis, ut in editis hic locus reperitur.* Refert ibidem Mabillonius Ordinem Romanum IX, in quo poſtquam actum eſt de benedictione Clericorum, Subdiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum quæ fiebat à Pontifice Romano, num. 4. pag. 91. agitur de conſecratione Epiſcoporum, qui *omni tempore benedicuntur* à Romano Pontifice, & poſtquam Auctor dixit, Pontificem egredi de Eccleſia S. Petri & aſcendere cum Clero monaſterium S. Martini ab benedictionem Epiſcopi, tandem ſubdit: *Et canunt letaniam. Et tunc accedit* electus *propius ad altare ſubnixo capite. Pontifex verò ponet manum ſuper caput ejus, & dicit unam orationem in modum collecta; alteram eo modulamine quo ſolet conteſtata* (ſeu conteſtatio, quo nomine præfatio miſſæ olim ſignificabatur, maximè apud Gallos) *cantari & ſedet Pontifex in ſella ſua. Ipſe verò* electus *oſculatur pedem ejus & ſuſcipitur ad pacem: & ſic conſummatur conſecratio.* Eadem legi obſervat Mabillonius in Ordine vulgato pag. 97. Cum itaque in illis ordinibus altum ſit ſilentium de aliis Epiſcopis, qui conſecrationi cooperentur, jure merito dicitur, unum Pontificem Romanum, abſque aliorum Epiſcoporum miniſterio, ordinationem Epiſcopalem tunc perfeciſſe.

Poteſt & ab uno tantum Epiſcopo ordinari.

Stephanus Baluzius in Diſſert. de Concilio Taleptenſi ſeu *Zellenſi* ſubjuncta editioni anni 1705 Marcæ de Concordia Sacerdotii & Imperii, ſuſpicatur hæc verba Ferrandi Diaconi, *exceptâ Eccleſiâ Romanâ*, referri ad ordinationem Romani Pontificis, ita ut Ferrandus dicere voluerit, tres quidem Epiſcopos neceſſariò adhibendos in conſecratione ceterorum Epiſcoporum, ſed ad eam neceſſitatem non adſtringi Romanum, cujus ea prærogativa eſt, ut ab uno poſſit ordinari. Verùm hæc conjectura non videtur admittenda; cum enim in ejuſdem Leonis II Vita num. II oſtenderim Epiſcopos Romanos etiam ante Concilium Nicænum, à tribus Epiſcopis fuiſſe ordinatos, non videtur Ferrandus ad eam prærogativam reſpexiſſe, qua nunquam uſi ſunt Romani Pontifices, licet eos ille fuiſſe potitos magna mihi ſuſpicio ſit. Si enim Pelagius primus, & poſt eum multi ex ejus ſucceſſoribus, à duobus tantum Epiſcopis & ab Archipresbytero Oſtienſi conſecrati ſunt, non video negari poſſe, licitum etiam eis fuiſſe ab uno Epiſcopo conſecrari, quia non

minus

Digitized by Google

minus repugnat canoni Nicæno Epiſcopum à duobus tantum Epiſcopis ordinari, quam ab unico, & tamen nemo objecit Pelagio quòd à duobus tantum Epiſcopis fuiſſet conſecratus contra canonem Concilii Nicæni, licet ab ejus communione ſe ſubtraxiſſent Romani, quòd crederetur Concilium Quintum approbando, eum ſentire contra fidem Concilii Calchedonenſis; unde Childebertus Francorum Rex ab eo petiit, ut vel ſibi ſignificaret, ſe per omnia Sancti Leonis ſcriptis, aſſentiri, vel propriis verbis ſuæ fidei confeſſionem ad ſe mitteret, quod & fecit. Jam tamen ſeculo integro ante Pelagium primum hæc canonis Nicæni ſubverſio objecta fuerat Armentario Ebredunenſi Archiepiſcopo, qui anno 439. à Concilio Regienſi dignitate depoſitus fuit, quòd conſecrationem Epiſcopalem à duobus tantum Epiſcopis accepiſſet. Certè fuiſſe etiam prærogativam Romani Pontificis poſſe ab uno Epiſcopo ordinari, innuere videtur S. Auguſtinus dum in Breviculo Collationis contra Donatiſtas ſcribit, moris eſſe, ut Romanum Pontificem ordinet *non aliquis Epiſcopus Metropolitanus*, *ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus*. Denique Romanum Pontificem non tantum Epiſcopos ordinaſſe abſque aliorum Epiſcoporum miniſterio, ſed & ipſum conſequenter ab uno tantum Epiſcopo conſecrari potuiſſe, ex eo conſtat quod diſpenſet aliquando, ut Epiſcopus ab unico tantum Epiſcopo cum aſſiſtentia duorum Abbatum conſecretur, ſi verum ſit cum de facto non multis ab hinc annis, ſcilicet circa annum 1691. permiſiſſe, ut Epiſcopus Lauſannenſis in Helvetia Friburgi reſidens, ab uno tantum Epiſcopo, cui aſſiſterent Abbates Altæ rivæ & Belleii in eadem Helvetia conſecraretur, quod mihi compertum eſt ex literis hac de re Friburgo die 19. Septembris currentis anni 1717. ſcriptis. Si ergo Romanus Pontifex poteſt conſecrationem Epiſcopi uni ſoli permittere, quo pacto negari poteſt, & ipſum ab uno tantum Epiſcopo conſecrari potuiſſe, & Epiſcopos abſque aliorum miniſterio conſecraſſe. Vide dicta in Præfatione Tomo primo hujus Operis præfixa num. IX & ſeq. & in Pelagio primo.

TOMO SECUNDO.

Pag. 61. poſt numerum XVII adde. Longe antiquius Indulgentiæ conceſſæ exemplum nobis ſuppeditat codex qui extat in bibliotheca Patrum Oratorii Romani Vallicellana, de quo hæc habet Mabillonius Tomo I Muſei Italici pag. 69. „ In hoc codice Bedæ liber de diviſione „ temporum auctior eſt editis. Ad hæc *Ordo Romanus* ſeculo nono ſcrip„ tus, itidem vulgatis amplior Sed antiquius *Sacramentarium Romanum*, „ in quo hæc notanda: *Menſe Junio die XXII Sanctorum Martyrum* „ *mille CCCLXXX quorum vigilia cum ſilentio & jejunio eſt celebranda;*

„ & conceſſum eſt eis pro illo uno die annum dimittere in pœnitentiâ.
„ Hoc antiquum indulgentiæ conceſſæ exemplum. Ita Mabillonius. Quare ſi illud ſacramentarium antiquius ſit ſeculo nono, ut ipſe ait, concludendum eſt antiquiorem eſſe Indulgentiarum uſum eo modo quo nunc conceduntur, quàm hactenus à viris doctis exiſtimatum fuerat.

Pag. 72. lin. 1. numeri II ſcribe, *die XVII Julii*, ut ſcribunt &c.

Pag. 107. poſt numerum primum adde à linea.

Electio Pontificis Rom. ſemper facta abſentibus miſſis Imperialibus.

Hanc narrationem, quæ non apud Guillelmum tantum Bibliothecarium; ſed & apud Juonem Carnotenſem part. 5. cap. 16. & apud Gratianum diſt. 63. cap. *cum Hadrianus* reperitur, Baluzius in Notis ad Agobardum pag. 126. ſubleſtæ ac valde dubiæ fidei eſſe putat, quod Imperator jus non ſolum haberet in conſecratione, ſed & in electione Romani Pontificis, quod jus renovatum dicit in Concilio Ravennatenſi: quia, inquit, Romani frequenter per iſta tempora ſilentio tranſmiſerunt Miſſos Imperatorum in electione Pontificum, placuit eam audaciam reprimere in Concilio Ravennatenſi habito anno DCCCCIV, quod à Baronio editum eſt, in quo Joannes IX Pontifex Rom. hoc decretum promulgavit: *Quia Sancta Rom. Eccleſia, cui præſidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte: Quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperatoris notitia & ſuorum Legatorum præſentia, Pontificis fit conſecratio, nec canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuntii, qui violentiam & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri; volumus ut deinceps abdicetur, & conſtituendus Pontifex, convenientibus Epiſcopis & univerſo Clero eligatur, ex petente Senatu & populo qui ordinandus eſt, ſic in conſpectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur.* Sed mirum eſt virum doctiſſimum hoc ſolo Ravennatenſis Concilii decreto, anno DCCCXCVIII, non verò anno DCCCCIV celebrati, innixum in eam ſententiam abiiſſe; illud enim decretum, quod iiſdem ferè verbis à Stephano VI, vulgò VII editum vidimus, & poſtea à Joanne IX renovatum, non loquitur de electione Romani Pontificis, quæ ſemper facta eſt abſentibus Imperialibus Miſſis, ſed ſolum de ejus conſecratione, quæ fieri debebat Miſſis iiſdem præſentibus, poſtquam Eugenius II id anno DCCCXXV lege lata ſanctivit: nam ante Eugenium II non ſolum electionem ſed & conſecrationem Pontificis Rom. factam fuiſſe inconſulto Imperatore diſertè aſſerit Florus Diaconus in lib. de electione Epiſcoporum apud eumdem Baluzium pag. 258. *Sed & in Romana Eccleſia*, inquit, *uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis* (ideſt, inconſulto Principe) *ſolo diſpoſitionis judicio & fidelium ſuffragio legitimè Pontifices conſecrari.* Baluzius quidem ad interpretanda verba Flori multum ſe torquet, quia, inquit, conſtantiſſimum eſt ævo Flori Romanos Pontifices

non

non potuiſſe Ordinari extra præſentiam Miſſorum Imperatoris, quod probat exemplo Gregorii IV, qui, teſte Eginhardo, *non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis eſſet examinavit.* Sed advertere debuerat Baluzius librum illum à Floro ſcriptum ante Eugenium II, ſcilicet circa annum DCCCXX, ideoque ante Gregorium IV, ut in Hadriani primi Vita num. XIV dixi. Eugenius itaque II, Stephanus VI & Joannes IX ſtatuerunt quidem ut Miſſi Imperiales præſentes eſſent conſecrationi Pontificis, ſed nullibi legitur aliquem Pontificem id de electione conſtituiſſe, ſicuti nec ullum unquam Imperatorem id poſtulaſſe. Ceterum ex verbis Flori citatis & ex ſequentibus eruitur, Synodum Romanam, in qua Hadrianus primus ſupponitur dediſſe Carolo M. jus eligendi Pontificem Romanum & Epiſcopos per ſingulas provincias, ſuppoſititiam eſſe, cum poſt laudata verba de Pontificibus Romanis ſubdat Florus: *Qui etiam omnium regionum & civitatum, quæ illi ſubjecta ſunt, juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant atque conſtituunt Sacerdotes; nec adeo quiſquam abſurdus eſt, ut putet minorem illic ſanctificationis divinæ eſſe gratiam, eo quod nulla mundanæ poteſtatis comitetur auctoritas.* De hac Synodo Rom. vide dicta in Hadriano primo num. XIII & ſeq.

Pag. 301. in fine numeri I adde. Id etiam liquet ex ejus diplomate, quo facultatem concedit Epiſcopo Silvæ Candidæ divina officia certis diebus celebrandi in Eccleſia S. Petri in Vaticano, relato à Mabillonio Tomo 2. Muſei Italici pag 154. & ſeqq. dicitur enim datum *anno Pontificatus domini noſtri Johannis Summi Pontificis & univerſalis XIX Papæ....... Menſe Decembris indict. X*, ſeu anno 1026.

Pag. 435. poſt numerum XLIII adde. Certè Henricum in Synodo Romana anni 1076. fuiſſe depoſitum ex eo etiam eruitur, quod acta publica poſt illum annum conſignata non ſunt in Burgundiæ regno annis ejus Imperii, ſed hac formula, *regnante Chriſto domino*; in Hiſtoria enim Delphinatûs à doctiſſimo D. Juvenis Balliviatûs Vapincenſis, dum viveret, Cognitore Regio compoſita, quæ extat manuſcripta in Bibliotheca nobiliſſimi & eruditiſſimi D. Henrici de Thomaſſin D. de Mazaugues, refertur donatio monaſterio cuidam prope civitatem Vapincenſem exiſtenti facta à Leodegario Vapincenſi Epiſcopo, quæ ſic clauditur: *Datum Vapinci Non. Octob. Luna XXI, regnante Chriſto domino, amen.* Leodegarius autem ex eodem Auctore dictus eſt Epiſcopus Vapincenſis anno 1074. & obiit die tertia Auguſti anni 1079. Eodem tempore, nempe *anno* 1078. *menſe Aprili, indictione prima* Archimbaudus Nicienſis Epiſcopus Ebrardo Abbati Sancti Pontii donationem etiam quamdam fecit, actam, ut in ea legi aſſerit Juvenis, *regnante in nobis domino Jeſu-Chriſto*, ex quibus concludendum eſt, Henricum jam tunc non ſolum ab adminiſtratione regni ſuſpenſum, ſed & verè

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe depoſitum à Synodo Romana anni 1076. Porrò de hac formula, *regnante Chriſto* vide dicta in Marino II num. III & in Leone VIII Antipapa num. IV.

Pag. 500. in fine numeri XXXVII adde. Stephanus Baluzius Tomo 6. Miſcellaneorum vetera monumenta ad res monaſterii Cluniacenſis pertinentia publicavit, inter quæ extat Narratio de adventu Urbani Papæ II ad monaſterium illud, ex qua conjectura noſtra confirmatur, ſic enim incipit: *Anno ab Incarnatione domini milleſimo XCV domnus ac venerabilis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Papa Urbanus terminos Italiæ excedens...... ad Cluniacenſe devenit cœnobium, ubi quondàm relicto canonicalis ordinis officio habitum ſacræ religionis ſuſceperat.* Et infra: *Rogatus à domno Hugone ipſius monaſterii venerabili Abbate altare majus novæ baſilicæ, aſtantibus plurimis Epiſcopis, Monachis, Clericis quoque ac plebe innumerabili, in honore Reſurrectionis domini noſtri Jeſu-Chriſti, & beatæ ſemper Virginis Mariæ, Sanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli ac protomartyris Stephani devotiſſimè conſecravit VIII Kal. Novembris, indictione IV & præcepit, ut in ipſo die eadem Baſilica opportuno tempore dedicaretur*, quod & ab Innocentio II eodem die anno 1130. factum vidimus in ejus Pontificatu num. IX. Apparet itaque rectè à nobis mutatam eſſe indictionem tertiam in quartam, quæ anno 1095. incœpta eſt Kalendis Septembris.

Pag. 508. numerum LII ſic incipe. Claromontano Concilio celebrato & finito, poſtquam *per dies decem* duraſſet, ut ſcribit Auctor Magni Chronici Belgici, Urbanus Papa poſt diem XXX Novembris Claromonte diſceſſit; nam Baluzius Tomo 6. Miſcellaneorum pag. 375. ejus reſcriptum refert pro confirmatione electionis Manaſſis Epiſcopi Cameracenſis datum *apud Arverniam II Kal. Decembris.* pagina verò ſequenti aliud refert quo confirmantur privilegia Monaſterii Celſiniacenſis, ex quo conſtat eum non multò poſt ex ea urbe receſſiſſe, datum eſt enim *apud oppidum Sancti Flori per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, indictione III* (legendum IV) *VII Idus Decembris anno dominicæ Incarnationis MXCV, Pontificatûs autem domni Urbani ſecundi Papæ VIII.* Inde cum pluribus Archiepiſcopis, &c.

Pag. 511. quatuor priores lineæ numeri LVIII delendæ uſque ad illa verba incluſivè: *via ſe commiſit*, ſicque inchoandus numerus. Ex urbe Turonenſi Urbanus Papa *reverſus eſt Sanctonam civitatem*, inquit Chronographus Malleacenſis laudatus, *& celebravit ibi Sanctum Paſcha, & inde remeavit Romam.* Sanctonis exiſtens in vigilia Paſchæ dedit bullam pro monaſterio S. Martialis Lemovicenſis, quam refert Baluzius lib. 6. Miſcellaneorum pag. 388. datam *Sanctonis per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis II Idus Aprilis, indictione IV anno dominicæ Incarnationis MXCVII. Pontificatûs autem domni Urbani ſecundi Papæ IX.*

Poſt

Digitized by Google

Poſt diem itaque decimum tertium menſis Aprilis, quo Paſcha anno 1096. celebratum eſt, viæ ſe commiſit; & Nonis Maii jam Toloſæ erat; eo enim die ibidem confirmavit privilegia monaſterii Moyſſiacenſis bulla ab eodem Baluzio ibidem pag. 391. relata & data *Toloſæ Nonis Maii, indictione IV, anno dominicæ Incarnationis MXCVII per manum Joannis S. R. E. Cardinalis.* Quæ duæ bullæ Sanctonis & Toloſæ datæ notantur anno Incarnationis Piſano, qui, ut videre eſt num. LXII, noſtrum novem menſibus antecedit, ad quod Baluzius animum non advertit, licet id neceſſario conſequatur ex indictione & ex anno Pontificatûs Urbani. Nono Kalendas Junii, ſeu die XXIV Maii Toloſæ conſecravit, &c.

Pag. 513. in fine numeri LXI adde. Imò Concilium jam celebrabatur die undecima Julii, ut conſtat ex ejuſdem Narratione à Baluzio Tomo 7. Miſcellaneorum pag. 72. relata, quæ ſic deſinit: *Actum eſt hoc apud præfatum Concilium* (Nemauſenſe) *V Idus Julii anno XXXVIII regni Philippi Regis Francorum.*

Eadem pag. 513. poſt hæc verba lineæ ſeptimæ numeri LXIII, *Urbani Papæ IX*, adde. Baluzius Tomo 6. Miſcellaneorum pag. 394. refert aliam bullam ab Urbano II datam in eodem S. Andreæ monaſterio eodem die, quæ ſic deſinit: *Datum apud Montem Andaonis in monaſterio Sancti Andreæ per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XI Kal. Auguſti, indictione IV, Incarnationis dominicæ anno MXCVII Pontificatûs autem domni Urbani II Papæ IX.* Hic annus Incarnationis eſt etiam Piſanus, nam præterquam quod tam annus Pontificatûs, quàm indictio demonſtrant eum eſſe annum communem 1096. certum eſt, Urbanum eo anno deſinente Romæ fuiſſe, ut mox oſtendetur. Eſt hæc bulla pro Eccleſia Sancti Saturnini Toloſæ

Pag. 613. In fine numeri IX adde. Hanc Eccleſiæ Cluniacenſis conſecrationem factam eſſe ab Innocentio II die XXV menſis Octobris, conſtat ex dictis in his additionibus ad numerum XXXVII Vitæ Urbani II, ſive in Additione ad paginam 500.

Pag. 619. in fine numeri X adde. Baluzius Tomo 7. Miſcellaneorum pag. 74. iſtud Concilium Claromontanum ex archivo Eccleſiæ Barcinonenſis publicavit, in cujus Actis dicitur celebratum anno MCXXX menſe Novembri, indictione octava, à Kalendis Januariis more Gallicano, ut jam dixi, inchoata, in eoque *de fide Catholica & animarum ædificatione, & morum honeſtate, malorumque pullulantium eradicatione tractatum* eſſe, & obedientiam *domino Papa Innocentio aſtanti ab univerſis* fuiſſe *conſtanter* promiſſam. Huic Concilio adfuerunt Archiepiſcopi Lugdunenſis, Bituricenſis, Viennenſis, Narbonenſis, Arelatenſis, Tarraconenſis, Auxitanus, Aquenſis & Taranraſienſis cum ſuis ſuffraganeis; *unà cum Salſeburgenſi Archiepiſcopo & Monaſterienſ*

Epiſcopo ac Abbate Gorgienſi, qui pro honore & ſalute Eccleſiæ pro Teutonico regno occurrerant. Tredecim canones in eo conditi qui ibidem referuntur.

Pag. 649. in fine numeri LX adde. Anno tamen antecedenti MCXXIX die decima quinta Maii Rogerius jam ſe in Regem coronari fecerat Panormi: Baluzius enim Tomo 6. Miſcellaneorum refert Hiſtoriam brevem liberationis Meſſinæ à Saracenorum dominatu factæ per Comitem Rogerium, in qua recitatur privilegium conceſſum Meſſanenſibus eodem die quo coronatus eſt, quod ſic deſinit: *Datum eſt hoc exemplar originale de noſtri mandato...... in urbe Panhormi felici, in ſolemnitate noſtræ coronationis, die quinto decimo Maii, ſub anno incarnati Verbi MCXXIX aſtantibus reverendis domino Rogerio Beneventano, Joanne Salernitano & Philippo Capuano Præſulibus*, &c. Non immeritò itaque recentes Siculorum rerum Scriptores contendunt, Rogerium bis coronatum fuiſſe Siciliæ Regem, Idibus quidem Maii anno MCXXIX, & in die Natalis Chriſti anno MCXXX à Legato Antipapæ Anacleti. Neque dici poteſt, hanc primam Rogerii coronationem non fuiſſe Regiam, ſed Ducalem; nam initio privilegii ita legitur: *Rogerius divina favente clementia primus Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ & principatûs Capuæ.*

TOMO TERTIO.

Pag. 70. linea 7. poſt hæc verba *Noveris figurari* &c. adde.

Hanc Alexandri III Papæ Epiſtolam non legerat Auctor Cæremonialis Gregorii X Papæ juſſu editi, qui loquens de ea roſa apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici pag. 236. ait: *Quid verò roſa hæc, aurum, muſcus & balſamum, quæ ſunt intus in ea, & quod tali die portatur, ſignificent, diligenti inquiſitori ſervatur.* Sed Guillelmus Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. 6. cap. 53. eamdem myſticam ſignificationem huic roſæ tribuit, & inſuper explicat quare portetur dominica quarta Quadrageſimæ: *Hujus floris bajulus*, inquit, *eſt Vicarius Salvatoris Romanus videlicet Pontifex ſucceſſor utique Petri & Vicarius Jeſu Chriſti, qui hunc florem fidelibus populis demonſtrat non omni tempore, ſed in hac dominica tantum quæ ſeptima eſt ab illa quæ Septuageſima nuncupatur: Quia Chriſtus non in qualibet hora, ſed in ſeptima tantum ætate videtur ab illis qui beata requie conſolantur.*

Pag. 211. poſt numerum LXXX adde à linea.

Contra hæc objici forſan poſſet, Leonem III *duodecim presbyteros in ſua purgatione* habuiſſe, ut legitur lib. 5. capitularium cap. 36. & Paſchalem primum coram *populo Romano cum Epiſcopis XXXIIII & Preſbyteris & Diaconibus quinque* juramento ſe purificaſſe juxta Theganum in Geſtis

Geſtis Ludovici Pii apud Ducheſnium Tomo 2. pag. 281. Verùm duos illos Pontifices ſe purgantes, liberè & voluntariè presbyteros, vel Epiſcopos adhibuiſſe, tanquam ſuæ famæ teſtes, non verò conjuratores, ex eo eruitur, quod cum Carolus Magnus Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & proceres Francorum & Romanorum, ad crimina Leoni Papæ objecta examinanda, congregaſſet, omnes unâ voce exclamarunt: *Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Nam & ab ipſa nos omnes, & ab ejus Vicario judicamur; ipſa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed ſicut ipſe Summus Pontifex cenſuerit, canonicè obediemus.* Ex quibus patet, Patres illius Concilii Romani erga Leonem ſe geſſiſſe, ſicut Synodi palmaris Epiſcopi ſe geſſerant in cauſa Symmachi Papæ, quam divino judicio reſervarunt. Liberè itaque & ſpontaneè tam Leo III, quam Paſchalis I, ne ulla ſuſpicio penes Eccleſiam reliqua eſſet, adhibitis aliquot teſtibus, objecta crimina jurejurando diluerunt; indeque Carolus Magnus, conſulto prius, ut ipſemet ait, Leone III, purgationem illam indixit presbyteris illis quorum crimina per teſtes idoneos probari non poſſent. *Ipſe ergo Sacerdos*, inquit Carolus in capitulari laudato, *ſi ſuſpicioſus aut incredibilis ſuo Epiſcopo aut reliquis ſuis Conſacerdotibus, ſive bonis & juſtis de ſuo populo, vel de ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus, aut quinque, vel ſeptem bonis ac vicinis Sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, qui duodecim Presbyteros in ſua purgatione habuit, vel eò amplius, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi ineſſe perſpexerit, & cum aliis bonis & juſtis hominibus, ſe ſacramento coram populo ſuper quatuor evangelia dato purgatum Eccleſiæ reddat.* At non multò poſt idem Carolus Imperator à Riculfo Moguntino Archiepiſcopo edoctus, hanc cauſam à Gregorio II fuiſſe definitam, in capitulari anni DCCCIII ſolum presbyteri juramentum abſque ſociis conjuratoribus, juxta ejuſdem Gregorii decretum, ſufficere declaravit; in eo enim Capitulari pag. 385. Tomi primi, loquens de purgatione Sacerdotum, ait: *Eam cum teſtibus, ſicut in anteriori capitulo noſtro continetur, fieri decrevimus, Quoniam neſciebamus eamdem cauſam à beato Gregorio Papa eſſe definitam. Nam cum Wormatia Generalem conventum habuiſſemus adlata eſt nobis à Riculfo Moguncíacenſi Metropolitano Epiſtola beati Gregorii Papæ, in qua inter cetera continebantur hæc*: „ De presbytero verò, vel quolibet Sacer-„ dote à populo accuſato, ſi certi non fuerint teſtes, qui crimini in-„ lato non approbent veritatem, juſjurandum erit in medio, & illum „ teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt „ omnia, ſicque maneat in proprio gradu. Quæ verba ſunt Gregorii II in Epiſtola XIII ad S. Bonifacium Tomo VI Concil. pag. 1449. Exiſtimo itaque illam purgationem tertia, quinta, aut ſeptima manu, vel

à Leone III, vel à Paſchali I, vel non multò poſt fuiſſe ſtatutam, & ad Epiſcopos extenſam, cum jam in uſu eſſet circa annum 840. quo florebat Smaragdus, ejuſque antiquior mentio non reperiatur; nam Canon Concilii Ilerdenſis quem refert Ivo Carnotenſis, à nobis numero LXXIX laudatus, non eſt Ilerdenſis Concilii anno DXXIV celebrati, ſed alicujus alterius nobis ignoti poſt Leonem III habiti, cum in eo legatur Tomo IV Concil. pag. 1615. *Quam ſatisfactionem nonnulli præcedentium patrum ſanctum Leonem Papam in baſilica Sancti Petri coram reverendiſſimo Carolo Cæſare, ac Clero & plebe, ita feciſſe commemorant*, id eſt coram Carolo Magno qui poſtea Cæſar & Auguſtus dictus eſt. Poſt hæc illa purgatio in uſu fuit, unde Innocentius III vocat eam *purgationem Canonicam*.

Pag. 228. poſt numerum CIX adde à linea.

In Galliis ſacra Myſteria ineunte ſeculo XII elevata.

Piam conſuetudinem elevandi ſacra Myſteria in miſſa, dixi cum Cardinali Bona in Galliis jam viguiſſe ſeculo XII ineunte, quod probavi tùm ex ſtatuto Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi, quod extat Tomo VII Conciliorum Binii, tùm ex Epiſtola 141. Juonis Carnotenſis, quem cum eodem Cardinali ſcripſi vixiſſe eodem tempore quo Guillelmus Pariſienſis. Verùm poſtea re maturiùs examinata, comperi rectè Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici in Commentario prævio pag. 49. monuiſſe in dicta Juonis Carnotenſis Epiſtola non fieri mentionem elevationis, ſed tantum pulſationis campanæ cum fit conſecratio. Quod ſpectat ad Guillelmi Pariſienſis ſtatuta, vel deceptus eſt Cardinalis Bona, qui illa attribuit Guillelmo hujus nominis primo Pariſienſi Epiſcopo ab anno MXCVII ad MC, qui ideo vixit eodem tempore quo Juo Carnotenſis; vel Mabillonius, qui ea ſtatuta edita putat circa annum MCCXV, ideoque à Guillelmo hujus nominis II. Sed quidquid hac de re ſit, ex Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo, poſtea Archiepiſcopo Turonenſi certò probatur, hunc elevationis ſacrorum myſteriorum in miſſa ritum viguiſſe in Galliis ineunte ſeculo XII, ideoque ſeculo integro ante Innocentium III; in verſibus enim de ſacrificio miſſæ, poſtquam dixit, Sacerdotem panem & vinum conſecraſſe, ſubdit:

Si qua fides Patribus, quos vita beata perennat,
Eſca ſit hac animæ, quæ modo carnis erat.
His verbis utrumque novas acquirere vires
Majoreſque ſuis ſcripta probata docent.
Sub cruce, ſub verbo natura novatur, & aram
Panis honorificat carne, cruore calix.
Presbyter idcirco cum verba venitur ad illa
In quibus altari Gratia tanta datur.
TOLLIT UTRUMQUE, notans, quod ſit communibus eſcis
Altior, & quiddam majus utrumque geras.

Ex qui-

Ex quibus demonſtratur ſeculi duodecimi initio, quo florebat Hildebertus, ſacra myſteria in Galliis fuiſſe elevata. Id verò quod addidi, me in Eccleſia Romana ante Bonifacium VIII nullam inveniſſe hujus elevationis mentionem, omninò expungendum eſt, cum Mabillonius loco laudato advertat, Cæremoniale Gregorii X juſſu editum eodem Tomo 2. Muſei Italici pag. 235. hunc ritum commemorare. Niſi quis dicat in hoc Cæremoniali eſſe tantum mentionem elevationis Hoſtiæ, non verò Calicis quæ conjectura firmari poſſe videtur ex verbis Cæſarii Heiſterbatenſis, qui aſſerit Guidonem Epiſcopum Præneſtinum Apoſtolicæ Sedis in Germania Legatum anno 1203. inſtituiſſe, ut ad elevationem Hoſtiæ omnis populus veniam peteret, *ſicque uſque ad calicis benedictionem proſtratus jaceret*; ibi enim ſermo quidem eſt de benedictione, non verò de elevatione calicis, cujus pariter nulla mentio in Cæremoniali Gregorii X laudato. Sed cum parum veroſimile videatur, Hoſtiam ſolam fuiſſe elevatam, non verò Calicem, dicendum omninò eſt uſum elevandi ſacra myſteria in miſſa in Eccleſia Romana Gregorio X, in Galliis verò & in Germania Innocentio III longe antiquiorem eſſe.

Pag. 307. poſt numerum XXX adde à linea.

Dominicam quartam Quadrageſimæ in margine numeri XXX vocavi dominicam de Roſa, quia ſic eam appellavit Petrus Amelius Epiſcopus Senogalienſis in Ordine Romano XV apud Mabillonium Tomo 2. Muſei Italici pag. 470. 516. & 529. Hic autem Petrus Amelius ex dictis adhuc in vivis erat anno 1398. Verùm Auctores omnes ipſo antiquiores quos legi, hanc dominicam vocant *Lætare Jeruſalem*; imò in Ordine Romano XI ab eodem Mabillonio ibidem ſub nomine Polliciti, qui vivebat ſub Innocentio II, publicato, diſertè aſſeritur, non hanc dominicam, ſed eam quæ præcedit feſtum Pentecoſtes, dictam fuiſſe dominicam de Roſa, ſeu de Roſis; in eo enim pag. 147. Auctor loquens de dominica dicta de *Modicum*, ſeu tertia poſt Paſcha, ait: *Ponuntur Epiſtolæ canonicæ uſque in tertiam Dominicam, pater cum eſſem cum eis. In hac dominica ponitur Actus Apoſtolorum uſque in Vigilia Aſcenſionis....... leguntur de hoc libro tres* [uncertain reading] *lectiones in Aſcenſione Domini, tres in Dominica de Roſis & duæ in Pentecoſten.* Deinde loquitur de feſto Aſcenſionis, & antequam loquatur de Sabbato Pentecoſtes, pag. ſequenti 148. ſubdit: *Dominica de Roſa ſtatio ad Sanctam Mariam Rotun'am ubi Pontifex debet cantare miſſam, & in prædicatione dicere de adventu Spiritûs Sancti, quia de altitudine templi mittuntur roſæ in figura ejuſdem Spiritûs Sancti.* Antea autem pag. 135. loquens de dominica quarta Quadrageſimæ dixerat: *Dominica Lætare Jeruſalem ſtatio ad Jeruſalem in pa'atio Seſſoriano, ubi Dominus Pontifex honorificè cantat miſſam habens in manu ſua roſam de auro cum muſco.* Auctor itaque iſtius Ordinis diſertè diſtinguit

Dominica de Roſa diverſa erat à Dominica IV Quadrageſimæ.

Digitized by Google

dominicam quartam Quadrageſimæ à Dominica de Roſa, ſeu de Roſis, quam ultimam dicit eſſe dominicam ante Pentecoſten. Fallitur itaque Mabillonius utramque dominicam confundens contra mentem Polliciti. In Indice quippe ejuſdem Tomi 2. Muſei Italici pag. 603. ſcribit: *Dominica IV Quadrageſima dicta de Roſis* 147. *de Roſa* 148. 470. 516. & 539. quia ſcilicet duo loca Polliciti pagg. 147. & 148. quæ ſunt de dominica ante Pentecoſten, quam hic Auctor vocat dominicam de Roſis, ſeu de Roſa, confundit cum tribus locis pagg. 470. 516. & 539. in quibus Petrus Amelius dominicam quartam Quadrageſimæ vocat dominicam de Roſa. Non inficior tamen quin tempore dicti Petri Amelii dominica quarta Quadrageſimæ dicta fuerit de Roſa, quia forsàn ritus ille mittendi roſas de altitudine templi in figura Spiritûs Sancti Dominica ante Pentecoſten, jam abrogatus fuerat. Porrò Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſianenſis in libello *de baptiſmate Paſchali, & de origine ac ritu conſecrandi Agnos Dei* Romæ anno 1656. edito pag. 151. promiſerat ſe *de Roſa aurea libro ſingulari* diſſertaturum, quod utrum præſtiterit, me latet.

Pag. 372. in fine Numeri V adde. Huic porrò Clementis Epiſtolæ ad Petrum Groſſum nepotem, conjungi meritò poteſt alia ejuſdem Pontificis ad Raymundum de Engoyſſoliis Clericum alterum nepotem ſuum, qui Bononiam ſtudiorum causâ accedere cupiebat, eaque de re Pontificem conſuluerat, qui Epiſtolâ data Viterbii III Nonas Novembris anno ſecundo Pontificatûs, eum hortatur ut ipſemet diſcutiat an hic locus conveniat, *cum ſit ex inſolentia modernorum ſuper vacuis expenſis obnoxius, ut neceſſitates omittamus*, inquit, *ad quas ſitus civitatis invitat, quæ in via publica conſtituta multorum ibi exhibet ſtudentibus præſentiam verecundam non obſtantibus & ſequentibus oneroſam. Tua ergo deliberationi committimus, ut vires tuas fideliter metiaris. Nec enim ut Papa nepos ibi vivere poteris, & ſi vixeris ut Raymundus, forsàn à pluribus contemneris. Quod ſi adeo fortis es animi ut contemnere ſcias & valeas te contemni, hic eſt gradus humilitatis ſublimior, ad quem pauci te judicant aſcendiſſe. Et ſi datum eſt tibi de ſuper, refer gratias largitori gratiarum benivolo. Alioquin conſultius tibi alium locum eligere propoſito tuo laudabili non mutato.* Hanc Epiſtolam, ex qua evincitur, Clementem IV non ſolùm initio, ſed & toto ſui Pontificatûs tempore averſum fuiſſe à profundendis in nepotes Eccleſiæ divitiis, edidit Baluzius Tomo 6. Miſcellaneorum pag. 439.

TABU-

Digitized by Google

TABVLA ANNORVM CHRISTI

Et in iis Litterarum Dominicalium, Paſchatum & Indictionum ab Anno 1143.

Anno Chriſti 1143.	Lit. Dom. C.	Paſcha 4. April.	Indict. 6.
An. 1144.	Lit. Dom. B. A.	Paſcha 26. Mart.	Indict. 7.
An. 1145.	Lit. Dom. G.	Paſcha 15. April.	Indict. 8.
An. 1146.	Lit. Dom. F.	Paſcha 31. Mart.	Indict. 9.
An. 1147.	Lit. Dom. E.	Paſcha 20. April.	Indict. 10.
An. 1148.	Lit. Dom. DC.	Paſcha 11. April.	Indict. 11.
An. 1149.	Lit. Dom. B.	Paſcha 5. April.	Indict. 12.
An. 1150.	Lit. Dom. A.	Paſcha 16. April.	Indict. 13.
An. 1151.	Lit. Dom. G.	Paſcha 8. April.	Indict. 14.
An. 1152.	Lit. Dom. FE.	Paſcha 30. Mart.	Indict. 15.
An. 1153.	Lit. Dom. D.	Paſcha 19. April.	Indict. 1.
An. 1154.	Lit. Dom. C.	Paſcha 4. April.	Indict. 2.
An. 1155.	Lit. Dom. B.	Paſcha 27. Mart.	Indict. 3.
An. 1156.	Lit. Dom. AG.	Paſcha 15. April.	Indict. 4.
An. 1157.	Lit. Dom. F.	Paſcha 31. Mart.	Indict. 5.
An. 1158.	Lit. Dom. E.	Paſcha 20. April.	Indict. 6.
An. 1159.	Lit. Dom. D.	Paſcha 12. April.	Indict. 7.
An. 1160.	Lit. Dom. CB.	Paſcha 27. Mart.	Indict. 8.
An. 1161.	Lit. Dom. A.	Paſcha 16. April.	Indict. 9.
An. 1162.	Lit. Dom. G.	Paſcha 8. April.	Indict. 10.
An. 1163.	Lit. Dom. F.	Paſcha 24. Mart.	Indict. 11.
An. 1164.	Lit. Dom. ED.	Paſcha 12. April.	Indict. 12.
An. 1165.	Lit. Dom. C.	Paſcha 4. April.	Indict. 13.
An. 1166.	Lit. Dom. B.	Paſcha 24. April.	Indict. 14.
An. 1167.	Lit. Dom. A.	Paſcha 9. April.	Indict. 15.
An. 1168.	Lit. Dom. GF.	Paſcha 31. Mart.	Indict. 1.
An. 1169.	Lit. Dom. E.	Paſcha 20. April.	Indict. 2.
An. 1170.	Lit. Dom. D.	Paſcha 5. April.	Indict. 3.
An. 1171.	Lit. Dom. C.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 4.
An. 1172.	Lit. Dom. BA.	Paſcha 16. April.	Indict. 5.
An. 1173.	Lit. Dom. G.	Paſcha 8. April.	Indict. 6.
An. 1174.	Lit. Dom. F.	Paſcha 24. Mart.	Indict. 7.
An. 1175.	Lit. Dom. E.	Paſcha 13. April.	Indict. 8.
An. 1176.	Lit. Dom. DC.	Paſcha 4. April.	Indict. 9.

Anno

Anno 1177.	Lit. Dom. B.	Paſcha 24. April.	Indict. 10.
An. 1178.	Lit. Dom. A.	Paſcha 9. April.	Indict. 11.
An. 1179.	Lit. Dom. G.	Paſcha 1. April.	Indict. 12.
An. 1180.	Lit. Dom. FE.	Paſcha 20. April.	Indict. 13.
An. 1181.	Lit. Dom. D.	Paſcha 5. April.	Indict. 14.
An. 1182.	Lit. Dom. C.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 15.
An. 1183.	Lit. Dom. B.	Paſcha 17. April.	Indict. 1.
An. 1184.	Lit. Dom. AG.	Paſcha 1. April.	Indict. 2.
An. 1185.	Lit. Dom. F.	Paſcha 21. April.	Indict. 3.
An. 1186.	Lit. Dom. E.	Paſcha 13. April.	Indict. 4.
An. 1187.	Lit. Dom. D.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 5.
An. 1188.	Lit. Dom. CB.	Paſcha 17. April.	Indict. 6.
An. 1189.	Lit. Dom. A.	Paſcha 9. April.	Indict. 7.
An. 1190.	Lit. Dom. G.	Paſcha 25. Mart.	Indict. 8.
An. 1191.	Lit. Dom. F.	Paſcha 14. April.	Indict. 9.
An. 1192.	Lit. Dom. ED.	Paſcha 5. April.	Indict. 10.
An. 1193.	Lit. Dom. C.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 11.
An. 1194.	Lit. Dom. B.	Paſcha 10. April.	Indict. 12.
An. 1195.	Lit. Dom. A.	Paſcha 2. April.	Indict. 13.
An. 1196.	Lit. Dom. GF.	Paſcha 21. April.	Indict. 14.
An. 1197.	Lit. Dom. E.	Paſcha 6. April.	Indict. 15.
An. 1198.	Lit. Dom. D.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 1.
An. 1199.	Lit. Dom. C.	Paſcha 18. April.	Indict. 2.
An. 1200.	Lit. Dom. B. A.	Paſcha 9. April.	Indict. 3.
An. 1201.	Lit. Dom. G.	Paſcha 25. Mart.	Indict. 4.
An. 1202.	Lit. Dom. F.	Paſcha 14. April.	Indict. 5.
An. 1203.	Lit. Dom. E.	Paſcha 6. April.	Indict. 6.
An. 1204.	Lit. Dom. DC.	Paſcha 25. April.	Indict. 7.
An. 1205.	Lit. Dom. B.	Paſcha 10. April.	Indict. 8.
An. 1206.	Lit. Dom. A.	Paſcha 2. April.	Indict. 9.
An. 1207.	Lit. Dom. G.	Paſcha 22. April.	Indict. 10.
An. 1208.	Lit. Dom. FE.	Paſcha 6. April.	Indict. 11.
An. 1209.	Lit. Dom. D.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 12.
An. 1210.	Lit. Dom. C.	Paſcha 18. April.	Indict. 13.
An. 1211.	Lit. Dom. B.	Paſcha 3. April.	Indict. 14.
An. 1212.	Lit. Dom. AG.	Paſcha 25. Mart.	Indict. 15.
An. 1213.	Lit. Dom. F.	Paſcha 14. April.	Indict. 1.
An. 1214.	Lit. Dom. E.	Paſcha 30. Mart.	Indict. 2.
An. 1215.	Lit. Dom. D.	Paſcha 19. April.	Indict. 3.
An. 1216.	Lit. Dom. CB.	Paſcha 10. April.	Indict. 4.
An. 1217.	Lit. Dom. A.	Paſcha 26. Mart.	Indict. 5.
An. 1218.	Lit. Dom. G.	Paſcha 15. April.	Indict. 6.
An. 1219.	Lit. Dom. F.	Paſcha 7. April.	Indict. 7.

Digitized by Google

Anno 1220.	Lit. Dom. E.D.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 8.
An. 1221.	Lit. Dom. C.	Paſcha 11. April.	Indict. 9.
An. 1222.	Lit. Dom. B.	Paſcha 3. April.	Indict. 10.
An. 1223.	Lit. Dom. A.	Paſcha 23. April.	Indict. 11.
An. 1224.	Lit. Dom. GF.	Paſcha 14. April.	Indict. 12.
An. 1225.	Lit. Dom. E.	Paſcha 30. Mart.	Indict. 13.
An. 1226.	Lit. Dom. D.	Paſcha 19. April.	Indict. 14.
An. 1227.	Lit. Dom. C.	Paſcha 11. April.	Indict. 15.
An. 1228.	Lit. Dom. BA.	Paſcha 26. Mart.	Indict. 1.
An. 1229.	Lit. Dom. G.	Paſcha 15. April.	Indict. 2.
An. 1230.	Lit. Dom. F.	Paſcha 7. April.	Indict. 3.
An. 1231.	Lit. Dom. E.	Paſcha 23. Mart.	Indict. 4.
An. 1232.	Lit. Dom. DC.	Paſcha 11. April.	Indict. 5.
An. 1233.	Lit. Dom. B.	Paſcha 3. April.	Indict. 6.
An. 1234.	Lit. Dom. A.	Paſcha 23. April.	Indict. 7.
An. 1235.	Lit. Dom. G.	Paſcha 8. April.	Indict. 8.
An. 1236.	Lit. Dom. FE.	Paſcha 30. Mart.	Indict. 9.
An. 1237.	Lit. Dom. D.	Paſcha 19. April.	Indict. 10.
An. 1238.	Lit. Dom. C.	Paſcha 4. April.	Indict. 11.
An. 1239.	Lit. Dom. B.	Paſcha 27. Mart.	Indict. 12.
An. 1240.	Lit. Dom. AG.	Paſcha 15. April.	Indict. 13.
An. 1241.	Lit. Dom. F.	Paſcha 31. Mart.	Indict. 14.
An. 1242.	Lit. Dom. E.	Paſcha 2. April.	Indict. 15.
An. 1243.	Lit. Dom. D.	Paſcha 12. April.	Indict. 1.
An. 1244.	Lit. Dom. CB.	Paſcha 3. April.	Indict. 2.
An. 1245.	Lit. Dom. A.	Paſcha 16. April.	Indict. 3.
An. 1246.	Lit. Dom. G.	Paſcha 8. April.	Indict. 4.
An. 1247.	Lit. Dom. F.	Paſcha 31. Mart.	Indict. 5.
An. 1248.	Lit. Dom. ED.	Paſcha 19. April.	Indict. 6.
An. 1249.	Lit. Dom. C.	Paſcha 4. April.	Indict. 7.
An. 1250.	Lit. Dom. B.	Paſcha 27. Mart.	Indict. 8.
An. 1251.	Lit. Dom. A.	Paſcha 16. April.	Indict. 9.
An. 1252.	Lit. Dom. GF.	Paſcha 31. Mart.	Indict. 10.
An. 1253.	Lit. Dom. E.	Paſcha 20. April.	Indict. 11.
An. 1254.	Lit. Dom. D.	Paſcha 12. April.	Indict. 12.
An. 1255.	Lit. Dom. C.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 13.
An. 1256.	Lit. Dom. BA.	Paſcha 16. April.	Indict. 14.
An. 1257.	Lit. Dom. G.	Paſcha 8. April.	Indict. 15.
An. 1258.	Lit. Dom. F.	Paſcha 24. Mart.	Indict. 1.
An. 1259.	Lit. Dom. E.	Paſcha 13. April.	Indict. 2.
An. 1260.	Lit. Dom. DC.	Paſcha 4. April.	Indict. 3.
An. 1261.	Lit. Dom. B.	Paſcha 24. April.	Indict. 4.
An. 1262.	Lit. Dom. A.	Paſcha 9. April.	Indict. 5.

Anno 1263.	Lit. Dom. G.	Paſcha 1. April.	Indict. 6.
An. 1264.	Lit. Dom. FE.	Paſcha 20. April.	Indict. 7.
An. 1265.	Lit. Dom. D.	Paſcha 5. April.	Indict. 8.
An. 1266.	Lit. Dom. C.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 9.
An. 1267.	Lit. Dom. B.	Paſcha 17. April.	Indict. 10.
An. 1268.	Lit. Dom. AG.	Paſcha 8. April.	Indict. 11.
An. 1269.	Lit. Dom. F.	Paſcha 24. Martii.	Indict. 12.
An. 1270.	Lit. Dom. E.	Paſcha 13. April.	Indict. 13.
An. 1271.	Lit. Dom. D.	Paſcha 5. April.	Indict. 14.
An. 1272.	Lit. Dom. CB.	Paſcha 24. April.	Indict. 15.
An. 1273.	Lit. Dom. A.	Paſcha 9. April.	Indict. 1.
An. 1274.	Lit. Dom. G.	Paſcha 1. April.	Indict. 2.
An. 1275.	Lit. Dom. F.	Paſcha 14. April.	Indict. 3.
An. 1276.	Lit. Dom. ED.	Paſcha 5. April.	Indict. 4.
An. 1277.	Lit. Dom. C.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 5.
An. 1278.	Lit. Dom. B.	Paſcha 17. April.	Indict. 6.
An. 1279.	Lit. Dom. A.	Paſcha 2. April.	Indict. 7.
An. 1280.	Lit. Dom. GF.	Paſcha 21. April.	Indict. 8.
An. 1281.	Lit. Dom. E.	Paſcha 13. April.	Indict. 9.
An. 1282.	Lit. Dom. D.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 10.
An. 1283.	Lit. Dom. C.	Paſcha 18. April.	Indict. 11.
An. 1284.	Lit. Dom. BA.	Paſcha 9. April.	Indict. 12.
An. 1285.	Lit. Dom. G.	Paſcha 25. Mart.	Indict. 13.
An. 1286.	Lit. Dom. F.	Paſcha 14. April.	Indict. 14.
An. 1287.	Lit. Dom. E.	Paſcha 6. April.	Indict. 15.
An. 1288.	Lit. Dom. DC.	Paſcha 28. Mart.	Indict. 1.
An 1289.	Lit. Dom. B.	Paſcha 10. April.	Indict. 2.
An. 1290.	Lit. Dom. A.	Paſcha 2. April.	Indict. 3.
An. 1291.	Lit. Dom. G.	Paſcha 22. April.	Indict. 4.
An. 1292.	Lit. Dom. FE.	Paſcha 6. April.	Indict. 5.
An. 1293.	Lit. Dom. D.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 6.
An. 1294.	Lit. Dom. C.	Paſcha 18. April.	Indict. 7.
An. 1295.	Lit. Dom. B.	Paſcha 3. April.	Indict. 8.
An. 1296.	Lit. Dom. AG.	Paſcha 25. Mart.	Indict. 9.
An. 1927.	Lit. Dom. F.	Paſcha 14. April.	Indict. 10.
An. 1298.	Lit. Dom. E.	Paſcha 6. April.	Indict. 11.
An. 1299.	Lit. Dom. D.	Paſcha 19. April.	Indict. 12.
An. 1300.	Lit. Dom. CB.	Paſcha 10. April.	Indict. 13.
An. 1301.	Lit. Dom. A.	Paſcha 2. April.	Indict. 14.
An. 1302.	Litt. Dom. G.	Paſcha 22. April.	Indict. 15.
An. 1303.	Lit Dom. F.	Paſcha 7. April.	Indict. 1.
An. 1304.	Lit. Dom. ED.	Paſcha 29. Mart.	Indict. 2.

KALEND.

Digitized by Google

KALENDARIUM
ROMANUM.

IANUARIUS, Græcis AUDYNÆUS,

A	Kal.	1	Circumciſio Domini.
B	iv	2	Octava Sancti Stephani.
C	iij	3	Octava Sancti Joannis Apoſt.
D	Prid.	4	Octava SS. Innocentium.
E	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ cum Commem. S. Teleſphori Papæ & Martyris.
F	viij	6	Epiphania Domini.
G	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
A	vi	8	De Octava.
B	v	9	De Octava.
C	iv	10	De Octava.
D	iij	11	De Octava, & Commem. Sancti Hygini Papæ & Martyris.
E	Prid.	12	De Octava.
F	Idib.	13	Octava Epiphaniæ.
G	xix	14	Hilarii Epiſcop. & Confeſſ. cum Commem. Sancti Felicis Presbyteri & Martyris.
A	xviij	15	Pauli primi Eremitæ, cum Commem. Sancti Mauri Abbatis.
B	xvij	16	Marcelli Papæ & Martyris.
C	xvj	7	Antonii Abbatis.
D	xv	18	Cathedra Sancti Petri Romæ, & Commemorat. Sanctæ Priſcæ Virginis & Martyris.
E	xiv	19	Marii, Marthæ, Audifacis & Abachum.
F	xiij	20	Fabiani & Sebaſtiani Martyrum.
G	xij	21	Agnetis Virginis & Martyris.
A	xi	22	Vincentii & Anaſtaſii Mart.
B	x	23	Emerentianæ Virginis & Martyris. *Initium Peritii, quinti Syro-Macedonum; & Dyſtri, quinti Macedonum menſis.*
C	ix	24	Timothei Epiſcopi & Martyris.

D	viij	25	Converſio Sancti Pauli Apoſtoli.
E	vij	26	Polycarpi Epiſcopi & Martyris. *Initium ſexti menſis Ægyptiaci Mechir* ſeu *Amſchir.*
F	vi	27	Joannis Chryſoſtomi Epiſcopi & Confeſſ.
G	v	28	Agnetis ſecundò.
A	iv	29	
B	iij	30	Martinæ Virginis & Mart.
C	Prid.	31	

FEBRUARIUS, Græcis PERITIUS.

D	Kal.	1	Ignatii Epiſcopi & Martyris,
E	iv	2	Purificatio B. Mariæ Virginis.
F	iij	3	Blaſii Epiſcopi & Martyris.
G	Prid.	4	
A	Non.	5	Agathæ Virginis & Martyris.
B	viij	6	Dorotheæ Virginis & Martyris.
C	vij	7	Romualdi Abbatis.
D	vj	8	
E	v	9	Apolloniæ Virginis & Martyris.
F	iv	10	
G	iij	11	
A	Prid.	12	
B	Idib.	13	
C	xvj	14	Valentini Presbyteri & Martyris.
D	xv	15	Fauſtini & Jovitæ Martyrum.
E	xiv	16	
F	xiij	17	
G	xij	18	Simeonis Epiſcopi & Martyris.
A	xi	19	
B	x	20	
C	ix	21	
D	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ. *Initium Dyſtri, ſexti Syro-Macedonum; & Xanthici, ſexti Macedonum menſis.*
E	vij	23	Vigilia.
F	vj	24	Matthiæ Apoſtoli.
G	v	25	*Initium ſeptimi menſis Ægyptiaci Phamenoth,* ſeu *Barmahat.*
A	iv	26	
B	iij	27	
C	Prid.	28	

In anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum S. Matthiæ celebratur 25. Februarii, & bis dicitur, *Sexto Kalendas*, id eſt, die 25. & die 24. & litera Dominicalis quæ aſſumta fuit in menſe Januario, mutatur in præcedentem: ut ſi in Januario litera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ eſt G, & litera F bis ſervit.

MARTIUS, Græcis DYSTRUS.

D	Kal.	1	
E	vj	2	
F	v	3	
G	iv	4	Caſimiri Confeſſ. & Commemorat. S. Lucii Papæ & Martyris.
A	iij	5	
B	Prid.	6	
C	Non.	7	Thomæ de Aquino Confeſſ. & Doctor. & Commemorat. SS. Perpetuæ & Felicitatis Martyrum.
D	viij	8	
E	vij	9	Franciſcæ Viduæ.
F	vi	10	Quadraginta Martyrum.
G	v	11	
A	iv	12	Gregorii Papæ & Confeſſ. & Eccleſiæ Doctoris.
B	iij	13	
C	Prid.	14	
D	Idib.	15	
E	xvij	16	
F	xvj	17	Patricii Epiſcopi & Confeſſoris.
G	xv	18	
A	xiv	19	Joſeph Confeſſoris.
B	xiij	20	Joachimi Confeſſoris.
C	xij	21	Benedicti Abbatis.
D	xj	22	
E	x	23	
F	ix	24	
G	viij	25	Annuntiatio B. Mariæ Virginis. *Initium Xanthici, ſeptimi Syro-Macedonum; & Artemiſii, ſeptimi Macedonum menſis.*
A	vij	26	
B	vj	27	*Initium octavi menſis Ægyptiaci Pharmuti*, ſeu *Barmude*.
C	v	28	
D	iv	29	
E	iij	30	
F	Prid.	31	

APRILIS, Græcis XANTHICUS;

G	Kal.	1	
A	iv	2	Franciſci de Paula Confeſſoris.
B	iij	3	
C	Prid.	4	
D	Non.	5	
E	viij	6	
F	vij	7	
G	vj	8	
A	v	9	
B	iv	10	
C	iij	11	Leonis Papæ & Confeſſoris.
D	Prid.	12	
E	Idib.	13	Hermenigildi Martyris.
F	xviij	14	Tiburtii, Valeriani & Maximi Martyrum.
G	xvij	15	
A	xvj	16	
B	xv	17	Aniceti Papæ & Martyris.
C	xiv	18	
D	xiij	19	
E	xij	20	
F	xj	21	
G	x	22	Soteris & Caii Pontificum & Martyrum.
A	ix	23	Georgi Martyris.
B	viij	24	Marci Evangeliſtæ.
C	vij	25	Cleti & Marcellini Pontificum & Mart. *Initium Artemiſi, octavi Syro-Macedonum; & Deſii, octavi Macedonum menſis.*
D	vj	26	*Initium noni menſis Ægyptiaci Pachon, ſeu Baſchnes.*
E	v	27	
F	iv	28	Vitalis Martyris.
G	iij	29	Petri Martyris.
A	Prid.	30	Catharinæ Senenſis Virginis.

MAIUS, Græcis ARTEMISIUS.

B	Kal.	1	Philippi & Jacobi Apoſtolorum.
C	vj	2	Athanaſii Epiſcopi & Confeſſoris.
D	v	3	Inventio Sanctæ Crucis, & Commentario SS. Alexandri, Eventii & Theoduli Martyrum, ac Juvenalis Epiſcopi & Confeſſoris.

Moni-

E	iv	4	Monicæ Viduæ.
F	iij	5	
G	Prid.	6	Joannis ante Portam Latinam.
A	Non.	7	Stanislai Epiſcopi & Martyris.
B	viij	8	Apparitio S. Michaëlis Archangeli.
C	vij	9	Gregorii Nazianzeni Epiſcopi & Confeſſoris.
D	vj	10	Gordiani & Epimachi Martyrum.
E	v	11	
F	iv	12	Nerei, Achillei & Domitillæ Virginis, atque Pancratii Martyrum.
G	iij	13	
A	Prid.	14	Bonifacii Martyris.
B	Idib.	15	
C	xvij	16	Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris.
D	xvj	17	
E	xv	18	
F	xiv	19	Pudentianæ Virginis.
G	xiij	20	Bernardini Confeſſoris.
A	xij	21	
B	xj	22	
C	x	23	
D	ix	24	
E	viij	25	Urbani Papæ & Martyris. *Initium Deſii, noni Syro-Macedonum; & Panemi, noni Macedonum menſis.*
F	vij	26	Philippi Nerii Confeſſoris, cum Commemoratione S. Eleutherii Papæ & Martyris. *Initium decimi menſis Ægyptiaci Payni, ſeu Beuna.*
G	vj	27	Joannis Papæ & Martyris.
A	v	28	
B	iiij	29	
C	iij	30	Felicis Papæ & Martyris.
D	Prid.	31	Petronillæ Virginis.

IUNIUS, Græcis DÆSIUS.

E	Kal.	1	
F	iv	2	Marcellini, Petri atque Eraſmi Martyrum.
G	iij	3	
A	Prid.	4	
B	Non.	5	
C	viij	6	Norberti Epiſcopi & Confeſſoris.
D	vij	7	
E	vj	8	

Kal.

F	v	9	Primi & Feliciani Martyrum.
G	iv	10	
A	iij	11	Barnabæ Apoſtoli.
B	Prid.	12	Baſilidis, Cyrini Naboris & Nazarii Martyrum.
C	Idib.	13	Antonii de Padua Confeſſoris.
D	xviij	14	Baſilii Magni Epiſcopi & Confeſſoris.
E	xvij	15	Viti, Modeſti atque Creſcentiæ Martyrum.
F	xvj	16	
G	xv	17	
A	xiv	18	Marci & Marcelliani Martyrum.
B	xiij	19	Gervaſii & Protaſii Martyrum.
C	xij	20	Silverii Papæ & Martyris.
D	xj	21	
E	x	22	Paulini Epiſcopi & Confeſſoris.
F	ix	23	Vigilia.
G	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.
A	vij	25	De Octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. *Initium undecimi menſis Ægyptiaci Epiphi, ſeu Aibib. Initium Panemi, decimi Syro-macedonum; & Loi, decimi Macedonum menſis.*
B	vj	26	Joannis & Pauli Martyrum.
C	v	27	De Octava.
D	iv	28	Leonis Papæ & Confeſſoris. Vigilia.
E	iij	29	Petri & Pauli Apoſtolorum.
F	Prid.	30	Commemoratio Sancti Pauli Apoſtoli.

IULIUS, Græcis PANEMUS.

G	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptiſtæ.
A	vj	2	Viſitatio B. Mariæ Virginis.
B	v	3	De Octava Apoſtolorum.
C	iv	4	De Octava.
D	iij	5	De Octava.
E	Prid.	6	Octava Apoſtolorum Petri & Pauli.
F	Non.	7	
G	viij	8	
A	vij	9	
B	vi	10	Septem Fratrum & SS. Rufinæ ac Secundæ Martyrum.
C	v	11	Pii Papæ & Martyris.
D	iv	12	Naboris & Felicis Martyrum.
E	iij	13	Anacleti Papæ & Martyris.
F	Prid.	14	Bonaventuræ Epiſcopi & Confeſſoris, & Doct.
G	Idib.	15	

Alexii

A	xvij	16	
B	xvj	17	Alexii Confeſſoris.
C	xv	18	Symphoroſæ cum ſeptem filiis Martyribus.
D	xiv	19	
E	xiij	20	Margaritæ Virginis & Martyris.
F	xij	21	Praxedis Virginis.
G	xj	22	Mariæ Magdalenæ.
A	x	23	Apollinaris Epiſcopi & Martyris.
B	ix	24	Sanctæ Chriſtinæ Virginis & Martyris. Vigilia.
C	viij	25	Jacobi Apoſtoli. *Initium duodecimi menſis Ægyptiaci Meſori ſeu Muſre. Initium Loi, undecimi Syro-Macedonum, & Gorpiæi, undecimi Macedonum menſis.*
D	vij	26	Annæ Matris B. Mariæ.
E	vj	27	Pantaleonis Martyris.
F	v	28	Nazarii, Celſi, & Victoris Papæ & Martyris, & Innocentii Papæ & Confeſſoris.
G	iv	29	Marthæ Virginis, & Commem. SS. Felicis Papæ, Simplicii, Fauſtini & Beatricis Mart.
A	iij.	30	Abdon & Sennen Martyrum.
B	Prid	31	Ignatii Confeſſoris.

AUGUSTVS, Græcis LOUS.

C	Kal.	1	Petri ad vincula.
D	iv	2	Stephani Papæ & Martyris.
E	iij	3	Inventio Sancti Stephani Protomartyris.
F	Prid.	4	Dominici Confeſſoris.
G	Non.	5	Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
A	viij	6	Transfiguratio Domini.
B	vij	7	Donati Epiſcopi & Martyris.
C	vj	8	Cyriaci-Largi, & Smaragdi Martyrum.
D	v	9	Romani Martyris. Vigilia.
E	iv	10	Laurentii Martyris.
F	iij	11	Tiburtii & Suſannæ Martyrum.
G	Prid.	12	Claræ Virginis.
A	Idib.	13	Hippolyti & Caſſiani Martyrum.
B	xix	14	Euſebii Confeſſoris. Vigilia.
C	xviij	15	Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
D	xvij	16	Hyacinthi Confeſſoris.
E	xvj	17	Octava S. Laurentii.
F	xv	18	Agapiti Martyris.
G	xiv	19	De Octava Aſſumptionis.

Digitized by Google

A	xiij	20	Bernardi Abbatis.
B	xij	21	De Octava aſſumptionis.
C	xj	22	Octava B. Mariæ Commem. SS. Timothei, Hippolyti & Symphoriani Mart.
D	x	23	Vigilia.
E	ix	24	Bartholomæi Apoſtoli.
F	viij	25	Ludovici Regis Franciæ Confeſſoris. *Initium Gorpiæi, duodecimi, Syro-Macedonum; & Hyperberetæi, duodecimi Macedonum menſis.*
G	vij	26	Zephyrini Papæ & Martyris.
A	vj	27	
B	v	28	Auguſtini Epiſcopi, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
C	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. *Initium primi menſis Ægyptiaci Thoth.*
D	iij	30	Felicis & Adaucti Martyrum.
E	Prid.	31	

SEPTEMBER, Græcis GORPIÆVS.

F	Kal.	1	Ægidii Abbatis.
G	iv	2	
A	iij	3	
B	Prid.	4	
C	Non.	5	
D	viij	6	
E	vij	7	
F	vj	8	Nativitas B. Mariæ Virginis.
G	v	9	Gorgonii Martyris.
A	iv	10	Nicolai de Tolentino Confeſſoris.
B	iij	11	Proti & Hyacinti Martyrum.
C	Prid.	12	De Octava Nativitatis B. Mariæ.
D	Idib.	13	De Octava.
E	xviij	14	Exaltatio S. Crucis.
F	xvij	15	Nicomedis Martyris.
G	xvj	16	Cornelii & Cypriani Pontif. & Mart.
A	xv	17	Impreſſio Sacrorum Stigmatum in corpore B. Franciſci.
B	xiv	18	Thomæ de Villanova Confeſſoris.
C	xiij	19	Januarii Epiſcopi & Sociorum Martyrum.
D	xij	20	Euſtachii & Sociorum Martyrum.
E	xj	21	Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.
F	x	22	Mauritii & Sociorum Martyrum.
G	ix	23	Lini Papæ & Martyris.

A	viij	24	*Initium Hyperberetai, primi Syro-Macedodum ; & Dii, primi Macedonum menſis.*
B	vij	25	
C	vj	26	Cypriani & Juſtinæ Martyrum.
D	v	27	Coſmæ & Damiani Martyrum.
E	iv	28	*Initium ſecundi menſis Ægyptiaci Paophi ſeu Babe.*
F	iij	29	Dedicatio S Michaëlis Archangeli.
G	Prid.	30	Hieronymi Preſbyteri, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.

OCTOBER, Græcis HYPERBERETÆVS.

A	Kal	1	Remigii Epiſcopi & Confeſſoris.
B	vj	2	
C	v	3	
D	iv	4	Franciſci Confeſſoris.
E	iij	5	Placidi & Sociorum Martyrum.
F	Prid.	6	Brunonis Confeſſoris.
G	Non.	7	Marci Papæ & Confeſſoris.
A	viij	8	Birgittæ Viduæ.
B	vij	9	Dionyſii, Ruſtici & Eleutheri Martyrum.
C	vj	10	
D	v	11	
E	iv	12	
F	iij	13	
G	Prid.	14	Calliſti Papæ & Martyris.
A	Idib.	15	Tereſiæ Virginis.
B	xvij	16	
C	xvj	17	
D	xv	18	Lucæ Evangeliſtæ.
E	xiv	19	
F	xiij	20	
G	xij	21	Hilarionis Abbatis, & Commem. SS. Urſulæ & Sociarum Virginum & Mart.
A	xj	22	
B	x	23	
C	ix	24	*Initium Dii, ſecundi Sacro-Macedonum, & Apellai, ſecundi Macedonum menſis.*
D	viij	25	Chryſanthi & Dariæ Martyrum.
E	vij	26	Evariſti Papæ & Martyris.
F	vj	27	Vigilia.
G	v	28	Simonis & Judæ Apoſtolorum. *Initium tertii menſis Ægyptiaci Athyr, ſeu Athur.*
A	iv	29	
B	iij	30	
C	Prid.	31	Vigilia.

NOVEMBER, Græcis DIVS.

D	Kal.	1	Feſtum omnium Sanctorum.
E	iv	2	Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.
F	iij	3	De Octava.
G	Prid.	4	Caroli Epiſc. & Confeſſ. & Commem. SS. Vitalis & Agricolæ Mart.
A	Non.	5	De Octava.
B	viij	6	De Octava.
C	vij	7	De Octava.
D	vj	8	Octava omnium SS. & Commem. SS. quatuor Coronatorum Martyrum.
E	v	9	Dedicatio Baſilicæ Salvatoris, & Commem. S. Theodori Martyris.
F	iv	10	Triphonis, Reſpicij & Nymphæ Martyrum.
G	iij	11	Martini Epiſc. & Confeſſ. & Commem. S. Mennæ Martyris.
A	Prid.	12	Martini Papæ & Martyris.
B	Idib.	13	
C	xviij	14	
D	xvij	15	
E	xvj	16	
F	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Epiſcopi & Confeſſoris.
G	xiv	18	Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli.
A	xiij	19	Pontiani Papæ & Martyris.
B	xij	20	
C	xj	21	Præſentatio B. Mariæ Virginis.
D	x	22	Cæciliæ Virginis & Martyris.
E	ix	23	Clementis Papæ & Martyris cum Commem. S. Felicitatis Martyris. *Initium Appellai, tertii Syro-Macedonum; & Audinai, tertii Macedonum menſis.*
F	viij	24	Chryſogoni Martyris.
G	vij	25	Catharinæ Virginis & Martyris.
A	vj	26	Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris.
B	v	27	*Initium quarti menſis Ægyptiaci Chœac, ſeu Chiac.*
C	iv	28	
D	iij	29	Vigilia, & Commem. S. Saturnini Martyris.
E	Prid.	30	Andreæ Apoſtoli.

DECEM-

Digitized by Google

DECEMBER, Græcis, APPELLÆVS.

F	Kal.	1	
G	iv	2	Bibianæ Virginis & Martyris. Franciſci Xaverii Confeſſoris.
A	iij	3	
B	Prid.	4	Barbaræ Virginis & Martyris.
C	Non.	5	Sabbæ Abbatis.
D	viij	6	Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris.
E	vij	7	Ambroſii Epiſcopi, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
F	vj	8	Conceptio B. Mariæ Virginis.
G	v	9	
A	iv	10	Melchiadis Papæ & Martyris.
B	iij	11	Damaſi Papæ & Confeſsoris.
C	Prid.	12	
D	Idib.	13	Luciæ Virginis & Martyris.
E	xix	14	
F	xviij	15	Euſebii Vercellenſis Epiſcopi & Mart.
G	xvij	16	
A	xvj	17	
B	xv	18	
C	xiv	19	
D	xiij	20	Vigilia.
E	xij	21	Thomæ Apoſtoli.
F	xj	22	
G	x	23	
A	ix	24	Vigilia. *Initium Audynæi, quarti Syro-Macedonum; & Peritii, quarti Macedonum menſis.*
B	viij	25	Nativitas Domini noſtri Jeſu-Chriſti.
C	vij	26	Stephani Protomartyris.
D	vj	27	Joanni Apoſtoli & Evangeliſtæ. *Initium quinti menſis Ægyptiaci Tybi, ſeu Tuba.*
E	v	28	SS. Innocentium Martyrum.
F	iv	29	Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris.
G	iij	30	
A	Prid.	31	Silveſtri Papæ & Confeſsoris.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM *Quæ* Tomo Tertio BREVIARII GESTORUM PONTIFICUM ROMANORUM

Continentur.

A.

ABagha *Tartarorum Orientalium Rex Legatos ad Concilium Lugdunenſe II mittit ad fœdus ineundum cum Chriſtianis* 404. *Monita Nicolai III de ſuſcipiendo baptiſmo reſpuit* 432. *Occiditur* 466.

Abſtinentiæ *relaxationis uſus in die Natalis domini ab Honorio III probatur* 232.

Adalbertus *fit Archiepiſcopus Salisburgenſis, ſed à Friderico Imperatore ſchiſmatico depoſitus ab Alexandro III reſtituitur* 95. *& ſeq.*

Agathonis *Papæ Legati ad Synodum ſextam Generalem diverſi à Legati Concilii Romani & quare* 562. *& ſeq.*

Agnes *Clariſſa prope Peruſium Urbani IV, non vero Clementis IV ſoror* 355. *& ſeq.*

Agnorum Dei *in Eccleſia uſus ab ipſo naſcentis Eccleſia exordio* 561. *& ſeq.*

S. Ailredus *Rievallenſis Abbas declamat in Octavianum Antipapam, ejuſque electionem vitioſam oſtendit* 58 *Alexandri autem III electionem omni ex parte canonicam* 59.

Albericus *Oſtienſis Epiſcopus à Cœleſtino II Legatus in Franciam mittitur* 2.

Albericus de Romano *ab Alexandro IV adverſus Ecclinum fratrem Marchiæ Tarviſinæ tyrannum excitatur* 373.

Albertus *Petri Eremitæ pronepos à Cœleſtino III fit Patriarcha Jeroſolymorum* 146.

B. Albertus *Epiſcopus Vercellenſis in Patriarcham Jeroſolymitanum & Apoſtolicæ Sedis Legatum ab Innocentio promovetur* 185.

S. Albertus Magnus *fortiter diſputat contra libellum à Guillelmo de Sancto Amore in Mendicantes editum* 335. *& ſeq.*

Albertus Auſtriacus *electus Romanorum Rex Adolpho Naſſovio vivente eo occiſo iterum eligitur* 527. *Ejus electionem confirmare Bonifacius VIII recuſat ibid. Ejus electio ab eodem Pontifice confirmatur* 540. *Ejus cum Archiepiſcopo Moguntino diſſidium Benedicti XI monitis conciliatur* 556.

Albigenſes *hæretici in Turonenſi Concilio ſub Alexandro III damnantur 72. Variis nominibus appellati reperiuntur 73. & ſeq. Editur contra eos canon in Concilio Lateranenſi III ſub eodem Papa 111. & ſeq.*

Albigenſes damnantur in Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio tertio 216.

Alexander III *ante Pontificatum erat Presbyter Cardinalis tit. S. Marci & Cancellarius Eccleſiæ Rom.* 42. *Pacem inter Hadrianum IV & Willelmum, Siciliæ Regem facit ibid. Fit Pontifex Romanus* 49. *Obſidetur in munitione Eccleſiæ à Satellitibus Octaviani Antipapæ ibid. Româ fugit & apud Nymphas conſecratur* 50. *Coronatur ibid. Et quidem cum mitra turbinata* 51. *Octavianum Antipapam excommunicat & viciſſim ab eo excommunicatur* 55. *Citatur à Friderico Imperatore ad Conciliabulum Papienſe* 56. *In eo damnatur & Octavianus Antipapa ſuſcipitur* 57.

Alexandri electionem legitimam probat S. Ailredus Rievallenſis Abbas 58.

Alexander Fridericum Imp. excommunicat 60. *Ab omnibus Regibus in Papam ſuſcipitur ibid. A Francis & Anglis in Concilio Toloſano agnoſcitur ut verus Papa* 61. *& ſeq. Item à Manuele Græcorum Imperatore* 63. *In Gallias navigat* 64. *Ante diſceſſum S. Eduardum Anglorum Regem canonizat ibid. Montem peſſulanum accedit ibid. Concilium ea in Urbe celebrat, in quo Octavianum Antipapam excommunicat* 65. *Clarummontem pergit ibid. A laqueis Friderici Imperatoris liberatur* 66. *& ſeq. Hyemat in Aquitania* 68. *Pariſiis à Ludovico Rege honorificè ſuſcipitur & ad eum roſam auream mittit ibid. Exponit quid flos ille myſticè ſignificet* 69. *Turonis Concilium celebrat* 70. *S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum ad Concilium venientem inuſitato honore ſuſcipit* 71. *Poſt Concilium Senonis longam moram facit* 74. *Pariſios iterum pergit ibid. Remis Concilium celebrat* 75. *Theologiæ puritati proſpicit* 76. *S. Helenam Suevam Canonizat ibid. Cardinales de morte Octaviani Antipapæ exultantes increpat* 77. *Conradum Moguntinum Archiepiſcopum Cardinalem creat, eique plures Epiſcopatus confert* 79. *In Urbem revocatur ibid. Ad eam pergit* 80. *Magno cum honore & gaudio excipitur ibid.*

Alexander à Frederico Imp. Roma obſidetur 84. *Beneventum fugit* 85. *Antea Fridericum Imp. in Concilio Romano depoſuerat* 87. *S. Galdinum Archiepiſcopum Mediolanenſem Apoſtolicæ ſedis in Longobardia Legatum dicit ibid. Manuelis Græcorum Imperatoris Legatos Imperium Occidentis poſtulantes rejicit* 89. *Canutum Juniorem Daniæ Regem canonizat ibid. In Alexandri honorem Alexandria conditur* 90. *Alexander Soldanum Iconii baptizari cupientem per literas convenit* 91. *Tuſculanam civitatem ad Eccleſiæ Romanæ proprietatem recipit ibid. Benevento diſcedit Romam verſus* 92. *Romæ cum honore & laudibus ſuſcipitur* 93. *Regnum Hiberniæ, Angliæ Regi confirmat ibid.*

Alexander Henrici Angliæ Regis à cæde S. Thomæ purgationem per Legatos ſuſcipit 94. *S. Thomam canonizat* 95. *Caſſat Geſta in Ratiſponenſi Con-*

Digitized by Google

ventu contra *Adalbertum Archiepiſcopum Saltzburgenſem ibid. Ricardum Cantuariæ Archiepiſcopum conſecrat* 96. *S. Bernardum Abbatem Claravallenſem canonizat ibid. Monaſterium Montis Regalis privilegiis ornat* 97. *Legatos ad Fridericum Imp. mittit ibid. Alexandriam Epiſcopatu auget* 98. *Militiam S. Jacobi in Hiſpania approbat ibid. Legatos Friderici Imp. pro pace recipit ibid. Pro ea ineunda Venetias pergit* 100. *Roſam auream Duci Venetiarum confert ibid. Univerſalem pacem firmat ibid. Fridericum Imp. ad pedum & pacis oſcula admittit* 101. *Ei ſacram communionem impertit ibid. Venetiis Synodum celebrat* 102. *Mendacium de Alexandri faſtu exploditur ibid.*

Alexander Papa Legatum mittit ad Presbyterum Joannem Indorum Regem 103. *Romam redit* 105. *Calliſtum Antipapam pœnitentem honorificè ſuſcipit* 106. *Innocentium Antipapam cavens in exilium deportari jubet* 107. *Concilium Lateranenſe tertium, Generale undecimum indicit ibid. Tribus ſeſſionibus illud abſolvit* 109. *In eo ſtatuit nullam eſſe electionem Romani Pontificis in qua duæ partes Cardinalium non conſenſerint* 110. *Laurentium Dublinenſem Epiſcopum Hiberniæ Legatum creat* 112. *Nihil in Concilio contra Petrum Lombardum definivit ibid. Eum poſt Concilium damnavit* 113. *Regium titulum Portugalliæ Principi concedit ibid. Procurat expeditionem in Terram ſanctam* 114. *Henrici Angliæ Regis filium Epiſcopatui renunciare cogit ibid. Canonizationes Sanctorum Sedi Apoſtolicæ reſervat* 115. *Moritur* 116. *Ejus ſepultura & ſedis duratio ibid. Ejus eruditio* 117.

Alexander IV *dicitur Romanus Pontifex* 331. *Ejus Genus & patria* 332. *Ejus laudes ibid. Alexander Albericum in Ecelinum fratrem Marchiæ Tarviſinæ tyrannum excitat* 333. *Octavianum Cardinalem Legatum creat ad reprimendum Manfredum ibid. Cum Oratoribus ejuſdem Manfredi de pace tractat* 334. *Repudiat concordiam à ſuo Legato cum Manfredo factam ibid. Temperat duriora ſtatuta Univerſitatis Pariſienſis contra Religioſos Mendicantes* 335. *Librum Guillelmi de Sancto Amore contra eoſdem damnat ibid. S. Claram Virginem canonizat* 336. *Inſigne Sancti Franciſci Stigmatum teſtimonium perhibet* 337. *Legatum mittit pro concordia Eccleſiæ Græcæ cum Romana ibid. Conditiones à Græcis propoſitas temperatas admittit* 338. *Prohibet ne Conradinus puer eligatur in Regem Romanorum* 339. *differt ſententiam proferre circa duos in Romanorum Reges electos ibid. Agit contra Ecelinum tyrannum* 340.

Alexander IV Gradenſis Patriarchæ privilegia confirmat 341. *Ordinem Servorum B. Mariæ approbat ibid. Eremitarum congregationes in unam ſub Sancti Auguſtini Regula redigit* 341. *& ſeq. Aquilam Epiſcopali ſede ornat* 342. *Salisburgenſem Archiepiſcopum deponit & quare* 343. *Ob ſeditiones Romæ excitatas Viterbium ſe recipit ibid. Philippi Legati ab Ecelino capti liberationem fruſtra tentat* 344. *Scribit contra Presbyteros concubinarios* 345. *Navarræ Reges inunctione Regia ſacrari permittit* 346. *Tutelenſem Academiam privilegiis exornat ibid. Hungariæ Regis Oratores contra Tartaros auxilium petentes excipit ibid. Hungariæ Regem ne cum Tartaris paciſcatur inhibet* 347. *Indul-*

Indulgentiam concedit viſitantibus Sandomirienſem Eccleſiam 348. *Juſtas pacis conditiones Manfredo fruſtra offert ibid. Agit contra Bononienſes ibid. Diſpenſat cum filio & filiabus Nothis Regis Bohemiæ* 349. *Pragenſi & Olomucenſi Epiſcopis ejuſdem Regis inunctionem permittit ibid. Romæ & poſtea Viterbii Concilium indicit ibid. Curat Concilia ubique celebrari pro auxilio contra Tartaros* 350. *Moritur Viterbii ibique tumulatur ibid. Ejus elogium* 351. *Ejus ſanctio de precibus fundendis pro Pontificibus & Cardinalibus defunctis ibid. Nullum toto ſui Pontificatûs tempore Cardinalem creavit Alexander IV & quare* 352.

Alexandria *à ſchiſmaticis* Palearis *dicta in honorem Alexandri III Papæ condita* 90. *In jus & proprietatem Eccleſiæ Romanæ eidem Papæ offertur ib. Ab eodem Pontifice fit Sedes Epiſcopalis* 98.

Alphonſus *Hiſpaniarum Rex plures Epiſcopos & Abbates ad Concilium Remenſe mittit* 20. *Roſam auream ſibi ab Eugenio III miſſam recipit* 24. *& ſeq.*

Alphonſus *Luſitaniæ Rex regnum ſuum Eccleſiæ Romanæ vectigale reddit* 5. *& ſeq. Ab Alexandro Papa III Regio titulo inſignitur* 113. *& ſeq.*

Alphonſus X *Galleciæ & Legionis Rex ob inceſtas nuptias à Cæleſtino III excommunicatur* 147. *Filiam Caſtellæ Regis neptem ſuam uxorem ducit, ſed ab ea juſſu Innocentii III ſeparatur* 164. *& ſeq.*

Alphonſus *Caſtellæ Rex à quibuſdam Electoribus dicitur Rex Romanorum, alüs eligentibus Richardum Comitem Cornubiæ* 339. *Apoſtolico judicio ſe ſiſtere mandatur ab Urbano quarto* 363. *Item à Clemente quarto* 377. *Cum Gregorio X Lugdunum pergente colloquium habere fruſtra petit* 394. *& ſeq. Cum eodem Gregorio congreſſum habet de Imperii juribus poſt Concilium Lugdunenſe ſecundum generale* 410.

Alphonſus *Petri quondàm Aragoniæ Regis filius patri ſuccedens ab Honorio IV excommunicatur* 460. *Cur à Nicolao IV non fuerit excommunicatus* 465. *Alphonſus Carolum Claudum Siciliæ Regem in libertatem aſſerit ibid. Cum eodem Rege pacem init* 477. *Moritur ibid.*

Amalrici *hæreſiarchæ dogmata in Concilio Lateranenſi quarto ſub Innocentio III damnantur* 216.

Anaſtaſius IV *Eugenio III ſubrogatur* 33. *Erat patriâ Romanus ibid. Non fuit Benedictinus, neque Abbas S. Rufi in Gallia ibid. Veroſimile eſt eum fuiſſe Ordinis Canonicorum Sancti Auguſtini* 34. *Nimiæ facilitatis reprehenſus eſt, quòd Guicmanno Siccenſi Epiſcopo ad ſedem Magdeburgenſem à Friderico Rege tranſlato pallium miſerit ibid. Laudandus eſt quòd Willelmum Eboracenſem in Archiepiſcopatum reſtituerit & pallio donarit* 34. *Jeroſolymitanis Equitibus privilegium concedit* 35. *Moritur ibid. Sepelitur in Eccleſia Lateranenſi* 36. *Ejus in eam Baſilicam beneficentia ibid.*

De S. Andreæ *Epiſcopatu controverſia inter Joannem legitime electum, & Hugonem intruſum ſub Alexandro III cœpta, dirempta eſt tantum ſub Clementis III Pontificatu* 119. *&* 137.

Angliæ *regni turbatores in abſentia Richardi Regis expeditionem in Terram ſanctam ſuſcipientis à Cæleſtino excommunicantur* 148.

Angliæ proceres in Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio III excommunicantur quod Joannem Regem ſolio deturbare conarentur 221.

Anglia Reginarum viduarum patrocinium ſuſcipit Honorius III Papa 335.

Angliæ Regis turbatores à Legato Urbani IV excommunicantur 363. *& ſeq.*

Angliæ Scotiam ſubjici debere negat Nicolaus quartus 475.

Anni *initium ineunte ſeculo decimo tertio Franci à Paſchate repetebant* 264. *& ſeq.*

Anſelmus *Sancti Medardi Monachus ab Eugenio III conſecratur Tornacenſis Epiſcopus* 11. *& ſeq.*

Sancti Antonii Magni *Congregatio inſtituitur, & ab Honorio III ad ſtatum Religionis evehitur* 236. *Ejuſdem Ordinis Religioſi à Bonifacio VIII declarantur Canonici* 237.

Antonius Paduanus *à Gregorio IX Sanctorum faſtis adſcribitur* 269.

Apoſtolorum *feſta à Bonifacio VIII duplicia conſtituuntur* 517. *& ſeq.*

Pſeudo-Apoſtolorum *novus ordo ab Honorio IV damnatur* 458. *Eorum errores* 459.

Appamiarum *Epiſcopatus à Bonifacio VIII erigitur* 516.

Aquila *ab Alexandro IV Epiſcopali ſede ornatur* 342.

Arabicæ *& aliarum linguarum peregrinarum ſtudium ab Honorio IV Pariſiis inſtituitur* 458.

Aragonia *fit cenſualis Eccleſiæ Romanæ* 186.

Argon *Abagha Orientialium Tartarorum Regis filius in regnum evehitur & à Magno Chamo confirmatur* 466. *Scribit ad Nicolaum IV deſiderare ſe baptiſmum ſuſcipere in ipſa civitate Jeruſalem ibid. Argonem hortatur Nicolaus ut ad id non expectet recuperationem regni Jeroſolymorum ibid. Ad Argonem mittuntur Minoritæ à Nicolao quarto* 470. *Argon Eccleſias Chriſtianorum reparavit, & poſtea obiit* 471.

Armachanus *Archiepiſcopatus à Joanne Paparone Eugenii III Legato in Hibernia inſtituitur.* 28.

Armenii *Epiſcopi cum ſuo Metropolitano ſe Eccleſiæ Romanæ ſubjiciunt* 9.

Armenii poſt Sanctum Niconem azymis ſemper uſi ſunt 9. *& ſeq.*

Armenii in obedientia Romanæ ſedis divina viſione confirmati 10.

Armenia ſub Innocentio III Romanæ Eccleſiæ ſubjicitur 180. *& ſeq.*

Arnaldus de Brixia *Hæreſiarcha ſeditiones Romæ excitat* 40. *Româ pellitur ibid. A Friderico Germaniæ Rege Hadriano IV redditur ibid. Ligno ſuſpenditur & comburitur ibid.*

Arnoldus *Friderici Regis Cancellarius fit Moguntinus Archiepiſcopus in locum Henrici depoſiti* 31.

Arnoldus *Colonienſis Archiepiſcopus ad dicendam cauſam ab Eugenio III vantus abſolvitur* 26. *Ab eodem Pontifice pro Eccleſia Colonienſi privilegia obtinet* 26. *& ſeq.*

Auſtriaca *Domus ad Rudolphum Habſpurgenſem Romanorum Regem genus ſuum refert* 394.

B.

Baccalaureatus Gradus *& alii ab Eugenio inſtituuntur* 27. *& ſeq.*

Balduinus *Flandriæ Comes capta à Cruceſignatis Conſtantinopoli fit Imperator*

rator 187. *& ſeq. A Calo-Joanne Bulgarorum Rege capitur & in profundam vallem præcipitatur* 190.

Bela *Hungariæ Rex auxilium contra Tartaros ab Alexandro IV poſtulat* 347. *& ſeq. Redarguitur à Clemente IV quòd Timotheum in Eccleſia Zagebrienſis Epiſcopatum admittere recuſaret ſub prætextu vilis ejus originis* 378. *Pacis leges init cum filio ibid.*

Benedictus XI. *Vide Nicolaus Bocaſinus.*

Benedictus Cajetanus *fit Diaconus Cardinalis tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano à Martino quarto* 446. *Legatus ad componendam pacem inter Franciæ, Siciliæ & Aragoniæ Reges à Nicolao quarto mittitur* 476. *& ſeq. Durante interpontificio poſt mortem Nicolai IV dura verba habet cum Carolo Siciliæ Rege electionem maturante* 484. *Cœleſtino V perſuadet ut Pontificatum abdicet* 495. *& ſeq. Scripti, quo Cœleſtinus abdicavit, auctor creditus eſt* 496. *Poſt Cœleſtini abdicationem eligitur Papa ſub Bonifacii VIII nomine* 497. *&* 503.

Bonifacius Cœleſtino V licentiam negat ad cellam ſuam redeundi 498. *Eum in fuga captum Anagniam ad ſe duci jubet, & in caſtro Fumonis morari* 498. *& ſeq. Pro Cœleſtino mortuo miſſam ſolemniter celebrat, ejuſque corpus Ferentinum transferri curat* 500. *De Bonifacio VIII Sancti Cœleſtini prædictio apocrypha* 503. *Bonifacii Genus, primordia, virtutes & vitia* 503. *& ſeq. Bonifacius eligitur Papa operâ Caroli II Siciliæ Regis* 504. *Purgatur à calumniis ei affixis* 505. *Romam pergit, ibique conſecratur & coronatur* 505. *& ſeq. Inthronizatur poſt coronationem & quare* 506. *& ſeq. Infauſta ſigna in ejus coronatione* 507. *Ejus fidei profeſſio ante conſecrationem videtur commentitia* 508. *& ſeqq.*

Bonifacius S. Cœleſtini deceſſoris Acta caſſat 512. *Encyclicas de ſua promotione literas ſcribit ibid. Pro pace inter Franciæ & Angliæ Reges Legatos mittit* 513. *Inter Siciliæ & Aragoniæ Reges pacem ſancit ibid. Siciliæ regni adminiſtrationem Mariæ Reginæ defert poſt Caroli Martelli mortem* 514. *Aragoniæ & Valentiæ regna ac Barcinonenſem Comitatum Regi Aragoniæ reſtituit* 515. *Appamiarum Epiſcopatum erigit* 516. *Venetos & Genuenſes conciliare conatur ibid. Item Regem & Archiepiſcopum Daniæ* 517. *Apoſtolorum, Evangeliſtarum & Doctorum feſta duplicia conſtituit ibid. Siculos ad obſequium revocare fruſtra tentat* 518. *Jacobum Aragoniæ Regem Romam invitat ibid. Eum Eccleſiæ Romanæ vexilliferum creat* 519. *Carolum Valeſium Romam accerſit ibid. Conſtitutionem à ſe contra Cleri gravamina editam in Gratiam Regis Franciæ interpretatur ibid.*

Bonifacius odium ſuum in Columnenſes manifeſtat 520. *Eos dignitatibus & bonis privat* 521. *Crucem contra eos prædicari jubet ibid. Defenditur ab eorum calumniis* 522. *Sanctionem edit contra eos qui Cardinalem læderent* 523. *Utrum purpurei coloris veſtimenta Cardinalibus dederit? ibid. Tiara cum duplici coronamento uti cœpit ibid. Ludovicum IX Francorum Regem Sanctorum faſtis adſcribit* 524. *& ſeq. Sextum Decretalium publicat* 525. *Sententiam arbitralem fert de diſſidiis inter Franciæ & Angliæ Reges ibid. Tres inſignes*

ſignes viros Cardinales creat 526. *Alberti Auſtriaci electionem in Regem Romanorum confirmare recuſat* 527. *Praneſte evertit & civitatem Papalem dictam in ejus locum conſtrui jubet* 528. *Ad eam transfert Epiſcopatum Praneſtinum ibid. Theodoricum Cardinalem ei præficit* 529 *Gibellinos perſequitur ibid.*

Bonifacius centenariam indulgentiam, qua poſtea Jubileum dicta eſt, indicit 529. *& ſeq. Indignos à gratia Jubilei excludit* 531. *Ægrotorum & aliorum ſaluti proſpicit in fine Jubilei* 532. *Carolum Valeſium iterum in Italiam vocat & dignitatibus auget* 533. *Pacem ab eo inter Carolum Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Reges ſancitam ſub quibuſdam conditionibus ratam habet* 534. *Diffidet à Philippo Pulchro Franciæ Rege ibid. Acerbam ad eundem Regem legationem mittit* 535. *Suſpendit Gratias Regibus Francorum factas* 537. *Monitoriam ad Regem mittit Epiſtolam ibid. Epiſtolæ illius loco aliam ſupponit & Regi reddit Petrus Flotta* 538. *& ſeq. Quo ſenſu Bonifacius intellexerit ſubjectionem regnorum Eccleſiæ* 540.

Bonifacius Alberti Auſtriaci electionem in Regem Romanorum confirmat contra Philippum Regem 540. *Legato ſuo jubet ut Philippum excommunicatum denunciet* 541. *Injurioſiſſima in Bonifacium accuſationes proponuntur in Conventu Pariſienſi* 542. *Bonifacius ab objectis ſe purgat & excommunicationis decretum in Philippum Regem promulgare parat* 543. *Anagniæ exiſtens capitur & theſaurus ejus expilatur* 544. *Inter hoſtes conſtantiſſime ſe gerit* 545. *Ab Anagninis liberatur & Romam pergit* 546. *Ibidem piè moritur* 546. *& ſeq. Corpus ejus trecentis poſt annis incorruptum repertum* 547. *Captivitatem Bonifacii Deus vindicat in ejus conſcios & complices ibid. Item in civitatem Anagninam* 548.

Bonifacii virtutes & vitia 503. *& ſeq.* 548. *& ſeq. Ejus opera* 549.

S. Bernardus *Claravallenſis Abbas deceptus in S. Willelmum Eboracenſem Electum invehitur* 4. *& ſeq. Sacram contra Turcas expeditionem juſſu Eugenii III promovet* 10. *& ſeq. Samſonem Archiepiſcopum Remenſem excuſat quòd Ludovicum VII Franciæ Regem in Bituricenſi Conventu coronaverit* 13. *Gilbertum Porretanum convincit hæreſis* 21. *Cum Epiſcopis Gallicanis contra ejus errores ſymbolum fidei edit* 21. *& ſeq. De eo conqueruntur Cardinales quod ſolus cum Gallicanis Epiſcopis ſymbolum conſcripſiſſet* 22. *Ejus humili reſponſo quieſcunt Cardinales ibid. S. Bernardi ſymbolum approbatur, eique aſſentitur Gilbertus* 23. *S. Bernardus ab Alexandro III canonizatur* 96. *Quid Cantico* Salue Regina *addiderit* 280.

Bernardum *Archiepiſcopum Auxitanum quinta manu ſe purgare ſtatuit Innocentius III Papa* 209. *& ſeq.*

S. Bernualdus *Hildensheimenſis Epiſcopus à Cœleſtino III canonizatur* 150. *Annus mortis ejus examinatur* 150. *& ſeq.*

Biſontinenſium *Canonicorum S. Joannis & S. Stephani de maternitate contendentium controverſia ab Innocentii IV Legato dirimitur* 325. *& ſeq.*

Bituricenſis *Conventus pro expeditione in Terram ſanctam a Ludovico VII Franciæ Rege celebratur* 12. *& ſeq.*

Blanca *Sancti Ludovici Franciæ Regis mater cum filio Rege Cluniacum petit pro colloquio cum Innocentio quarto* 310. *à*

Digitized by Google

310. à ſuſcipiendo Lugdunum itinere ab eodem Pontifice revocatur 318.

Blanca Caroli II Siciliæ Regis filia nubit Jacobo Aragoniæ Regis 514.

Bohemiæ Duces quo tempore Reges dicti 175. & ſeqq.

Bohemiæ Regis filius & filia naturales publica munera gerere ab Alexandro IV permittuntur 349.

Bohemiæ Regis inunctio Pragenſi & Olmucenſi Epiſcopis ab Alexandro IV permittitur ibid.

S. Bonaventura coram Alexandro IV libellum à Guillelmo de Sancto Amore contra Mendicantes editum refutat 335. & ſeq. Cardinalibus viam compromiſſi ſuadet poſt Clementis IV mortem 387. Ante Concilium Lugdunenſe II à Gregorio X Cardinalis creatus eſt 397. Ad illud Concilium cum Papa pergit ibid. Quo ſenſu dici poſſit Concilii Præſes 398. Audito Græcorum adventu gravem orationem habet in Concilio 401. Ante quintam ſeſſionem Concilii moritur 405. Pontifex & Patres Concilii ejus exequiis interſunt 406. A Sixto IV Sanctorum honoribus donatur & à Sixto V primis Eccleſiæ doctoribus connumeratur ibid.

Bonifacius VIII. Vide Benedictus Cajetanus.

Bononienſibus ſacra & Gymnaſium ab Alexandro IV interdicuntur 348. In priſtinum ſtatum redeunt ibid.

Bononia à Rudolpho Imperatore Eccleſiæ Romanæ reſtituitur 433.

Bononienſi Academiæ privilegium à Nicolao IV conceditur 473.

S. Bruno Epiſcopus Signienſis à Lucio III Cælitum faſtis adſcribitur 120.

Bulgarorum ſeu Walachorum regnum ſub Innocentio III Eccleſiæ Romanæ ſubjicitur 182.

Bulgarorum Epiſcopi & Presbyteri jubente eodem Innocentio Latinorum more inunguntur 183.

Bulgaros ad fidem Catholicam reducere tentat Nicolaus quartus 478.

C.

Cæleſtinorum Ordo à Petro de Murrone fundatus, ab eodem Pontifice dicto ſub Cæleſtini V nomine confirmatur 495.

Cæleſtinus II Innocentio II ſubrogatur 1. Natione Tuſcus erat ibid. E Caſtillonea familia natus ſecundum multos ibid. Certè è familia Nobili 2. Inſigni doctrina præditus ibid. Ejus electio fuit pacifica ibid. Franciæ regnum interdicto abſolvit ibid. Obitus ejus 3.

Cæleſtinus III eligitur Romanus Pontifex 142. Ab Honorio II dictus fuerat Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Coſmedia ibid. Annos ſexaginta quinque in Diaconatu permanſerat ante Pontificatum ibid. Cur ſuam conſecrationem diſtulerit ibid. Henricum V in Imperatorem & uxorem ejus in Imperatricem coronat 143. Cæremonia in ejus & aliorum Pontificum Romanorum creatione adhibita 144. & ſeqq. Cæleſtinus Papa Albertum Jeroſolymitanum Patriarcham creat 146. Militiæ Teutonicorum inſtitutionem confirmat ibid. Alphonſum X Gallaciæ Regem ob inceſtas nuptias excommunicat 147. Angliæ regni turbatores excommunicari jubet 148. S. Ubaldum Eugubinum Epiſcopum canonizat 149. Item Sanctum Malachiam Armachanum Archiepiſcopum ibid. Item S. Joannem Gualbertum 150. Item Sanctum Bernvardum Hildensheimenſem Epiſcopum ibid.

Celeſtinus Leopoldum Auſtria Ducem excommunicat qui acceperat Richardum Anglia Regem à Ieroſolymitana expeditione redeuntem 151. *Legatum ad eum mittit pro reſtitutione pecunia quam ab eodem Rege extorſerat* 152. *Legatos in Galliam mittit pro cauſa divortii Philippi Regis & Ingelburga Regina ibid. Sententiam divortii ab Epiſcopis Gallicanis prolatam caſſat* 153. *Philippum Regem fruſtrà monet ut legitimam uxorem in gratiam recipiat* 154. *Conſtantiam Auguſtam à captivitate liberat & marito reſtituit* 155. *Bellovacenſis Epiſcopi in bello capti liberationem fruſtra à Rege Anglia petit ibid. Legatum mittit ad reformandam Eccleſiam Polonam* 156. *Henrico V Imperatori ſacram ſepulturam impendi prohibet ibid. Fridericum II poſtea Imperatorem Sicilia Regem conſtituit* 157. *Proximus morti tractat de ſucceſſore, ſed renuunt Cardinales ibid. Moritur* 158. *Pueros ante pubertatem monaſteriis oblatos ad ſeculum redire permittit ibid.*

Cæleſtinus I V *eligitur Pontifex Romanus* 288. *Ejus Genus, patria & primordia ibid. Moritur antequam conſecretur ibid. Ejus virtutes & doctrina* 289.

Cæleſtinus V *antea Eremita Petrus de Murrone dictus creatur Pontifex Romanus* 485. *Invitus Pontificatum acceptat ibid. Aquilam pergit & Cardinales ad ſe vocat* 486. *Aſello ſedens Sicilia & Hungaria Regibus frenatenentibus Aquilam ingreditur ibid. Cæleſtini humilitas inſigni miraculo comprobatur* 487. *Locus, tempus & pompa ejus conſecrationis & coronationis ibid. Conſecratur ab Hugone Oſtienſi Epiſcopo* 488. *Duodecim Cardinales creat* 489. *Ioannem de Caſtrocœlis Archiepiſcopum Beneventanum Cardinalem creat poſt cœnam, qui ideo cedere coactus ea dignitate antiquo ritu donatur* 490. *Gregorii X Conſtitutionem de includendis in conclavi Cardinalibus tribus diplomatibus renovat ibid. Confirmat pacis conditiones inter Carolum II Sicilia Regem & Iacobum Aragonium* 491. *Decimas Gallia & Anglia Carolo II Sicilia Regi concedit ibid.*

Cæleſtinus Iacobum Aragonium monet ut conventa cum eodem Sicilia Rege impleat 492. *Pio Minorita concedit ut Minores Ordines conferat S. Ludovico Caroli II filio ibid. Eidem Ludovico Archiepiſcopatu Lugdunenſis adminiſtrationem tribuit* 494. *Cauſas exponit quibus ad id motus eſt ibid. Cæleſtinorum ordinem cujus erat fundator confirmat* 495. *Iudicatur minus aptus regendo Pontificatui ibid. Abdicat conſtitutione ea de re edita* 496. *Hoc ejus facinus laudatur ibid. Fruſtrà petit licentiam à Bonifacio VIII, qui ei ſucceſſit, ad cellam ſuam redeundi* 498. *Ipſo inſcio ad eremum redit* 497. *Ad Bonifacium VIII ducitur, & in arce fumonis recluditur* 498. *Ibidem ſanctè moritur* 499. *Crux tempore mortis ejus miraculosè apparet* 496. *& ſeq. Bonifacius pro eo ſolemniter celebrat & corpus ejus Ferentinum transfertur* 500. *Poſt mortem miraculis coruſcat ibid. Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcribitur à Clemente quinto* 501. *Ejus ſcripta ibid. Ejus de Bonifacio VIII prædictio apocrypha* 503.

Calli-

annorum 385. *Cardinales in conclavi includuntur à Viterbienſibus poſt ejuſdem Clementis mortem ibid.*

Cardinales à Gregorio X diſſident circa conſtitutionem de incluſione in conclavi 405. *In Gregorii ſententiam adducuntur* 406.

Cardinales in arctiorem cuſtodiam traduntur à Viterbienſibus, quod Conſtitutionem Gregorii X ab Hadriano V ſuſpenſam fuiſſe promulgaſſent 423. *Iterum ab iisdem Viterbienſibus violenter includuntur poſt Joannis XXI mortem* 428.

Cardinales poſt mortem Martini IV abſque incluſione coacta Honorium IV eligunt 454.

Cardinales plures moriuntur in conclavi poſt mortem Honorii IV ideoque conclave diſſolvitur 463. *& ſeq.*

Cardinales inter ſe diſſident poſt Nicolai IV mortem, ideoque longum eſt interpontificium 485. *& ſeq.*

Cardinales in Cœleſtinum V exaſperati & quare 490. & 495. *Ei perſuadent ut Pontificatum abdicet* 495. *& ſeq.*

Cardinales Columnenſes dignitatibus à Bonifacio VIII privantur 521.

Cardinalium ſecuritati Bonifacius VIII proſpicit 523.

Carmelitarum *Regula ab Innocentio IV mitigatur* 308.

Carmelitarum habitus ab Honorio IV in decentiorem mutatur 457. *& ſeq.*

Carolus Magnus *Imperator à Paſchali III Antipapa canonizatur* 82. *Hac canonizatio ab Eccleſia tolerata licet non approbata* 83.

Carolo Comiti Andegavenſi *Innocentius IV Siciliæ regnum offert* 322. *Tum Urbanus quartus* 364. *Carolus ab eodem Urbano fit Senator urbis Romæ ſed ad tempus ibid. Caroli Senatoria Urbis dignitas à Clemente IV confirmatur* 372. *Carolus Siciliæ regni inveſtituram ab eodem Pontifice recipit* 373. *Auxilia recipit à Clemente IV qui ejus de Manfredo Victoriam prædicit* 374. *Utriuſque Siciliæ Rex cum conjuge per ejus Legatos coronatur ibid. Inſignem de Manfredo, quem occidit, victoriam reportat* 375. *Paciarius ſeu pacis ſervator à Clemente IV dicitur* 379. *Tum fit Senator Urbis in decennium ibid. Vicariatum Hetruriæ & Senatoriam Urbis dignitatem Nicolai III impulſu deponit* 434. *Carolus elogio ab eodem Nicolao III ornatur* 435. *Provincia Comitatus Carolo adjudicatur judicio Apoſtolico ibid. & ſeq. Carolus Martini IV nomine Urbis dignitatem exercet* 445. *Arguitur ab eodem Pontifice quod ſingulare certamen ſibi à Petro Aragoniæ Rege oblatum poſt veſperas Siculas acceptaſſet* 448. *& ſeq. Moritur* 452.

Carolus II *Caroli Siciliæ Regis filius Claudus dictus à Siculis in prælio capitur* 451. *Carolo Patri in Siciliæ regnum & provinciæ comitatum ſuccedit* 452. *Caroli libertatem procurare fruſtrà nititur Honorius quartus* 456. *Caroli liberationis conditiones ab eodem Honorio abrogantur* 460. *Carolus libertati reſtituitur* 465. *Siciliæ & Apuliæ Rex à Nicolao IV coronatur* 469. *Pacem facit cum Aragoniæ Rege* 476. *& ſeq. Poſt mortem Nicolai IV hortatur Cardinales ad maturandam electionem* 484. *à Benedicto Cajetano redarguitur quod nimis acerbè inſtaret ibid. Petrum de Murrone ſeu Cœleſtinum incitat ut Pontificatum acceptet* 486. *Aſini quo vehebatur Cœleſtinus fræna tenet ibid. Galliæ & Angliæ decimas à Cœleſtino obtinet* 491. *& ſeq. Caroli operâ* Boni-

Bonifacius VIII Papa eligitur 504. *Carolus in Bonifacii coronatione equi frænum tenet* 505. *Cum Jacobo Aragoniæ Rege pacem facit* 513. *& ſeq. Item cum Friderico Siciliæ occupatore* 534.

Caroli Martelli, *filii Caroli II Siciliæ Regis jura in regnum Hungariæ Nicolaus IV tuetur* 475. *Carolus Martellus Hungariæ Rex Petrum de Murrone ſeu Cœleſtinum V urget ut Pontificatum accepiet* 486. *Aſini quo Cœleſtinus vehebatur frana tenet ibid. Item frænum equi in coronatione Bonifacii octavi* 506. *Quo tempore mors ejus contigerit* 514. *& ſeq.*

Carolo Valeſio *Philippi III Francorum Regis minori filio regna Petri Aragoniæ Regis à Martino IV conferuntur* 450. *Carolus iis renunciat* 515. *à Bonifacio VIII Romam accerſitur* 519. *Iterum Romam ab eodem Pontifice vocatur & dignitatibus augetur* 533. *Pacem conciliat inter Carolum II Siciliæ Regem & Fridericum Siciliæ occupatorem* 534. *In Franciam à Philippo IV Fratre Rege revocatus redit ibid.*

Caſelienſis *Archiepiſcopatus à Joanne Paparone Eugenii III Legato in Hibernia inſtituitur* 28.

Chriſti *corporis ſolemnitas ab Urbano IV inſtituitur* 364. *& ſeqq.*

Chriſtianus *Archiepiſcopus Moguntinus ab Innocentio IV gradu dejicitur* 317. *& ſeq.*

S. Chunegunda *Imperatrix & virgo ab Innocentio III canonizatur* 177. *& ſeq. Ejus obitus annus ibid.*

S. Clara *Virgo & Abbatiſſa ab Innocentio IV viſitatur, ejuſque funus ab eodem Pontifice curatur* 325. *Ab Alexandro IV ſanctis annumeratur* 336.

Claromontani *Concilii ſub Innocentio II epocha & canones* 569. *& ſeq.*

Clemens III *Genere Romanus, antea Epiſcopus Prœneſtinus fit Papa* 136. *Appellandus Clemens III non IV ibid. Expeditionem in Terram ſanctam procurat* 137. *Controverſiam de Epiſcopatu Sancti Andreæ in Scotia dirimit ibid. Cum Romanis pacem facit ibid. Quibus conditionibus* 138. *Roma honorificè & lætanter recipitur ibid. Eccleſiæ Trevirenſis ſchiſma terminat* 139. *S. Ottonem Pomeraniæ Apoſtolum canonizat* 140. *Item Stephanum de Mureto ibid. Legatum mittit pro concordia Franciæ & Angliæ Regum & pro expeditione in Terram ſanctam ibid. Moritur* 141.

Clemens IV *Vide Guido Groſſus.*

Clemens V *Petrum de Murrone Cœleſtinum V in Pontificatu dictum Sanctorum Confeſſorum Catalogo adſcripſit* 501.

Cluniacenſis *monaſterii quanta eſſet amplitudo medio ſeculo decimo tertio* 309. *& ſeq.*

Cluniacenſis Eccleſia quo die ab Urbano II & ab Innocentio II conſecrata 568.

Cobila. *Vide Quolibey.*

Colonienſis *Eccleſiæ privilegia ab Eugenio III confirmantur* 26. *& ſeq. Quibusdam ejusdem Eccleſiæ Presbyteris Dalmaticæ & mitræ uſus ab eodem Pontifice conceſſus* 27.

Columnenſes *Bonifacii VIII odium incurrunt & quare* 520. *Ab eo dignitatibus & bonis privantur* 521. *Contra eos crux publicatur ibid. Columnenſes contra Bonifacium libellum famoſum edunt* 522. *Profugi vagantur ibid. A Benedicto XI Philippi Franciæ Regis interceſſione in integrum reſtituuntur* 554.

Con-

Digitized by Google

Conclavis *primus cuſtos Rainerius Gattus poſt Clementis IV mortem* 385. *Cardinalium in conclavi incluſionis leges à Gregorio X edita paululum variata* 406. & *ſeqq. Ejusdem conclavis Conſtitutio Gregorii X ab Hadriano V ſuſpenditur* 418. *Eadem conſtitutio à Joanne XXI ad tempus abrogatur* 425. *Conclavis libertas poſt Nicolai III mortem à Viterbienſibus violatur* 442. *In electione Honorii IV non obſervatur Gregorii X Conſtitutio de conclavi* 454. *Conclave diſſolvitur poſt mortem Honorii IV ob infirmitates & mortem plurium Cardinalium* 463. & *ſeq.*

Conſtitutionem Gregorii X de incluſione Cardinalium in conclavi non videtur Nicolaus quartus revocaſſe 473. & *ſeq. Conclavis recluſio non ſervatur poſt Nicolai IV mortem* 484. *Cardinalium in conclavi recluſionis Conſtitutio Gregorii X à Cœleſtino V tribus diplomatibus renovatur* 490. & *ſeq. In electione Bonifacii VIII obſervari cœpta* 502.

Conradinus *ſeu Conradus Conradi filius teſtamento patris dicitur Rex Siciliæ* 327. *Prohibetur Electoribus ab Alexandro IV ne Conradinus in Regem Romanorum eligatur* 339. *Idem ab Urbano IV prohibetur* 360. & *ſeq. Conradinus poſt mortem Manfredi titulum Regis Siciliæ ſumit, ob idque à Clemente IV citatur* 375. & *ſeq. Ab eodem Pontifice excommunicatur & feudis omnibus privatur* 380. *Conradini exterminium à Clemente IV prædicitur ibid. Conradinus à Carolo Siciliæ Rege vincitur & capitur* 381. *Neapoli ſecuri percutitur ibid. Ab ejus morte procuranda Clemens IV averſus fuit* 382.

Conradus *Germaniæ Rex vulgò Imperator dictus moritur* 29.

Conradus *Friderici II filius pro Imperatore ſe gerens poſt mortem patris ab Innocentio IV anathemate percellitur* 317. *Henricum fratrem Siciliæ Regem proditorie occidi curat* 326. *A Manfredo fratre notho è medio tollitur ibid.* & 327.

Conradus *Antiochenus operâ Clementis IV à pœna capitis liberatur* 382.

Conradus *Moguntinus Archiepiſcopus ad Alexandrum III anno tantum 1164. venit* 72. *Ab eodem Alexandro fit Cardinalis presbyter & pluribus Epiſcopatibus donatur* 79.

Conſtantia *Willelmi Siciliæ Regis amita nubit Henrico filio Friderici Aenobarbi Imp.* 128. *A quodam Epiſcopo Teutonico coronatur ibid. A Cœleſtino III Auguſta coronam recipit* 143. *A Tancredo Siciliæ Rege captiva detinetur* 155. *A Cœleſtino Papa liberatur & ad maritum remittitur ibid. Moriens Innocentium III Papam Siciliæ moderatorem & Friderici filii parvuli tutorem inſtituit* 171.

Conſtantia *Friderici II Imperatoris uxor ab* Honorio *III coronatur* 241.

Conſtantinopolis *à Francis & Venetis capitur* 187. & *ſeq. A Græcis iterum expugnatur* 362.

Conſtantinopolitana Eccleſia ſecundum poſt Romanam locum in Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio III obtinet 220.

Coronatio *Romanorum Pontificum cum mitra turbinata, ſeu phrygio, ſeu Regno* 50. & *ſeqq.*

Corſicæ *inſulæ pars Genuenſibus ſub annuo cenſu ab Honorio III traditur* 234.

Corſica inſula regnum Jacobo Aragoniæ Regi à Bonifacio VIII conceditur 519. *Pro eo Jacobus Benedicto XI ligium hominium facit* 554. & *ſeq.*

Cruceſignati *Franci & Veneti Conſtantinopoli capta Balduinum Imperatorem eligunt* 187. *& ſeq.*

Cumanos *Gentiles ad Eccleſiæ unitatem reducere conatur Nicolaus quartus* 468. *& ſeq.*

D.

DAlmaticæ *uſus quibuſdam Presbyteris Colonienſis Eccleſiæ ab Eugenio III conceſſus* 27.

Decretalium *collectio à Gregorio IX promulgatur* 274.

Decretalium ſextus liber promulgatur poſtea à Bonifacio octavo 525.

Dienſis *& Valentinenſis Epiſcopatus à Gregorio X uniuntur* 411.

Dionyſius *Luſitaniæ Rex libertatem Eccleſiaſticam in regno ſuo violatam priſtino ſplendori reſtituere cogitur* 469. *& ſeq. Uliſſiponenſem Academiam fundat, eamque à Nicolao IV privilegiis ornari curat* 473.

Divionenſe *Concilium ab Innocentii III Legato celebratur pro cauſa divortii Philippi Franciæ Regis* 167.

Doctoratus *Gradus & alii ab Eugenio III inſtituuntur* 27. *& ſeq.*

Doctorum *Eccleſiæ feſta duplicia celebrari Bonifacius VIII conſtituit* 517. *& ſeq.*

Dolenſis *Antiſtes cum Turonenſi de jure Metropolico litigat* 172. *Lis judicatur in favorem Turonenſis* 173.

Dominica de Roſi *ſeu de Roſis diverſa à dominica quarta Quadrageſima* 573. *& ſeq.*

S. Dominicus *Prædicatorum Ordini initium dat* 203. *& ſeq. à Gregorio IX Canonizatur* 173. *& ſeq. Cur feſtum ejus conjunctum non fuerit cum die ejus mortis ibid.*

Dublinenſis *Archiepiſcopatûs à Joanne Paparone Eugenii III Legato in Hibernia inſtitutio* 28.

Duplicium *feſtorum in officiis diſtinctio in Eccleſia ante Bonifacium VIII introducta* 517. *& ſeq.*

E.

EAdmundo *Henrici II Angliæ Regis filio Siciliæ regnum Innocentius IV offert* 322.

Eadmundus *Archiepiſcopus Cantuarienſis ab Innocentio IV Cælitum faſtis adſcribitur* 312.

Eccleſiâ *Romana. Vide Romana Eccleſia.*

Ecelinus *in Marchia Tarviſina tyrannidem exercet* 333. *Contra eum Philippus electus Ravennatenſis Archiepiſcopus mittitur* 340.

Edeſſâ *captâ expeditio ſacra ab Eugenio III indicitur* 10.

S. Eduardus *Anglorum Rex ab Alexandro canonizatur* 64.

Elevationis *ſacrorum myſteriorum in miſſa Innocentius III non eſt auctor* 227. *& ſeq. Ea in Galliis & Germania longe ante Innocentium elevata ibid. &* 572. *& ſeq.*

Elizabetha *Ludovici Thuringiæ Landgravii uxor à Gregorio IX Sanctorum honoribus donatur* 276.

Eon *Hæreſiarcha in Concilio Remenſi ſub Eugenio III damnatur* 21. *Carceri mancipatur & moritur ibid.*

Epiſcopi *quo primum tempore Cardinales Presbyteri creati* 79.

Epiſtola *Cæleſtis de die dominica ab Innocentio III publicatur* 177.

Eremitarum *Congregationes in unam ſub*

Digitized by Google

ſub Sancti Auguſtini Regula ab Alexandro IV rediguntur 341. *& ſeq.*

Eremitarum Sancti Auguſtini Ordo ab Honorio IV confirmatur 458.

Ericus *Daniæ Rex à Joanne Lundenſi Archiepiſcopo correptus hunc in carcerem conjicit* 517. *à Bonifacio VIII cenſuris irretitur, iiſque poſtea ſolvitur ibid.*

Eſtenſis *Marchio arcem Ferrariæ conſtruendi licentiam ab Innocentio III obtinet* 206.

Evangeliſtarum *feſta à Bonifacio VIII duplicia conſtituuntur* 517. *& ſeq.*

Eugenius III *antea Abbas Monaſterii Ciſtercienſis trium fontium dicti fit Pontifex Romanus* 7. *Româ fugit & in monaſterio Farfenſi conſecratur* 8. *Majori monaſterio Turonenſi privilegium concedit ibid. Suſcipit Legatos Armeniorum Metropolitani pro ejus erga Romanam ſedem ſubjectione* 9. *Eugenio celebrante Armenii divina viſione confirmantur* 10. *Eugenius Legatos ex Syria ſuſcipit pro ſubſidio Terræ ſanctæ ibid. Expeditionem ſacram indicit ibid. Ejus expeditionis curam Sancto Bernardo delegat* 10. *& ſeq. Romanos ad obedientiam reducit & Romam redit* 11. *Iterum Româ fugere cogitur ibid. Tornacenſem Epiſcopatum reſtituit* 11. *& ſeq. Archiepiſcopum Remenſem pallio privat & quare* 12. *& ſeq. In Franciam pergit* 13. *Honorificè à Ludovico Rege Divione excipitur* 13. *& ſeq. Divinionenſem Eccleſiam conſecrat* 14. *Synodum Pariſiis celebrat in cauſa Gilberti Porretani ibid. In ea Synodo Willelmum Eboracenſem præſulatu deponit* 15. *Henricum de Murdach in ejus locum conſecrat ibid. Eugenii itinerarium poſt Synodum Pariſienſem* 16.

Eugenius Virduni transfert corpus Sancti Vitoni 17. *Treverim pergit ibid. In eadem civitate Sancti Matthiæ Templum dedicat* 18. *Concilium Treviris celebrat in quo Sanctæ Hildegardis ſcripta examinantur ibid. In eodem Concilio Fuldenſem Abbatem deponit* 19. *Remis Concilium habet ibid. Geſta in eo Concilio* 20. *& ſeqq. Eugenius poſt Concilium Remenſe Claramvallem viſitat* 24. *Roſam auream ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem mittit* 24. *& ſeq. Romam redit* 25. *Metropoles in Norvegia & Suecia erigit* 26. *Româ iterum exire cogitur ibid. Colonienſis & Moguntini Epiſc. munera reſpuit ibid. Eccleſiæ Colonienſis privilegia confirmat* 26. *& ſeq Gradus academicos Baccalaureatus &c. inſtituit* 27. *Archiepiſcopatus quatuor in Hibernia inſtituit* 28. *Romam redit ibid. Cum Friderico Germaniæ Rege concordiam init* 29. *In eumdem Regem commovetur & quare ibid. Sanctum Henricum Imperatorem canonizat* 30. *Legatos in Germaniam mittit pro cauſa Henrici Archiepiſcopi Moguntini* 31. *Ad Deum tranſit ibid. Luctus Romanorum de ejus morte* 32. *Ejus miracula ibid. Epitaphium ejus ibid. à capiendis muneribus quantum alienus eſſet* 26. *Ejus humilitas & voluntaria corporis afflictatio* 24.

Expeditio ſacra *contra Turcas ab Eugenio III indicta* 10. *Vezeliaci conventus pro ea celebratur ibid. Item alius apud Bituricas* 12. *& ſeq.*

Expeditionem in Terram Sanctam Alexander III procurat 114.

Eadem expeditio à Clemente III promovetur 137. 140. *& ſeq.*

Tum ab Innocentio III in Concilio Lateranenſi quarto 213. *&* 215.

Expeditio in Terram ſanctam à Cruceſignatis Meſſanæ congregatis ſuſcipitur 233. *& ſeq.*

Expeditio ſacra adverſus Infideles à Gregorio IX promulgatur 274.

Expeditio in Terram ſanctam una ex cauſis convocationis Concilii Lugdunenſis primi 298. *& ſeq.*

Pro expeditione in Terram ſanctam Ludovicus IX Franciæ Rex Crucem accipit 309. *Poſt Ludovici IX Cladem & captivitatem ad eam expeditionem excitatur Henricus II Angliæ Rex* 321. *Solemnes pro ea ſupplicationes Innocentius quartus indicit* 322. *Chriſtianis tota Syria pulſis Nicolaus IV expeditionem in Syriam parat ſed irrito conatu* 479. *& ſeqq.*

F.

Ferrarienſis *arx ab Eſtenſi Marchione Innocentio III annuente conſtruitur* 205.

Florenſis *Congregatio à B. Joachimo Abbate fundatur* 217.

Florentia *ob ruptam cum Gibellinis pacem à Gregorio X interdicto ſubjicitur* 393.

Folmarus *ſeu Volcmarus eligitur Epiſcopus Trevirenſis, ſed Rudolphus in eam ſedem intruditur* 123. *Folmarus ad Lucium III appellat ibid. Ab eodem Lucio III Cardinalis creatur & conſecratur Epiſcopus Trevirenſis* 128. *Ejus electio caſſatur à Sigifrido Cardinali Clementis III Legato* 139. *In Angliam pergit, ibique moritur ibid.*

Franciæ *regnum à Cœleſtino II interdicto abſolvitur* 2. *Franciæ Reges in præcipuis feſtis coronam ſolemni ritu accipiebant* 12. *& ſeq.*

Franci cum Venetis Cruceſignati Jaderam contra prohibitionem Papæ obſident & capiunt, id eoque excommunicationem incurrunt 179. *Ab ea à Pontifice abſolvuntur* 180.

Conſtantinopolim capiunt & Balduinum Imperatorem eligunt 187. *& ſeq.*

Franci ineunte ſeculo decimo tertio initium anni à Paſchate repetebant 265.

Pro Francia Rege & regno orantibus indulgentia conceſſa 318.

Franci omnes in Sicilia una die inhumaniter trucidantur, indeque veſperæ Siculæ *famoſiſſimo adagio* 447. *& ſeq.*

Sanctus Franciſcus *Aſſiſienſis ordinem ſuum Fratrum Minorum inchoat, ejuſque confirmationem ab Innocentio III obtinet* 203. *&* 221.

Sancti Franciſci Regula ab Honorio III confirmatur 248.

S. Franciſcus Ugolino Oſtienſi Epiſcopo poſtea Papæ ſub Gregorii IX nomine Pontificatum prædicit 256. *Ab eodem Pontifice Sanctorum Faſtis adſcribitur* 260. *& ſeq.*

S. Franciſci Mortis annus 260. *Novus ritus in eius canonizatione à Gregorio IX adhibitus* 260. *& ſeq.*

S. Franciſci Eccleſia Aſſiſienſis ab Innocentio IV conſecratur 324. *& ſeq.*

S. Franciſci ſtigmatum inſigne Alexandri IV teſtimonium 337. *Eorum feſtum & officium fieri concedunt Benedictus undecimus & Paulus quintus ibid.*

S. Franciſcus Joanni Cajetano poſtea Papa ſub Nicolai III nomine Pontificatum prædixerat 428.

S. Franciſci Regula ab eodem Nicolao III explicatur 440.

S. Franciſci Regula pro Tertio Ordine à Nicolao IV confirmata 474.

Franciſcus *quidam Minorita* de Apta *dictus à Cœleſtino V facultatem obtinet Minores Ordines conferendi Ludovico poſtea Epiſcopo Toloſano* 492. *Hic Minorita*

Digitized by Google

norita erat Confeſſarius ejusdem Ludovici 493.

Fridericus Aenobarbus fit Germaniæ Rex 29. Concordiam init cum Eugenio III Papa ibid. Guicmannum Siccenſem Epiſcopum transfert ad ſedem Magdeburgenſem inconſulto Pontifice ibid. Ob id Papa in ipſum commovetur ibid. Fridericus ab Anaſtaſio IV pro Guicmanno pallium obtinet 34. Romam cum exercitu pergit 40. Arnaldum de Brixia Hæreſiarcham Hadriano IV reddi jubet ibid. Cum eodem Pontifice congreſſum habet, ei que ſtratoris officium exhibet 41. Ab eo Imperator coronatur ibid. Romanis rebellibus parcit interceſſione Hadriani 42. Magnum cum eodem Hadriano Papa diſſidium habet & quare 43. & ſeqq.

Fridericus Alexandrum III Papam ad Conciliabulum Papienſe citat 56. In eo damnat Alexandrum PP. & Antipapam ſuſcipit 57. Sævit in ſectatores Alexandri 60. Ab Alexandro excommunicatur ibid. Fruſtra tentat Reges Franciæ & Angliæ adverſus Alexandrum 61. In Conciliabulo Laudenſi Papienſis acta confirmat 62. Ludovicum Regem Francorum doloſè circumvenit 66. Conciliabulum Herbipoli cogit, in quo Paſchalis III Antipapa verus Pontifex agnoſcitur 81. Carolum Magnum Imperatorem ab eodem Antipapam canonizari procurat 82. Expeditionem in Italiam ſuſcipit 83. à Paſchali Antipapa Romam vocatur 84. Romam obſidet ibid. A Paſchali Antipapa cum Beatrice conjuge coronatur 85. Friderici exercitum magna peſtilentia invadit 86.

Fridericus ignominioſè ex Italia ejicitur ibid. Antea in Concilio Romano ab Alexandro III depoſitus fuerat 87. Adalbertum Archiepiſcopum Saltzburgenſem in Ratiſponenſi conventu deponit 95. & ſeq. Ab Alexandro III Papa pacem petit 97. Ad eum Legatos mittit 98. & ſeq. Conditiones pacis per Legatos jurat 99. Pax concluditur 100. Fridericus Venetias pergit 101. Schiſma abjurat & ad pedum Pontificis ac pacis oſcula admittitur ibid. Sacram communionem à Pontifice recipit ibid. Adeſt Synodo ab Alexandro Venetiis celebrata 102. In Italiam proficiſcitur 122. Veronæ cum Lucio III colloquium habet 125. A Lucio III diſſidet & quare ibid. & 128. & 129. Henricum filium abſque conſenſu Urbani III Papæ coronari Regem facit 128. De manu Henrici Epiſcopi Albanenſis crucem accipit 137.

Fridericus poſtea Imperator hujus nominis II à Cœleſtino III Siciliæ Rex conſtituitur 157. Imperator jam electus ab Innocentio III Romæ honorificè ſuſcipitur 204. & ſeq. Confirmat Fundani Comitatus donationem Eccleſiæ Romanæ factam 205. Permittit Epiſcoporum electiones in Sicilia canonicè & libere fieri 206. Friderici electio in Imperatorem à Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio III confirmatur 222.

Fridericus II ab Honorio III coronatur Imperator 241. Urgetur ab eodem Honorio ad ſuſcipiendam expeditionem in Terram ſanctam 244. Terram Mathildis Comitiſſæ & alia eidem Pontifici reſtituit ibid. Verulis cum eo colloquium habet pro negotio Terræ ſanctæ 245. Pro eodem negotio aliud cum eodem Pontifice colloquium habet

habet 246. Expeditionis Jeroſolymitanæ tempus ſibi à Pontifice prorogari obtinet 250. Monetur à Gregorio IX eam expeditionem ſuſcipere 256. Votum ſuum exequi recuſans ab eodem Pontifice declaratur excommunicatus 257. Ab eo ad pœnitentiam ſollicitatur 258. In Synodo Romana anathemate percellitur ibid. Gregorium IX Papam Româ pelli procurat 259. Ad ſacrum bellum quaſi per ludibrium pergit 261. & ſeq. Probroſam cum Sultano Babylonia pacem init 262. Clam Jeroſolyma aufugit 263. Ejus ſubditi à Gregorio Papa à fidelitatis Sacramento abſolvuntur ibid. Fridericus ad Gregorium pro pace Oratores mittit ibid. Cum eo concordiam init 266. Ab eo Anagniæ honorifice ſuſcipitur ibid. Pacis conditiones non adimplet 269. Monetur à Gregorio Papa pro liberatione nepotis Tuneti Regis 277. Romanos quosdam contra Gregorium Papam ſubornat 279.

Fridericus II à Gregorio IX Papa excommunicatur 281. Rationes excommunicationis 281. & ſeq. Friderici mendacia refelluntur à Gregorio Papa 282. Horrenda ejus blaſphemia 283. Fridericus Gregorio Papæ adhærentes ſuppliciis & tormentis afficit ibid. Romam aggreditur ſed à Gregorio cum dedecore repellitur 284. Concilii œcumenici à Gregorio Papa indicti celebrationem impedit 285. & ſeq. Poſt Cœleſtini IV mortem quosdam Cardinales captivos detinet, quod in cauſa fuit diuturni interpontificii 290. Eos Cardinales in libertatem aſſerit ibid. Gratulatur Innocentio IV de adepto Pontificatu & nuncios ad eum mittit 292. Innocentii Papæ Legatos pro pace recipit 293. Ejus monita deſpicit, ſed poſtea in ſe reverſus juramentum facit de ſatisfaciendo Eccleſiæ 294. A ſuo juramento reſilit 295. Innocentio Papæ occultas inſidias tendit 296. Ab Innocentio citatur ad Concilium Lugdunenſe œcumenicum 297. Ad Concilium Nuncios mittit 299. Tertia Concilii ſeſſio prorogatur uſque ad adventum ejus 300. Fridericus nec per ſe, nec per novos nuncios comparens in Concilio ab Imperio deponitur 301. Depoſitionis ejus cauſa in ſententia adducuntur 302. Sententiam in Fridericum tulit Pontifex ſacro approbante Concilio 302. & ſeq.

Fridericus II Moritur 316.

Fridericus Alphonſi Aragoniæ Regis frater Siciliæ Regem ſe dicit 477. & ſeq. Jacobo altero fratre in Aragonia regnante Siciliæ regnum uſurpat & à Siculis coronatur 518. cum Carolo II Siciliæ Rege pacem facit & dicitur Trinacriæ Rex 534. Pro Trinacriæ regno cenſum ſolvit & Benedicto XI juramentum fidelitatis facit 555. & ſeq.

Fumonis caſtri in quo S. Cœleſtinus V recluſus & mortuus eſt ſitus 499.

Fundanus comitatus Romanæ Eccleſiæ à Richardo Comite donatur 205.

G.

S. Galdinus Mediolanenſis Archiepiſcopus ab Alexandro III dicitur Legatus Apoſtolicæ ſedis in Longobardia 87.

Gaufredus Henrici II Angliæ Regis filius nothus Lincolnenſi Epiſcopatui renunciare ab Alexandro III cogitur 114.

Genuenſes ab Honorio III Corſicæ inſulæ partem ſub annuo cenſu recipiunt 234.

Genuen-

Genuenſis Eccleſiæ privilegia ab eodem Pontifice confirmantur 235.

Gerardus Segarellus *Parmenſis pſeudo-Apoſtolorum vel auctor vel propagator* 419.

Gibellinorum *Imperatori contra Eccleſiam adhærentium origo* 262. *Gibellinos quanto odio Bonifacius VIII proſequeretur* 529.

Gilbertus Porretanus *Epiſcopus Pictavienſis à ſuis Diaconis apud Eugenium III accuſatur quod male ſentiret de fide Trinitatis* 13. *Auditur in Synodo Pariſienſi coram eodem Eugenio* 14. *Ejus cauſa diſcuſſio ad Synodum Remenſem remittitur* 15. *Ejus cauſa in Concilio Remenſi tractatur* 21. *ejus diſcuſſio remittitur poſt Concilium ibid. Ejus errores ibid. Symbolum fidei contra eos editur* 22. *Gilbertus aſſertionum ſuarum damnationi acquieſcit* 23. *Hæreticus non fuit, licet hæretice ſenſerit ibid.*

S. Gilbertus *Semprighamenſis Ordinis fundator in Anglia ab Innocentio III canonizatur* 184.

Gladiferorum *Ordinis militaris inſtitutio & confirmatio per Innocentium III PP.* 201. *Ejus unio cum Ordine Theutonicorum* 202.

Gneſnenſi *Archiepiſcopo preferendæ crucis privilegium à Gregorio IX conceditur* 279

Græcæ *Eccleſiæ cum Latina unio ſub Gregorio IX fruſtrà tentata* 270. *& ſeqq. Eam etiam tentat Innocentius IV per Minoritas* 316. *Conditiones unionis à Græcis propoſitas aliquamtiſper temperatas Alexander IV admittit* 337. *& ſeqq. Ea unio tractatur iterum ſub Urbano quarto* 361. *& ſeqq. Item ſub Gregorio decimo* 391. *Perficitur in Concilio Lugdunenſi II ſub eodem Gregorio* 397. *& ſeqq. Hæc unio rupta eſt poſtea ſub Andronico Michaëlis Palæologi filio & ſucceſſore* 410.

Græci *in Burgundiæ Comitatu permittente Nicolao IV Academia fundatur* 473.

Gradenſis *Patriarchatus ampliatur ab Hadriano IV PP.* 46. *& ſeq. Ejus privilegia ab Alexandro IV confirmantur* 341.

Gratianus *Monachus Canoniſtarum quaſi Magiſter floret* 27. *Gratiano ſuggerente Eugenius III Gradus Baccalaureatus & alios inſtituit ibid. Natione Hetruſcus erat ex oppido Cluſio* 28.

Gregorius VIII *Patria Beneventanus fit Pontifex Romanus* 133. *Ab Hadriano IV dictus fuerat Cardinalis & ab Alexandro III Cancellarius Apoſtolicæ Sedis* 121. *&* 133. *Ejus virtutes* 133. *Ejus zelus pro Eccleſiæ bono ibid. Gregorius pro liberatione Terræ ſanctæ valde ſollicitus erat* 134. *Moritur Piſis* 135. *Obitus ejus dies & ſedis duratio ibid.*

Gregorius IX *ex Epiſcopo Oſtienſi eligitur Romanus Pontifex* 253. *Ejus Genus & Patria ibid. Inthronizatur & benedicitur ibid. Solemniter coronatur* 254. *Comitantibus Cardinalibus purpura indutis* 255. *Gregorii virtutes & munera* 256. *Pontificatum Gregorio Sanctus Franciſcus prædixerat ibid. Gregorius Fridericum Imperatorem monet ut in Terram ſanctam proficiſcatur ibid. Eum votum exequi recuſantem excommunicatum declarat* 257. *Romam redit* 258. *Fridericum ad pœnitentiam ſollicitat ibid. Eum in Synodo Romana anathemate percellit ibid. Friderici operâ Urbe pellitur* 259. *Sanctum Franciſcum Ordinis Minorum Patriarcham cœlitùm faſtis adſcribit ibid. Novum ritum in ea cano-*

Digitized by Google

canonizatione adhibet 260. *Joannis Jeroſolymorum Regis operâ utitur contra Fridericum Imp.* 261. *Scribit ad Epiſcopos & Principes de probroſa pace Friderici Imp. cum Babylonia Sultano* 262. *Antea ejus ſubditos à fidelitatis juramento abſolverat* 263. *Ejuſdem Friderici Oratores pro pace ſuſcipit ibid.*

Gregorius IX Raymundum Toloſanum Comitem Legati operâ Eccleſiæ reconciliat 264. *Reconciliationis hujus epocha* 265. *Gregorius Papa à Romanis in Urbem evocatur* 266. *In eos magnificentiam ſuam explicat ibid. Cum Friderico Imp. concordiam init ibid. Anagnia eum honorifice ſuſcipit* 267. *Romam redux palatium Lateranenſe amplificat* 268. *Fridericum Imp. hortatur ut conditiones pacis impleat ibid. In Reatinam civitatem proficiſcitur* 269. *Antonium de Padua Sanctorum Catalogo adſcribit ibid. Patriarcha Græcorum literas recipit pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Romana* 270. *Reſpondet ad dictum Patriarcham* 271. *Ad eum Legatos mittit pro unione utriuſque Eccleſiæ ib. Virgilium Epiſcopum Saltzburgenſem Sanctorum catalogo aggregat* 272. *Tum S. Dominicum Ordinis Prædicatorum inſtitutorem* 273. *Decretalium collectionem promulgat* 274. *Sacram adverſus Infideles expeditionem promulgat ibid. Urbe exire cogitur à Romanis* 275. *Confirmat Ordinem Sanctæ Mariæ de Mercede ibid. Elizabetham Haſſiam Sanctorum faſtis adſcribit* 276. *Imperatorem monet pro liberatione nepotis Regis Tuneti* 277. *Gratulatur Patriarchæ Jacobitarum Orientalium ad Eccleſiam redeunti ibid. Romam redux magna pompa excipitur* 278. *Gneſnenſi Archiepiſcopo crucis præferendæ privilegium concedit* 279. *Romanos quoſdam à Friderico Imp. ſubornatos reprimit ibid.*

Gregorius IX ingentia dona Eccleſiis confert 280. *Sacras preces in Eccleſia cantari ſtatuit ibid. Fridericum II Imperatorem excommunicat* 281. *Rationes excommunicationis ibid. Friderici Imp. mendacia refellit* 282. *Horrendas ejus blaſphemias aperit* 283. *Gregorio adhærentes à Friderico Imp. perſecutionem patiuntur ibid. Gregorius Fridericum Romam aggredientem cum dedecore repellit* 284. *Concilium œcumenicum indicit* 285. *Illius celebrationem Fridericus impedit ibid.*

Gregorius IX Papa Moritur 286. *Ejus ſcripta ibid.*

Gregorius X *Poſt trium fermè annorum interpontificium à quindecim Cardinalibus eligitur* 385. *& ſeqq. Eligitur abſens per viam compromiſſi in ſex Cardinales facti ſuadente Sancto Bonaventura* 387. *Ejus genus & primordia* 388. *Gregorius è Syria Viterbium pergit ibid. Ante conſecrationem pro ſubſidio Terræ Sanctæ laborat & Gregorii nomen ſumit* 389. *Romam pergit, ibique conſecratur & coronatur* 390. *Eccleſiæ Jeroſolymitanæ Patriarcham præficit ibid. Legatos Conſtantinopolim mittit pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina* 391. *Sententiam fert in Guidonem Monfortium & quare ibid. Eum ſe ſubjicientem recipit & quibus conditionibus* 392. *Pacem Florentiæ componit inter Guelfos & Gibellinos ibid. Florentiam interdicto ſubjicit ob violatam pacem* 393. *Mediolanum etiam interdicto ſupponit ob non receptum Archiepiſcopum ibid. Imperii Electoribus præcipit ut Romanorum Regem eligant* 394. *Lugdunum pergit ibid. Gratias agit Philippo Franciæ Regi pro reſtitutione Comitatus Venaiſcini* 395.

ni 395. *Lugduni ab eodem Rege viſitatur ibid.*

Gregorius X Concilium Generale indicit & locum deſignat Lugdunum 396. *Imperatorem & Patriarcham Græcorum ad illud invitat* 391. *&* 397. *Ante Concilium Cardinales creat ibid. Concilio præſidet* 398. *Gregorii oratio in Concilio* 399. *Convocationis Concilii cauſas Patribus narrat* 400. *Monetur à Minoritis Legatos Græcorum prope eſſe* 401. *Seſſionem tertiam celebrat ibid. Henricum Leodienſem Epiſcopum deponit & quare* 404. *Conſtitutionem edit in Concilio de incluſione Cardinalium in conclavi* 405. *& ſeqq. Ea conſtitutio in quibusdam mitigata* 408. *Rudolphi Romanorum Regis Oratores recipit qui ei obedientiam & fidelitatem præſtant* 408. *& ſeq. Rudolphi electionem in Romanorum Regem ratam habet* 409. *Legatos Græcorum cum muneribus & literis ad propria remittit* 410. *Cum Alphonſo Caſtellæ Rege colloquium habet ibid. Valentinenſem & Dienſem Epiſcopatus unit* 411. *Lauſanæ cum Rudolpho Romanorum Rege colloquium habet ibid. Cenſuras in perduelles Eccleſiæ latas renovat* 412. *Placentiam, Florentiam & inde Aretium pergit ibid. Ad Deum tranſit ibid. Ejus virtutes* 413. *Ejus ſanctitas ibid. Ejus ſcripta* 414.

Gregorius *Diaconus Cardinalis tit. S. Theodori Honorii III Legatus Sleuvici in Dacia Concilium celebrat ad reſtitutionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ* 243.

Guelforum *Pontifici contra Imperatorem adhærentium origo* 262.

Guicmannus *Siccenſis Epiſcopus ad ſedem Magdeburgenſem i conſulto Eugenio III transfertur* 29. *Hujus tranſlationis confirmationem & pallium ab Anaſtaſio IV obtinet* 29. *& ſeq. &* 34.

Guido *Cremenſis Presbyter Cardinalis Sancti Calliſti Octavianum Antipapam eligit* 49. *Eligitur Antipapa ſub Paſchalis III nomine* 78. *In Conciliabulo Herbipolenſi ut verus Pontifex agnoſcitur* 81. *Carolum Magnum Imperatorem canonizat* 82. *Fridericum Imp. Romam vocat* 84. *Eum in Eccleſia Sancti Petri coronat cum Beatrice ejus conjuge* 85. *Româ diſcedere cogitur* 86. *Romam ſibi ſubjicere fruſtrà tentat* 88. *Peſſima morte occumbit ibid.*

Guido Monfortius *à Gregorio X omni dignitate indignus judicatus anathemate percutitur & quare* 391. *Se ſubjicit Pontifici à quo ſub certis conditionibus abſolvitur* 392.

Guido Groſſus *Narbonenſis Archiepiſcopus ab Urbano IV fit Cardinalis Sabinenſis* 356. *& ſeq. Legatus ab eodem Pontifice in Angliam mittitur* 363. *Ab Anglis rebellibus non admiſſus eos excommunicat* 364. *Eligitur & conſecratur Romanus Pontifex* 369. *Clemens IV dicitur & quare* 370. *Ejus patria, Genus & primordia ibid. Incredibilis ejus erga ſuos moderatio* 371. *&* 374. *Clemens IV electiones Caroli Andegavenſis in Senatorem Urbis & Siciliæ Regem ratas habet* 372. *Siciliæ regni inveſtituram Carolo tribuit* 373. *Ei ſubvenit & ejus de Manfredo victoriam prædicit* 374. *Carolum cum conjuge utriuſque Siciliæ Regem per Legatos coronat ibid. Egregia ejus ad Caroli Regis & Manfredi literas reſponſa* 375. *Conradino prohibet ne ſe Siciliæ Regem dicat, eumque citat* 375. *& ſeq. Clemens Apoſtolici Legati operâ Angliam pacat* 376. *& ſeq.*

Alphonſum Caſtellæ Regem & Richardum Cornubiæ Comitem de Imperio Germaniæ contendentes citat 377. *Hungaria*

ria Regem monet non reiiciendum Epiſcopatu Timotheum vilis originis prætextu 378. *Varias leges inter eumdem Regem ejuſque filium initas confirmat ibid. Hedvigem Poloniæ Duciſſam ſanctorum Catalogo adſcribit ibid. Carolum Siciliæ Regem paciarium ſeu pacis ſervatorem creat* 379. *Senatoriam Urbis dignitatem in decennium ei confirmat ibid. In Conradinum ſententiam fert* 380. *Ejusdem Conradini exterminium prædicit ibid. Divinitus certior fit de victoria à Carolo Rege de Conradino relata* 381. *Conradum Antiochenum à pœna capitis liberat* 382. *Defenditur à Calumnia de Conradini morte ibid. Ejus obitus & ſepultura locus* 383. *Ejus virtutes ibid. Ejus ſcripta* 384. *Ad nomen Jeſu & Mariæ Indulgentia à Clemente conceſſa ibid.*

Guillelmus *Vide Willelmus.*

H.

Hadrianus IV. *Vide Nicolaus de Breſkpear.*

Hadrianus V. *Vide Ottobonus de Fliſco.*

Hedvigem *Poloniæ Duciſſam Clemens IV ſanctorum faſtis adſcribit* 378.

Sancta Helena *Sueva ab Alexandro III canonizatur* 76.

Henricus Vintonienſis *Epiſcopus ab Innocentio II Legatus Apoſtolicæ ſedis dictus Londini Concilium celebrat* 2. *& ſeq. Willelmum Eboracenſem electum conſecrat* 4.

Henricus de Murdach *Fontanenſis Abbas eligitur Eboracenſis Epiſcopus contra Willelmum Eboracenſem etiam electum* 4. *Ab Eugenio III conſecratur Willelmo depoſito* 15.

Henricus Moguntinus *Archiepiſcopus ad dicendam cauſam ab Eugenio III Romam evocatur* 26. *Pleniori judicio remittitur ibid. A Legatis Eugenii Epiſcopatu dejicitur* 31.

S. Henricus Upſalenſis *in Suecia Epiſcopus à Legato Eugenii III fit Metropolitanus* 26.

Henricus Leodienſis *Epiſcopus Paſchalem III Antipapam conſecrat* 78. *Citò moritur* 79.

Henricus *alter* Leodienſis *Epiſcopus à Gregorio X deponitur & quare* 404.

Henricus *Ebredunenſis Archiepiſcopus* Oſtienſis *poſtea dictus fit Cardinalis Oſtienſis ab Urbano quarto* 358. *Ob infirmitatem è conclavi exit poſt Clementis IV mortem* 385. *Lugduni Moritur* 390.

Henricus Abbas *Fuldenſis in Trevirenſi Concilio ab Eugenio III deponitur* 19.

S. Henricus *Imperator ab Eugenio III canonizatur* 30. *Vita ejus ſummarium ibid.*

Henricus *Junior Conradi Romanorum Regis filius fit Rex Romanorum* 23. *Ante patrem moritur ibid.*

Henricus II *Angliæ Rex in Conventu apud Novum Mercatum coacto & in Concilio Toloſano Alexandrum III ut verum Papam agnoſcit* 61. *& ſeq. Hiberniam ſibi ſubigendi ab Eugenio III & ab Alexandro III licentiam obtinet* 47. *&* 93. *Eam ſubigit* 94. *A cæde Sancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi ſe purgat* 94. *& ſeq.*

Henricus III *Angliæ Rex à ſuſcipiendo Lugdunum itinere ab Innocentio IV revocatur* 318. *Ab eodem Pontifice ad ſacram expeditionem excitatur* 311.

Hen-

Digitized by Google

Henricus *Friderici Imperatoris filius abſque conſenſu Papæ Rex coronatur* 128. *Conſtantiam Willelmi Siciliæ Regis amitam uxorem ducit ibid Pontifici adhærentes eique ſervientes crudeliter tractat* 129. *A Cœleſtino III coronatur Imperator* 143. *Tuſculanam civitatem Cœleſtino reſtituit ibid. Fit hæres Willelmi II Siciliæ Regis* 155. *Moritur* 156. *A Cœleſtino III ſacrâ ſepulturâ excluditur* 156. *& ſeq.*

Henricus *Balduini Conſtantinopolitani Imperatoris frater poſt ejus mortem fit Imperator Orientis* 191. *Arguitur ab Innocentio III ob legem latam Eccleſiæ noxiam* 202. *Moritur* 232.

Henricus *Thuringiæ Landgravius poſt Friderici II depoſitionem Romanorum Rex eligitur* 310. *& ſeq. Cur hic Henricus & quidam ejus ſucceſſores non dicantur Imperatores* 311. *Henricus Oratores mittit ad Innocentium IV à quo auxilium recipit* 312. *Moritur* 314.

Henricus IV *Imperator quo tempore à Gregorio VII depoſitus* 567.

Heraclius *Jeroſolymitanus Patriarcha in obſidione Ptolemaidis moritur* 146.

Herbipolenſe *Conciliabulum in quo Paſchalis III Antipapa verus Pontifex agnoſcitur* 81.

Hibernia *ab Eugenio III quatuor Archiepiſcopatus obtinet* 28. *Conceditur ab Hadriano IV Henrico II Angliæ Regi ſub cenſu Apoſtolicæ ſedi ſolvendo* 47. *Tum ab Alexandro III Papa* 93. *Ab Henrico II ſubjugatur* 94.

Hieronymus Aſculanus *Ordinis Minorum Legatus Conſtantinopolim mittitur à Gregorio X ut Imperatorem & Patriarcham ad Concilium œcumenicum invitet* 391. *&* 397. *Scribit ad Pontificem ſe brevi cum Legatis Græcorum Concilio adfuturum* 401. *Ad illud cum iiſdem Legatis advenit* 402. *A Nicolao III fit Presbyter Cardinalis* 439. *Mittitur Legatus in Germaniam ab eodem Pontifice* 436. *A Martino IV dicitur Epiſcopus Præneſtinus* 446. *Abeuntibus è conclavi Cardinalibus poſt Honorii IV mortem ipſe ſolus remanet* 462. *Cardinalibus redeuntibus eligitur Papa & coronatur* 463.

Hieronymus electus Pontifex Nicolai IV nomen ſumit & quare 463. *Invitus & coactus Pontificatum admiſit ibid. Invitus etiam Cardinalatum admiſerat* 464. *Ejus Patria, Genus & primordia ante Pontificatum ibid. Primus fuit Pontifex Ordinis Minorum* 478. *Jacobum Aragonium Siciliæ regni invaſorem & Siculos admonet ut ad Eccleſiæ obſequium redeant* 464. *Agit pro libertate Caroli Claudi Siciliæ Regis* 465. *Gratum recipit nuncium de converſione Tartarorum* 466. *Eos hortatur ad chariſmata meliora ibid. Sclavorum ſalutem curat* 467. *Venetos arguit de bello in Patriarcham Aquileienſem moto ibid. Inquiſitionem Venetam inſtitui procurat ibid. Inquiſitorem inſtituit in Comitatu Venaiſcino* 468. *Conatur convertere ad frugem Ladiſlaum Hungariæ Regem & Cumanos ad fidem ibid. Carolum II Siciliæ & Apuliæ Regem coronat* 469.

Libertatem Eccleſiaſticam in Luſitaniæ regno priſtino ſplendori reſtituit 469. *& ſeq.*

Nuncios dirigit pro converſione Magni Cham & aliorum Principum Tartarorum 470. *Auxiliares copias in Syriam mittit* 471. *Providet ſaluti aliarum nationum Orientalium* 472. *Academiæ Monſpelienſis erectionem indulget* 473.

Digitized by Google

Alias quaſdam privilegiis exornat ibid. Conſtitutionem Gregorii X de recluſione Cardinalium in Conclavi an revocaverit ibid. Fructus & reditus Eccleſiæ Romanæ inter Papam & Cardinales æqualiter dividit 474. *Regulam Tertii Ordinis Sancti Franciſci confirmat ibid. Caroli Martelli jura in Hungariæ regnum tuetur* 475. *Scotiam Angliæ Regi ſubmitti debere negat ibid. Angliæ res curat* 476. *Item res Africæ ibid. Pacem inter Aragoniæ, Franciæ & Siciliæ Reges per Legatos conciliat ibid. Jacobum Siciliæ occupatorem & Siculos huic paci adverſantes excommunicat* 477. *Agit pro religione in regnis Boſnenſi & Bulgaria* 478. *Templa reſtaurat & ornat ibid. Chriſtianis Ptolemaide & tota Syria pulſis expeditionem in Syriam urget* 479. *& ſeq. Sed irrito conatu & quare* 480. *Sollicitat auxilia pro Armenia* 481. *Moritur ibid. Vita ejus ſanctimonia & locus ſepulturæ* 482. *Ejus doctrina & ſcripta* 483. *Quædam alia ejus geſta ibid.*

Sanctæ Hildegardis *ſcripta ab Eugenio III in Concilio Treviranſi examinantur & approbantur* 18. *& ſeq. Sanctæ Hildegardis tempus mortis* 19.

Hiſpani *inſignem de Saracenis victoriam reportant* 107. *& ſeqq.*

Sanctus Homobonus *ab Innocentio III canonizatur* 171.

Honorius III *Peruſii creatur Pontifex Romanus* 229. *In eadem civitate conſecratur ibid.*

Honorii Genus, primordia & doctrina 230.

Honorius pro belli ſacri promotione ſcribit ad Principes 231. *Romæ cum pompa recipitur ibid. Prædicatorum Ordinem confirmat ibid. Abſtinentiæ relaxationis uſum in Natali domini probat* 232. *Petrum Corteniacum Imperatorem Conſtantinopolitanum coronat ibid. Id excuſat apud Patriarcham Conſtantinopolitanum ibid. Ad Cruceſignatos Meſſanæ congregatos Legatum mittit* 233. *Rationem reddit cur ipſemet Meſſanam non perrexerit* 234.

Publicas Romæ preces agit, in quibus Petri & Pauli Apoſtolorum capita nudis pedibus geſtat ibid. Corſicæ partem Genuenſibus tradit ſub annuo cenſu ibid. Eccleſiæ Genuenſi privilegia concedit 235. *Reginarum viduarum Angliæ patrocinium ſuſcipit ibid. Savarico nobili Anglo condendæ monetæ jus confirmat* 236. *Congregationem Sancti Antonii Magni ad religionis ſtatum evehit ibid. Sancto Guillelmo Archiepiſcopo Bituricenſi ſacros honores decernit* 237. *Vicecancellarium Eccleſiæ Romanæ Antiochiæ Patriarcham conſecrat* 238. *Ordinem Vallis Scholarium confirmat ibid. Regulo Inſulæ Man Eccleſiæ Romanæ vaſſallo facto protectionem impertitur* 239. Hugonem *Lincolnienſem Epiſcopum Sanctorum faſtis adſcribit* 240.

Honorius III Fridericum II Imperatorem coronat 241. *Occiſores Podienſis Epiſcopi admittit ad pœnitentiam* 242. *Eos abſolvit pœnis publicis indictis ibid. Inſignem ad populos Septentrionis legationem mittit* 243. *Fridericum II Imperatorem urget ad transfretandum pro ſubſidio Terræ ſanctæ* 244. *Reſtitutionem terræ Comitiſſæ Mathildis ab eo obtinet ibid. Verulis cum Friderico Imp. colloquium habet pro negotio Terræ ſanctæ* 245. *Aliud colloquium Veronæ pro eadem cauſa celebrandum indicit ibid. Moliſmenſibus permittit celebrandi officium de beato Roberto* 246. *Colloquium habet in Campania cum Imperatore & aliis pro negotio*

negotio Terræ Sanctæ ibid. Principes Chriſtianos & Epiſcopos ad idem negotium excitat 247. *Sancti Franciſci Regulam confirmat* 248.

Honorius III Willelmo Abbati Roſchildenſi ſanctorum honores cultumque decernit 248. *Item Laurentio Dublinenſi Archiepiſcopo* 249. *Indulgentias in ſanctorum canonizatione dare primus incipit ibid. Conſtitutionem edit in eos qui Cardinales gravioribus injuriis afficerent ibid. Friderico Imperatori Jeroſolymitanæ expeditionis tempus prorogat* 250. *Willelmum Archiepiſcopum Eboracenſem Sanctorum Catalogo adſcribit* 251. *Diem ſuum obit ibid. Non inſtituit ſolemnitatem in qua Veronica defertur* 252. *Ejus ſcripta ibid.*

Honorius IV *abſque ulla Cardinalium incluſione eligitur Pontifex Romanus* 454. *Romam ſtatim pergit ut conſecretur & coronetur ibid. Eligitur & conſecratur licet in manibus & pedibus impeditus* 455. *Ejus Genus, patria & primordia ante Pontificatum ibid. Ejus cura pro liberatione Caroli Claudi Siciliæ Regis à captivitate* 456. *Honorius Rudolpho Romanorum Regi ad coronam Imperii Romæ recipiendam diem præfigit ibid. Cardinalem unicum creavit* 457. *Carmelitarum habitum in alium decentiorem mutari jubet, & Sancti Auguſtini Eremitarum Ordinem confirmat ibid. Linguarum ſtudium Pariſiis inſtituit* 458. *Ordinem quemdam novum Pſeudo-Apoſtolorum damnat ibid. Montiſferrati Marchionem de cæde Terdonenſis Epiſcopi abſolvi permittit ſub quibuſdam conditionibus* 460. *Filios Petri quondam Aragoniæ Regis excommunicat ibid. Conditiones liberationis Caroli Claudi Siciliæ Regis abrogat ibid. Mortalitatem explet* 461. *Ejus virtutes ibid.*

Hugo *Scotiæ Regis Capellanus intruditur in Epiſcopatum Sancti Andreæ contra Joannem cognomento Scotum legitimè electum* 119. *Ab eo Epiſcopatu expellitur auctoritate* Clementis *III Papæ* 137.

Hugo *Lincolnienſis Epiſcopus ab Honorio III Cœlitum faſtis adſcribitur* 240. *Ejuſdem Sancti Hugonis Vita ſummarium ibid.*

Hugo Seguin *Cardinalis Presbyter à Nicolao IV dictus, Epiſcopus conſecratur ab Archiepiſcopo Beneventano & Cœleſtinum V Papam conſecrat* 488.

Humiliatorum *tertius Ordo ab Innocentio III confirmatur* 173 *& ſeq.*

Humiliatorum altera ſecta impia ab eodem Innocentio exagitatur 174.

I.

Sancti Jacobi *Militia in Hiſpania ab Alexandro III approbatur* 98.

Jacobitarum *Patriarcha Romanæ Eccleſiæ fidem amplectitur* 277. *Ad priſtinos errores redit* 278.

Jacobus *Aragoniæ Rex Legatos mittit ad Urbanum IV pro pace ineunda cum Manfredo Siciliæ tyranno* 360. *Filium ſuum Petrum cum Manfredi filia matrimonio conjungit ibid. Adeſt Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo* 398. *& ſeq. Recedit à Concilio & quare* 400. *& ſeq.*

Jacobus *Petri Aragoniæ quondam Regis filius occupat regnum Siciliæ, ob idque ab Honorio IV excommunicatur* 460. *Admonetur à Nicolao IV ut ad Eccleſiæ obſequium redeat* 464. *Paci ab Alphonſo fratre cum Siciliæ Rege factæ adverſans ab eodem Nicolao IV excommuni-*

muni-

Digitized by Google

municatur 477. Fratre Alphonſo mortuo fit Aragoniæ Rex ibid. Monetur à Cæleſtino V ut conventa cum Carolo II Siciliæ Rege impleat 491. Cum eo pacem facit 513 & ſeq. Blancam ejus filiam uxorem ducit 514. In regna Aragoniæ & Valentiæ ac Comitatum Barcinonenſem a Bonifacio VIII reſtituitur 515. Romam ab eodem Bonifacio invitatur 518. Ab eo fit Eccleſiæ Romanæ Vexillifer 519. Ab eodem Sardiniæ & Corſicæ regna recipit ibid. Pro iis regnis ligium homagium Benedicto XI facit 554. & ſeq.

Jadera à Cruceſignatis Venetis & Francis capitur & ſolo ferè æquatur 179. & ſeq.

Jeroſolymitani Equites ab Anaſtaſio IV privilegium obtinent 35. Hujus privilegii reciſionem Patriarcha Jeroſolymitanus aliique Prelati ab Hadriano IV fruſtra poſtulant 38. & ſeq

Jeroſolyma à Saladino Saracenorum Orientalium Rege capitur 130.

Imago beatæ Virginis Conſtantinopoli à Venetis capta jubente Innocentio III reſtituitur 189. Ab Imperatoribus Græcis in triumphis poſt victorias deferebatur ibid.

Imarus Tuſcalanenſis Epiſcopus. Vide Ymarus.

Imperatores dominica quarta Quadrageſimæ de more ſolemniter coronabantur 307.

Indulgentiæ ab Honorio III in canonizatione Sanctorum primùm data 249.

Indulgentiæ ante ſeculum nonum conceſſæ 565

Infirmitates corporeæ non ſunt inhabilitas ad Romanum Pontificatum 455. 461. & ſeq.

Ingelburgis Regina à Philippo Auguſto Franciæ Rege marito repudiatur 152. & ſeq. De hoc repudio quæritur apud Cæleſtinum III Papam 154. A Philippo Rege recipitur ut uxor legitima 168.

Innocentius III Antipapa. Vide Landus.

Innocentius III Pontifex Romanus eligitur 159. Inthronizatur 160. Et quidem ipſo die mortis ac ſepulturæ Cæleſtini III deceſſoris ibid. Ejus Patria, Genus & primordia ante Pontificatum ibid. Conſecratur & coronatur 161. Permittit Archiepiſcopo Mediolanenſi ut promoveat ad Subdiaconatum & Diaconatum eos qui à Papa ordinem aliquem ſuſceperant ibid. Urbis Præfectum & Senatorem ſibi ſubjicit 161. & ſeq. Marchiam, Spoletum & alia ad Eccleſiam revocat 162. De Siciliæ rebus quomodo tranſegerit ibid. Pro captivis Siculis Legatum in Germaniam mittit 163. Legatum reducem Epiſcopatu privat & quare 164. Schiſmate in Imperio facto Ottonis IV electionem confirmat ibid. Agit contra Alphonſum X Gallaciæ & Legionis Regem inceſtuoſum ibid. Sanctium Portugalliæ Regem cogit ad ſolvendum cenſum Eccleſiæ Romanæ promiſſum 165. Imperat ut Regi Angliæ e bello ſacro redeunti pecunia extorta reſtituatur 166. Legatum in Galliam mittit pro cauſa divortii Philippi Regis cum Ingelburga Regina ibid. Alium Legatum pro eadem cauſa mittit 167. Filios à Philippo Rege ex Maria ſuperinducta natos, legitimos hæredes eſſe declarat ibid.

Innocentius III laborat pro Terra ſancta 169. Hoſpitalariorum Sancti Spiritûs Ordinem confirmat ibid. Hoſpitale Romanum Sancti Spiritus conſtruit ibid. Ordinem ſanctiſſimæ Trinitatis confirmat 170. Fit moderator regni Siciliæ & Regis tutor 171. S. Homobonum Cælitum

Digitized by Google

litum faſtis adſcribit 172. Decidit litem jamdiu agitatam inter Turonenſem & Dolenſem Antiſtitem de jure Metropolico ibid. Tertium Ordinem Humiliatorum confirmat 173. Aliam Humiliatorum ſectam impiam exagitat 174. Torneamenta damnat 175. Ottoni Saxoni regnum Romanorum aſſerit ibid. Bohemiæ Duci Regis titulum concedit ibid. Epiſtolam Cœleſtem de die Dominica publicat 177. Sanctam Chunegundem Imperatricem & Virginem canonizat ibid. Lundenſis Archiepiſcopi primatum in Sueciam confirmat 178. Agit pro ſubſidio Terræ ſanctæ 179. Cruceſignatos ab excommunicatione, quam ob Jaderam captam incurrerant, abſolvit 180. Armeniæ Rex Innocentii III auctoritate coronatur ibid. Innocentius Regi & Primati Armeniæ privilegia concedit 181. Scotiæ Regi munera mittit 182. Bulgariæ regnum Eccleſiæ Romanæ ſubjicit ibid. Legatum ad illud mittit ad Regem coronandum 183. Bulgariæ Epiſcopos & Presbyteros Latinorum more inungi facit ibid.

Innocentius III S. Gilbertum Semprighamenſis Ordinis fundatorem canonizat 184. Item S. Wulſtanum Wigornienſem olim Epiſcopum ibid. B. Albertum Epiſcopum Vercellenſem Jeroſolymitanum Patriarcham & Apoſtolicæ ſedis Legatum creat 185. Petrum Aragoniæ Regem coronat, qui regnum ſuum Apoſtolicæ ſedi ſubjicit 186. Electionem Patriarchæ Conſtantinopolitani à Francis & Venetis factam caſſat, eumdem tamen ipſemet eligit & conſecrat ibid. Jubet Imaginem B. Virginis à Venetis Conſtantinopoli ablatam reſtitui 189. Fruſtra laborat pro liberatione Balduini Cpolitani Imperatoris in Bulgaria captivi 191. Curat Jaderæ ſatisfieri à Venetis 191. Agit contra Philippum Sueviæ Ducem ſe in Germania pro Imperatore habentem ibid. Patriarcham Conſtantinopolitanum arguit quod ſolis Venetis beneficia conferat 192. Stephanum Langtonum Cardinalem Cantuarienſem Epiſcopum conſecrat ibid. Angliæ regnum interdicto ſupponit & Regem excommunicat 193. Regem Angliæ regno privat & illud Regi Francorum tribuit ibid. Eumdem Regem Legati operâ ad obſequium inducit 194. Regnum Angliæ à Rege recipit, illudque rurſum ei tribuit 195. Eum ab excommunicatione abſolvi curat ibid.

Innocentius III Legatos mittit pro pace inter Ottonem & Philippum Imperii competitores 196. Philippo occiſo agit pro confirmatione Ottonis ibid. Ottonem Romæ Imperatorem coronat 197. Eum in hoſtem mutatum monet, ut ab invaſione Eccleſiæ Romanæ terrarum deſiſtat ibid. Ottonem contumacem excommunicat & deponit 198. Toloſanum Comitem excommunicat 199. Legatum pro ejus cauſa mittit ibid. Eumdem Comitem Legati operâ ſolemniter abſolvit 200. Eum iterum excommunicat & dominium ejus Simoni Comiti Monfortio confirmat ibid. Ordinem Militarem Gladiferorum confirmat 201. Henricum Imperatorem Cpolitanum arguit 202. Congregationem pauperum Catholicorum confirmat ibid. Item Ordinem fratrum Minorum 203. Permittit ſancto dominico Regulam aliquam approbatam eligere pro ſui Ordinis fundatione ibid. Fridericum Siciliæ Regem in Imperatorem electum honorifice Romæ ſuſcipit 204. Confirmationem donationis Fundani Comitatus ab eo obtinet 205. Item Epiſcoporum electiones

in Sicilia canonicè & libere fieri 206. Permittit Marchioni Eſtenſi ut Ferrariæ arcem conſtruat ibid. Sanctium Portugalliæ Regem de pluribus exceſſibus arguit ibid. Filias ejus ſub B. Petri protectionem ſuſcipit 207. Laborat pro libertate Hiſpaniæ à Saracenorum ſervitute ibid. Publicas gratias agit pro victoria de Saracenis ab Hiſpanis reportata 208.

Innocentius III Armeniæ Regem excommunicatum declarari jubet 209. Archiepiſcopum Auxitanum quinta ſe manu purgare ſtatuit ibid. Legatum Conſtantinopolim mittit ut Græcos à ſchiſmate abluat 212. Omnes fideles ad ſacrum bellum hortatur 213. Concilium Lateranenſe IV Generale XII indicit 214. In eo expeditionem in Terram ſanctam decernit 215. Albigenſium & Amalrici hæreſes damnat 216. Item librum Joachimi Abbatis contra Petrum Lombardum ibid. Patriarchalium ſedium ordinem & privilegia renovat 220. Toloſani Comitis dominium Comiti Montisfortis concedit ibid. Sententiam ſuſpenſionis in Cantuarienſem Archiepiſcopum in eodem Concilio confirmat 221. Angliæ proceres excommunicat ibid. Friderici II electionem in Imperatorem confirmat 222. Romæ poſt Concilium aliquanto tempore remanet 223. Stationem ſolemnem ad venerationem ſacræ imaginis Veronicæ inſtituit ibid. Româ exit pro pace Genuenſium & Piſanorum 224. Peruſii moritur 225. Pauperibus abunde ſubveniebat ibid. A calumnia vindicatur 226. Ejus virtutes ibid. Ejus ſcripta ibid. Non eſt auctor elevationis ſacrorum myſteriorum in Miſſa 227. & ſeq. & 572. & ſeq. Viſiones de pœnis ejus poſt mortem 228.

Innocentius IV eligitur & conſecratur Romanus Pontifex 291. Ejus Genus & primordia ante Pontificatum 292. Innocentius gratulatorias Friderici II Imperatoris literas & nuncios recipit ibid. Legatos pro pace ad eum mittit 293. Magno honore à Romanis recipitur 294. Juramentum Friderici II de ſatisfaciendo Eccleſiæ recipit ibid. Friderico à juramento reſiliente Cardinales creat 295. Friderici perſecutionem fugiens Januam pergit, indeque in Galliam 296. Lugduni cum magna exultatione ſuſcipitur 297. Concilium Lugdunenſe primum, Generale decimum tertium indicit ibid. Ad illud citat Fridericum Imperatorem ibid. Orationem habet in Concilio 299. Friderici adventum cupiens tertiam ſeſſionem prorogat 300. In eo octavam Nativitatis beatæ Mariæ ſolemniter celebrandam decernit ibid. Fridericum II ab Imperio deponit 301. In eum ſententiam fert ſacro Concilio approbante 302. Multas conſtitutiones pro reformatione in eo Concilio promulgat 303. Item pro Terra ſancta ſubſidio 304. Item pro ſubſidio Imperii Conſtantinopolitani ibid. Item pro Tartaris reprimendis ibid. Recuſat diſpenſationem pro conjugio Raymundi Toloſani Comitis cum filia Comitis Provinciæ 305. Raymundo Berengarii Provinciæ Comiti roſam auream donat ibid. Non eſt auctor benedictionis illius roſæ ib. Sancti Juſti Canonicis Lugdunenſibus roſam etiam auream donat 306.

Innocentius IV purpureum Galerum Cardinalibus in Concilio tribuit 307. Carmelitarum Regulam mitigat 308. Cum Sancto Ludovico Franciæ Rege congreſſum Cluniaci habet 309. Sanctium II Luſitaniæ Regem regni adminiſtratione privandum declarat 310. Henricum Thu-

ringia

ringiæ Landgravium in Romanorum Regem eligi curat ibid. Ejus Oratores excipit, eique auxilium confert 312. S. Eadmundum Archiepiſcopum Cantuarienſem cœlitum faſtis adſcribit ibid. Item S. Willelmum Brioccenſem Epiſcopum 313. Silveſtrinorum ordinem confirmat ibid. Legatum mittit pro electione novi Regis Romanorum poſt mortem Henrici Landgravii 314. Polonorum ſubſidia recipit ibid. Permittit Officia divina Sclavonicè celebrari 315. Unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina tractat per Minoritas 316. Willelmi Germaniæ Regis electionem iterum confirmat poſt Friderici II Imp. mortem ib. Conradum ejusdem Friderici filium anathemate percellit 317. Chriſtianum Archiepiſcopum Moguntinum gradu dejicit ibid. Blancam Reginam Francorum & Angliæ Regem à ſuſcipiendo Lugdunum itinere revocat 318. Indulgentias concedit orantibus pro Rege & regno Franciæ ibid.

- *Innocentius IV Lugduno Genuam pergit 318. Genuâ Mediolanum 319. Inde Peruſium 320. Novos Cardinales creat ibid. Angliæ Regem ad ſacram expeditionem excitat 321. Solemnes pro ea expeditione ſupplicationes indicit 322. Regnum Siciliæ Carolo Andegavenſium Duci & poſtea Eadmundo Angliæ Regis filio offert ibid. Petrum Veronenſem Martyrem ſanctorum catalogo adſcribit 323. Item S. Staniſlaum Cracovienſem Epiſcopum 324. Eccleſiam Sancti Franciſci Aſſiſienſem conſecrat ibid. S. Claram virginem viſitat, ejuſque funus curat 325. Controverſiam Biſuntinorum Canonicorum Legati operâ dirimit ibid. Revocatur à Romanis & male habetur 326. Mortuo Conrado Siciliæ Rege Neapolim pergit ibid. Exercitus ejus à Manfredo deletur 328. Innocentii ſancta mors ibid. Ejus ſepulturæ locus 329. Ejus doctrina 330. Ejus ſanctitas ibid.*

Innocentius V. *Vide Petrus Tarantaſienſis.*

Inquiſitor *Generalis primus creditur Joannes Caietanus Urſinus poſtea in Pontificatu Nicolaus III dictus 499.*

Inquiſitio Venetiis inſtituitur monitu Nicolai Papæ quarti 467.

Inquiſitio inſtituitur ab eodem Pontifice in comitatu Venaiſcino 468.

Inquiſitio ab eodem Nicolao quarto inſtituitur in principatu Boſnæ ditione Regis Serviæ 478.

Joachimi Abbatis *libellus contra Petrum Lombardum in Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio III damnatur 216. Non propterea tamen Joachimus fuit hæreticus 217. Ille libellus creditur interpolatus 218.*

Joachimus Congregationem Florenſem inſtituit 217. Ejus virtutes ibid. Ejus miracula ibid. Ejus prædictiones & annus mortis 219. & ſeq.

Joannes Paparo *Cardinalis Eugenii III Legatos quatuor Archiepiſcopatus in Hibernia inſtituit 28.*

Joannes Abbas Strumienſis *fit Antipapa & Calliſtus III vocatur 89. Ad pedes Alexandri III Papæ humilis & pœnitens accedit 106. Rector & Epiſcopus Beneventanus ab eodem Pontifice conſtitutus eodem anno moritur ibid.*

Joannes Presbyter *ſeu Presbyter Joannes* vel Pretejanus *Indorum Rex cupit erudiri de fide Eccleſiæ Romanæ & Eccleſiam Romæ habere 103. Alexander III ad eum Legatos mittit ibid. Ejus regnum non in Africa, ſed in Aſia ſitum 104. Quare dictus Presbyter Joannes ibid. Ejus*

regni inſtitutionis & à Tartaris deſtructionis epocha 105.

Joannes ad Albas manus *Pictavienſis Epiſcopus à Lucio III conſecratur Archiepiſcopus Lugdunenſis & fit Sedis Apoſtolicæ Legatus* 118. *& ſeq.*

Joannes *cognomento* Scotus *eligitur Epiſcopus Sancti Andreæ in Scotia & contra eum Hugo Regis Capellanus intruditur* 119. *Et tandem Epiſcopatus à Clemente III adjudicatur* 137.

Sanctus Joannes Gualbertus *à Cæleſtino III canonizatur* 150.

Joannes Portuenſis *Epiſcopus poſt mortem Clementis IV è conclavi exit* 386. *& ſeq.*

Joannes Vercellenſis *Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum non fuit electus Papa* 421.

Joannes XX *dictus* XXI *eligitur Romanus Pontifex* 423. *Ejus patria & primordia ante Pontificatum ibid. Cur dicatur Joannes XXI licet XX revera fuerit* 424. *Coronationis inſignia ſuſcipit ibid. Conſtitutionem Gregorii X de Cardinalibus in conclavi includendis ad tempus abrogat* 425. *Legatos pro Reipublicæ Chriſtianæ bono in plura regna dirigit* 426. *Moritur ex ruina cameræ* 427. *Viſiones de ejus obitu ibid. Ejus virtutes & vitia* 427. *Ejus ſcripta* 423. *&* 427.

Joannes Caietanus Urſinus *prior Diaconorum Cardinalium tit. S. Nicolai Gregorium X coronat* 390. *Adeſt Concilio Lugdunenſi ſecundo* 399. *& ſeqq. Procurat electionem Joannis XXI, eum coronat & ſub eo omnia moderatur* 424. *&* 426. *Conſulit Joanni XXI ut conſtitutionem Gregorii X de Cardinalium incluſione in conclavi abroget* 425. *Creatur Pontifex & ex titulo ſuæ Diaconiæ Nicolai III nomen ſumit* 428. *Ejus Genus & primordia ibid. Ei Sanctus Franciſcus Pontificatum prædixerat ibid. Nicolaus III ante Pontificatum fuerat Inquiſitor Generalis* 429. *Romam pergit & ante conſecrationem paci Italiæ conſulit ibid. Conſecratur Pontifex & coronatur* 430. *Michaëlis Græcorum Imperatoris Legatos ſuſcipit & ſuos ad eum mittit* 431. *Non conſentit ut Græcorum ſymbolo vox* filioque *non adderetur ibid. Fratres Minores quinque in Tartariam mittit ibid. Exigit à Rudolpho Romanorum Rege confirmationem bonorum & privilegiorum Eccleſiæ Romanæ, quæ Rudolphus per Legatum confirmat* 432. *Petit ut ipſe, Principes & Electores Imperii ea confirment ibid.*

Nicolaus III in Romandiolæ & Bononiæ poſſeſſionem immittitur 433. *Carolum Siciliæ Regem impellit ut Vicariatum Hetruriæ & Senatoriam Urbis dignitatem deponat* 434. *Eamdem ſenatoriam dignitatem ad ſe revocat ibid. Carolo Regi Siciliæ adverſatur & quare* 435. *Ejus de eodem Rege elogium ibid. Controverſiam de provincia Phocæenſis jure componi procurat ibid. Rebellioni Siculorum contra Carolum Regem conſenſum præbuiſſe creditur* 436. *Nicolai III Papæ mors & ſepultura* 437. *Ejus virtutes ibid. Nævi in ſuorum amore ei affixi* 438. *Unica creatione novem Cardinales facit ibid. Ejus in Minoritas benevolentiæ inſigne argumentum* 439. *Regulam Sancti Franciſci explicavit* 440. *Pſalmum* lætatus ſum *in miſſa pro pace cantari ſtatuit ibid. A calumnia Radulphi Tungrenſis vindicatur* 440. *& ſeq.*

Joannes de Monte corvino *Minorita verbum Dei apud Tartaros evangelizat*

lizat 470. & ſeq. Mittitur à Nicolao IV in Aethiopiam & alias nationes Orientales 471.

Joannes de Caſtrocœlis Archiepiſcopus Beneventanus poſt canam a Cæleſtino V Cardinalis creatus, cedere dignitate cogitur, qua poſtea antiquo ritu donatur 490. Fit Sancta Romana Eccleſiæ Vicecancellarius ibid. & 491.

Joannes Lundenſis Archiepiſcopus ab Erico Daniæ Rege in vincula conjicitur 517. Ejus liberationem Bonifacius octavus procurat ibid.

Joannes Minius de Muro Ordinis Minorum Miniſter Generalis legatur à Bonifacio VIII ad conciliandam pacem inter Franciæ & Angliæ Reges 525. & ſeq. Ab eodem Bonifacio fit Cardinalis tituli nobis ignoti & poſtea Epiſcopus Portuenſis 526. & ſeq.

Joannes Angliæ Rex Joannem Norwicenſem Epiſcopum eligi curat Archiepiſcopum Cantuarienſem 191. Ob caſſationem ejus electionis monachos è conventu Cantuarienſi expellit & Stephanum Langtonum à Papa conſecratum intrare Angliam prohibet 193. Ob id ab Innocentio III excommunicatur & regnum ejus interdicto ſubjicitur ibid. Ab eodem Pontifice regno privatur, quod attribuitur Franciæ Regi ibid. Legati Pontificii operâ ad obſequium inducitur 194. Regnum in manus Legati reſignat 195. Illud ab eodem recipit ibid. Ab excommunicatione abſolvitur ibid. Angliæ proceres Joannem Regem deturbare molientes à Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio III excommunicantur 221.

Joannes Prochryta Siculus Veſperarum Sicularum auctor 447.

Jolanta Joannis Briennii Jeroſolymorum Regis filia Friderico II Imperatori matrimonio copulatur & ab Honorio III Auguſta coronatur 250.

Jubilei indictio per Bonifacium octavum 529. & ſeq. Indigni ab ejus gratia repelluntur 531. Jubileo durante ingens extraneorum Romam concurſus 532. Ingentes oblationes Apoſtolis fiunt ibid. In fine Jubilei Pontifex ægrotorum & aliorum ſaluti proſpicit ibid.

L.

LAdiſlaum Hungariæ Regem ad frugem convertere & à Cumanorum pellicum conſuetudine revocare conatur Nicolaus quartus 468. & ſeq.

Ladiſlaus à Cumanis occiditur 475.

Landus ſeu Lando quidam Sitinus poſt Calliſti III Antipapæ abdicationem eligitur Antipapa ſub Innocentii III nomine 106. Capitur in quadam munitione in qua ſe incluſerat 107. Ab Alexandro III ad Cavas deportari jubetur ibid.

Lateranenſe Concilium tertium, Generale undecimum ab Alexandro III indicitur 107. Ejus epocha 108. Tribus ſeſſionibus abſolvitur 109. Numerus Epiſcoporum Concilii ibid. Convocationis Concilii cauſa & canones 110. Concilium ſtatuit electionem Pontificis Romani in qua duæ partes Cardinalium non conſenſerint nullam eſſe ibid. Pſeudo-Pontificum ordinationes irritat 111. In eo Epiſcopi ſchiſmatici ſchiſma abjurant ibid. Editur canon contra hæreticos ibid. In eo Laurentius Dublinenſis Epiſcopus fit Legatus Apoſtolicæ ſedis in Hibernia 112. Nihil in Concilio definitum contra Petrum Lombardum ibid.

Lateranenſe *Concilium quartum, Generale duodecimum ab Innocentio III indicitur* 213. *& ſeq. Numerus Patrum Concilii ibid. In eo expeditio in Terram ſanctam decernitur* 215. *Albigenſium & Amalrici hæreſes damnantur* 216. *Item Concilium damnat libellum Joachimi Abbatis contra Petrum Lombardum ibid. & ſeq. Patriarchalium ſedium ordinem & privilegia renovat* 220. *Angliæ Proceres excommunicat & quare* 221. *Friderici II electionem in Imperatorem confirmat* 222. *In eodem Concilio actum eſt de Eccleſiis Cypriis ibid. Quædam alia in eo agitata & ejus finis ibid.*

Latinus Frangipanis *ſeu Malabranca Cardinalis Oſtienſis procurat electionem Petri de Murrone ſeu Cœleſtini V in Papam* 485. *Eum urget ut Pontificatum acceptet* 486. *Moritur ante Cæleſtini conſecrationem* 488. *& ſeq. Auctor dicitur proſæ* dies iræ, dies illa, *quæ in Miſſa canitur* 489.

Laudenſe *Conciliabulum Papienſis acta contra Alexandrum III confirmat* 62.

Laurentius *Dublinenſis Epiſcopus ab Alexandro III in Concilio Lateranenſi III fit Legatus ſanctæ ſedis in Hiberniæ* 112. *Sanctorum faſtis adſcribitur* 249.

Legati *à latere Romani Pontificis ſub Innocentio III purpureis veſtimentis amiciebantur* 212. *& ſeq. Item ſub Clemente quarto* 376.

Leopoldus *Auſtriæ Dux ob captum Richardum Angliæ Regem ex expeditione Syriaca redeuntem à Cæleſtino III excommunicatur* 151. *Ante mortem Cæleſtini præcepta impleſſe & abſolutum eſſe plures Auctores referunt* 152.

Licentiatûs *Gradus & alii ab Eugenio III inſtituuntur* 27. *& ſeq.*

Lievo *ſeu Leo Armeniæ Rex auctoritate Innocentii III Papæ coronatur* 180. *Plura privilegia ab eodem Pontifice recipit* 181. *Ab eodem excommunicatur* 209.

Literæ encyclicæ *Romanorum Pontificum poſt ſuam promotionem loco profeſſionis fidei ſubſtitutæ* 511.

Londinenſe *Concilium ab Henrico Wintonienſi Epiſcopo, non ſub Cæleſtino II, ſed ſub Innocentio II celebratũ* 2. *& ſeq.*

Lucius II *Bononienſis dicitur Romanus Pontifex* 3. *Legatos in Galliã & Angliam mittit* 4. *Willelmo Eboracenſi electo pallium mittit* 4. *& ſeq. Monaſterium Romanum Sancti Sabæ Cluniacenſibus concedit* 5. *Sub Lucio II Luſitania fit Eccleſiæ Romanæ veſtigalis ibid. Lucius à Romanis vexatus Conradi Romanorum Regis auxilium implorat* 6. *Vitam cum morte commutat ibid. Sepelitur in Eccleſia Lateranenſi* 7. *Fuerat Canonicus Regularis Ordinis Sancti Auguſtini ibid.*

Lucius III *eligitur Pontifex & coronatur* 117. *Benedicitur à duobus Epiſcopis & ab Oſtienſi Archipresbytero* 118. *Joannem ad Albas manus Lugdunenſem Archiepiſcopum conſecrat & Sedis Apoſtolicæ Legatum dicit ibid. Scotiæ Regem per Legatos ab excommunicatione abſolvit* 119. *Sanctum Brunonem Signinum Epiſcopum Cælitum faſtis adſcribit* 120. *Româ exire cogitur ibid. Montis Regalis Eccleſiam in Metropolim erigit* 121. *Romam redit & ea exire cogitur* 122. *Veronam pergit ibid. Conventum ſeu Concilium ea in urbe cum Imperatore celebrat* 123. *Diſſidet à Friderico Imperatore & quare ibid. In eo Conventu varia decernit contra hæreticos* 124. *Ad Saladinum ſcribit pro pace inter Chriſtianos & Saracenos Orientales* 125. *Item ad ejus fratrem Saphadinum ibid. Legatos Chriſtianorum Orientalium ad Angliæ Regem mittit pro ſubſidio Terræ ſanctæ* 126. *E vivis excedit ibid.*

Ludo-

Ludovicus VII *Franciæ Rex Vezeliaci conventum celebrat pro expeditione in Terram ſanctam* 10. *In eo crucem ſumit* 11. *Apud Bituricas alium conventum celebrat pro eadem expeditione* 12. *& ſeq. In eo à Samſone Archiepiſcopo Remenſi coronatur ibid. Eugenium III Divione honorificè ſuſcipit* 13. *Primus ex Regibus Alexandrum III Papam agnovit* 63. *In conventu Bellovaci acto & in Concilio Toloſano eum ut verum Pontificem ſuſcipit* 61. *& ſeq. Manuelem Græcorum Imperatorem impellit ut Alexandrum* III *tanquam legitimum Papam agnoſcat* 63. *A Friderico Imp. doloſe circumvenitur* 66. *Ab ejus laqueis liberatur* 67. *Alexandrum Papam honorifice Pariſiis ſuſcipit* 68. *Roſam auream ab eo recipit* 69.

Ludovicus IX *Franciæ Rex cum Innocentio IV Cluniaci colloquium habet* 309. *& ſeq. à Bonifacio* VIII *Sanctorum faſtis adſcribitur* 524. *& ſeq.*

Ludovicus *Caroli II Siciliæ Regis filius poſtea Epiſcopus Toloſanus facultatem obtinet a Cæleſtino V Ordines Minores recipiendi à quodam pio Minorita Confeſſario ſuo* 491. *& ſeq. Ab eodem Pontifice obtinet adminiſtrationem Archiepiſcopatus Lugdunenſis & quare* 494. *Quo tempore juri primogenituræ renunciarit* 514. *Fit Epiſcopus Toloſanus & Appamiarum* 516. *Sanctè Moritur ibid.*

Lugdunenſe *Concilium primum, Generale decimum tertium Innocentius IV indicit* 297. *Ejus convocationis cauſæ* 298. *Matthæi Pariſii circa illud errores notantur ibid. Numerus Patrum Concilii* 299. *Ordo ſeſſionis primæ ibid. Pontificis Innocentii in ea oratio ibid. In ſecunda ſeſſione agitur de Friderico II Imperatore* 300. *In tertia ſeſſione ſtatuitur octavam Nativitatis B. Mariæ ſolemniter celebrandam ibid. In eadem ſeſſione quædam alia tractantur* 301. *In eadem Fridericus ab Imperio deponitur ibid. Hujus depoſitionis cauſa adducuntur* 302. *Sententia lata eſt à Pontifice ſacro approbante Concilio ib. Conſtitutiones in Concilio pro reformatione edita* 303. *Agitur de ſubſidio Terræ ſanctæ* 304. *Item de ſubſidio Imperii Conſtantinopolitani ibid. Item de reprimendis Tartaris ibid. Purpureus Galerus in Concilio Cardinalibus tribuitur* 307. *& ſeq.*

Lugdunenſe *Concilium ſecundum, Generale decimum quartum indicitur à Gregorio decimo* 396. *Cauſa convocationis Concilii ibid. &* 400. *Imperator & Patriarcha Græcorum ad illud invitati erant* 397. *Numerus Patrum & præſes Concilii* 398. *Græcorum Imperator non adfuit Concilio niſi per Legatos ibid. Prima Concilii ſeſſio* 399. *Ordo ſeſſionis Patrum* 400. *Poſt ſecundam ſeſſionem Jacobus Aragoniæ Rex è Concilio abit ibid. Secunda Concilii ſeſſio* 400. *& ſeq. Tertia Concilii ſeſſio* 401. *Græcorum Legati adveniunt ad Concilium* 402. *Nomine Imperatoris Eccleſia Romana conſentiunt ibid. Idem faciunt Legati Prælati Græcorum* 403. *Legati profitentur ſymbolum fidei Romano more ibid. Tartarorum Orientalium Legati accedunt ad Concilium* 404. *In quarta ſeſſione Græci profitentur fidem Romanæ Eccleſiæ ibid. Pontifex & Patres gratias agunt Deo ob unionem utriuſque Eccleſiæ factam* 405. *Interſunt obſequiis Sancti Bonaventuræ* 405. *& ſeq. In quinta ſeſſione editur conſtitutio de incluſione Cardinalium in conclavi* 406. *Sexta & ultima Concilii ſeſſio* 408.

Lundenſis *Archiepiſcopus ab Hadriano IV fit Sueciæ Primas* 44.

Digitized by Google

Lundunſis Archiepiſcopi primatus ab Innocentio III confirmatur 178. *& ſeq.*

Luſitania *ſub Lucio II fit vectigalis Eccleſiæ Romanæ* 5. *& ſeq. Luſitaniæ princeps ab Alexandro III Regis titulum obtinet* 113. *& ſeq.*

M.

Sanctus MAlachias *Archiepiſcopus Armachanus à Cœleſtino III canonizatur* 149.

Man *inſulæ Regulus factus Eccleſiæ Romanæ vaſſallus ſub Apoſtolicæ ſedis protectione ſuſcipitur* 239.

Manfredus *filius nothus Friderici II Imp. Conradum fratrem proditoriè occidi procurat* 326. *Conradini nepotis tutor relinquitur ab eodem Conrado* 327. *Innocentii IV exercitum delet* 328. *In Manfredum movet Octavianus Cardinalis Alexandri IV Legatus* 333. *& ſeq.*

Manfredus Oratores *mittit ad Alexandrum IV pro tractanda pace* 334. *Pacem facit cum Legato Pontificio, ſed ea repudiatur à Pontifice ibid. Juſtas pacis conditiones ſibi ab Alexandro IV oblatas recuſat* 348. *In Manfredum jubente Urbano IV crux prædicatur* 359. *Manfredus filiam ſuam Conſtantiam Petro Jacobi Regis Aragoniæ filio in matrimonium tradit* 360. *Vincitur à Carolo Andegavenſi Siciliæ Rege & in prælio occiditur* 375.

Manuel *Græcorum Imperator ad inſtantiam Ludovici VII Francorum Regis Alexandrum* III *ut verum Pontificem veneratur* 63. *In Eccleſiam Romanam propenſus erat ibid. Legatos ad eumdem Papam mittit poſtulans Imperium Occidentis, ſed rejicitur* 89.

Marchia *ad Eccleſiam Romanam revocatur* 162. *Marchia Terviſina Ecelini tyrannide premitur* 333.

Maria *Meraniæ Ducis filia ducitur in uxorem à Philippo Auguſto Franciæ Rege poſt Ingelburgæ Reginæ repudiationem* 154. *Ab eodem Rege dimittitur* 168.

Maria *Caroli* II *Siciliæ Regis uxor poſt mortem Caroli Martelli filii abſente marito, regni Siciliæ adminiſtrationem à Bonifacio* VIII *recipit* 514. *& ſeq.*

Sanctæ Mariæ ad Nives *feſtum non videtur fuiſſe ſolemniter celebratum Gregorio IX ſedente* 273. *& ſeq.*

Sanctæ Mariæ de Mercede *Ordo à Gregorio IX confirmatur* 275. *& ſeq.*

Sanctæ Mariæ *Virginis Nativitatis Octavam ſolemniter celebrandam Concilium Lugdunenſe primum ſtatuit* 300. *Longe ante illud Concilium alibi celebrabatur* 301.

Martinus IV *Vide Simon à Bria.*

Matthæi Pariſii *errores circa celebrationem Concilii Lugdunenſis primi notantur* 298.

Sancti Matthiæ *templum Treviris ab Eugenio* III *dedicatur* 18.

Mediolanum *ob non receptum Archiepiſcopum interdicto ſubjicitur* 393. *Eo abſolvitur & communioni reſtituitur ab Innocentio quinto* 416.

Mediolanenſium Vicecomitum principatûs initium 393.

Mendicantes *à Theologis Univerſitatis Pariſienſis exagitantur* 335. *Univerſitatis ſtatuta contra eos Alexander IV temperat ibid. Libellus Guillelmi de Sancto Amore contra eos ab eodem Pontifice damnatur ibid.*

Metropoles *in Norvegia & Suecia Eugenii* III *auctoritate erectæ* 25.

Item

Digitized by Google

Item in Hibernia ejuſdem Pontificis auctoritate 28.

Metropolis Montis Regalis in Sicilia à Lucio III erigitur 121. *Nicoſia in regno Cypri fit Metropolis* 212.

Michaël Palæologus *Græcorum Imperator Legatos mittit ad Urbanum IV pro utriuſque Eccleſiæ unione* 361. *& ſeqq. Invitatur à Gregorio X ad Concilium Lugdunenſe ſecundum* 391. *&* 397. *Non adfuit Concilio niſi per Legatos* 398 *Legatos ad illud mittit qui ſuo nomine ſymbolum more Latinorum & fidem Eccleſiæ Romanæ profitentur* 402. *& ſeqq. Formulam profeſſionis fidei & juramenti obedientiæ tam à ſe quam ab Andronico filio præſtiti ad Nicolaum III mittit* 431. *Non poteſt obtinere ab eodem Pontifice, ut vox* filioque *Græcorum ſymbolo non adderetur ibid. Ab Eccleſia deficiens à Martino IV excommunicatur* 446.

Minorum fratrum *ordo ab Innocentio III confirmatur* 203. *Item in Concilio Lateranenſi IV ſub eodem Innocentio Papa* 212.

Minores à calumnia Radulfi Tungrenſis de breviato officio in Eccleſiam Romanam introducto vindicantur 440. *& ſeq.*

Mitræ *tres Romani Pontificis* 51.

Mitra turbinata in Coronatione Romanorum Pontificum adhibita 50. *Hæc mitra parum diverſa erat à mitra Pontificali hodierna* 51. *Sæpius in anno eâ Pontifex utebatur* 52. *Diverſa erat à mitra auri friſiata in circulo & in titulo* 53. *Ejus mitræ antiquitas* 53. *& ſeq. Mitra turbinata, ſeu Tiara Pontificia duplex coronamentum à Bonifacio VIII additum* 523. *& ſeq.*

Mitræ uſus quibuſdam Colonienſis Eccleſiæ Presbyteris ab Eugenio III *conceſſus* 27.

Moguntini *Archiepiſcopi juris eſt Bohemiæ Regem inungere* 349.

Moliſmenſes *licentiam obtinent ab Eugenio III Robertum Abbatem Moliſmenſem ſolemni ritu in Eccleſia Moliſmenſi colere* 146.

Monſpelienſe *Concilium ab Alexandro* III *celebratur, in quo Octavianus Antipapa excommunicatur* 65.

Monſpelienſis Academia pro jure Canonico & civili ac pro medicina erigitur à Nicolaö quarto 473. *Non multò poſt Theologia facultas addita ibid.*

Montis Regalis *monaſterium à Willelmo Juniore Siciliæ Rege fundatum & dotatum ab Alexandro III privilegiis ornatur* 97. *A Lucio III in Metropolim erigitur* 121.

Myſteriorum *ſacrorum elevatio in miſſa quo tempore in Gallia, Germania & in Eccleſia Romana cœperit* 227. *& ſeq.* 572. *& ſeq.*

N.

NActi *uſus Colonienſi Archiepiſcopo ab Eugenio III conceſſus* 27. *Vocis hujus* Nactus *explicatio ibid.*

Navarræ *Reges inunctione Regia ſacrari permittit Alexander quartus* 346.

Nicolaus de Breſkpear *Epiſcopus Albanenſis ab Eugenio III fit Legatus Norvegiæ & Sueciæ* 16. *Metropoles in iis regnis erigit ibid. Fit Pontifex Romanus & Hadrianus IV vocatur* 36. *Anglus erat natione* 37. *Adoleſcens venit in Provinciam ibid. Fit Abbas monaſterii Sancti Rufi prope Avenionem ibid. Poſtea ab Eugenio III dictus Cardinalis* 38. *Sub Hadriani Pontificatu monaſterium Sancti Rufi Avenione Valentiam transfertur ibid. Hadrianus IV privile-*

gia ab Anaſtaſio IV Jeroſolymitanis Equitibus conceſſa reſcindere recuſat ibid. A calumnia ipſi à Guilielmo Tyrio impacta vindicatur 39. *Romam interdicto ſubjicit & quare* 40. *Arnaldum de Brixia Hereſiarcham ſibi reddi poſtulat à Friderico Rege ibid.*

Hadrianus IV cum eodem Rege Friderico congreſſum habet 41. *Eum coronat Imperatorem ibid. Romanorum rebellium veniam à Friderico obtinet* 42. *Willelmum Siciliæ Regem excommunicat ibid. Adverſus eum in Apuliam pergit* 43. *Cum eo pacem facit ibid. A Friderico Imperatore diſſidet & quare* 43. *& ſeqq. Legatos Conſtantinopolim mittit pro pace Eccleſiarum Occidentalis & Orientalis* 46. *Patriarchatum Gradenſem amplia* 47. *Hiberniam Angliæ Regi conceditſub annuo cenſu Apoſtolicæ Sedi ſolvendo ibid. Vitam cum morte commutat ibid. Ejus Opera* 48. *Matrem commendavit eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ ibid.*

Nicolaus Bocaſinus *Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis Legatur à Bonifacio VIII ad conciliandam pacem inter Franciæ & Angliæ Reges* 525. *& ſeq. Ab eodem Pontifice fit Cardinalis tit. Sanctæ Sabinæ & poſtea Epiſcopus Oſtienſis* 526. *& ſeq. Eligitur Pontifex & Benedicti XI nomen ſumit* 550. *Ejus Genus, patria & primordia ante Pontificatum ibid. Cur Benedictus XI non X dicatur* 550. *& ſeq. Quomodo ſe cum matre geſſerit* 551. *Oratores & literas Philippi IV Francorum Regis recipit* 551. *& ſeq. Eidem Regi abſenti & non petenti abſolutionem à cenſuris impertit* 552. *Cauſas quibus ad id motus eſt, aperit* 553. *Regem & regnum Franciæ in integrum reſtituit ibid.*

Benedictus XI Guillelmi de Nogareto abſolutionem ſibi & Apoſtoli a ſedi reſervat 553. *Jus reſervationis à Bonifacio VIII Apoſtolicæ ſedi reſervatum abrogat* 554. *Academiam Pariſienſem reſtituit ibid. Omnia Bonifacii acta contra Regem & regnum Franciæ abrogat ibid. Ejuſdem Philippi Regis interceſſione Columnenſes reſtituit ibid. Ligium homagium recipit à Jacobo Aragoniæ Rege pro Sardinia & Corſica inſulis ibid. Legatum Florentiam mittit ad eam pacificandam* 555. *Juramentum & cenſum à Friderico Trinacriæ Rege recipit ibid. Albertum Regem Romanorum monet ut Moguntinæ Eccleſiæ ablata reſtituat* 556. *Moritur ibid. Claret miraculis* 557. *Ejus ſcripta ibid. Ejus epitaphium ibid.*

Nicolaus III *Vide Joannes Cajetanus Urſinus.*

Nicolaus IV *Vide Hieronymus Aſculanus.*

Nicolaus Pratenſis *à Benedicto XI fit Cardinalis* 555. *Ad pacificandam Florentiam Legatus mittitur ab eodem Pontifice ibid.*

Nicoſia *in regno Cypri in Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio III fit ſedes Metropolitana* 222.

Nidroſia *in Norvegia fit ſedes Archiepiſcopalis ab Eugenii III Legato* 26.

Nigellenſe Concilium *ab Innocentii III Legato celebratur pro cauſa divortii Philippi Auguſti Franciæ Regis* 167. *& ſeq.*

O.

Octavianus *Presbyter Cardinalis Sanctæ Cæciliæ à duobus tantum Cardinalibus electus contra Alexandrum III fit Antipapa* 49. *Ab Ymaro Tuſculano*

culano Epiſcopo non legitimo conſecratore ordinatur & Victor IV dicitur 55. *Ab Alexandro Papa excommunicatur & viciſſim eum excommunicat ibid. A Friderico Imperatore citatur ad Conciliabulum Papienſe* 56. *In eo Conciliabulo ſuſcipitur ut verus Papa* 57. *Octaviani electionem vitioſam oſtendit S. Ailredus Rievallenſis Abbas* 58. *Lauda Conciliabulum habet Octavianus in quo Papienſis Acta confirmantur* 62. *In Concilio Monſpelienſi ab Alexandro* III *excommunicatur* 65. *Octaviani Antipapæ interitus* 77. *Ejus pravi mores & crudelitas ibid.*

Officia *divina Sclavonicè celebrari permittit Innocentius quartus* 315.

O*fficium breviatum à fratribus Minoribus in Eccleſiam Romanam introductum fuiſſe falsè ſcripſit Radulphus Tungrenſis* 440. *& ſeq.*

Ordines *Minores conferendi facultatem Cæleſtinus V tribuit pio cuidam Minoritæ* 491. *& ſeqq.*

Ordo *ſeu Congregatio Saviniacenſis à quo fundatus* 23. *Ciſtercienſis ſubditur ibid.*

Ordo Militiæ Sancti Jacobi in Hiſpania ab Alexandro III *approbata* 98.

Ordo Militiæ Teutonicorum fundatur & à Cæleſtino III confirmatur 146. *& ſeq.*

Ordo Regularis Hoſpitalariorum Sancti Spiritûs à Guidone Comite fundatus ab Innocentio III confirmatur 169.

Ordo ſanctiſſimæ Trinitatis pro redemptione captivorum fundatur & approbatur ab eodem Innocentio 170. *& ſeq.*

Ordo Humiliatorum à Sancto Bernardo Abbate inſtitutus Mediolani ab eodem Papa Innocentio III approbatur 173. *& ſeq.*

Ordo militaris Gladiferorum ſeu enſiferorum ab Innocentio III confirmatur 201. *Unitur Ordini Teutonicorum ibid.*

Ordo ſeu Congregatio Pauperum Catholicorum ab eodem Papa approbatur 201.

Ordo Fratrum Minorum ab eo etiam confirmatur 203. *Tum ab Honorio tertio* 248.

Ordo Prædicatorum Innocentio III permittente fundatur 203. *& ſeq. Ab Honorio III confirmatur* 231.

Ordo ſeu Congregatio Florenſis in Calabria à beato Joachimo Abbate inſtituitur 217.

Ordo ſeu Congregatio Sancti Antonii Magni, ejuſque initia & progreſſus 237.

Ordo Vallis Scholarium ab Honorio III *confirmatur* 238.

Ordo Sanctæ Mariæ de Mercede pro captivorum redemptione à Gregorio IX confirmatur 275. *& ſeq.*

Ordo Carmelitarum ab Innocentio IV mitigatur 308. *Eorum habitus in decentiorem ab Honorio IV mutatur* 457.

Ordo Silveſtrinorum in diœceſi Camerinenſi fundatur & ab Innocentio IV confirmatur 313. *& ſeq.*

Ordo ſervorum beatæ Mariæ ab Alexandro IV approbatur, & à Benedicto XI ſolemniter confirmatur 341.

Ordo Eremitarum ex pluribus Congregationibus in unam ſub S. Auguſtini Regula redigitur ab Alexandro quarto 341. *& ſeq. Ab Honorio IV confirmatur* 458.

Ordinis Tertii Sancti Franciſci Regula à Nicolao IV confirmatur 474.

Ordo Cæleſtinorum à Petro de Murrone fundatur, & ab eodem Pontifice facto ſub Cæleſtini V nomine confirmatur 495

Oſtienſis *Epiſcopus conſecrator præcipuus Pontificis Romani* 117.

Oſtienſi Epiſcopo abſente, vel in Papam electo Archipresbyter Oſtienſis cum Portuenſi & Albanenſi Epiſcopis Romanum Pontificem conſecrat 117. & *ſeq.*

Sanctus Otto *Pomeranorum Apoſtolus dictus a Clemente* III *canonizatur* 140.

Otto *Saxoniæ Ducis filius à quibusdam Electoribus Germaniæ Rex eligitur* 164. *Ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatur ibid. Electio ejus ab Innocentio* III *confirmatur ibid. Ottoni regnum Romanorum ab eodem Pontifice aſſeritur* 175. *Otto cum Philippo Sueviæ Duce de Imperio convenit* 196. *Poſt Philippi mortem ab Innocentio* III *Romam vocatur & Imperator coronatur* 196. & *ſeq. In hoſtem Innocentii mutatur & Eccleſiæ terras invadit* 197. & *ſeq. Ab eodem Pontifice excommunicatur & deponitur* 198. & *ſeq.*

Ottobonus de Fliſco *Cardinalis Diaconus tit S. Hadriani à Clemente IV ad pacandam Angliam Legatus mittitur* 376. *In prandio à Rege collocatur in ſedili Regio* 377. *Duo Concilia in Anglia celebrat ibid. Fit Pontifex* Romanus & *ex titulo ſuæ Diaconiæ Hadriani V nomen ſumit* 417. *Antequam conſecretur necdum Presbyter moritur ibid. Ejus zelus pro ſubſidio Terræ ſanctæ* 418. *Suſpendit Conſtitutionem Gregorii X de incluſione Cardinalium in conclavi ibid.*

P.

PAnormitani *ob Veſperas Siculas à Martino IV excommunicantur* 447.

Papæ *nomen quo tempore uni Epiſcopo Romano proprium* 559.

Papalis *civitas conſtruitur in locum Præneſtinæ civitatis à Bonifacio VIII deſtructæ* 528. *Ad eam transfertur Epiſcopatus Præneſtinus ibid. Theodoricus Cardinalis tit. S. Crucis in Jeruſalem ei præficitur* 529.

Papienſe *Conciliabulum à Friderico Imperatore indicitur* 56. *Numerus Epiſcoporum ejusdem Conciliabuli* 57. *In eo damnatur Alexander* III *Papa & Octavianus Antipapa recipitur ibid.*

Pariſienſis *Synodus ab Eugenio* III *celebratur in qua cauſa Gilberti Porretani remittitur diſcutienda in Synodo Remenſi* 14. & *ſeq. In hac Pariſienſi Synodo Willelmus Eboracenſi præſulatu deponitur* 15.

Paſchalis III *Antipapa. Vide Guido Cremenſis.*

Paſchalis cerei *benedictio Zoſimo Papa longe antiquior* 560.

Patriarchalium *ſedium ordo & privilegia in Concilio Lateranenſi IV ſub Innocentio* III *renovantur* 220.

Pauperum *Catholicorum Congregatio ab Innocentio* III *confirmatur* 201.

Pelagius *Albanenſis Epiſcopus Conſtantinopolim Legatus ab Innocentio* III *mittitur ut Græcos à ſchiſmate reducat* 212. *Veſtimentis purpureis amiciebatur ibid.*

Petrus Comeſtor *Gallus natione, Trecis oriundus erat* 28.

Petrus Lombardus *poſtea Pariſienſis Epiſcopus gradus baccalaureatus & alios in Academia Pariſienſi inſtituiſſe creditur* 28. *Erat Inſuber, Novarienſis ibid. Damnatur ab Alexandro* III *non in Concilio Lateranenſi, ſed poſt illud* 112. & *ſeq.*

Petrus de Murrone. *Vide Cæleſtinus V.*

Petrus Hiſpanus *Epiſcopus Burgenſis à Bonifacio VIII fit Cardinalis & poſtea Sabinenſis Epiſcopus* 526. *& ſeq.*

Petrus Veronenſis *Martyr ſanctorum catalogo ab Innocentio IV adſcribitur* 323. *In ejus canonizatione novus ritus adhibitus ibid.*

Petrus Tarantaſienſis *Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis adeſt Concilio Lugdunenſi II ſub Gregorio decimo* 400. *Audito Græcorum adventu concionem habet in Concilio* 402. *Unum ex Tartarorum nunciis ad Concilium ſolemniter baptizat* 404. *Sermonem habet in quarta Concilii ſeſſione ibid. In exequiis Sancti Bonaventuræ miſſam celebrat & prædicat* 406. *Fit Pontifex Romanus & Innocentii V Nomen ſumit* 415. *Ejus patria & primordia ante Pontificatum ibid. Romæ coronatur* 416. *Italiam pacat ibid. Moritur ibid. Ejus ſcripta* 417.

Petrus Corteniacus *Comes Autiſſiodorenſis dicitur Imperator Conſtantinopolitanus* 231. *Romæ ab Honorio III coronatur ibid. A Theodoro Epiri Dynaſta capitur & carceri includitur* 233.

Petrus Aragoniæ *Rex Romam pergit, ab Innocentio III coronatur & regnum ſuum Eccleſiæ Romanæ cenſuale conſtituit* 106. *& ſeq. Fabula de ejus coronatione cum corona ex azymis confecta rejicitur* 187. *Saracenos ingenti prælio vincit* 207. *& ſeq.*

Petrus *Jacobi Aragoniæ Regis filius Conſtantiam Manfredi Siciliæ tyranni filiam uxorem ducit* 360. *Impellit Siculos ad Francos omnes una die trucidandos* 448. *Rex Siciliæ acclamatur & ob eam invaſionem à Martino IV excommunicatur ibid. Carolum Siciliæ Regem ad ſingulare certamen provocat ibid. Ab eodem Martino Pontifice regnis & bonis omnibus privatus declaratur* 449.

Philippus Bellovacenſis *Epiſcopus à Richardo Angliæ Rege in bello captus* 155. *Pro ejus liberatione Cæleſtinus III fruſtra ſcribit ibid.*

B. Philippus Benitius *poſt mortem Clementis IV Pontificatum declinat* 387.

Philippus Ravennatenſis *Archiepiſcopus electus adverſus Ecelinum tyrannum mittitur* 340. *Ab Ecelino capitur, fruſtraque ejus libertas ab Alexandre IV petitur* 343. *Deceptis cuſtodibus per feneſtram evadit & libertati reſtituitur* 345.

Philippus Carinthiæ *Dux Saltzburgenſi Archiepiſcopatu ab Alexandro IV deponitur* 343.

Philippus Sueviæ *Dux à quibusdam Principibus Rex Germaniæ eligitur* 163. *& ſeq. A Tarantaſienſi Epiſcopo coronatur* 164. *Contra eum ab aliis eligitur Otto cujus electionem Innocentius III confirmat ibid. A Philippo excommunicato omnes recedere Innocentius III jubet* 175. *Philippus rurſum eligitur Rex Germaniæ & inungitur* 191. *Cum Ottone de Imperio convenit* 196. *Proditoriè occiditur ibid.*

Philippus Auguſtus *Franciæ Rex à Willelmo Remenſi Archiepiſcopo & Cardinali coronatur* 109. *Ingelburgam uxorem repudiat* 152. *Ejus repudii ſententia à Gallicanis Epiſcopis prolata à Cæleſtino III caſſatur* 153. *Philippus non obſtante Cæleſtini prohibitione aliam uxorem ducit, ſcilicet Mariam Meraniæ Ducis filiam* 154. *Ejus cauſa agitatur in Concilio Divionenſi ab Innocentii III Legato* 167. *Tum in Concilio Viennenſi ibid. Tum in Concilio Negellenſi ibid. Philippus Ingelburgam Reginam recipit & Mariam ſuperinductam dimittit* 168.

Digitized by Google

Philippus III *Francorum Rex Audax dictus Comitatum Venaiſcinum Eccleſiæ Romanæ reſtituit* 395. *Gregorium X Lugduni viſitat ibid.*

Philippus IV *Franciæ Rex Pulcher dictus magnum cum Bonifacio VIII diſſidium habet* 534. *& ſeqq.*

Philippus Rex Oratores cum literis ad Benedictum XI mittit 551. *& ſeq. Ab eodem Pontifice & non petens à cenſuris abſolvitur* 152. *Columnenſes in Pontificis gratiam reſtitui curat* 554.

Phrygium *inſigne quo coronabantur Romani Pontifices. Vide Mitra turbinata.*

Polonorum *Principum cauſa ad Concilium Remenſe ſub Eugenio III perlata* 23.

Polona Eccleſia à Legato Cæleſtini III reformatur 156.

Poloni Innocentio IV contra Friderici II Imp. perſecutiones ſubſidia mittunt 314.

Polonis permittit Legatus Pontificius ut Quadrageſimam more Romanæ Eccleſiæ incipiant 315.

Pontifices Romani *Vide Romani Pontifices.*

Portugallia. *Vide Luſitania.*

Prædicatorum *Ordo à Sancto Dominico inchoatur* 203. *& ſeq. &* 222. *Ab Honorio* III *confirmatur* 231.

Præneſte *in odium Columnenſium à Bonifacio VIII deſtruitur, aliaque civitas in ejus locum conſtruitur* 528.

Premiſlaus *Bohemiæ Dux ab Innocentio III Regis titulum obtinet* 175. *& ſeq.*

Presbyter Joannes. *Vide Joannes Preſbyter.*

Presbyterorum *concubinariorum ſacrificiis intereſſe Alexander IV vetat* 345.

Profeſſioni *fidei Romanorum Pontificum ſubſtituta litera eorum encyclica* 511.

Proſa *quæ incipit* ſtabat Mater doloroſa *ab Innocentio III compoſita* 227.

Proſa ſeu ſequentia quæ incipit veni Sanctè Spiritus *ab eodem Pontifice elucubrata ibid.*

Proſa quæ incipit, dies iræ dies illa *à Latino Frangipanis ſeu Malabranca Epiſcopo Oſtienſi ſcripta* 489.

Ptolemais *urbs Syriæ nobiliſſima à Soldano Ægypti occupatur* 479.

Pueros *ante pubertatem monaſteriis à parentibus oblatos Cæleſtinus III ad ſeculum redire permittit* 158. *& ſeq.*

Purgationis *quinta vel ſeptima manu facta modus explicatur* 209. *& ſeq.*

Ad eam purgationem non adſtringebantur Romani Pontifices 211. 570. *& ſeqq.*

Q.

QUolibey *ſeu Cobila Tartarorum omnium Caamus ſeu Imperator Chriſti fidem ſuſcipit* 432. *Argonem Tartarorum Orientalium Regem Chriſtianis faventem in regno confirmat* 466. *Deſiderat apud ſe habere Latini nominis Magiſtros* 470. *Ad Quolibey Nicolaus IV quoſdam fratres Minores mittit ibid. Quolibey uſque ad mortem Chriſtianus fuit* 471. *Fundavit in regno Catai civitatem Româ majorem ibid.*

R.

RAinaldus *inſularum Britanniæ adjacentium Regulus fit vaſſallus Eccleſiæ Romanæ* 239.

Rainerius *de Caſtro Veteri ex Vicecancellario Eccleſiæ Romanæ ab Honorio III fit Patriarcha Antiochenus* 238.

Ratiſ-

Ratiſponenſis *Conventus in quo Adalbertus Saltzburgenſis Archiepiſcopus depoſitus, ab Alexandro III caſſatur 95. & ſeq.*

Ravennæ *Exarchatus à Rudolpho Imperatore Romanæ Eccleſiæ reſtituitur 433.*

Raymundus Toloſanus *Comes ab Innocentio* III *excommunicatur 199. Pontificio Legato morem gerere promittit ibid. Ab eodem Legato ſolemniter abſolvitur 200. Iterum excommunicatur & dominium ejus Simoni Comiti Monfortio traditur ibid. & 220. Moritur 264.*

Raymundus Junior *prioris filius patri ſucceſſit 264. Paterna ſucceſſione à Pontificio Legato exutus Eccleſiæ reconciliatur ibid. Hujus reconciliationis epocha 265. Adeſt Concilio Lugdunenſi primo 299. Non poteſt obtinere ab Innocentio IV diſpenſationem ad ſibi conjugio copulandam Beatricem filiam Raymundi Berengarii Provinciæ Comitis 305.*

Raymundus Berengarii *Provinciæ Comes adeſt Concilio Lugdunenſi primo 299. Innocentius IV ei recuſat diſpenſationem pro matrimonio filiæ ſuæ Beatricis cum Raymundo Toloſano Comite 305. Roſam auream ab Innocentio Papa recipit ibid. In Provinciam redux Moritur ibid.*

Raymundus de Pennafort *jubente Gregorio IX Decretalium collectionem adornat 274. Unus eſt ex inſtitutoribus Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede 275. & ſeq.*

Regnum Pontificale. *Vide Mitra turbinata.*

Remenſe *Concilium ab Eugenio III celebratur 19. Plures Hiſpani, pauci Angli ei interfuère 20. Canones XVIII in eo conditi ibid. In eo Eon Hæreſiarcha damnatur 21. Ad illud veniunt Legati Henrici junioris Romanorum Regis electi ibid. In eo ſtatuitur ut Saviniacenſis Ordo Ciſtercienſi ſubdatur ibid.*

Remenſe alterum Concilium ab Alexandro III celebratur 75.

Ricardus *ab Alexandro III conſecratur Archiepiſcopus Cantuarienſis in locum Sancti Thomæ Martyris 96.*

Richardus *Ciceſtrenſis olim in Angliâ Epiſcopus ab Urbano IV canonizatur 319. & ſeq.*

Richardus *Angliæ Rex expeditionem in Terram ſanctam ſuſcipit 148. Ex ea rediens à Leopoldo Auſtriæ Duce capitur 151. Henrico V Imperatori traditur ibid. Numeratâ pecuniâ liberatur 151. & ſeq.*

Richardus *Cornubiæ Comes Angliæ Regis frater à quibuſdam eligitur Rex Romanorum, aliis eligentibus Alphonſum Caſtellæ Regem 339. Judicio Apoſtolico ſe ſiſtere mandatur ab Urbano quarto 363. Item à Clemente quarto 377.*

Richardus Fundanus *Comes comitatum ſuum Eccleſiæ Romanæ donat 205.*

Robertus Anicienſis *ſeu Podienſis in Gallia Epiſcopus nefariè occiditur 242. Occiſores ejus quibus conditionibus ab Honorio III ad pœnitentiam admiſſi 242. & ſeq.*

Robertus *Caroli II Siciliæ Regis filius Yolendam Jacobi Aragoniæ Regis ſororem uxorem accipit 514. & 518.*

Robertum Moliſmenſem *Abbatem ſolemni ritu à Moliſmenſibus coli Honorius III permittit 246.*

Rodericus *Minoritæ Eccleſiæ Marochitanæ in Africa à Nicolao IV Epiſcopus præficitur 476.*

Rogerius *primus Siciliæ Rex ſemel & iterum fuit coronatus 570.*

Romæ

Roma *ab Hadriano IV interdicto ſubjicitur & quare* 40. *Romanæ urbis Præfectus Pontifici Romano ſe ſubjicit* 161. *Romanæ Urbis Senatoriam dignitatem Nicolaus III ad ſe revocat* 434. *Ea dignitas à populo Romano Martino IV ad vitam confertur* 444.

Romana Eccleſia cum Græca unio ſub Gregorio IX fruſtra tentata 270. *& ſeqq. Iterum tentatur ab Innocentio IV per Minoritas* 310. *Conditiones unionis à Græcis propoſitas aliquantiſper temperatas Alexander IV admittit* 337. *& ſeqq. Hæc unio tractatur ſub Urbano quarto* 361. *& ſeqq. Item ſub Gregorio decimo* 391. *Sub eodem Gregorio in Concilio Lugdunenſi ſecundo perficitur* 397. *& ſeqq. Hæc unio poſtea rupta eſt ſub Andronico Michaëlis Palæologi filio & ſucceſſore* 410.

Romanæ Eccleſiæ diuturna poſt Cæleſtini IV mortem vacatio unde provenerit 290. *Item poſt mortem Clementis quarti* 385.

Romanæ Eccleſiæ redditus inter Papam & Cardinales æquali portione dividuntur à Nicolao quarto 474.

Romanæ Eccleſiæ bona & privilegia à Rudolpho Imperatore confirmantur, & ab ipſis Imperii Electoribus & Principibus 331. *& ſeq.*

Romana Eccleſia in Bononiæ & Romandiolæ poſſeſſionem immittitur 433.

Romani Pontifices cum mitra turbinata, ſeu Regno, ſeu Phrygio à Tiara Pontificali hodierna parum diverſo coronabantur 50. *& ſeqq.*

Romani Pontificis electio in qua duæ partes Cardinalium non conſenſerint irrita declaratur Lateranenſis Concilii tertii canone primo 110.

Cæremonia in creatione & conſecratione Romanorum Pontificum obſervata duodecimo ſeculo deſinente 144. *& ſeqq.*

A Romano Pontifice Ordinati abſque ejus licentia ad ſuperiores Ordines promoveri non poterant 161. *& ſeq.*

Romani Pontifices à purgatione quinta vel ſeptima manu facta immunes erant 229. *& ſeqq.* 570. *& ſeqq.*

Romani Pontificis Legati ſub Innocentio III purpureis veſtimentis amiciebantur 212. *& ſeq. Item ſub Clemente quarto* 376.

Romani Pontificis nomen non imprimebatur ſigillo antequam conſecraretur 355. 389. *&* 415.

Romani Pontificis ſigillum duplex explicatur 372. *Romani Pontifices ante conſecrationem nomen mutabant* 389. *&* 415.

Romanus Pontifex legitimè electus & conſecratus nonobſtantibus infirmitatibus corporis 455. 461. *& ſeq.*

Romano Pontifice, vel extra Urbem, vel in Sancti Petri Baſilica electo inthronizatio fiebat poſt conſecrationem & coronationem 506. *& ſeq.*

Romani Pontifices quo tempore deſierint fidei profeſſionem emittere 510. *& ſeqq. Ejus loco ſubſtituta videntur encyclica litera ibid.*

Romanus Pontifex abſque aliorum Epiſcoporum conſortio poteſt Epiſcopos ordinare 563. *Poteſt & ab uno tantum Epiſcopo ordinari* 564. *& ſeq.*

Romani Pontificis electio abſque Imperialibus miſſis ſemper per acta 566. *& ſeq.*

Romani Concilii in quo Alexander III Fridericum Imperatorem depoſuit epocha 87.

Romana Synodus ſub Gregorio IX in qua Fridericus II Imperator anathemate percellitur 258.

Romana Synodus ſub Hadriano primo ſuppoſititia 567.

Roma-

Romani in Lucium II Papam rebellant 6. & ſeq.

Romani Senatores Arnaldiſta Eugenium III Româ exire cogunt 7. & ſeq. Ad ejus obedientiam redeunt 11. Iterum rebellant ibid. Ab Eugenio expugnantur 25. Iterum cogunt Eugenium Româ exire 26. Cum eo pacem faciunt 28. de Eugenii III Papa morte Romanorum Luctus 32.

Romani rebellant in Hadrianum IV & Fridericum Imp. 42. Eis veniam concedit Fridericus interceſſione Hadriani ibid.

Romani Alexandrum III Romam revocant & magno honore excipiunt 79. & ſeq.

Romani Lucium III ſemel & iterum Româ exire cogunt 120. & 122.

Romani cum Clemente III pacem faciunt 137. Quibus conditionibus 138. Tuſculanenſem civitatem deſtruunt 143. & ſeq.

Romani Gregorium IX Urbe pellunt 259. Eum revocant 266. Eum iterum Urbe exire cogunt 275. Eum reducem magna pompa excipiunt 278.

Romani Innocentium IV Romam vocant ſed male habent 326.

Romanorum rebellio cogit Alexandrum IV Viterbium ſe recipere 343. & ſeq.

Romani ſub Urbano IV iterum rebellant eumque Urbem veterem recedere cogunt 459. Carolum Andegavenſem Urbis Senatorem perpetuum creant 364.

Romandiola *à Rudolpho Imperatore Eccleſia Romana reſtituitur 433.*

Roſa aurea *ab Eugenio III ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem miſſa 24. & ſeq.*

Item ab Alexandro III ad Ludovicum VII Regem Francia 69. Quid flos ille myſticè ſignificet exponit idem Pontifex ibid. & 570.

Roſa aurea Venetiarum Duci ab eodem Alexandro Papa datur 100.

Raymundo Berengarii Provincia Comiti ab Innocentio IV Lugduni traditur 305. Item Sancti Juſti Canonicis Lugdunenſibus ab eodem Papa 306.

Roſa aurea Benedictionis auctor non eſt Innocentius quartus 305. & ſeq.

Dominica Latare dicta poſtea de Roſa Imperatores ſolemniter de more coronabantur 307.

Dominica de Roſa ab ea dominica diverſa erat 573. & ſeq.

Rudolphus *ſeu Radulphus electus Archiepiſcopus Trevirenſis contra Folmarum à ſaniori parte electum, à Friderico Imp. inveſtituram recipit 123. A Lucio III reprobatur 128. & ſeq. Ejus ſicut & Folmari electio à Sigifrido Clementis III Legato caſſatur 139.*

Rudolphus *Comes Habſpurgenſis eligitur Rex Romanorum 394. Oratores mittit ad Gregorium X qui ei obedientiam & fidelitatem praſtant 408. & ſeq. Rudolphi electio à Gregorio X confirmatur 409. Rudolphus cum eodem Pontifice Lauſana colloquium habet 411. Bona & privilegia Eccleſia Romana per Legatum confirmat 432. Ea ipſemet iterum confirmat ibid. Nicolaum III in Bononia & Romandiola poſſeſſione immitti curat 432. Simulat ſe Romam ire velle ad Coronam Imperialem ſuſcipiendam 456. Rudolphi facetum reſponſum cur Romam nunquam adierit 457.*

Sancti Rufi *Abbatia in Provincia ſita prope Avenionem 37. Sub Hadriano IV Valentiam transfertur 38.*

S.

Sancti Sabæ Monaſterium Romanum à Lucio II Cluniacenſibus conceditur 5.

Saladinus Saracenorum Orientalium Rex reſpondet ad Lucii III literas pro pace inter Saracenos & Chriſtianos Orientis 125. Jeroſolymam capit 130.

Salve Regina Cantici quis auctor fuerit 180. Quid eidem Sanctus Bernardus Clarevallenſis Abbas addiderit ibid.

Samſon Archiepiſcopus Remenſis ab Eugenio III pallio privatur & quare 12. & ſeq. A Sancto Bernardo excuſatur 13.

Sanctius Luſitaniæ Rex ab Innocentio III cogitur ad ſolvendum cenſum Eccleſiæ Romanæ promiſſum 165. & ſeq. De pluribus exceſſibus ab eodem Innocentio redargutus reſipiſcit & moritur 206. & ſeq. Sanctii filius Innocentius ſub S. Petri protectionem ſuſcipit 107.

Sanctium II Luſitaniæ Regem adminiſtratione regni privandum ſtatuit Innocentius quartus 310.

Sanctius Navarræ Rex Saracenos ingenti prælio vincit 208. & ſeq.

Sancti Philippi Caſtellæ Regis filii inceſtæ nuptiæ cum Maria Alphonſi Molinæ filia à Martino IV improbantur 450. Filii ex eo matrimonio nati à Bonifacio VIII legitimantur 451.

Saphadinus Saracenorum Orientalium Rex reſpondet ad Lucii III literas pro pace inter Chriſtianos & Saracenos Orientis 125.

Saraceni in Hiſpania ingenti prælio à Petro Aragoniæ & Sanctio Navarræ Regibus vincuntur 207. & ſeqq.

Sardiniæ regnum à Bonifacio VIII Jacobo Aragoniæ Regi conceditur 519. Pro eo Jacobus Benedicto XI ligium hominium facit 554. & ſeq.

Savaricus nobilis Anglus juris cudendæ monetæ confirmationem ab Honorio III obtinet 136.

Saviniacenſis Ordo ſubditur Ciſtercienſi ab Eugenio III in Concilio Remenſi 23. & ſeq.

Sclavorum converſionem curat Nicolaus quartus 467.

Scotiam Angliæ ſubjici debere negat Nicolaus quartus 475.

Senator Romanæ Urbis Pontifici Romano ſe ſubjicit 161. & ſeq.

Senatoriam Romanæ urbis dignitatem Nicolaus III ad ſe revocat 434. Martino IV ad vitam confertur à populo Romano 444.

Sequentia. Vide proſa.

Servorum Beatæ Mariæ Ordo ab Alexandro III approbatur 341. A Benedicto XI ſolemniter confirmatur ibid.

De Siciliæ rebus quomodo tranſegerit Innocentius III cum Conſtantia Auguſta 162. & ſeq. Siciliæ regni moderatio & Regis pupilli tutela à Conſtantia Auguſta Innocentio III relinquitur 171. & ſeq.

Siciliæ regni Epiſcoporum electiones canonicè & libere fieri permittit Fridericus II jam electus Imperator 206.

Siciliæ regnum Carolo Andegavenſi Comiti & poſtea Edmundo Henrici III Angliæ Regis filio ab Innocentio IV offertur 222. & ſeq.

Tum ab Urbano IV eidem Carolo Andegavenſi offertur 364.

Siciliæ regni inveſtitura eidem Carolo à Clemente IV tribuitur 373.

Siculi Francos omnes inhumaniter trucidant, indeque Siculæ veſperæ famoſiſſimo adagio 447.

Sicilia

Sicilia à Petro Aragoniæ Rege invaditur 448.

Sicilia Carolo Rege mortuo, & Carolo II *ejus filio captivo a quibus adminiſtrata Martini IV juſſu* 452.

Siculi à Nicolao IV admonentur ut ad Eccleſiæ obſequium redeant 464.

Siculi Fridericum Jacobi Aragoniæ Regis fratrem Regē eligunt & coronant 510.

Silveſtrinorum *Ordo ab Innocentio IV confirmatur* 313 *& ſeq.*

Simon à Bria *fit Cardinalis ab Urbano quarto* 357. *In Galliam ab eodem Urbano Legatus mittitur ad Carolum Andegavenſem in Italiam acciendum* 364. *Dicitur Pontifex Romanus poſt ſex menſium inter Pontificium* 442. *Martini IV nomen ſumit & quare. ibid. Ejus primordia & Generis nobilitas* 443. *Urbem veterem recedit ubi conſecratur & coronatur ibid. Encyclicas de ſua promotione literas ſcribit* 444. *Suos Eccleſia bonis ditare refugit ibid. Senator Urbis ad vitam à populo Romano dicitur ibid. Carolum Comitem Andegavenſem Siciliæ Regem pro ſe Urbis Senatorem conſtituit* 445. *Cardinalium collegium auget* 446. *Michaëlem Græcorum Imperatorem ab Eccleſia deficientem excommunicat ibid. Panormitanos anathemate ferit ob Veſperas Siculas* 447. *Item Petrum Aragoniæ Regem ob invaſam Siciliam* 448. *Carolum Siciliæ Regem arguit ob acceptatum ſingulare certamen cum eodem Petro Rege Aragoniæ ibid. Eumdem Petrum Regem regnis & dominiis omnibus privatum declarat* 449. *Ea confert Carolo Valeſio Francorum Regis filio* 450. *Inceſtas Sanctii Alphonſi Caſtellæ Regis filii nuptias improbat ibid. Siculos perduelles ad obſequium reducere tentat* 451. *Curam gerit regni Siciliæ* 452. *Ad Deum tranſit ibid. Locus ejus ſepultura* 453. *Miraculis coruſcat ibid.*

Simon Paduanus *Canonicus fit Cardinalis ab Urbano quarto* 357. *Accuſatur apud Urbanum ſed irrito conatu ibid. Plurium provinciarum adminiſtrationi ab eodem Pontifice præficitur ibid.*

Simon Comes *Montisfortis à Legato Innocentii* III *Toloſanum Comitatum obtinet ob navatam contra Albigenſes operam* 200. *In eodem Comitatu à Concilio Lateranenſi IV ſub eodem Innocentio confirmatur* 220

Sleuvicenſe *Concilium à Gregorio Sancti Theodori Diacono Cardinali Honorii* III *Legato ad reſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam celebratur* 143.

Spiritûs Sancti *Hoſpitalariorum Ordo ab Innocentio* III *confirmatur* 169.

Spiritûs Sancti Hoſpitale Romanum ab eodem Innocentio Romæ conſtruitur 169 *& ſeq.*

Spoletum *ad Eccleſiam Romanam revocatur* 162.

Stanislaus *Epiſcopus Cracovienſis ab Innocentio IV ſanctorum honoribus donatur* 324.

Stephanus de Mureto *à Clemente* III *canonizatur* 140.

Stephanus Langtonus *creatur Cardinalis ab Innocentio* III *& conſecratur Cantuarienſis Archiepiſcopus* 192. *& ſeq. A divinorum celebratione ſuſpenditur; & ſententia in Concilio Lateranenſi IV ſub eodem Innocentio* III *confirmatur* 221.

Stephanus *Bela Hungariæ Regis filius poſt multa diſſidia pacem cum patre init* 378.

Stercorariæ ſedis *uſus* 144.

Stigmatum Sancti Franciſci *inſigne teſtimonium ab Alexandro IV perhibetur* 337.

317. *Stigmatum feſtum Benedictus XI & officium Paulus V celebrari concedunt ibid.*

Subdiaconatus *uſque ad finem ſeculi duodecimi inter Minores Ordines recenſitus* 131. *Ab Urbano III ſacris Ordinibus accenſitus* 132.

Syriæ *Chriſtiani legationem mittunt in Occidentem pro flagitando auxilio* 10.

T.

Tancredus *Rogerii Ducis filius naturalis à Siculis Rex dicitur poſt mortem Willelmi II Regis* 155. *Conſtantiam Auguſtam Henrici V Imperatoris uxorem in cuſtodia detinet ibid. Eam ad preces Cœleſtini* III *Papa dimittit ibid. Moritur* 156.

Tartari *in Hungariam irrumpunt* 346. *& ſeq. Tartarorum Orientalium Legati veniunt ad Concilium Lugdunenſe* II *ut fœdus ineant cum Chriſtianis* 404. *Unus ex illis baptizatur ibid. Tartarorum plures fidem Chriſti ſuſcipiunt ſub Nicolao quarto* 466.

Teutonicorum *militia inſtitutio & confirmatio à Cœleſtino* III *Papa* 146. *& ſeq. Teutonicis Gladiferorum Ordo unitur* 201.

Theodoricus *Cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Jeruſalem fit Epiſcopus novæ civitatis Papalis Bonifacii* VIII *juſſu conſtructæ* 519.

Thomas *Cantuarienſis Archiepiſcopus ad Concilium Turonenſe veniens inuſitato honore ab Alexandro* III *ſuſcipitur* 71. *Occiditur à quatuor nobilibus Henrico* II *Angliæ Regi familiaribus* 94. *Ab Alexandro* III *canonizatur* 95.

Thomas Agni *de Lentino poſt Willelmum Agennenſem fit Patriarcha Jeroſolymitanus* 361. *Moritur* 391.

Thomas Conſentinus *Archiepiſcopus à Gregorio X fit Patriarcha Jeroſolymitanus & Legatus Orientis* 390.

Thomas de Aquino *Ordinis Prædicatorum componit officium ſolemnitatis Corporis Chriſti Urbani IV juſſu* 365. *Ad Concilium Generale Lugdunenſe* II *à Gregorio X vocatus in itinere obit* 397.

Thomas Maurocenus *Venetus fit Patriacha Conſtantinopolitanus* 188. *Ejus electionem caſſat Innocentius III, ſed poſtea eum eligit & conſecrat* 188. *& ſeq. Ab eodem Pontifice arguitur quod ſolis Venetis beneficia conferat* 192.

Tiara Pontificalis. *Vide Mitra turbinata.*

Timotheum *Epiſcopum Zagebrienſem electum admittere in Epiſcopatum recuſat Bela Hungariæ Rex, quod vilis eſſet Originis, ideoque à Clemente IV redarguitur* 378.

Toloſanum *Concilium in quo Franci & Angli Alexandrum III ut verum Pontificem ſuſcipiunt* 61. *& ſeq.*

Tornacenſis *Epiſcopatus ſeculo ſexto Noviomenſi unitus ab Eugenio* III *reſtituitur* 11. *& ſeq.*

Torneamenta *ab Innocentio* III *prohibita* 175.

Transfigurationis *domini feſtum quàm antiquum* 273. *& ſeq.*

Trevirenſe *Concilium ab Eugenio III celebratur* 18. *In eo Henricus Fuldenſis Abbas deponitur* 19.

Trevirenſis Archiepiſcopatus controverſitur inter Folmarum & Rudolphum 123. *Hac controverſia à Clemente* III *dirimitur* 139.

Sanctiſſimæ Trinitatis *Ordo ab Innocentio* III *confirmatur* 170. *& ſeq.*

Tripolis *à Soldano Babyloniæ capitur & funditus evertitur* 471. *& ſeq.*

Tuamen-

Tuamenſis *Archiepiſcopatus in Hibernia à Joanne Paparone Eugenii III Legato inſtituitur* 28.

Turonenſe *Concilium ab Alexandro III celebratur* 70. *Ejus Concilii epocha ibid. Acta in eo* 71. *& ſeq. Albigenſium hæreticorum dogmata in eo damnantur* 72.

Turonenſis Archiepiſcopi controverſia de jure Metropolico cum Dolenſi Antiſtite in favorem Turonenſis ab Innocentio III deciditur 172. *& ſeq.*

Tuſculanenſis *civitas ſub dominio B. Petri & Eccleſiæ Romanæ traditur* 91. *A Romanis deſtruitur* 143. *& ſeq.*

Tutelenſis *Academia in regno Navarræ ab Alexandro IV privilegiis ornatur* 346.

V.

Valentinenſis *& Dienſis Epiſcopatus à Gregorio X uniuntur* 411.

Vallis Scholarium *Ordo ab Honorio III confirmatur* 238.

Ubaldus *Eugubinus Epiſcopus à Cæleſtino III canonizatur* 149.

Venaiſcini Comitatus *ceſſio Eccleſiæ Romanæ facta à Raymundo Juniori Comite Toloſano* 264. *& ſeqq.*

Venaiſcinus Comitatus à Philippo III Rege Francorum Eccleſiæ Romanæ reſtituitur 395. *In Comitatu Venaiſcino inſtituitur Inquiſitio à Nicolao quarto* 468.

Venetiarum *Dux roſam auream ab Alexandro III recipit* 100.

Venetiis Synodus ab eodem Alexandro III celebratur in qua pax univerſalis ſancitur 102. *Veneti cruceſignati cum Francis Jaderam obſident contra Innocentii III PP. prohibitionem, ideoque excommunicationem incurrunt* 179. *Ab ea per Legatum Pontificis abſolvuntur* 180. *Conſtantinopolim cum Francis occupant* 187. *& ſeq. Imaginem B. Virginis Cpoli ablatam reſtituere ab Innocentio III coguntur* 189. *Projadera capta ſatisfaciunt* 191. *Redarguuntur à Nicolao IV quod Patriarchæ Aquileienſi bellum moverint* 467. *Ejuſdem Pontificis monitu Inquiſitionem Venetiis inſtituunt ibid. A Bonifacio VIII excitantur ad defenſionem Terræ ſanctæ* 516.

Veronica *ſacra Imago Romæ exiſtens in ſolemni proceſſione delata ſponte vertice deorſum ſe invertit* 223.

Veronica non eſt vocabulum mulieris, ſed Imaginis 224. *Ejus etymologia ibid.*

Solemnitatis in qua Veronica defertur inſtitutio non Honorio III ſed Innocentio III tribuenda 223. *& ſeq.* 252.

Veronenſis *Conventus inter Lucium III PP. & Fridericum Imp. celebratur* 123. *An conventus ille inter Concilia numerari debeat examinatur* 124.

Veſperæ Siculæ *quare ſic communi adagio dictæ* 447. *& ſeq.*

Vezeliacenſis *Conventus pro expeditione in Terram ſanctam* 10. *& ſeq.*

Vicecancellariatus *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ origo* 238.

Vicecomitum *Mediolanenſium principatus initium* 393.

Vicedominus de Vicedominis *à Gregorio X avunculo ante Concilium Lugdunenſe II Cardinalis creatur* 398. *Adeſt Concilio Lugdunenſi* 400. *Utrum fuerit electus Papa controvertitur & opinio negativa præfertur* 419. *&* 478. *Reſpondetur ad objectionem contrariæ opinionis* 420. *Utrum fuerit Minorita* 421. *Annus ejus Cardinalatus diſcutitur* 422.

Victor IV *Antipapa. Vide Octavianus S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis.*

Digitized by Google

Vienneſe Concilium ab Innocentii III Legato celebratur in cauſa divortii Philippi Auguſti Franciæ Regis 167.

Virgilius Epiſcopus Saltzburgenſis à Gregorio IX ſanctorum catalogo aggregatur 272.

Sancti Vitoni corpus Virduni ab Eugenio III transfertur 17.

Ulyſſiponenſis Academia à Dionyſio Luſitaniæ Rege fundata à Nicolao IV privilegiis decoratur 473.

Volcmarus Archiep. Trevirenſis. Vide Folmarus.

Upſala in Suecia fit ſedes Archiepiſcopalis ab Eugenii III Legato 26.

Urbanus III antea Mediolanenſis Archiep. Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Damaſo fit Papa 127. A Friderico Imp. diſſidet & quare 128. Folmarum Cardinalem creat & Trevirenſem Epiſcopum conſecrat ibid. Abſque Urbani conſenſu Henricus Friderici Imp. filius coronatur 128. Ob hoc & alia Urbanus Imperatorem excommunicare decernit 129. Legatum mittit in Angliam ad coronandum Joannem Regis filium Hiberniæ Regom 130. Ex dolore Jeroſolymitanæ urbis à Saladino captæ Ferrariæ moritur & ſepelitur ibid. Subdiaconatum ſacris & majoribus ordinibus accenſuit 131. & ſeq.

Urbanus IV eligitur Pontifex Romanus 352. Ab octo tantum Cardinalibus 353. Antea erat Patriarcha Jeroſolymitanus ſed non Cardinalis ibid. Quare Urbani nomen ſumſerit 453. Urbani Genus, Patria & munera ante Pontificatum 454. Ejus conſecratio & coronatio ibid. Urbanus Ludovicum Franciæ Regem privilegiis exornat 356. Cardinales ſeptem creat ibid. Richardum Ciceſtrenſem Epiſcopum canonizat ibid. Aragoniæ Regem ab affinitate cum Manfredo evocare fruſtra conatur 360. Prohibet Electoribus ne Conradinum Germaniæ Regem eligant ibid. Eccleſiæ Jeroſolymitanæ Patriarcham præficit 361. Legatos Cpolim mittit pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina ibid. Alios eadem de cauſa Legatos ad Imperatorem Græcorum dirigit 362. Quærit providere Imperio Germaniæ 363. Legatum mittit pro pace inter Anglos ſancienda ibid. Carolum Andegavenſem ad regnum Siciliæ vocat 364. Solemnitatem corporis Chriſti indicit & quibus cauſis ad id motus 364. & ſeq. Ad Evam Monialem Leodii recluſam de ea inſtitutione ſcribit 366. Moritur 367. Tempus Mortis ejus, locus ſepulturæ & epitaphium ejus ibid. Ejus virtutes & memoria 368.

W

Walachorum regnum. Vide Bulgarorum regnum.

Waldenſes Vide Albigenſes.

Willelmus Eboracenſis Theſaurarius eligitur Epiſcopus Eboracenſis & conſecratur 4. Cur pallium à Lucio II miſſum non receperit 5. In Synodo Parienſi ab Eugenio III præſulatu deponitur 15. In eum ab Anaſtatio IV reſtituitur & pallio donatur 34. Sanctè Moritur 35. Ab Honorio III ſanctorum Honoribus donatur 251.

Willelmus Remenſis Archiepiſcopus ab Alexandro III dicitur Cardinalis Preſbyter tit. Sanctæ Sabinæ 79. & 109.

Willelmus Archiepiſcopus Bituricenſis ab Honorio III ſanctorum faſtis adſcribitur 237.

Willelmus Briocenſis Epiſcopus ab Innocentio IV canonizatur 313.

Willel-

Willelmus *Epiſcopus Agennenſis ab Urbano IV fit Patriarcha Jeroſolymitanus* 361.

Willelmo *Abbati Roſchildenſi Sanctorum Honores & cultus ab Honorio III decernuntur* 248

Willelmus Duranti *Epiſcopus enimatenſis qui commentariis illuſtravit conſtitutiones in Lugdunenſi Concilio II editas, diverſus à Willelmo altero Duranti qui interfuit Viennenſi Concilio* 401. *& ſeq.*

Willelmus de Sancto Amore *Pariſienſis Theologus librum edit contra Mendicantes* 335. *Ejus liber tanquam execrabilis ab Alexandro IV damnatur* 335. *& ſeq.*

Willelmus II *Siciliæ Rex ab Hadriano IV excommunicatur* 42. *Ab eo pacem fruſtra petit* 43. *Hadrianum IV Beneventi obſidet & cum eo pacem facit ib. Monaſterium Montis Regalis conſtruit, privilegiiſque ab Alexandro III ornari obtinet* 97. *Illius Eccleſiam in Metropolim à Lucio III eligi procurat* 121. *Moritur ſine hærede* 155.

Willelmus *Scotiæ Rex capellanum ſuum intrudit in Epiſcopatum Sancti Andreæ, ob idque ab Alexandro III excommunicatus à Lucio III abſolvitur* 119. *Ab Innocentio III munera & privilegia recipit* 182.

Willelmus *Hollandiæ Comes poſt mortem Henrici Landgravii Romanorum Rex eligitur* 314. *Ejus electio ab Innocentio IV confirmatur poſt mortem Friderici* 316. *A nonnullis Friſonibus occiditur* 339.

Willelmus *Montisferrati Marchio de Terdonenſis Epiſcopi cæde juſſu Honorii IV abſolvitur & quibus conditionibus* 460.

Willelmus Nogaretus *Bonifacium VIII Papam captivum Anagniæ detinet* 544. *& ſeqq. Ejus abſolutionem Benedictus XI ſibi & Apoſtolicæ Sedi reſervat* 553. *& ſeq.*

S Wulſtanus *Wigornienſis Epiſcopus ab Innocentio III canonizatur* 184. *& ſeq.*

Y.

Ymarus *Tuſculanenſis Epiſcopus Legatus in Angliam à Cæleſtino II mittitur* 4. *Cur pallium quod deferebat Willelmo Eboracenſi electo non dederit* 4. *& ſeq. E Legatione Anglicana ad Gallicanam transfertur* 4. *Conſentit electioni Alexandri III ſed poſtea ab eo deficiens Octavianum Antipapam conſecrat* 55.

Yolanta *Jacobi Aragoniæ Regis ſoror nubit Roberto Caroli II Siciliæ Regis filio* 514 *&* 518.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata graviora hujus tertii Tomi ſic corrige.

Pagina 2. linea 12. *in Gallis*, lege, *in Galliis*. pag. 3. lin. 3. *veri*, l. *uni* p. 8. l. 1. *Sanaterum*, l. *Senatorum*. Ibid. l. 39. dele hæc verba, *inter ſe* et lege *nullam Cardinalium inter ſe*. p. 13. l. 19. *Cernotenſi*, l. *Carnotenſi*. p. 17. l. 32. *Belgicum*, l. *Belgicam*. p. 25. l. 16. *XXXI*. l. *XXXII*. p. 30. l. 38. *poſitionibus*, l. *petitionibus*, p. 54. l. 7. *ſuo*, l. *ſeu*. Ibid. l. 30. *ut*, l. *&*. p. 57. l. 36. *ſuſciperet*, l. *ſuſciperent*, p. 87. l. 8. *ſcriptam*, l. *ſcripta*. p. 88. l. 33. *incuberet*, l. *incubaret*. p. 96. l. 28. poſt vocem conventus dele punctum. p. 100. l. 23. *Ferriam*, l. *Ferrariam*. p. 102. l. ult. lege *Guilielmi tantum*. p. 110. l. 35. *in alium*, dele, *in*. p. 129. l. 31. *relicto*, l. *collecto*. p. 155. l. 6. *ſilium*, l. *ſiliam*. Ibid. l. 28. *Morezonii*, l. *Moretonii*. p. 164. l. 26. *aderat*, l. *oderat*. p. 174. l. 35. *Oemilius*, l. *Aemilius*. p. 180. l. 36. *ducto*, l. *ductu*. p. 182. l. 41. *annullum*, l. *annulum*. p. 187. l. 37. *liemantibus*, l. *hiemantibus*. p. 194. l. 38. *reſtitutum* l. *reſtituturum*. p. 197. l. 11. *reſtitutum*, l. *reſtituturum*, p. 198. l. ult. *in eum*, l. *in eam*. p. 207. l. 23. *ſcripſit*, l. *ſcriptis*. p. 208. l. 32. *aqua*, l. *equa*. Ibid. l. 41. *ſtatueret*, l. *ſtatuerat*. p. 211. l. 19. *Moram*, l. *Moſam*. p. 213. l. 2. *nullus*, l. *nullum*. Ibid. l. 3. *Cardines*, l. *Carninales*. p. 219. l. 9. *aſſerunt*, l. *arſerunt*. p. 220. l. 11. *ipſis*, l. *ipſi*. p. 227. l. 20. *cap. 20*. l. *cap. 40*. p. 232. l. 39. *hebere*, l. *habere*. p. 237. l. 11. *tunc*, l. *hunc*. p. 240. l. 31. *velatum*, l. *velatam*. Ibid. *circumdatum*, l. *circumdatam*. p. 243. l. 21. *capto*, l. *capto*. p. 247. l. 33. *effectu*, l. *affectu*. p. 250. l. 5. *tentatur*, l. *teneatur*. Pag. 253. l. 12. *XVIII Aprilis*, l. *XVIII. Martii*. p. 256. l. 10. *liretum*, l. *biretum*. p. 260. l. 10. *Peruſio Aſſiſium*, l. *Aſſiſio Peruſium*. p. 267. l. 2. *domini*, l. *dominii*. p. 295. l. 11. *ei* l. *ii*. Ibid. l. 26. *tractatu*, l. *tractatui*. p. 297 l. 17. *Cortomoliam*, l. *Cortemiliam*. p. 299. l. 23. *ipſi*, l. *ipſis* p. 301. l. 38. *inducia*, l. *inducias*. p. 315. l. 17. *quinquageſima*, l. *quinquageſima*. Ibid. l. 25. *conceſſiſſet*, l. *conceſſiſſent*. p. 325. l. 34. *ejus*, l. *ejuſdem*. p. 326. l. 5. *aula*, l. *ipſa*. Ibid. l. 10. *veteram*, l. *veterem*. Ibid. l. 18. *vi*, l. *ni* p. 328. l. 11. *Belius*, l. *Balius*. p. 346. l. 30. *potulaſſet*, l. *poſtulaſſet*. Ibid. l. 40. *Tartari qui*, Dele, *qui*. p. 354. l. 15. *infama*, l. *infima*. p. 361. l. ult. *rerum*, l. *iterum*. p. 365. l. 10. *ſluere*, l. *fluere*. p. 374. l. 14. *ne*, l. *nec*. p. 384. l. 22. *Bavaium* l. *Bavarum*. p. 387. l. 12. *è quibuſdam*, l. *à quibuſdam*. p. 388. l. 34. lege, *decreta eſt ſtatim legatio*. Ibid. l. 37. *& Latinis*, l. *ex Latinis*. p. 406. l. 24. *ſancti* l. *ſancto*. Ibid. l. 25. *cum primis*, l. *eum primis*. pag 407. l. 38. *quamvis*, l. *quavis*. p. 412. l. 20. *dolerentur*, l. *delerentur*. p. 414. l. 22. *Ludovicus*, l. *Ludovico*. p. 420. l. 13. *prolet*, l. *prebet*. Ibid. l. 21. *accendus*, l. *accenſendus* Ibid. l. 38. poſt vocem ordinationis, adde, *dit*. p. 426. l. 22. *collitus*, l. *colliſus*. p. 431. l. 33. *Quolibes*, l. *Quolibey*. p. 433. l. 5. *MCCLXXVIII*, l. *MCCLXXVIIII*. Ibid. *Cumque non*, l. *cumque hac non*. p. 436. l. 26. *Forolivienſis*, *lib.* l. *Forolivienſis lib. 2*. p. 441. l. 12. annum 1240. l. *annum* 1140. p. 443. l. 41. *ſententiam incurrunt*, l. *ſententiam excommunicationis incurrunt*. p. 473. l. 13. *brevia*, l. *bravio*. p. 488. l. 21. *deforis ea*, l. *deferis ea*. p. 495. l. 30. *conceſſit* l. *conceſſis*. p. 496. l. 35. *Ptolomao*, l. *ex Ptolomao*. p. 502. l. 26. *novendie*, l. *novendio*. p. 505. l. 1. *ſcripſit*, l. *ſcripſerit*. p. 519. l. 23. *encederet*, l. *excederet*. p. 525. l. 4. *cum*, l. *eum*. p. 537. l. 28. *avellendum*, l. *evellendum*. p. 543. l. 19. *conceſſu*, l. *confeſſu*. p. 548. l. 7. *id eo*, l. *ideo*, p. 550. l. 22. *Venitias*, l. *Venecias*. p. 556. l. 4. *priorum*, l. *piorum*. Ibid. l. 20. *ſperaverat*, l. *ſpreverat*. p. 564. l. 15. *ab* l. *ad*. Ibid. l. 39. ille, l. *illa*. p. 565. l. 21. *cum*, l. *eum*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 200 1933

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google